D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

ENARRATIONES

IN SECUNDAM PARTEM EVANG. LUCÆ (X-XXIV)

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

STEPH. CÆS. AUG. BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN VICESIMUM TERTIUM

ENARRATIONES IN SECUNDAM PARTEM EVANG. LUCÆ (X-XXIV).



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

MDCCCXCV

D. ALBERTI MAGNI,

EPISCOPI RATISBONENSIS,

ORDINIS, PRÆDICATORUM

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

IN EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM,

LUCULENTÆ EXPOSITIONIS SECUNDA PARS.

CAPUT X.

Septuaginta duos præmittens ad singulas civitates, tradit præcepta quæ in prædicando observent : et gaudentibus de subjectis sibi dæmonibus, dicit non esse ob hoc potissimum gaudendum : comminatur civitatibus obstinatis, in quibus factæ erant plurimæ virtutes, et exsultans in spiritu confitetur Patri : tentanti legisperito, post recitatum præceptum de dilectione Dei et proximi, ostendit quis sit proximus per parabolam hominis a Jerusalem descendentis : Marthæ ministranti, et de sorore Maria conquerenti, dicit Mariam elegisse optimam partem.

1. Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci [1]. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

[1] Matth. IX, 37.

3. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos [1].
4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta [2], et neminem per viam salutaveritis [3].
5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui.
6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos revertetur.
7. In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua [4]. Nolite transire de domo in domum.
8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.
9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.
10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite :
11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos [5] : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.
12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati.
13. Væ tibi, Corozain! væ tibi, Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent [6].
14. Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.
15. Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.
16. Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit [7]. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.
17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.
18. Et ait illis : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.
19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit.
20. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.
21. In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto [8], et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te.
22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater : et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.
23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis [9].
24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non vide-

[1] Matth. x, 16.
[2] Marc. vi, 8.
[3] IV Reg. iv, 29.
[4] Deuter. xxiv, 14; Matth. x, 10 I; ad Timoth. v, 18.
[5] Act. xiii, 51.
[6] Matth. xi, 21.
[7] Matth. x, 40; Joan. xiii, 20.
[8] Matth. xi, 25.
[9] Matth. xiii, 16.

runt : et audire quæ auditis, et non audierunt.

25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum [1], et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ?

26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quomodo legis ?

27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo [2], et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua : et proximum tuum sicut teipsum.

28. Dixitque illi : Recte respondisti : hoc fac, et vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus ?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : et viso illo, præterivit.

32. Similiter et Levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum, et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ?

37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

38. Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum : et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam.

39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium : quæ stetit et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? dic ergo illi ut me adjuvet.

41. Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.

42. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

[1] Matth. XXII, 35 ; Marc. XII, 28.

[2] Deuter. VI, 5.

IN CAPUT X LUCÆ

ENARRATIO.

« Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duco, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. »

Glossa : « Sicut in Apostolis forma « est Episcoporum, sic in septuaginta « duobus forma est presbyterorum se- « cundi ordinis. Septuaginta duo mittun- « tur, qui totidem linguarum gentibus « Evangelium prædicent : ut sicut pri- « mum duodecim Apostoli propter duo- « decim tribus Israelis, ita et hi septua- « ginta duo propter exteras gentes « destinentur imbuendas. Vel, cum Chri- « stus se diem, Apostolos vero horas hu- « jus diei nominet, ut per hunc nume- « rum prædicantium significet se fidem « Trinitatis mundo annuntiaturum, sicut « sol triduanum suæ lucis ambitum per « septuaginta duas horas efficere solet. »

Tangit Glossa hoc quod dicitur, Joan. XI, 9 : *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Lux enim hujus mundi Christus est, qui dicit, Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Dies autem hujus lucis est claritas doctrinæ Christi : horæ autem claritates sunt duodecim Apostolorum.

Duodecim autem horæ habent respondentes horas in nocte duodecim, quæ obscuritatem significant humanam : et sic in die naturali perficit sol horas viginti quatuor : quæ viginti quatuor per tria multiplicatæ, faciunt septuaginta duas : qui est numerus prædicantium. Et sic numerus multiplicans est tria, significans fidem Trinitatis : numerus autem multiplicatus est septuaginta duo, qui est numerus prædicantium discipulorum, et numerus eorum quibus prædicatur, scilicet, gentium divisarum in septuaginta duas linguas. Tot etiam constituit Moyses duces populi, quibus ille mirabili facilitate, totam multitudinem sibi commissam gubernaret[1] : ita etiam Christus secundi ordinis viros adjunxit Episcopis, hoc est, Presbyteros, quibus mediantibus in partem sollicitudinis Episcoporum vocatis, facilitate optima plebes Ecclesiarum gubernarentur : sicut in Ordinario Episcoporum continetur, quando consecrantur Presbyteri.

Hæc inducta sunt propter hujus libri divisionem, ut sciatur de intentionibus Glossarum esse extracta. Hic enim post perfectionem ordinis Apostolici sive Episcopalis, agit de perfectione ordinis Sacerdotalis, sive Presbyteralis.

Dividitur autem hæc pars in duas partes : in quarum prima ponit omnia quæ pertinent ad doctrinam discipulorum. Quia autem per doctrinam quidam vocantur et approbantur ut electi, et quidam rejiciuntur et reprobantur ut damnandi : ideo in secunda parte causas ostendit justæ electionis, et justæ reprobationis : et hæc pars incipit in capitulo XV.

Adhuc pars prior in tres dividitur : in quarum priori docet facienda, et cavenda : in secunda ad observationem illorum inducit exempla plurima : et hæc incipit ibi, cap. XIII. Quia autem omnis doctrina finem habet conversionis ad Christum, ideo in capite XIV docet modum conversionis ad ipsum.

Adhuc autem prima harum in duas

[1] Cf. Numer. XI, 16.

dividitur : in prima enim docet facienda : et in secunda, cap. XII, docet cavenda.

Cum autem omnis instructio Christi sit in sermone, virtutem et potestatem habente : ideo in prima parte inducuntur duo capita, quorum primum est de instructione : secundum autem de virtutis et potestatis, in qua signa fiunt, origine.

Istud autem caput dividitur in duas partes, in quarum prima ponitur modus electionis, missionis, et informationis discipulorum : in secunda autem relatio revertentium, et confirmatio, et instructio eorumdem.

In priori istarum dicuntur tria : scilicet, modus missionis, necessitas legationis, et instructio operis.

Duo autem dicit in primo : designationem mittendorum, et missionem.

De designatione dicit quinque : continuationem historiæ, designationem, designantis auctoritatem, designatorum ab Apostolis distinctionem, et designatorum numerum.

De continuatione dicit :

« Post hæc autem. »

Hic « *post* » non notat ordinem temporis, sed potestatis. Post potestatem enim Episcopalem est potestas ordinis Presbyteralis : quia Presbyteri constituuntur ab Episcopis, et vocantur in partem sollicitudinis eorum : et correctio eorum spectat ad Episcopos. Ad Titum, I, 5 : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego tibi disposui.* Hoc expresse dicitur in præfatione, quam dicit Episcopus in ordinatione Presbyterorum.

Hoc igitur notat, cum dicit : « *Post hæc autem* »

« Designavit, »

Hoc est, signo sanctitatis notorio expressit. Ad Titum, I, 5 et 6 : *Constituas... Presbyteros,... si quis sine crimine est.* Exod. XVIII, 21 et seq. : *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam : et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent : leviusque sit tibi, partito in alios onere. Et si hoc feceris, implebis imperium Domini, et præcepta ejus poteris sustentare.* Numer. XI, 16 et 17 : *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri : et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum : ut descendam, et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris.* Sic ergo conversatione sanctitatis istos designavit : hoc enim signo debet eligi Presbyter : et ideo de conversatione Presbyteri examinatur, quando recipit ordinem, an dignus et justus sit.

« Dominus. »

Ecce designantis auctoritas. In Domini enim est potestate, quemlibet in ordine gradus sui collocare. Psal. XLVII, 14 : *Distribuite gradus ejus, ut enarretis in progenie altera.* Ezechiel. XL, 31, et passim, Octo gradibus ascendebatur ad templum, hoc est, ordinibus ecclesiasticis Janitorum, Exorcistarum, Lectorum, Acolythorum sive Ceroferariorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum. Janitorum, qui introducendos introducant : Exorcistarum, qui Dæmones arceant : Lectorum, qui Prophetias ad intellectum distin-

[1] Vulgata habet, *domos.*

guant : Ceroferariorum, qui lumen visibile et invisibile fidelibus præferant : Subdiaconorum, qui corpori mystico in hostiis offerendis subserviant : Diaconorum, qui Presbyteris in hostiis oblatis et populo communicandis serviant : Presbyterorum, qui curam corporis veri et mystici agant : Episcoporum, qui medii inter Deum et populum existant. Hi omnes gradus in manu Domini sunt, ad statuendum et destituendum prout volunt : et ideo ipse est sponsus Ecclesiæ, sicut dicitur, Joan. III, 29. Et omnes alii sunt Paranymphi, hoc est, sponsi custodes. Luc. XII, 36 : *Vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.*

« Et alios. »

Ecce ordinis istorum ab Episcopis et Apostolis distinctio : isti enim dant Spiritum sanctum ad esse spirituale in Baptismo, et Pœnitentia, et Extrema unctione : et Eucharistiam dant ad illius esse vegetationem. Episcopi autem dant Spiritum sanctum ad robur in Confirmatione per manus impositionem, et conficiunt chrisma, per quod, ut dicit Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia*, « omnis completur sanctitas. » Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

« Septuaginta duos. »

Hujus numeri ratio jam habita est : quia septies duodecim faciunt septuaginta duo. Senarius autem significat perfectionem operis : duodenarius vero universitatem præmiorum beatitudinis. Et sic perfectio operis ducta in perfectionem beatitudinis, complet numerum istius Ecclesiastici ordinis. Sunt etiam septuaginta duæ linguæ nationum, quibus est prædicandum : et septuaginta duo duces præcesserunt in figura veteris legis. Septuaginta etiam fuit numerus annorum redemptionis captivitatis, quibus duo adduntur, propter duo mandata dilectionis : ut septem dona sancti Spiritus ducantur in decem mandata decalogi : et hæc omnia duobus informentur mandatis dilectionis : et per illa constituitur quilibet digne in gradu ecclesiasticæ potestatis. Supra etiam dictum est, quod in tribus diebus naturalibus septuaginta duæ horæ continentur : triginta sex horæ lucis, et triginta sex horæ tenebrarum, ut per arma lucis expellantur opera tenebrarum nostrarum. Ut dicamus : « Nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis [1] : » et hujus lucis sol Christus est, horæ Apostoli unius diei, tres dies in confessione Trinitatis vel trium in Christo substantiarum. Septuaginta duæ horæ sunt gradus septuaginta duorum Presbyterorum.

Sequitur :

« Et misit illos. »

Tangit istorum Presbyterorum missionem. Et tangit quinque : legationem, modum legationis, formam, locum, et finem.

Legationem auctoritatis traditæ tangit, cum dicit : « *Et misit illos.* » Non enim prædicarent et curam gregum susciperent, nisi missi. Propter quod conqueritur Dominus de quibusdam, Jerem. XXIII, 21 : *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* Jerem. XIV, 14 : *Falso prophetæ vaticinantur in nomine meo : non misi eos, et non præcepi eis, neque locutus sum ad eos.* Per se enim isti se ingerunt. Joan. X, 8 : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones.* Veniunt enim per seipsos, qui non missi veniunt. Ad Roman. X, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Joan. XX, 21 : *Sic-*

[1] Cf. Psal. CXXXVIII, 12 et 11. Cf. etiam officium Sabbati sancti, in Hymno *Exultet.*

ut misit me Pater, et ego mitto vos. Jerem. XXV, 4 : *Misit Dominus ad vos omnes servos suos prophetas, consurgens diluculo.*

« Binos. »

Ecce modus missionis. Mittit autem binos, quia sic præcessit in figura. Genes. VII, 8 et 9, Animalia immunda bina in arcam inducta sunt. Sic isti mittunt bina immunda, hoc est, viros et mulieres, vel Judæos et Gentiles inducunt in arcam Ecclesiæ, sicut in Petri linteum[1], ut sanctificentur. In linteo enim Petri, etiam ea quæ communia, hoc est, immunda erant, sanctificata a Deo dicuntur ex hoc quod Judæi linteum intraverunt, et in cœlum omnia recepta sunt. Linteum enim significabat candorem vestis baptismalis : sicut et arca significat baptismum. Alia causa est secundum Gregorium, quod binos mittit propter charitatis duo mandata. Charitas minus quam inter duos haberi non potest : quia charitas procedit semper in alterum. Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Tertia causa est, ut mutuo solatio inter fideles et persecutores foverentur. Eccle. IV, 9 : *Melius est duos esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ.* Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

« Ante faciem suam. »

Ecce missionis forma. Dupliciter autem misit ante faciem : uno quidem modo, ut sic se haberent, quasi semper ante faciem suam essent. III Reg. XVII, 1 : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* Tob. XII, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui adstamus ante Dominum.* Ille enim bonus est Angelus, hoc est, nuntius, qui omnia agit in conspectu Dei cuncta cernentis. Apocal. I, 4 : *A septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.* Talis enim legatus septiformi spiritu est illuminatus.

Vel, « *Ante faciem suam,* » hoc est, ut præcederent conspectum præsentiæ ipsius. Luc. I, 76 : *Præibis ante faciem Domini parare vias ejus.* Et, ibidem, ℣. 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ : ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Semper enim Dominus sicut in mundum in primo adventu, et sicut ad judicium in secundo adventu : ita et ad cor veniens præmittit sibi viam præparantes.

« In omnem civitatem et locum. »

Duo tangit : generalitatem legationis, et differentiam vocatorum.

Generalitas tangitur cum dicit : « *In omnem,* » ut nemo sit excusatus. Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum.* Luc. XIV, 21 : *Pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.* Isa. LV, 1 : *Omnes sitientes, venite ad aquas.*

« *Civitatem et locum.* » Per hoc tangit differentiam vocatorum. Tangit autem duas differentias, quas sæpe tangunt Sancti. Una est, quod quidam civilitate quadam et urbanitate virtutum naturalium sive civilium disponuntur ad fidem : et illi sunt cives civitatis. Quidam confusione rusticitatis aliquando cadunt in profundum vitiorum : et tunc resipiscunt et veniunt ad Dominum : et illi intelliguntur per habitatores aliorum locorum. De primis dicitur, Cantic. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* De secundis dicitur, Deuter. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.* Desertum

[1] Cf. Act. X, 11 et seq.

enim est habitatio peccatoris : locus horroris est, ubi nihil est urbanitatis : locus vastæ solitudinis est, in quo nihil est humanæ consuetudinis, sed potius mos belluinæ ferocitatis. De utrisque dicitur, ad Roman. I, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita* (*quod in me*) *promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.* Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

« Quo erat ipse venturus. »

Hic tangit legationis istius finem. Finis enim est præparatio ad Domini adventum, ne veniens aliquid in nobis inveniat, quod oculos majestatis ejus offendat. Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Isa. LXII, 10 : *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.* Per portas transire, est per sensus et sensibilia exempla ad corda festinare. Præparare viam populo, est viam mandatorum prædicando ostendere, et virtutibus planam facere. Lapides eligere, est scandala et offensionum occasiones a conspectu hominum subducere. Sic enim venit Dominus. Venturus enim Dominus est per fidem in intellectum, et per devotionem charitatis in affectum, et per gratiam in cordis habitaculum, et per virtutem in operationis effectum.

De primo horum, II ad Timoth. I, 5 : *Fides habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice : certus sum autem quod et in te.* Sic ergo Christus per fidem inhabitat, et est illius habitationis fundamentum. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*

De habitatione devotionis charitatis, Joan. XIV, 23 : *Pater meus diliget eum,* scilicet, diligentem me, *et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

De adventu per gratiam in cordis habitaculum, ad Ephes. II, 22 : *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

De adventu virtutis in operis effectum, I Reg. IV, 7 et 8 : *Venit Deus in castra... Non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius,* scilicet in castris Hebræorum.

Tunc enim dextera Domini facit virtutem, dextera Domini exaltabit nos, et iteratam dextera Domini facit virtutem [1]. Primo facit virtutem, virtutes nostras roborando per virtutem collatam ab ipso : exaltat nos, hostes nostros vincendo per vitiorum expulsionem : iteratam facit virtutem, opera nostra meritoria in nobis operando. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus in nobis, Domine.*

Sic ergo est venturus Dominus post viam præparatam a discipulis Et est iste fructus et finis legationis ipsorum.

« Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. » 2

Tangitur necessitas istius missionis.

Tangit ergo tria : proponit enim evidentem missionis necessitatem : invitat ad suæ intentionis consonantiam, discipulorum devotam voluntatem : et devote secum concordantibus, utilem imponit obedientiæ legationem.

In primo horum duo facit : multam enim dicit messium abundantiam : et dicit consequenter eorum, qui ex devotione metunt, esse nimis defectivam paucitatem.

De primo dicit : « *Messis quidem multa.* » Non in agro uno circumcisionis,

[1] Cf. Psal. CXVII, 16.

sed in omni regione præputii. Joan. IV, 35 : *Videte regiones quia albæ sunt jam ad messem.* Terra enim primo suscepit semen Dei in eruditione, et fide, et benedictione Patriarcharum : rigationem autem in doctrina Legis et Prophetarum : augmentum pullulantium segetum in illuminatione Joannis.

Ad maturitatem autem messium deducta est terra in tempore revelatæ gratiæ per Dominum : et ideo dicit, Joan. IV, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam.* Metere enim est fructus ab agris in quibus sunt præcidere : congregare autem, in horreum adducere. Agri autem sunt status circumcisionis et præputii : a quibus statibus fideles præcisi sunt : quia si plus in eis mansissent, in toto computruissent. Horreum autem in quod congregantur, est Ecclesia. Proverb. III, 10 : *Implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Apocal. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.*

Quia autem seges ista a principio a patribus seminata est, a quibus notitia Dei in cordibus hominum impressa : ideo dicitur, Joan. IV, 37 : *Quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.* Quia illi quidem in tenebris, et longe a fructibus vitæ existentes, *euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* [1] : Apostoli autem et discipuli Christi in lumine, et fructum vitæ congregantes, et in labores eorum introeuntes, *venientes venerunt cum gaudio et exsultationes,* scilicet mentis et corporis, *portantes manipulos suos* [2] in Ecclesiarum receptacula in vitam æternam.

Sic ergo, « *messis quidem multa.* »

« Operarii autem pauci. »

Operarii sonant messores utiles. Operarius enim ab opere derivatur. Opus autem proprie est ab ope dictum, quod opem fert laboris : hoc enim opus operæ pretium, hoc est, utile vocatur. Et sic proprie loquendo, quamvis forte mercenarii multi sint, tamen operarii sunt pauci : quia pauci sunt qui intuitu patrisfamilias utiliter laborent. Sic dicuntur operarii, Matth. XX, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem.* Laboratorum autem, quidam sunt sapientes, et quidam stulti. Stulti, qui stulto labore consumuntur, et ad Deum non referunt labores suos. Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.* Qui enim labores suos in urbe non collocat, labores perdit : quia a prædonibus disperguntur. Labor autem sapientium in tuto collocatur urbis æternæ, sicut dicitur, II ad Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Operarius autem proprie loquendo semper sapiens est, nisi abusive, et ab ope mala carnis operarius vocetur. Eccli. XIX, 1 : *Operarius ebriosus non locupletabitur : et qui spernit modica, paulatim decidet.* Operarius ergo bonus, vigil est ad sollicitudinem, instans ad operis expletionem, circumspectus ad impedimentorum summotionem, prudens ad operis utilitatem, fidelis ad fructum congregationem, sapiens ad commissorum rationem.

De primo dicitur, Matth. XXIV, 42 : *Vigilate : quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*

De secundo, Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quo tu properas.*

De tertio intelligitur quod dicitur, Nehem. seu II Esdræ, IV, 16 et seq., quod vices et vigilias agebant ad operandum die ac nocte : una manu tenentes gladios, et alia facientes opus, ut amoverent impedimenta.

[1] Psal. CXXV, 6.

[2] Ibidem.

De prudentia dicitur simul et fidelitate, Matth. xxiv, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam ?*

De sapientia dicitur, Eccli. xxxiii, 31 : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.*

Tales ergo operarios dicit Dominus esse paucos : multi quidem otio resoluti, multi ad operandum pigri, multi mercenarii indevoti. De otiosis, Matth. xx, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi ?* De pigris, Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* De mercenariis, Joan. x, 13 : *Mercenarius fugit, quia mercenarius est.* Quærit enim ille lucrum, et ubi potest subterfugit laborem. Operarii ergo veri et boni sunt pauci : et tamen illi soli sunt discipuli Domini et Apostolici.

« Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. »

Secundum est, in quo monet ut voluntati ejus consonet humanus affectus.

Dicit autem quinque : primum est devotio ad opus, secundum est auctoritas super eos in quibus est operandum, tertium est positio in opere, quartum dispositio bene operantis, quintum materia operis.

Devotio intelligitur per hoc quod dicit : « *Rogate ergo.* » Quod enim aliquis rogat, devote expostulat. Rogandus ergo est Dominus, ut nos ponat in opere : et devote expostulandus, ut nos in suam ponat agriculturam : et lætandum est in tam utili labore. Isa. ix, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Psal. cxxv, 6 : *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.*

In hoc autem notatur et bonitas Domini, et qualitas meriti, quod est in conversione animarum. Bonitas Domini : quia cum nullo bono nostro indigeat, rogat ut rogetur, ut ad nos mittat eos qui de nostra conversione nos alloquantur. Qualitas autem meriti : quia nullum adeo gratum Deo impenditur obsequium, sicut est conversio animarum. Propter hoc enim et de cœlis descendit, et homo factus est, et multa sustinere et mori dignatus est, et omnia facere quæcumque fecit.

De primo dicit, Psal. cxvii, 1 : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Hæc enim summa bonitas est, quod misericordiam fecit, mittendo eos qui nos de fide et conversione illuminarent. Thren. iii, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Quia si hoc non esset, nos sicut alii peccatores in ignorantia Dei in peccatis nostris mortui essemus. Isa. i, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.*

De gratitudine hujus meriti patet : quia remunerans hoc meritum, in jubilo cordis exclamat, Matth. xxv, 21 et 23 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

« Dominum messis. »

Secundum est, ex quo vobis super messem datur operis auctoritas. Dominus enim, ut dicit Dionysius, omnium pulchrorum et bonorum perfectam et omnimodam dicit possessionem. Propter quod et Moyses, cum auctoritatem suam super filios Israel ostenderet, dixit, Exod. iv, passim, et v, 1 : *Hæc dicit Dominus Deus Israel : Dimitte populum meum.* Ruth, ii, 3, ager ille in quo Ruth collegit spicas, habuit dominum nomine Booz. Ager messium mundus est, in quo fidelis anima colligit victum gratiæ sa-

cramentalis : hujus dominus, Booz (in quo est fortitudo) ivocatur : qui messores habuit, quos in agrum metendum misit, sicut, ibidem, ℣. 15, legitur.

Sic ergo in hoc quod dicit : « *Dominum messis,* » auctoritas operis intelligitur.

« Ut mittat. »

Ecce positio in opere. Mittere enim est ponere in opere. Et hoc est, quod sub alia metaphora dicit, Matth. xx, 4 : *Ite et vos in vineam meam : et quod justum fuerit, dabo vobis.* Isa. xxxvii, 30 : *In anno tertio seminate, et metite.* Annus primus fuit naturalis legis in Patriarchis : annus secundus, annus legis scriptæ sub Legislatore et Prophetis : annus tertius, annus gratiæ sub Christo et Apostolis in quo seminatur in spiritu, et metitur vita æterna. Ad Galat. vi, 8 : *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* In hoc tempore rogatur Dominus, ut mittat messores in agrum suum.

« Operarios. »

Ecce qualitas merentium, qui non ore tantum dicant, sed operarii sint, opus exhibentes in exemplum. Proverb. xiii, 4 : *Anima operantium impinguabitur.* Job, xxxvi, 3 : *Operatorem meum probabo justum.* Jacob. i, 25 : *Factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

« In messem suam. »

Ecce operis materia. Messis enim Domini est, qua anima fidelis per gratiam hic, et in futuro per gloriam, colligitur in horreum Domini, hoc est, receptaculum gratiæ vel gloriæ. Matth. xiii, 30 : *Tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.*

« Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. » 3

Ecce missio. Tangit autem tria : missorum profectum, missorum officium, et missorum periculum.

Missorum profectum tangit, cum dicit : « *Ite,* » hoc est, non sedendo marcescite, sed eundo proficite. Proverb. vi, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis.* Ezechiel. i, 14 : *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Job, xxxviii, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus?* Hoc est, quod mittit discipulos voce prædicationis tonantes, et signis et virtutum exemplis coruscantes. Marc. xvi, 15 : *Euntes in orbem universum prædicate,* etc.

« Ecce ego mitto vos. »

Quatuor tangit in officio legationis : quod sit demonstrabilis et aperta, quod sit divina, quod sit fidelis, quod sit talis nuntii cujus virtus sit approbata.

Demonstrabilis et aperta intelligitur per demonstrationem adverbii *ecce.* Joan. xviii, 20 : *Ego palam locutus sum mundo,... et in occulto locutus sum nihil.* Luc. xii, 2 : *Nihil opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.*

Divinam autem ostendit legationem per hoc quod dicit : « *Ego,* » qui Deus sum, cui Pater omnem dedit potestatem. Matth. xxviii, 18 et 19 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes.* Ideo dicit Apostolus, II ad Corinth. v, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Et ideo dicit, ad Galat. i, 1 : *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem.* Et post aliqua subdit, ℣. 12 : *Neque enim ego ab homine accepi Evange-*

lium, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

« *Mitto.* » Ecce officium nuntii sive legati. Abdias, ℣. 1, legatus ad gentes missus est [1]. Nuntius autem fidelis debet esse in commisso sibi nuntio, et injuncto ministerio. Ideo dicitur, Matth. x, 1 et seq , et Luc. vi, 13, quod elegit duodecim, quos et Apostolos, id est, nuntios nominavit. Hi autem nuntii propter fidelitatem *testes* vocantur. Act. i, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Isa. xliv, 8 : *Vos estis testes mei.* Ideo dicta eorum vocantur *testimonia.* Psal. xviii, 8 : *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.*

« *Vos,* » signanter quos elegi ex omnibus, ut virtute privilegiata præditos, ut eloquentia et sapientia et virtute operum et signorum totum illuminetis et moneatis mundum. Et hoc significatum est, Judicum, vii, 19-23, ubi viri Gedeonis complosis lagunculis et micantibus lampadibus et sonantibus tubis, clamantes : *Gladius Domini et Gedeonis,* in fugam converterunt castra Madian. Complodere lagunculas, est corpora castigare vel martyrio exponere : lampadibus coruscare, signa et exempla virtutum ostendere : tuba sonare, vocem prædicationis auditam facere : gladius Domini, verbum est Dei et Gedeonis ducis fidelium, hoc est, Christi.

Sic ergo : « *Ecce ego mitto vos.* »

Tangit autem missorum periculum, cum dicit :

« Sicut agnos inter lupos. »

Et tangit tria : primum est missorum qualitas : secundum est missorum positio : tertium qualitas eorum ad quos mittuntur.

Missorum qualitas significatur per *agnos.* Hi enim simplices sunt et humiles, mansueti et utiles.

Simplices, sicut dicitur, Matth. x, 16 : *Estote simplices sicut columbæ.* Agnus enim sacrificium juge, et holocaustum κατὰ mane oblatum, et κατὰ vespere : sicut dicitur, Exod. xxix, 39, et Ezechiel. xlvi, 14 et 15. In omni enim sancto ab origine mundi seipsum offerente vel occiso pro Christo, κατὰ mane oblatus est Christus agnus, et κατὰ vespere oblatus est in seipso, et in omnibus post se et pro se oblatis : sive Sancti seipsos obtulerint per pœnitentiam, sive occisi sint. Apocal. xiii, 8 : *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Matth. xxiii, 35 : *Veniet super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.* Sic igitur quicumque pro Deo offert corpus suum passioni, sive a seipso illatæ, sive ab altero inflictæ, et non patitur ut latro vel homicida, ille offert se in ignem devotionis et charitatis : et innocens, quia pro Deo facit. Quamvis forte peccaverit, tamen peccatum non est causa suæ passionis, sed Deus. Et ille non nisi juge Dei sacrificium : et est innocens et immaculatus agnus, Christo pro Christo in fide et charitate oblatus : et innocens, quia sanguis Agni facit innocentes quantum ad immunitatem pœnæ. Sic enim sanguine agni postes domorum, hoc est, sensus nostri liniuntur, Exod. xii, 3 et seq. Sicut etiam (ut ibidem dicitur) agnus in omnibus castris Israel offertur : sic quotidie in oblatione Agni novum Pascha celebratur. Sic legitimum sempiternum fit de oblatione Agni in cunctis cognationibus fidelium. Sic ergo omnes suos Christus misit, mittit, et mittet usque in finem sæculi, sicut agnos. Matth. autem, x, 16, Apostolos dixit *oves,* qui quasi verveces, duces gregis missi sunt.

[1] Abdiæ, ℣. 1 : *Auditum audivimus ä Domino, et legatum ad gentes misit,* etc.

Sed mittit septuaginta duos discipulos inferioris ordinis existentes, ut agnos parvos et humiles : qui, sicut dicitur, Apocal. XIV, 4, sunt agni novelli a vervecibus generati per Rachelis (quæ *ovis* interpretatur) uterum, hoc est, Ecclesiæ : cujus matrix est sapientia divina, quia in statu inferiori humiliter sub tantis ducibus pascuntur. De qua humilitate dicitur, Exod. XII, 5 : *Erit agnus absque macula, masculus, anniculus.* Quia sicut dicitur, Malach. I, 14 : *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino.* Perfectum enim est masculus, qui virilem habet sensum et affectum, non concupiscentiæ fomentum ut fœmina.

Mansueti etiam sunt ex natura agni, sicut dicit Jeremias, XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* I Petr. II, 23 : *Cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste.* Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.*

Utilitas autem maxima, cujus vellus decentissimum contexit habitum, cujus pellis fovet calorem suavissimum, cujus viscera dulcissimum reddunt sonum, cujus carnes optimum præstant nutrimentum, cujus fimus pinguissimam reddit humum, cujus nomen naturalis agnitionis ad matrem docet sacramentum.

Ex vellere quidem contexitur virtutum omnium habitus : de quo, Proverb. XXXI, 13, dicitur, quod mater sapientia, *quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Et ideo subinfertur, ℣. 21, quod *non timebit domui suæ* (hoc est, familiæ) *a frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, scilicet, innocentiæ et castitatis candore, quod operatur de lino fortis mulier : et habitu omnium virtutum contexto de lana agni cui nulla defuit virtus, pellibus etiam sanctarum conversationum omnia nuda protexit. Sicut sub alia metaphora de hædo dicitur, Genes. XXII, 16.

Viscera autem fidibus serviunt, dulcissimum sonum reddentibus, quando omnia interiora nostra in viscera misericordiæ extenduntur, et delectatione laudis divinæ tanguntur. Sic enim dicit Psalmus CII, 1 : *Benedic, anima mea, Domino : et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.*

Carnes autem nutriunt in vegetationem sancti Spiritus, et unionem membrorum corporis veri et mystici nostri Salvatoris ad æternæ vitæ vigorem. Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Cum autem Christus in nobis manet, Spiritus ejus nos inspirat et vivificat : sicut dicitur, Proverb. I, 23 : *En proferam vobis Spiritum meum.*

Fimus autem agni sunt ea quæ fimant, recordatio et remissio peccatorum quæ pinguem faciunt pinguedine devotionis animam, et gratiarum actionis de remissione : sicut dicit Psalmus LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea : et labiis exsultationis laudabit os meum*, scilicet in gratiarum actione.

Nominis autem sacramentum est, quod agnus ab agnoscendo dicitur : quia cum multa millia ovium in grege sunt, quilibet agnus suam matrem agnoscit, et in illa nequaquam decipi poterit. Et sic fidelis matrem agnoscit Ecclesiam, et nequaquam mammas sugit alienæ, hoc est, schismaticorum seu hæreticorum. Scilicet ad sanctæ matris Ecclesiæ convertitur mammarum subjectionem, dicens : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis* [1].

In his proprietatibus Christus suos mittit « *sicut agnos* ».

[1] Cantic. I, 1 et 2.

Lupi autem sunt malignorum hominum persecutores et persecutiones. Dicit enim Chrysostomus, quod « in talibus non natura attendenda est, sed proprietas. » Et ideo proprietatem lupi habens, lupus vocatur. Et proprietatem ferens leonis, vocatur leo. Sic est de urso et leopardo, cane et simia, et omnibus aliis. Quia quodlibet animalium feritatem quidem belluinam habet unam : homo autem corruptus omnes suscipit, et in hoc omnibus feris est ferocior, et omnibus animalibus animalior, et omnibus irrationabilibus turpior, ut dicit Chrysostomus. De talibus lupis dicitur, Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.*

Tangit autem hic quædam Glossa quinque lupi proprietates : una quarum est, quod nocte circumit insidians, quod dormiente cane et absente pastore ovile subintrat. Secunda est quod rigidi corporis existens, se facile flectere non potest. Tertia, quod proprio fertur impetu, plus impetum sequens quam sagacitatem. Quarta est (quæ est secundum vulgi opinionem) quod lupus prius videns hominem aufert vocem, et inducit raucedinem, ita quod inclamari non potest : visus autem prius ab homine non aufert, sed acuit, et inclamatur. Quinta proprietas est, quod lupus insidiatur semper vitalibus, et maxime gutturi animalium : quia ibi fortius stringit, et citius interimit.

His proprietatibus addimus quatuor : quarum una est, quod lupus naturales cum ovibus habet inimicitias : hujus signum est, quod non rapit de ovibus ad sufficientiam, sed opportunitatem accipiens et facultatem, totum gregem interficit antequam comedat : et aliquando si non est famelicus, omnibus interfectis de nulla comedens recedit. Aliud signum est (quod Jorath Philosophus dicit) quod os lupi ligatum super os ovis, consumit ipsum. Tertium signum est (ut idem Philosophus dicit) quod instrumento organico ex fidibus composito, si fidis una lupi ponatur inter fides ovinas, ovinæ non sonant in conspectu fidis lupinæ. Secunda proprietas, quod lupus est animal multæ famis propter acutum calorem naturalem. Tertia proprietas est, quod est animal recordativum injuriarum : et hujus signum est, ut dicit Aristoteles, quia intendit in eum qui sibi nocuit, et omnibus aliis neglectis, si facultatem habeat, tantum nocet illi vel plus, quam accepit nocumenti ab ipso. Quarta est proprietas, quod est animal cadaveris thesaurizativum : et ideo superflua sibi suffodit in terram, ut opportuno tempore accipiat. Hæc est etiam causa, quod sicut canis revertitur ad vomitum [1], iterato se de vomitu ingurgitat.

Sic igitur lupi sunt persecutores et tyranni omnibus his proprietatibus lupi existentes. Latebris enim ignorantiæ et malitiæ nocte ovilia Ecclesiarum circumeunt, captantes absentiam vel negligentiam Pastorum, hoc est, custodum Ecclesiæ : et silentium canum, sive somnum, hoc est, Prædicatorum Ecclesiæ. Et hoc est quod dicitur, Jerem. v, 6 : *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos.* Sophon. III, 3 : *Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.* Sive enim hæreticus, sive tyrannus sit oppressor fidelium, semper est vespertinus et observat caliginem, vel cordis quæ est caligo interior, vel exterioris occultationis, in qua perficiat (dissimulantibus Prælatis et Prædicatoribus) hoc quod concipit. Quia etiam Pastores aliquando interficiunt, aliquando autem in exsilium mittunt, oves tunc non contradicente aliquo devorantes.

Rigiditas etiam lupi, rigiditatem et inflexibilitatem significat malitiæ hæreticorum seu tyrannorum, quæ implacabilis est, et non miseretur : et hoc est quod dicitur, Ezechiel. XXII, 27 : *Princi-*

[1] Cf. Proverb. XXVI, 11 et II Petri, II, 22.

nes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare ad sectanda lucra.

Hi etiam lupi impetu feruntur, non ratione : et ideo pro ratione eis est impetuosa voluntas. Habacuc, I, 8 : *Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis.* Leviter enim moventur secundum impetum, et veloces ad furoris sui nocumentum.

Et si auderem dicere secundum has proprietates, illi qui Pastores et Episcopi et Prælati Ecclesiarum dicuntur, sic lupinos mores induerunt : isti sunt quos lupi intuentes sic absque voce fecerunt, quod potius cum lupis ululant ad nocumenta piorum, quam lupos inclamant, omnes enim mores et actus luporum induerunt : et hoc est significatum, Genes. XLIX, 27 : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.* Benjamin enim qui interpretatur *filius dexteræ*, et Prælatus esse deberet, factus est lupus rapax in Dei populum. Mane surgens in stipendiis Ecclesiarum, comedit prædam ovium : et in vespere mortis eorum, etiam accipit id quod apud Ecclesiasticos vocatur *mortuarium*, sive pro mortuo legatum, vel pro eo oblatum. Et sic, et id quod mane oblatum est tollit : et quod vespere offertur, dividit.

Isti sunt adhuc, qui semper vitalibus et maxime gutturibus insidiantur : quia malis exemplis et dentibus suarum comminationum jam sic strinxerunt guttura ovium, quod non est qui dicere audeat : Cur ita facis ? Et ideo lupus princeps luporum gloriatur, et dicit, Isa. X, 14 : *Sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi : et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.*

Hi sunt etiam qui naturales cum ovibus Christi habent inimicitias nec per mortem placandas, quas undique vastant, et posteris suis et reliquis mandant vastandas : nec dulcis sonus orationum vel laudis divinæ sonat in conspectu eorum. Quod David plangit in Psalmo CXXXVI, 7, dicens : *Dixerunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Et præmisit, ℣. 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ?*

Isti sunt, qui semper fame insatiabili oves devorant, et dentes exacuunt in oves devorandas : sicut lamentabiliter conqueritur Psalmus XLIII, 12 : *Dedisti nos tamquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.* Oves enim escarum sunt, in quas ad edendum lupini dentes exacuuntur. Mich. III, 2 et 3 : *Violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum : qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt.* Exteriora enim eorum et interiora diripiunt, et dura roboris eorum, et infirma mollia ad solatium pertinentia devorant, fame insatiabili cupiditatis. Et scribunt, quod hoc sit jus eorum.

Isti sunt, qui beneficiorum immemores non recordantur nisi injuriarum : et trabem faciunt de festucâ, parvas injurias aggravantes, et in vindicta pauperes exossantes. Unde per Holofernem significantur, de quo scriptum est, Judith III, 2 et seq., quod cùm omnia sibi offerrentur, et res, et corpora, et cum choris et tympanis sibi occurreretur, et diceretur : *Veni nobis pacificus dominus*, et læti serviemus tibi : quod omnia ista facientes non poterant mitigare ferocitatem pectoris ejus.

Isti sunt, qui cadavera thesaurizant, et ad vomitum convertuntur : quia quidquid de funere unius relinquitur, statim rapit alius. Et si aliquis aliquando compunctus de multis beneficiis, aliquod dimittit in infirmitate vomens superfluum : statim vel ab eodem cum sanus efficitur, iterum voratur : vel ab alio, id quod iste vomuit, turpius ingurgitatur. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.*

Vorax enim cadaverum animal lupus est, et canis una et eadem proprietate.

Isti ergo sunt lupi ad quos agni mittuntur.

Est autem aliud speciale luporum genus, quod Dominus in Evangelio prodidit ex ove et lupo compositum, extra in pelle figurans ovem, et intus habens lupum rapacem : et illud est genus hypocritarum, et hæreticorum. II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Matth. VII, 15 et 16 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos*, hoc est, ab his quæ per simulationem fructificare intendunt. Hi enim pietate quadam se ingerunt in pastorale officium, ut sicut verveces sint duces gregum : et statim fructu dignitatis percepto, grassantur in oves, et plus mites persequuntur quam veri tyranni.

Dicit autem : « *Sicut agnos inter lupos*, » notans quamdam misserum positionem in intermedium luporum : unde, Matth. X, 16, dicitur : *In medio luporum* : ut nusquam sit effugium nisi unum, quod scilicet agni capiant lupos, ut exuant eos lupinam naturam, et induant eos ovinam : ut jam non oves pabulum habeant, sed cum ovibus ad caulas Ecclesiæ veniant, pabulo ovium in virore sanctarum virtutum pabulati. Isa. XI. 6 : *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit : vitulus, et leo, et ovis, simul morabuntur.* Hoc autem fieri non potest, nisi per carmen incantans lupum, quod est verbum Dei utiliter propositum, et efficaciter adimpletum. Isa. LXV, 25 : *Lupus et agnus pascentur simul.* Aliter autem fiet quod dicitur, Eccli. XIII, 21 : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.* Per gratiam autem Dei, agni primitivi captos lupos duxerunt ad ovilia Ecclesiæ. Nunc autem peccatis nostris exigentibus, agni non solum capti sunt a lupis, sed agni in pejores lupos sunt conversi, et devorant agnos, et oves, et hædos, qui ex lupis in agnos fuerant jamdudum mutati.

Sic ergo « *mitto vos sicut agnos inter lupos.* »

« Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. » 4

Hic incipit informare ad vitam eos quos mittit ad prædicationem, sicut fecit mittendo Apostolos.

Habet autem duas partes : in quarum prima itinerantes et prædicantes informat de expedientibus ad itineris necessaria : in secunda, conferens suam auctoritatem, dicit quod auditur et recipitur in ipsis, et spernitur in eisdem.

Adhuc in prima duo facit secundum duplex necessarium itineranti : dicit enim qualiter se habeant ad recipientes, et qualiter ad non recipientes.

In primo horum duo facit : amputat enim sollicitudinem impedimentorum, et concedit usum necessariorum.

Quatuor autem amputat impedientia itinerantis prædicationem : quorum tria sunt in his, quæ pertinent ad commodum corporis : quartum autem est occupatio amicitiæ sæcularis.

Tria autem quæ pertinent ad superfluam sollicitudinem corporis dividuntur. Quia quædam pertinent ad totum corpus : quædam autem ad membrum quod specialiter laborat in itinerando.

Ad totum autem corpus pertinentia sunt duo : unum quod secundum valorem commutabile in quodlibet, corpori necessarium est, et hoc est sacculus pecuniæ : et aliud quod est de necessitate corporis secundum usum præsentis vitæ animalis, et hoc est pera vel uter cum esculento vel poculento. Quorum omnium superflua sollicitudo interdicta est : usus autem necessitati debitus est concessus.

Et hæc omnia jam in præmissis sunt

exposita : et ideo hic non est multum immorandum [1].

Dicit igitur : « *Nolite portare,* » vos-ipsos implendo, sacco onerantes : ne per hoc minus expediti ad iter efficiamini.

« *Sacculum,* » pecuniæ receptaculum. Sacculum enim pecuniæ secum fert, qui more quæstuarii verbum prædicationis ad lucrum refert. Proverb. VII, 19 et 20 : *Non est vir in domo sua, abiit via longissima : sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus est.* Sic ergo sacculus non est portandus : unde, Marc. VI, 8, dicitur : *Neque in zonis æs,* scilicet ligarent. Qui enim student marsupiis implendis, non pure pronuntiant verbum Dei, sed per occasionem. Sapient. XV, 12 : *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Isti sunt pastores in lupos conversi, de quibus dicitur, Zachar. XI, 5 : *Qui possederant ea*, scilicet pecora, *occidebant, et non dolebant, et vendebant ea, dicentes : Benedictus Dominus ! divites facti sumus : et pastores eorum non parcebant eis.*

Sic ergo non est portandus sacculus.

« Neque peram, »

Supple, portetis : ut pera sit receptaculum esculenti vel poculenti, quam peram portant qui propter victum et vestitum prædicant, ex verbo ventrem suum implentes. Ad Roman. XVI, 18 : *Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Hi sunt, qui post crapulam nocturnam prædicant de jejuniis. Ad Philip. III, 18 et 19 : *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Et tales sunt hodie multi Prædicatores, qui in exitibus suis ad prædicandum plus student ad peram pro ventre, quam instantiæ sermonis Domini et lucro animarum. Quod contradicit Apostolus, ad Hebr. XII, 16 : *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua*, hoc est, jus primogenituræ, quod est benedictio spiritualium bonorum. Unde Glossa Ambrosii : « Tanta Prædicatori debet esse « fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sum- « ptus etsi non prævideat, sibi tamen « certissime non defuturos sciat : ne « dum occupatur mens ad temporalia, « minus prædicet æterna. » Unde, Psal. XXXVI, 25 : *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Hoc autem maxime verum est, quando primitivi erant Prædicatores, quando doctrina Christiana erat nova, quando maximæ perfectionis exempla et ante hoc tempus invisa oportuit ostendere eos qui nova prædicabant. Præcipue tamen ista vera sunt, quando ad filios Israel mittebantur, quibus præceptum fuit de peregrinis suscipiendis : et maxime de his, qui more Prophetarum studebant ad docendum populum viam salutis : quia illi decimam quamdam apud se habebant repositam, quæ talibus peregrinis et advenis pauperibus debebatur : et hoc etiam a Judæis observabatur, quamdiu non fuit odiosa doctrina Christi. Et hoc fuit in prima missione Apostolorum, et in prima missione inferioris ordinis discipulorum de qua Dominus hic loquitur : et ideo istis postea conditionibus et qualitatibus temporum et personarum et locorum non existentibus, Apostoli et discipuli ad ista non tenebantur : sicut superius et in Matth. X, 9 et 10, notatum est a nobis [2].

[1] Cf. Enarrationes in Marcum, VI, 8 et seq. Tom. XXI hujusce novæ editionis.

[2] Cf. ibidem, et etiam Enarrationes in Matthæum, X, 9 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis.

Sequitur :

« Neque calceamenta. »

Solus Marcus dicit : Calceati pedes sandaliis [1]. Et secundum veritatem quidem interdicitur superflua sollicitudo calceamentorum, quibus illa gens potius studebat ad decorem quam ad necessitatem : terra enim illa calida propter necessitatem non magno indiguit studio calceorum, et ideo totum studium gens illa convertit in calceamenti decorem : unde, Isa. III, 18, ubi Deminus loquitur de pœna peccati eorum, dicit : *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum.* Et, infra, ℣. 20, ubi specialia ornamenta auferenda enumerat, dicit etiam periscelidas auferendas. Periscelides autem sunt ornamenta talorum, sicut dextralia sunt ornamenta brachiorum. Judith etiam, cum capere vellet Holofernem decore suo, inter alios ornatus calceavit pedes suos sandaliis [2]. Et inde est, quod laudata secundum sensum litteræ filia Pharonis regis in Canticis, propter decorem calceamentorum laudatur, Cantic. VII, 1, ubi dicitur : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis !* Usus enim calceorum in his qui non itinerabantur fuit, ne pes pulvere sordidaretur : sicut innuit Glossa super Isaiam, III, 18. Et non fuit contra frigus, nisi raro et parum. Et ideo magnum studium habebant in pulchritudine calceorum, quod interdicit.

In his autem qui pedites itinerabantur, usus fuit calceorum, ne pedes duritia viæ subtriti atterentur et deficerent. Et ideo secundum Marcum in loco illo soleæ sine decore concessæ sunt, et sollicitudo in cura calceamentorum interdicta : quæ tamen longius postea itinerantibus sunt concessa. Unde, Act. XII, 8, dixit Angelus ad Petrum : *Calcea te caligas tuas.* Et, Exod. XII, 11, dicitur, quod manducantes carnes agni parati ad iter longum calceamenta tenere debent in pedibus. Dicit autem Augustinus in libro de *Hæresibus*, quod occasione verborum istorum, et præcipue propter hoc, quod dicitur, Exod. III, 5 : *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est*, « dixerunt quod discipulus Christi esse « non potest, qui non est discalceatus : « et isti Hæretici vocantur *discalceati* : « quia non intelligentes Scripturas, se« ctas sibi novas confinxerunt, nomen « accipientes *Discalceatorum* : quod se« cundum legem improperii et confusio« nis nomen est in populo Dei. »

In isto ergo quem diximus sensu, intelligendum est quod dicitur : « *Neque calceamenta.* » Sed etiam secundum civilitates hominum et mores, inhonestum est denudare pedes, et nudos digitos pedum sic mulieribus ostendere, et occasio est turpitudinis quam dicere non oportet.

« Et neminem per viam salutaveritis. »

Ecce interdicit hoc quod secundum consuetudinem illius gentis fuit singularis amicitiæ : magnis enim et frequentibus consueverunt occupari salutationibus, sicut legitur, IV Reg. x, 13 : *Fratres Ochoziæ sumus, et descendimus ad salutandum filios regis, et filios reginæ.* Act. XXV, 13 : *Cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Cæsaream, ad salutandum Festum.* Unde et Dominus, Matth. XXIII, 7, arguit Scribas et Pharisæos, quod amabant salutationes in foro. Luc. XI, 43 : *Diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.* III Reg. XIX, 20, dixit Eliseus ad Eliam : *Osculer, oro, primum patrem meum.* Et sic ex multis Scripturarum locis accipitur, quod in solemnitate salutationum gens illa multum occupabatur. Et hanc solemnitatem,

[1] Marc. VI, 9 : *Calceatos sandaliis.*

[2] Cf. Judith, X, 3.

itinerantes in prædicatione detinentem, interdicit Dominus : non tamen prohibet eulogium salutationis, quo præcipit salutare domum, hoc est, familiam domus in quam intraverint [1]. Quo etiam Sancti usu sunt, sicut patet in omnibus Apostoli epistolis. Et quod aliqui dicunt non esse salutandos, quia, sicut dicitur in II canonica Joannis, ℣. 11 : *Qui dicit peccatori : Ave, communicat operibus ejus malignis* : nihil est, quia hoc intelligitur non de malis, sed de excommunicatis et apostatis. Si enim omnes malos vitare debuissent discipuli, in primo nulli penitus communicassent nisi sibi : quia omnes alii fuerunt infideles. Et ideo exponendum est istud per modum qui dictus est. Omnia enim impedientia cursum prædicationis interdicit quantum humana permittit fragilitas, ut expediti sint ad prædicandum.

5 « In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui :

6 Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra ; sin autem, ad vos revertetur.

7 In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt. »

Hic agitur de necessitate hospitii in receptione prædicantium.

Hoc autem habet duos paragraphos, in quorum primo tangit, quid omni hospitio conferre debeant prædicantes : in secundo autem tangit de hospitii immobilitate, et quid debeant petere ab hospitio recipientibus.

In primo dicuntur duo : quorum unum est, quid domui offerant recipienti : in secundo autem ostenditur, quibus oblatum prodest, et quibus non prodest.

De primo dicit : « *In quamcumque domum intraveritis*, » hoc est, in quamcumque familiam intraveritis ad hospitandum. Intratur autem in familiam, quando sermo prædicantis capitur in familia per fidem, et prædicans per hospitii receptionem : de qua receptione dicitur, Joan. I, 12 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.*

« Primum dicite,

Hoc est, illos qui sunt de familia domus, beneficiis prævenite. Ad Roman. XII, 10 : *Honore invicem prævenientes.* Psal. XX, 4 : *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Prædicator enim, ad modum et similitudinem Dei, omnes in beneficiis et eulogio salutationis debet prævenire. I Joan. IV, 9 et 10 : *In hoc apparuit charitas Dei in nobis,... non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.*

« Pax huic domui, »

Hoc est, pax sit vel fiat huic domui a Deo, hoc est, huic familiæ. Pax enim est, quæ est tranquillitas ex remissione peccatorum et reconciliatione ad Deum : ex hoc quod cessat impugnatio, qua homo impugnatur hic et in futuro propter peccata. Et hæc est vera pax, de qua dicitur, Luc. II, 14 : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Isa. IX, 7, dicitur de mediatore hujus pacis : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Hoc enim nomen prætendit pacifici, de quo ibidem dicitur paulo ante, ℣. 6 : *Vocabitur... Pater futuri sæculi, princeps pacis.* Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum,*

[1] Cf. Matth. X, 12 et Luc. X, 5.

et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua.

Hanc igitur pacem (modo Angelorum de cœlo venientium) primum evangelizant domui recipienti.

« Et si ibi fuerit filius pacis. »

Tangit quibus prodest evangelizatio pacis, et quibus non.

« *Et si ibi,* » hoc est in domo illa, « *fuerit filius pacis,* » hoc est, informatus a pace, sicut filius informatur a patre. Talis enim filius est hæres pacis, qui fructus ejusdem pacis hæreditabit : et est filius æternæ Jerusalem, quæ *visio pacis* interpretatur. Ad Galat. IV, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est : quæ est mater nostra.* Tales autem filii pacis sunt, qui verbum pacis sibi prædicatum, ad fidem et operationem percipiunt : de quibus dicitur, Isa. LX, 17 : *Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam.* Psal. CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.*

« Requiescet super eum pax vestra. »

Non impugnata manens requiescet, sicut dicitur, Isa. XXVI, 12 : *Dabis pacem nobis :* pacem, quoniam in te speravimus. Hæc autem pax, requies cordis in tranquillitate appetitus : quæ non habetur nisi ab his qui Deum, receperunt in veritatis illuminatione, et charitatis et dulcedinis divinæ adeptione : quia illi soli habent desiderium suum, sicut dicitur, Proverb. X, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.*

Super eos autem dicitur pax ista requiescere, quia excellit intellectum et affectum sanctorum ista pacis tranquillitas. Ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Isti tales Evangelistæ significantur per columbam revolantem ad arcam Ecclesiæ, et ad mansiunculas ejus, hoc est, ad domos et familias Ecclesiæ : portantem ramum virentis olivæ in signum pacis et reconciliationis in ore suo [1]. Sic duces legislatoris nostri veri Moysi, omni nationi (quam gladio verbi Dei impugnare volunt) primum pacem offerunt, sicut præcipitur, Deuter. XX, 10.

« Sin autem, »

Hoc est, si non autem : hoc est, si non fuerit ibi aliquis pace verbi formatus, vel formandus, « *revertetur* » pax vestra, hoc est, fructus pacis optatæ et oblatæ, « *ad vos,* » et reservabitur vobis ad meritum et coronam. Sic enim cives Apostolorum Presbyteri veniunt ad vos, portantes pacem, et illuminantes patriam, dare pacem gentibus, et liberare populum Dei. Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Sic cœlestis *Jerusalem* (visio pacis) *ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* [2] : quia hæc est causa pacis, quæ non amplius variatur per desideria, sed participat in gratia id quod semper est idipsum, et numquam sui generat fastidium. Sic sciet Job dolens quod pacem habeat tabernaculum suum [3].

« In eadem autem domo manete. »

Ecce docet servare inviolabilis jura hospitii.

Dicit autem tria : præceptum, prohibitionem, et profectum quem domui debent exhibere.

Circa præceptum hospitii duo dicit : immobilitatem hospitii, et usum exhibitorum sive oblatorum ad vitæ necessaria si sint operarii salutis.

De primo dicit : « *In eadem autem*

[1] Cf. Genes. VIII, 11.

[2] Psal. CXXI, 3.

[3] Cf. Job, V, 24.

domo manete. » *Eadem* dico, in qua sunt filii pacis, et non alia. Filii autem pacis sunt dupliciter : re, et spe. Re quidem tunc pauci fuerunt : spe autem filii pacis sunt et fuerunt, qui in desperatis operibus obstinata mente non manserunt. Apud illos enim manendum est : quia illi ædificantur ad fidem, quamdiu de salute eorum non desperatur.

« *Manete* » autem dicit : quia discurrens, vagus est, et non invenitur ad salutis consilium. Adhuc autem, instabilis corpore, vanitatem et instabilitatem ostendit in mente. Tertio etiam discurrens per domos, delectabilia et vana colligit domorum, et prosequitur voluntates concupiscibilium.

De primo dicitur, Jerem. XIV, 10 : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.*

De secundo, Jerem. II, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.*

De tertio, Proverb. VI, 12 et 13 : *Homo apostata vir inutilis, graditur ore perverso : annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Proverb. VII, 11 : *Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.* Et de his quidem ante hoc capitulum in isto eodem opere, et Matth. X, 9 et seq., plura alia dicta sunt [1].

« Edentes, etc. »

Dat usum necessariorum oblatorum his qui sunt operarii salutis.

Dicit autem duo : usum videlicet, et causam concessi usus.

De usu dicit : « *Edentes et bibentes,* » secundum duos naturales appetitus, concedit duplicem usum necessitatis : quorum unus est naturalis appetitus reficientis substantiam corporis, et ille est appetitus esculenti : et alius est appetitus continuationem præstantis corpori et fluxum per membra, et ille est appetitus poculenti. Quia cibus efficitur membrum simile secundum substantiam, quando plene est conversus, et est potentia membrum simile quando sumitur, antequam convertatur : et ideo appetitus naturalis est in illum. Potus autem continuat membra, commixtus cibo unito : et antequam uniatur, dat ei fluere sua humiditate et currere per membra, ut uniatur eisdem : quia humidum in se interminabile et ad aliud fluens ut terminetur, ista duo facit. Et hæc duo desiderat omne animatum, et sine his consistere non valet. Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, charissimi.* Et ideo horum duorum abundantiam promittit, Proverb. III, 10 : *Implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Potus enim qui est reparativus humidi naturalis, calidus est et secundum actum humidus, quamvis potentia sit siccus : quia si esset et potentia humidus, paralysim induceret et membrorum dissolutionem. Unde, Genes. XXVII, 25, Jacob patri suo Isaac obtulit cibos : *quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum.* Paulus etiam, I ad Timoth. V, 23, dixit : *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.*

Sic ergo dicit : « *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt.* » Dupliciter enim sunt apud illos : vel quæ habent, vel quæ secundum suas facultates facile comparantur, quæ necessitati vel infirmitati debentur prædicantium. Unde etiam apud Dominum fuit quod secundum facultates sibi ministrantium facile comparari poterat. Joan. IV, 8 : *Discipuli ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.* Aliquando enim apud hospitem infra domum non invenitur quod competit infirmitati prædicantis : quamvis inveniatur quod competit necessitati si sanus esset. Et tunc non est inconveniens petere quod infirmitas exigit :

[1] Cf. Supra in enarrationibus in Lucam, IX, 4 et seq. Tom. XXII hujusce novæ editionis. Cf. etiam enarrationes in Matthæum, X, 12. Tom. XX.

quod tamen apud illos est secundum facultates suas. Sed numquam exigendum est quod libido expostulat voluptatis : quia aliter maledictio Domini incurreretur. Matth. XXIII, 14 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.* Jacob. IV, 3 : *Male petitis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* II Petr. II, 13 : *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes.*

Sic ergo « *comedentes et bibentes quæ apud illos sunt* » habita, vel secundum suas facultates sine dispendio magno habenda : quia talia etiam secundum facultatem apud illos sunt.

« Dignus est enim operarius mercede sua. »

Causam dicit quasi licenter edant et bibant.

Et tangit tria hic valde attendenda : scilicet, quomodo dignus sit, quia opere : quo dignus sit, quia mercede : et quod hæc merces quam accipit, sua facta sit, et non ministrata de alieno.

Quomodo autem dignus sit, est, quia est operarius secundum superius habitam operarii explanationem. Si enim opus suum opem præstat salutis, ipse opere dignus fit : aliter autem potestatem non habet accipiendi. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Quasi dicat : Non est magnum, quia est debitum. Ad Galat. VI, 6 : *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.*

Mercede autem dignus est : merces autem dicitur meriti æs, quod debetur pro merito. In merito autem virtutis duo sunt : laboris effectus, qui est circa proximum : et virtutis et gratiæ forma in opere, quæ est ad Deum. Et quoad primum debetur ei cibus et sustentatio a proximo : quoad secundum debetur ei remuneratio a Deo. Et hoc est quod dicitur, I ad Timoth. V, 17 : *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* II ad Timoth. II, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Matth. X, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.*

Dicit autem : « *Mercede sua,* » quam opere et labore suam effecit : aliter enim peti non potest aliquo jure.

Et ex hoc accipitur quod qui non exhibet opus Ecclesiasticum in prædicatione et correctione subditorum et officiis Ecclesiasticis, nullum habet jus in facultatibus Ecclesiarum. Matth. XX, 14 : *Tolle quod tuum est, et vade.* Quod videlicet portando pondus diei et æstus, tuum effecisti. Hinc est quod dicit Psalmus LXXX, 3 : *Sumite psalmum, et date tympanum.* Glossa : « Tympanum est sustentatio temporalium : psalmus, oblatio spiritualium. Nec bene et licite accipit tympanum, qui non exhibet psalmum. » Sic enim nostra efficiuntur ea quæ sunt Ecclesiarum. I ad Corinth. IX, 9, et Deuter. XXV, 4 : *Non alligabis os bovi trituranti.* Et sicut exponit ibidem Apostolus : *Numquid de bobus cura est Deo?* Scilicet, propter Prædicatores hoc dicit docens quomodo debent *qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* [1]. Evangelizando enim, cibum et potum et alia necessaria quæ sunt apud eos quibus evangelizant, faciunt sua. Matth. VI, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem, da nobis hodie,* hoc est, quem nostrum quotidiano labore et merito fecimus : aliter enim a Patre cœlesti suum, et non nostrum panem petere doceremur.

Sic igitur « *dignus est operarius mercede sua.*

[1] I ad Corinth. IX, 14.

« Nolite transire, etc. »

Ecce prohibitio : hæc enim omnis lex continet, scilicet, præceptum et prohibitionem : sicut patet in legis diffinitione quam in fine primi *Rhetoricæ* dat Tullius : « Lex est jus scriptum, asciscens honestum, prohibensque contrarium. »

In prohibitione autem ista dicit duo : prohibet enim inhonestum, et concedit licitum.

Inhonestum prohibet cum dixit :

« Nolite transire de domo in domum. »

Penetrantes enim domos instabiles sunt, et vanitati et concupiscentiæ servientes. Eccli. xxix, 31 : *Vita nequam hospitandi de domo in domum : et ubi hospitabitur, non fiducialiter aget.* Proverb. xxv, 17 : *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.* Tamen sicut diximus in antehabitis, si gravis est hospitalitas uni, debet agere discipulus Dei missus, ut fiat contributio ab aliis : sicut fecit Paulus et alii discipuli. Ad Philip. iv, 15-18 : *Nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli : quia Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra... Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.* Quando enim dignus hospes invenitur, non est nisi levitas vel turpitudo in causa, quare Christi discipulus hospitatur apud alium. Sic continuus hospes in Creta discipulorum fuit Carpus, ut dicit Dionysius. Sic Apostolorum hospes fuit Jason, ut dicitur, Act. xvii, 7. Fiebat tamen aliquando contributio ab aliis, sicut jam diximus. Aliquando etiam laborabant discipuli manibus, expensas hospitum per hoc alleviantes. II ad Thessal. iii, 7 et seq. : *Non inquieti fuimus inter vos : neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et in fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.*

« Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis. » 8

Hic concedit licitum, et de hoc dat facultatem.

Tangit autem duo : a quibus accipienda sunt necessaria sumptuum, et quæ sunt quæ pertinent ad sumptus.

De primo dicit : « *In quamcumque civitatem.* » Non tangit hic villas et castella : quia ad civitates pertinent, et ideo sub civitatibus comprehenduntur. Cantic. iii, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Civitas enim est unio civium, in qua civilitatis est studium sub uno jure, eadem libertate gaudentium : et ad hujus præsidia pertinent castella : et ad necessitates alias pertinent pagi, rura, et villæ : et ad habitationem artificum pertinent suburbana. Sic secundum litteralem sensum dicitur in Psalmo cxxi, 3, quod *Jerusalem ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Primo ergo prædicatores missi intraverunt civitates, ut per consequens veritas fidei ad castella et oppida et villas et rura et pagos derivaretur. Isa. ii, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.*

« Intraveritis, »

Ad prædicandum : sicut Jonas intravit in Niniven, voce præconis Dei prædicans [1]. Sic dicitur, Proverb. i, 20, quod

[1] Cf. Jonæ, iii, 3 et 4.

sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam. Primus enim Prædicator intrare debet per salutis verbum : quia ille est speculator. Isa. xxi, 6 : *Pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet.*

Sequitur :

« Et susceperint vos, »

Suscipitur autem Prædicator primo, quando verbum ejus suscipitur : et talem cordis apertionem ad verbum vocat Apostolus apertionem ostii, II ad Corinth. II, 12 et 13 : *Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum, fratrem meum.* Post hanc apertionem aperitur etiam domus ad suscipiendum Prædicatorem in procurationem. Apocal. III, 20 : *Ecce ego sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Sic, Matth. xxv, 35, dicit Dominus : *Hospes eram, et collegistis me.* Job, xxxi, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

« Manducate et bibite »

Convenientia naturæ et labori et infirmitati. « *Quæ apponuntur vobis,* » quia illa vestra fecistis per laborem et utilitatem prædicationis : sicut jam ante dictum est, I ad Corinth. x,25 : *Omne quod in macello venit, manducate : nihil interrogantes propter conscientiam.* I ad Timoth. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est : et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione accipitur.* Tamen in ista missione nihil erat opus interrogare : quia non mittebantur nisi ad filios Israel, in quorum domibus nihil erat commune et immundum, et apud quos erant semper decimæ separatæ quæ talibus pauperibus et peregrinis offerebantur.

Et ideo dicit : « *Quæ apponuntur vobis.* » Illa enim erant oblata quæ offerenda et apponenda erant pauperibus, maxime verbum Dei annuntiantibus.

« Et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. »

Duo dicit a discipulis rependenda suscipientibus : unum in effectu operis, alterum in virtute sermonis.

In effectu operis est quod dicit :

« *Et curate infirmos,* » non totius patriæ, sed quæ in ea sunt domo vel civitate quæ susceperit vos : alii enim infirmi indigni sunt curatione. Infirmos autem dicit non tam corpore quam mente, ut totus homo sanetur. Jacob. v, 14 et 15 : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum.* Semper enim in talibus ab infirmitate animi incipiendum est : ut cessante causa infirmitatis (quæ frequenter peccatum est) cesset etiam in corpore infirmitas. Dicit enim Gregorius, quod « nulla nocebit adversi- « tas, si nulla dominetur iniquitas. » Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.*

« Et dicite illis. »

Ecce quales esse debent in virtute sermonis.

« Appropinquavit in vos regnum Dei. »

Duo tangit : appropinquationem et declarat hoc quod appropinquavit.

Appropinquavit autem quadrupliciter : scilicet, per temporis impletionem, per gratiæ operationem, per debiti solutionem, per contrarii regni solutionem et destructionem.

De temporis impletione, ad Galat. IV,

4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Isa. XLIX, 8 : *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* II ad Corinth. VI, 2 et 3 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : nemini dantes ullam offensionem.*

De gratiæ operatione in operibus regni, Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Psal. LXXXIII, 12 : *Misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.* Ad Roman. I, 5 : *Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus.*

De debiti solutione dicitur, Genes. XXXI, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.* Psal. CXXIX, 7 : *Copiosa apud eum redemptio.*

De contrarii regni solutione, quod erat regnum mortis et diaboli, dicitur, ad Hebr. XI, 33 : *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones.* Matth. XII, 29, et Luc. XI, 22, alligabit fortem, et omnia vasa ejus distribuet in quibus confidebat. Antiquato enim statu peccati et regni ejus, quem lex non solvebat, venit regnum Christi, et destruxit statum regni peccati. Quia, sicut dicit Apostolus, ad Hebr. VIII, 13 : *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.*

Sic ergo « *appropinquavit regnum Dei.* »

Tria sunt de regno Dei : substantia quæ consistit in decore justitiæ, virtus quæ consistit in potestate gratiæ, et opus quod consistit in conversationis honestate : sicut in antehabitis ostendimus. Et hæc tria appropinquaverunt. Jam enim sicut dicitur, Isa. XXXIII, 17 : *Regem,* scilicet Christum, *in decore suo videbunt* regnantem. Psal. XCII, 1 : *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Jam vincit virtus ejus in potestatis plenitudine. Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Et ideo dicitur, Matth. XI, 12, quod *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* De conversionis honestate, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Ideo, Apocal. VII, 9, dicuntur stare *in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* In his enim consistit omne bonum regni.

Dicit tamen Glossa Interlinearis, quæ magistralis est, quod regnum cœlorum est, vel Christus, vel vita æterna, vel Scriptura. Christus autem dicitur *regnum cœlorum* sicut causa : *vita æterna* (quæ est in omni gloria justitiæ) est regnum cœlorum futurum per substantiam : *Scriptura* autem sive mysterium Scripturarum est regnum cœlorum per analogiam, quia docet et indicat regnum cœlorum. De primo dicitur, I ad Corinth. XV, 24 : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Psal. CXLIV, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* De secundo, Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.* De tertio, Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Ibi Glossa exponit de regno Scripturarum : quia Scriptura regit docendo regnum.

Quodlibet istorum est regnum Dei : et effective et materialiter et formaliter et finaliter dictum. *Effective,* quia Deus est causa efficiens. *Materialiter,* quia ipse est materia de qua est regnandum, et in qua regnant qui regnant. *Formaliter,* quia splendor Dei est forma regni ipsius. *Finaliter,* quia propter ipsum et ad ipsum regnat, quicumque regnat : et ab ipso, et de ipso, et in ipso, et ad ipsum fit omne beatitudinis et justitiæ regnum. Ideo dicitur, I ad Timoth. I, 17 : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria.* Ideo, Apocal. XIX, 16, dicitur, quod *habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Sic dicitur, Matth. III, 2 et IV, 17 : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.*

10 « In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite :

11 Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos. »

Agit hic de non recipientium convictione et condemnatione : et hoc universaliter, et particulariter in exemplis specialibus.

Universaliter autem dupliciter, scilicet, de convictione et condemnatione.

De convictione autem dupliciter determinat : per signum scilicet frustrati in eis laboris prædicantium, et per testimonium annuntiati in eis verbi veritatis.

In primo facit duo : exaggerat culpam contemnentium, et subjungit convictionem prædicantium.

De exaggeratione culpæ dicit duo : diligentiam eorum qui verbum prædicant, et contemptum eorum qui non recipiunt.

De primo dicit : « *In quamcumque autem civitatem,* » vel rura et alia loca ad civitatem attinentia, « *intraveritis,* » non subtrahendo vos quo minus eis annuntietis consilium Dei. Act. xx, 26 et 27 : *Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.*

« Et non susceperint vos, »

Hoc est, non receperint sermonem vestrum : quia hoc est prædicatorem recipere, quod est verbum Dei recipere. Sicut ante diximus, Luc. ix, 53 : *Non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Proverb. xviii, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.* Matth. xxv, 43 : *Hospes eram, et non collegistis me.*

« Exeuntes, etc. »

Tangit convictionem in judicio per signum frustrati laboris. « *Exeuntes* » a domibus vel civitatibus eorum. Zachar. ii, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.* Apocal. xviii, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Numer. xvi, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« *In plateas ejus, dicite.* » Platea dicitur a Græco πλάτυς, quod est latum, hoc est, latitudine theatri, quo omnes vel plures conveniunt. Psal. liv, 12 : *Non defecit de plateis ejus usura et dolus.*

« Etiam pulverem pedum. »

Pulvis pedum significat magnum iter, et significat fatigationem prædicantium ex assumpto in eos officio et zelo prædicationis.

« *Qui adhæsit nobis,* » ex fatigatione, « *de civitate vestra,* » vel domo pro qua sic fatigati sumus, « *extergimus,* » excutientes « *in vos,* » ut sit testimonium convictionis contra vos, qui nobis non subterfugientibus laborem veniendi ad vos,credere noluistis : et ideo condemnabimini merito vestræ obstinationis, non negligentia subtractæ prædicationis. Joan. xv, 22 : *Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

Aliæ expositiones duæ mysticæ superius positæ sunt, quas non oportet hic iterare : ista enim expositio quæ hic posita est, litteralis est.

« Tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. »

Ecce quales debent esse in verbo veritatis in testimonium conjunctionis illorum.

Dicit ergo : « *Tamen,* » quamvis non recipiatis, « *hoc scitote,* » per verbum veritatis annuntiatæ, « *quia appropinquavit regnum Dei,* » quod premet malos et rebelles, et remunerabit bonos et fideles. II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis,*

prout gessit. Unde sensus est : Non semper regnabitis vos, sed regnum justitiæ Dei prope est. Jam ventilabrum habet in manu, et permundabit aream suam : et vos qui estis palea, comburet igne inexstinguibili : triticum autem, hoc est, bonos colliget in horreum suum [1]. *Jam securis ad radicem arborum posita est* [2] : et vos qui estis infructuosæ arbores, excidemini et in ignem mittemini. Hoc enim regno fiet quod dicit Psalmista in Psalmo II, 9 : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Hoc etiam regno fiet quod dicitur, I ad Corinth. XV, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Et hæc omnia facta sunt populo synagogæ, qui repulit verbum Apostolorum. Osee, III, 4 : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine ephod, et sine theraphim.*

12 « Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. »

Hic tangitur condemnatio in generali.

Dicit autem duo : confirmationem dicti, et condemnationem.

Confirmationem tangit cum dicit : « *Dico vobis,* » in cujus dicto veritas est. II ad Corinth. I, 18 et 19 : *Non est in illo, Est et Non :... sed Est in illo fuit.* Matth. XXIV, 35 : *Verba mea non præteribunt.*

« *Quia Sodomis in illa die,* » scilicet judicii, « *remissius erit,* » quoad condemnationem pœnæ, « *quam illi civitati,* » vel domui scienter et ex contemptu verbum repellenti.

Cujus contrarium videtur esse verum : quia, Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam :* ergo mensura pœnæ erit contra mensuram culpæ. Culpa autem Sodomorum in peccato sodomitico major est, quam culpa repulsionis verbi Dei : ergo pœna Sodomorum major est, quam pœna verbum repellentium. Responsio. Dicendum, quod sicut dicit Glossa, non fit comparatio peccati ad peccatum in substantia peccatorum, sed potius fit comparatio circumstantiæ ad circumstantiam. Quia Sodomam ad pœnitentiam invitavit Lot : Judæam autem ad pœnitentiam invitaverunt Prophetæ, et Apostoli, et Discipuli, et præcipue Christus : et ideo major est contemptus Judææ in hoc quod majores se ad pœnitentiam hortantes contempsit. Glossa : « Sodomitæ etiamsi in vitiis exardebant, et inhospitales erant, tamen apud illos nulli tales hospites erant, quales apud Judæos fuerunt Prophetæ, et Apostoli reperti sunt. Lot inter eos etsi justus, non tamen aliquid docuit, nulla signa fecit : et ideo cui multum donatum est, multum ab eo requiritur : et *potentes potenter tormenta patientur* [3]. » Ezechiel. XVI, 48 : *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiæ ejus, sicut fecisti, tu et filiæ tuæ.* Et, ibidem, ℣. 51 : *Vicisti sceleribus tuis, et justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis.*

13 « Væ tibi, Corozain ! væ tibi, Bethsaida ! quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.

14 Verumtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.

15 Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.

16 Qui vos audit, me audit : et qui vos

[1] Cf. Matth. III, 12.

[2] Matth. III, 10. Cf. Luc. III, 9 et 17.

[3] Sapient. VI, 7.

spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. »

Hic tangit condemnationem in speciali.

Dividitur autem hæc pars in duas : in quarum prima sub nomine et specie trium civitatum confirmat hanc condemnationem : in secunda autem generaliter quasi a simili concludit de condemnatione omnium discipulos contemnentium.

In prima harum duo sunt. Primo enim inducit condemnationem duarum civitatum simul, et similiter peccantium : secundo autem inducit unam civitatem præ aliis quæ condemnabitur, eo quod præ aliis excellentias signorum suorum et prædicationum suscepit, et non se correxit.

In prima harum partium dicit duo. Primo enim interminatur maledictionem : et secundo, per comparationem exaggerat culpam.

Dicit ergo : « *Væ tibi, Corozain !* » quæ est quædam civitas Galilææ, et interpretatur *mysterium*, vel *secretum mihi*.

« *Væ tibi, Bethsaida !* » quæ est alia civitas Galilææ, et interpretatur *domus frugum*, vel *domus venatorum*.

Sunt autem duæ civitates, in quibus Dominus plura signa cum discipulis suis fecit. Et etiam a Bethsaida gloriosiores inter alios multos discipulos vocavit : Andream scilicet, et Petrum, et Philippum. Joan, I, 44 : *Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ et Petri.*

Est ergo sensus : « *Væ tibi, Corozain !* » hoc est, interminatio æternæ damnationis tibi imminet. « *Væ tibi, Bethsaida !* » hoc est, æternæ damnationis maledictio te apprehendet. Et divisim dicit de utraque : quia licet in genere simile sit peccatum utriusque, tamen in quantitate et specie divisa erant peccata civitatum illarum. Ad Galat. VI, 5 : *Unusquisque onus suum portabit.* Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.*

Sic igitur imminet vobis maledictio.

« Corozain »

Autem significat eos qui per scientiam multum de mysteriis Dei cognoverunt : quia scientia aggravat peccatum et contemptum. II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Jacob. IV, 17 : *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Luc. XII, 47 : *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui,... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

« Bethsaida »

Autem nomine et re significat eos qui multa temporalia a Domino receperunt in divitiis, et potestate, et honore : qui secundum ea quæ venati sunt etiam condemnabuntur. Amos, VI, 1 et seq. : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel ! Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separati estis in diem malum*, scilicet occisionis, *et appropinquatis solio iniquitatis.* Quasi dicat : Væ vobis divitibus et potentibus in Ecclesia, quorum termini possessionum et prædiorum latiores sunt omnibus terminis aliorum : et ideo separati estis in diem occisionis, separatas præ aliis pœnas exspectantes : quia solio iniquitatis appropinquastis. Et hæc duo competere videntur Religiosis et Clericis in Ecclesia.

Sequitur exaggeratio culpæ per comparationem :

« Quia si in Tyro, »

Quæ est civitas Gentilium, et interpretatur *angustia*, « *et Sidone,* » quæ est provincia Gentilium, in qua sita est Ty-

rus. Quæ provincia et civitas olim fuerunt amicæ David et Salomonis : et postea evangelizantibus Christi discipulis, devote fidem receperunt, sicut dicit Glossa.

« Factæ fuissent, »

A David et Salomone, « *virtutes* » signorum et exemplorum, « *quæ in vobis factæ sunt*, » per me et discipulos meos. Joan. xv, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.*

« *Olim*, » tempore David et Salomonis, « *in cilicio*, » quod asperitate punctionis ad memoriam reducit compunctionem peccatorum, « *et cinere*, » qui ad mentem revocat mortalitatis humilitatem. Eccli. x, 9 : *Quid superbit terra et cinis?* Genes. III, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

« *Sedentes*, » in pœnitentia quiescentes et morantes : quia quies debet esse peccatori pœnitentia. Peccasti, quiesce. Isa. I, 16 et 17 : *Quiescite agere perverse, discite benefacere.* Moram autem dicit ipsa pœnitentia, quæ quasi pœnæ tenentia vocatur.

« *Pœniterent*, » hoc est, pœnam voluntariam pro peccato tenerent : et punirent in se ipsos quod se dolerent commisisse. Jerem. IV, 8 : *Accingite vos ciliciis, plangite et ululate : quia non est aversa ira furoris Domini a nobis.* Jerem. VI, 26 : *Filia populi mei, accingere cilicio, et conspergere cinere : luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.*

Si autem quæratur, quare Dominus prædicavit, et discipulos prædicare fecit non crediturus : et non prædicavit, nec prædicari fecit crediturus? Dicit Glossa, quod « novit ille qui omnia novit. » Tamen dicendum, quod quamvis non tunc prædicari fecerit, tamen postea prædicari jussit : quia ordo ille observandus fuit, ut primum filiis Israel prædicaretur : et illis repellentibus verbum fidei, postea prædicatores ad Gentes crediturus converterentur. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

Si autem dicitur, quod tunc qui ante illos fuerunt, perierunt : quia verbum fidei non audierunt. Dicendum, quod hoc factum est : quia in naturali lege tunc salvari poterant. Ad Roman. II, 27 : *Judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.*

De comparatione autem condemnationis subjungit, dicens :

« Verumtamen Tyro et Sidoni, »

Civitati et provinciæ Gentilium, « *remissius erit*, » in condemnatione, « *in judicio, quam vobis*, » Corozain et Bethsaidæ. Et hujus causa dicta est : quia tales illuminatores et doctores, et talia signa non contempserunt. Matth. XII, 41 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.*

« Et tu, Capharnaum, »

Quæ *villa pulchritudinis*, vel *villa pinguedinis* interpretaris : eo quod juxta nomen tuum in pinguedine temporalium et spiritualium plantata es. Isa. V, 1 : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.*

« *Usque ad cœlum exaltata*, » corruscatione miraculorum de cœlo factorum, et virtutibus cœlestium. Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Joel, II, 30, et Act. II, 19 : *Dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum.* Talibus enim signis ho-

norata, in cœlum exaltata est præ aliis civitatibus.

Et ideo contemnens,

« Usque ad infernum demergeris, »

Scilicet per condemnationem : quia quanto altior gradus, tanto profundior casus. Isa. XIV, 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

Hæc autem civitas pinguissimas et collegiatas significat Ecclesias : quæ quanto plus donis Dei exaltatæ sunt, tanto profundius ceciderunt, et acerbior erit earum condemnatio. Matth. XI, 20: *Cœpit exprobrare Jesus civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.* Abdiæ, ℣. 4 : *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Job, XX, 6 et 7 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.*

Vel legatur sic : « *Usque in cœlum exaltata,* » tua reputatione, « *usque in infernum demergeris,* » judicio divino : quia frangit Deus omnem superbum, sicut dicit Sallustius. Luc. XIV, 11 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Sic enim cecidit lucifer qui mane oriebatur [1]. Sic de medio lapidum ignitorum, de monte Dei cecidit rex Tyri : eo quod posuit cor suum sicut cor Dei [2].

« Qui vos audit, me audit. »

Quod in speciali dixit, universaliter adaptans concludit. Et est ac si dicat : In istarum civitatum peccato non est simile : quia me contempserunt, non discipulos : et ideo ut par intelligatur peccatum quantum ad veritatis contemptum, subjungit : « *Qui vos audit,* » hoc est, audiens in cordis hospitio suscipit, « *me audit.* » Ideo dicit Apostolus, I ad Thessal. II, 13 : *Accepistis verbum, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Et majoris reverentiæ et meriti est, bene suscipere nuntium quam Dominum. Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

« Et qui vos spernit, me spernit. »

Ezechiel. III, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Ideo confidenter dicit Apostolus, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Sic enim Christus in suis auditur, et in suis contemnitur. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ?* Et, Infra, eodem : *Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.*

Attendendum autem est, quod Christus licet a civitatibus quibus maledixit, sæpe corporali hospitio sit receptus : tamen quia non fuit receptus per fidem in cordis hospitio, maledixit. Et ideo omnia quæ inducta sunt, de spirituali receptione sunt intelligenda, sicut etiam exposita sunt.

« Qui autem me spernit, »

Deum in homine latentem. Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Luc. XXIII, 11 : *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba.* Job, XXX, 9 : *Nunc in stultorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium.*

« *Spernit eum,* » Patrem, « *qui me misit,* » quia ego et Pater unum sumus. Joan. XIV, 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est.* Ideo enim contemnitur in eo Pater, quia Pater et in voce [3] testimonium perhibuit Filio : et in opere testificatus est. Joan. V, 36 : *Opera enim quæ dedit mihi*

[1] Cf. Isa. XIV, 12.
[2] Cf. Ezechiel. XXVIII, 2.
[3] Cf. Matth. III, 17 et XVIII, 5, et Luc. III, 22 et IX, 35.

Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me. Psal. CXVIII, 129 : *Mirabilia testimonia tua*, Domine : *ideo scrutata est ea anima mea.*

17 « Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. »

Hic incipit agere de reversione discipulorum, et instructione eorumdem super profectu legationis.

Et ideo duo tanguntur : Legatorum reversorum narratio, et secundum narrata eorumdem instructio.

In prima harum adhuc duo tanguntur : reversio, et profectus relatio.

Reversio tangitur cum dicitur : « *Reversi sunt autem septuaginta duo.* » Mali enim nuntii signum est non reverti ad mittentem, apostasiæ enim signum est : sic corvus requievit in cadavere, et non est reversus ad arcam [1]. Corvus niger, vorax cadaveris, significat nuntium pro qualibet carnali avaritia a fideli legatione apostatantem : quia statim oblato concupiscibili oculorum vel carnis, non curat nuntiare mittenti, sed requiescit in eo quod invenit. Sophon. II, 14 : *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari.* Isti autem non sic. Sicut enim Apostoli, ita et illi reversi sunt, referentes profectus suos ad Christum. Tob. XII, 20 : *Tempus est ut revertar ad eum qui me misit : vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.* Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.*

Sic enim continuo revertendum est ad Dominum a quocumque officio nobis injuncto : quia aliter deficiet in nobis et spiritus, et sensus, et omnis vigor. Sicut etiam spiritus et sensus ad cor revertuntur, ut ibi vigorentur. Omnis illuminatio a Deo exiens in nos, ita manat ut nos apprehensos reducat ad Patrem. Sic Filius ad Patrem revertitur. Sic legati ad Christum revertuntur. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Supra etiam quædam de hoc sunt notata. Mali enim nuntii signum est, non audere redire ad eum qui misit eum.

« Cum gaudio. »

Duplici gaudio, scilicet, elationis cujusdam de signorum operatione : quod corda eorum tetigit, quia adhuc carnales erant. Ad Roman, XI, 20 : *Noli altum sapere, sed time.* Vel, cum gaudio de virtute spirituali ostensa in signis fidei. Ad Philip. IV, 4 et 5 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

« Dicentes. »

Ecce relatio de profectu legationis. In relatione autem ista tria dicuntur : professio majestatis quam in virtute signorum per experimentum didicerunt, relatio profectus potissimi quem virtute Domini fecerunt, et quod hunc profectum nomini Domini et non sibi attribuerunt.

De primo dicunt :

« Domine, »

Cujus dominium jam cognoscimus per effectum, quod omnia tibi subjiciuntur. Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* I ad Corinth. XV, 26, et Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

[1] Cf. Genes. VIII, 7.

« Etiam dæmonia, »

Quæ sunt auctores malitiæ tibi contrariæ : et quorum fortitudo omnia alia vincit. Job, XLI, 24 : *Non est potestas super terram, quæ compararetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* In dæmone enim notatur excellens posse, et excellens nosse, et excellens ad nocendum malitia. Et jam habitum est de excellenti posse. Δαίμων autem in græco sonat scientem, vel intellectum : et in hoc notatur excellens nosse. II ad Corinth., II, 11 : *Non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.* Genes. III, 1 : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.*

De malitia, Habacuc, I, 17 : *Expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcet.* Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.*

De omnibus his tribus dicitur simul, Isa. X, 13 : *Dixit enim : In fortitudine manus meæ feci : in sapientia mea intellexi : et abstuli terminos populorum.* Quod enim in fortitudine se fecisse jactat, superbia est de potestate. Quod in sapientia sua se jactat intellexisse, jactat astutiam. Quod terminos se populorum jactat abstulisse, jactat quod non posuit finem malitiæ.

« Subjiciuntur nobis. »

Prævalet enim potestas tua potestati, et sapientia astutæ calliditati, et bonitas tua prævalet malitiæ : et ita tibi nihil resistere potest. Esther, XIII, 9 : *Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita : et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Et ideo « *subjiciuntur nobis,* » quia tibi resistere non possunt. Qui enim subjicitur tibi subjicitur et nobis, qui tuam habemus virtutem. Isa. L, 9 : *Ecce Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me ? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur : tinea comedet eos.* Si hæc ergo subjiciuntur, omnis effectus potestatis et astutiæ et malitiæ eorum subjicietur. Sic enim sedet a dextris, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.

« In nomine tuo, »

Hoc est, ubicumque in nobis est notamen bonitatis tuæ et divinitatis, ut tua sit gloria, non nostra. Psal. CXIII, 1 : *Non nobis, Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.* II ad Corinth. IV, 7 : *Ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* Sic igitur verum est quod dicitur, II ad Corinth. X, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

« Et ait illis : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. » 18

Ecce redeuntium secundum relationem factam eruditio.

Hæc autem eruditio dividitur in partes tres : in quarum prima dat eruditionem cautelæ contra subortam de potestate elationem : in secunda, de bonis factis agit gratiarum actionem : in tertia, magna laude extollit bonorum a Deo perceptorum virtutem.

In harum prima tria facit : primo enim omnis potestatis collatæ discipulis ostendit originem, ne glorientur : secundo, ostendit in potestate percepta non esse gaudendum, ne inflentur : tertio, ostendit in quo secundum veram conscientiam est gaudendum, ut ad omne internum bonum ædificentur.

In primo horum adhuc duo sunt paragraphi, in quorum primo casus Satanæ propter elationem se notat esse cum Patre approbatorem et causam efficientem propter malum meritum : in se-

cundo, potestatis acceptæ se notat auctorem.

De primo dicit : « *Videbam.* » Et tangit quinque : casus approbationem, causam, modum, et a quo, et in quid cecidit.

Approbatio casus tangitur cum dicitur : « *Videbam.* » Visus enim Filii approbatio est judicii Patris, qui tamen secum judicat. Videns enim iniquitatem illius Pater, judicavit esse casurum : quod secum et fecit et judicavit Filius. Habacuc, I, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* Hoc est dicere : Mundi sunt oculi tui, ne approbando videas malum, et ideo dejicis omnem qui male operatur : et respicere beneplaciti oculo (qui beneplacitum visum sæpe ad id quod placet reducit) non poteris ad iniquitatem : sed potius visu averso condemnas statim ut orta est iniquitas. Et ideo visus est Domini super casum iniquitatis, quia ille placet : iniquitas autem videtur averso visu.

In verbo autem « *videbam,* » notantur tria : Æternitas Filii, præsentia, et approbatio casus. Æternitas quidem et præsentia notantur in consignificato : quia est præteriti imperfecti verbum : et in præterito quidem notatur æternitas : in imperfecto autem quod includit præsens nunc, notatur præsentia. Unde sensus est : Ante hoc fui, et præsens tunc aderam. In significato autem verbi notatur casus approbatio, et beneplacitum. De primo, Proverb. VIII, 23 : *Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret, primogenita ante omnem creaturam.* Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Ordinata enim est ordine generationis Verbi (per quod facta sunt omnia) ad creaturæ productionem, quæ facta est per Verbum : sicut est ordo causæ ad causatum. De præsentia sui ad casum dicitur, ibidem, Proverb. VIII, 27 : *Quando præparabat cœlos, aderam.* De approbationis beneplacito, ibidem, ℣. 30 : *Cum eo eram cuncta componens.* Omnia enim composuit, et nihil inordinatum reliquit : quando etiam superbiam cœli præcipitavit et in bonum ordinavit.

« Satanam, »

Qui *adversarius* interpretatur.

Et in hoc notat causam casus, quia Deo adversabatur. Isa. XIV, 14 : *Similis ero Altissimo.* Zachar. III, 1 : *Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei.* Ab initio enim se de potestate sibi tradita erexit, et adversari Deo cœpit. Et ideo, Jerem. LI, 25, dicitur *mons pestifer* qui corrumpit Gentes : quia ab initio se elevavit, et Gentes corrumpere nitebatur, ut Deo contraria sentirent. Joan. VIII, 44 : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,... quia mendax est, et pater ejus.* Hæc igitur superbia causa est casus. Psal. XXXV, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.*

« Sicut fulgur. »

Ecce modus cadendi, et notantur tria : velocitas, expulsio, et forma luminis.

Velocitas : quia velociter cadit, et ideo subito statim elatione concepta cecidit. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram.* Quasi dicat : Dum adhuc mane oriebaris, cecidisti. Isa. XXXVIII, 12 : *Dum adhuc ordirer, succidit me.*

Expulsio : quia fulgur cum impetu cadit violentia contrariæ naturæ (quæ in loco dominatur) expulsum. Psal. V, 11 : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos : quoniam irritaverunt te, Domine.* Isa. LXIV, 6 : *Iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Fulgur enim expellitur frigore et humore loci et nubis ex qua cadit, cum impetu venti : et sic contrario judicio Dei, et optimis voluntatibus sanctorum Angelorum, et conatibus ad conformitatem

justitiæ et voluntatis divinæ, expulsus est Diabolus. Et hoc Petrus vocat rudentes detrahentes Satanam, II Petr. II, 4 : *Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

Lumen autem micans notatur in hoc, quod splendorem naturalium cadens non amisit, sicut nec fulgura. Et hoc splendore aliquando utitur ad deceptionem. II ad Corinth. XI, 14 : *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Hoc autem splendore in malum (sicut diximus) abutitur : et propter hunc Lucifer nominatur [1].

« De cœlo. »

Ecce unde cecidit, quia de cœlo, hoc est, de decore summo cœlesti. Et ideo, Ezechiel. XXVIII, 12 et 13, dicitur : *Signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Quo enim similitudo Dei profundius fuit in eo impressa præ cæteris, eo magis signaculum similitudinis dicebatur : plenus sapientia in intellectu : perfectus decore in splendore naturalium virtutum. Ita quod omni lapide pretioso, hoc est, aliorum Angelorum decore videbatur ornatus. Ab hoc ergo cecidit in tenebras, et lucis suæ globos amisit : quia quamvis etiam aliquid decoris retinuit naturali, tamen hoc in malum convertit : et ideo, Job, III, 6, 4, dicitur tenebrosus turbo possidens noctem peccati : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, et non illustretur lumine.*

« Cadentem. »

Ecce casus, et in quid cecidit. Cecidit enim, qui non amplius stetit. Apocal. XII, 9 et 8 : *Projectus est draco ille magnus,... et angeli ejus : ... et locus non est inventus eorum amplius in cœlo.* Ezechiel. XXVIII, 17, de cœlo *in terram projeci te.* Isa. XIV, 15 : *Ad infernum detraheris, in profundum laci.*

In quid autem cecidit, notatur in consignificato participii, quod formatur a præterito imperfecto, et est præsentis et præteriti imperfecti temporis. Et notat quod casus ejus quoad terminum semper est imperfectus : quia semper cadit, et cadet usque in finem. Psal. LXVIII, 3 : *Infixus sum in limo profundi : et non est substantia.* Esther, VI, 13 : *Ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.*

Hujus autem dicti sensus est : « *Videbam Satanam de cœlo cadentem,* » et qui primo in cœlo in conspectu meo stare non valens cecidit, non est mirum si etiam in terra in conspectu meo et meorum cadit. Sed tamen cavete : quia elatio quæ eum dejecit, etiam vos dejiceret ; si de concessa vobis potestate, superbia vos per consensum tentaret.

« Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit. **19**

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. » **20**

Sic continua : Non est mirum si dæmonia vobis subjiciuntur : quia ego primus sum præcipitator Satanæ. « *Ecce dedi vobis potestatem* : » et ideo in conspectu vestro stare non potest. Psal. XC, 7 : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.*

Dicit autem principaliter quatuor : communicatam discipulis potestatem : et secundo, determinat in specie super quid hanc potestatem acceperint : et ter-

[1] Isa. XIV, 12.

tio, ex illis infert in genere super omnem inimicum eos potestatem accepisse : quarto autem, quoad quid potestatem acceperint explanat.

De primo dicit tria : collationem, collatam potestatem, et modum utendi potestate collata.

Collatio notatur in hoc quod dicit : « *Ecce dedi vobis,* » quia nihil boni habetis nisi a me, et a Patre et Spiritu sancto datum vobis. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.* Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Inter cætera autem dona potestas super superiorem naturam non habetur ab inferiori, nisi data a Deo : et ideo potestas signa faciendi, et dæmones expellendi, non nisi a Deo haberi potest. Ad Roman. XIII, 1 : *Non est potestas nisi a Deo.*

« Potestatem. »

Potestas est potentia stans ordine juris et rationis. Sic enim est potestas discipulorum et ministrorum Ecclesiæ. Et ideo abuti continget hac potestate, si non ordine juris et secundum rationem quis utatur, sicut usi sunt discipuli. I ad Corinth. IX, 18 : *Ut non abutar potestate mea in Evangelio.* II ad Corinth. XIII, 10 : *Secundum potestatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, et non in destructionem.* Et in hoc differt potestas a potentia. Et hæc est causa quod potestas numquam est passiva : potentia autem quædam est passiva, et quædam activa. Hæc est etiam causa quod potestas quantumcumque sit magna, non timetur ab eo qui bene agit. Ad Roman. XIII, 3 : *Vis non timere potestatem : bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Unde quod quidam successores Apostolorum et vicarii Christi conterunt potestate sua bonos, pro certo non habent a concessa sibi potestate, sed potius a Diaboli furore et indignatione.

Modum autem utendi potestate contra malum dicit :

« Calcandi. »

Et in hoc duo notantur. Qui enim calcat, fine quidem sui corporis tangit, et toto corpore premit, et toto pondere. Ita et discipuli Christi, fine, hoc est, intentione quæ præstituit operi finem, Satanam tangunt : sed tota operis virtute premunt, et ideo conterunt. Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum : et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestorrum.* Judicum, V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Ad Roman. XVI, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Nisi enim toto pondere prematur, tortuosus elabitur serpens : et ideo calce premendus est. Judicum, V, 27 : *Volvebatur ante pedes ejus, et jacebat examinis et miserabilis.*

« Supra serpentes et scorpiones. »

Tangit duas in specie virtutes inimici Satanæ. Serpens autem a *serpendo* dictus, principio sui corporis, hoc est, ore nocet, et sic se totum intrahit paulatim serpendo. Scorpio autem principio vultus et ore blanditur, et cauda infigit aculeum in eum qui innititur super ipsum. Et ita facit Diabolus : in apertis enim tentationibus malorum statim dentes figit, et venena diffundit, donec se totum intrahat in perfectam hominis possessionem : in occultis autem tentationibus insidiando circumvolat, et suadendo blanditur, et promittendo decipit, donec hominem sibi inniti sentit : et tunc in fine pungit, et venena deceptionis infundit. De primo dicit Psalmus XC, 23 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.* Quæ sunt diversitates significatæ in morsu

serpentis. De secundo, Ezechiel. II, 6 : *Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Ad litteram tamen ista completa sunt in quibusdam Sanctis : unde, Marc. XVI, 18 : *Serpentes tollent.*

« Et super omnem virtutem inimici.

Inimicus hic dicitur Diabolus, qui semper ad Deum et ad hominem agit inimicitias. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.*

Virtus ejus dicitur omne illud, per quod potest consummare malitiam suam in nocendo, in quantum conceditur sibi potestas a Deo : sicut sunt venenosa animalia, per quæ lædit aliquando corpora. Sicut præcipiente Domino, Numer. XXI, 6, immisit ignitos serpentes in castra filiorum Israel, hoc est, calidum valde venenum habentes. Aliquando in generibus tentationum accipit hanc virtutem. Job, XL, 11 : *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.* Et in quocumque summum suæ malitiæ constituit Diabolus, in hoc potestatem Christus dedit suis. Et in hoc verificavit quod in I Canonica Joannes, III, 8, dicit : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Sic etiam intravit in domum fortis et alligavit eum, et universa arma ejus abstulit, et spolia ejus distribuit in quibus confidebat [1].

Sic ergo dedit discipulis « *potestatem super omnem virtutem inimici.* » Deuter. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum tuum : dicetque : Conterere.*

« Et nihil vobis nocebit. »

Ecce in quantum discipulorum potestas est supra virtutem inimici : quia usque ad hoc, quod nihil eis noceat : quin potius quod exercendæ eorum virtuti proficiat. I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Beatus Bernardus : « Jucun-« dum plane judicium : ut ille iniquus « omnium humilium malleator, fabricet « eis invitus coronas perpetuas, dum « omnes tentat, et ab omnibus supera-« tur. » Isa. XI, 8 et 9 : *Super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Mons Domini est excelsum sanctitatis ministrorum Ecclesiæ et discipulorum Christi. Hi sunt perfecti, jamdudum ablactati, qui sicut dicitur, ad Hebr. VI, 1, interniserunt inchoationis Christianæ vitæ sermones, et ad perfectionem ejus jam se transtulerunt [2]. Illi sunt enim, qui repleti sunt scientia et virtutibus divinis : et ideo virtus inimici nihil eis nocere poterit. Incipientes autem parvuli sunt, et indigent lacte. Isa. XXVIII, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Ad Hebr. V, 12 : *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui per consuetudinem exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.

« Verumtamen in hoc nolite gaudere. »

Ecce eruditio cautelæ contra potestatis delectationem : quia gaudere de potestate vanum est : et eo ipso virtus inimici prævalere incipit contra gaudentem. Jerem. IX, 23 et 24 : *Hæc dicit Dominus : Non glorietur sapiens in sapientia sua : et non glorietur fortis in fortitudine sua : et non glorietur dives in divitiis suis : sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.*

[1] Cf. Matth. XII, 29 et Luc. XI, 22.

[2] Ad Hebr. VI, 1 : *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur*, etc.

In potestate ergo non est gaudendum : et hoc est quod dicit : « *Quia spiritus* scilicet maligni, *subjiciuntur vobis*, » ad recedendum ab obsessis ad vestrum imperium : quia hoc etiam malis aliquando conceditur. Matth. VII, 25 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Hoc enim est invocationis nominis divini, et non vestrum. Ezechiel. XXXVI, 23 : *Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum.* Nolite ergo gaudere in eo quod vestrum non est meritum : quia hoc est vanum.

« Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, »

Scilicet in libro vitæ. Ecce in quo gaudendum est.

Dicit autem duo : quod scilicet gaudendum, et in quo gaudendum.

Quod gaudendum dicit : « *Gaudete autem.* » Isa. LI, 11 : *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam tenebunt : fugiet dolor et gemitus.* Isa. LXVI, 10 : *Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea omnes qui diligitis eam.* Gaudium enim illud est diffusio animi in conceptione summi et æterni boni, quo fruendum est in cœlo.

« Quod nomina vestra. »

Ecce de quo, et in quo est gaudendum. Et tangit quid de nobis notum est, et qualiter confirmatum per scriptum, et in quo scriptum, et ubi repositum.

Primum tangit cum dicit : *Nomina vestra,* » per quæ notitiam nobis fecimus. Hæc autem nomina sunt, quibus secunda generatione quæ ex Deo est nominamur. I Canon. Joan. III, 1 : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* In his divinis nominibus noti sumus in cœlis. Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Hinc est quod, Numer. XVI, 2, proceres synagogæ ex nomine vocabantur [1]. Hinc est etiam, quod quibusdam magnorum meritorum et singularium privilegiorum a Deo nomina sunt mutata [2]. Secundum enim quod actibus divinis in cœlo se notos faciunt, sic nominantur : et dii et deorum filii vocantur ut dicit Dionysius. Psal. LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.*

« Scripta sunt. »

Aliquando scribuntur per præsentem justitiam : et hæc scriptura delebilis est. Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Psal. LXVIII, 29 : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Aliquando autem scribuntur per prædestinatam ad gloriam justitiam, et non delentur. Apocal. III, 5 : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis : et non delebo nomen ejus de Libro vitæ : et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.* Hæc autem scriptura non est nisi immobilitas recedendi a lumine notitiæ divinæ.

« In cœlis, »

Scilicet in libro vitæ. Tangit in quo scripta sunt nomina, hoc est, in libro vitæ [3]. *Liber* autem dicitur, quia immobiliter continet et clare repræsentat nomina Sanctorum. *Vitæ* autem vocatur, quia et vivunt qui in eo scripti sunt. Et ipse liber, qui est notitia Dei perpetuæ vitæ, est radix im-

[1] Numer. XVI, 1 et 2 : *Ecce autem Core,* etc., *surrexunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur.*

[2] Cf. Genes. XVII, 5 et XXXII, 28.

[3] Cf. III Sententiarum, Dist. XXXI, Art. 3, 4, 5 et 6. Tom. XXIX hujusce novæ editionis.

mortalitatis. Et quia immobiliter continet et clare repræsentat, ideo vocatur *liber monumenti*. Malach. III, 16 : *Scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, et cogitanlibas nomen ejus.* Quia autem vitam influit æternam, ideo dicitur *liber vitæ*. Eccli. XXIV, 32 : *Hæc omnia liber vitæ, et testamentum Altissimi, et agnitio veritatis.*

Sic ergo vocatur notitia Dei *liber vitæ*.

Hæc autem notitia quia æterna est, dicitur aliquando *prædestinatio*. Et sic notitia prædestinationis dicitur aliquando *liber vitæ*. Apocal. XX, 12 : *Alius Liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.* Quia prædestinantis notitia non tantum est de personis salvandis, sed etiam de meritis gratiæ, et de præmiis gloriæ, ut dicit Augustinus in libro de *Prædestinatione Sanctorum*. Prædestinatio enim est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Unde et Moyses quia in hoc libro scribi non poterat per meritum ducis (nisi populus esset cui ducatum præberet) dixit, Exod. XXXII, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam : aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quasi dicat: Si non dimittis noxam, delebis in deserto multitudinem, et per consequens ego meritum ducis non habebo, et sic delebis me quoad meritum ducis. Et quia hoc non facies, ideo noxam dimitte.

In isto libro non scribuntur mali. Cum enim nomen quod inscribitur sumptum sit ex notitia meritorum gratiæ, et ipsi tale nomen non habeant, non possunt scribi in libro notitiæ divinæ. Quamvis enim noscat eos Deus, tamen hoc non est notitia approbationis, sed simplicis visionis, qua reprobando alta a longe cognoscit, avertens se per indignationem ab eis. Ezechiel. XIII, 9 : *In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur.* Isti enim, quia statuerunt oculos suos declinare in terram, sunt de quibus dicitur, Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

Hic est igitur *liber vitæ*, et hac de causa sic vocatur.

Sunt tamen et alii libri qui erunt in judicio [1] : sicut corda sanctorum virorum, qui contemplando veritatem Dei inscriptas in corde suo habent leges et justitias divinas : et per illas in judicio quilibet videbit quare salvatur, et quare damnatur. Daniel. VII, 10 : *Libri aperti sunt.* Et præcedit, Ibidem, ℣. 10 : *Judicium sedit.* In cordibus ergo Sanctorum scriptum est, unde quisque damnetur vel salvetur. Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Et istæ conscentiæ sic legibus divinis inscriptæ, aliquando etiam dicuntur *libri vitæ :* quia exemplata quædam et sigillata sunt ad primum et principalem librum vitæ.

Aliquando etiam liber Sacramentorum divinorum dicitur *liber vitæ*, propter viam vitæ quam docet. Apocal. V, 1 : *Vidi in dextra sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem :* quæ sunt sacramenta nativitatis, baptismatis, passionis, descensus ad inferos, resurrectionis, ascensionis, et judicii, quo judicat vivos et mortuos.

Hic enim liber etiam est notitia divina secundum præfinitionem sui consilii, explicans congruis temporibus ea quæ competunt singulis sacramentis. Et iste est liber de quo dicitur, Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.*

Ex his ergo patet quid sit nomen scriptum esse in libro vitæ. Psal. CXXXVIII, 16 : *In libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur :* quia omnes in luces scribuntur æternas. Et ideo, Nehemiæ, seu II Esdræ, VII, 64, qui scripturam genealogiæ suæ inter Sanctos non invenerunt,

[1] Cf. IV Sententiarum, Dist. XLIII, Art. 10 et 11. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

separati sunt a populo Domini in cœlis, ubi scriptura est hæreditatis immarcessibilis. I Petr. I, 4 : *In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, conservatam in cœlis.* Cœlum enim immarcessibile est, in quo Filius Dei est. Alii autem in terra, quæ a Deo conculcatur, scribuntur. Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea,terra autem scabellum pedum meorum.*

« In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater : et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. »

Tangit gratiarum actionem de bonis, quæ a Patre summo collata sunt discipulis.

Tangit autem tria : bona collata, et causam collationis, et modum.

In bonis autem collatis tangit tria : modum scilicet gratias agentis, modum gratiarum actionis, et de quo gratias agit.

Circa modum gratias agentis tangit duo : tempus scilicet, et modum.

Tempus tangit cum dicit : « *In ipsa hora.* » Matth. XI, 25 : *In illo tempore, respondens Jesus, dixit.* Tempus enim illud et hora fuerunt, quando intima Patris notitia de revelatione sacramentorum fidei, cœperunt per filium coram discipulis patescere clare et intelligi. Joan. XVII, 4 : *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Tunc enim consummatum est quod dicitur, Matth. XXVII, 51 : *Velum templi scissum est* : et aperte visa sunt quæ velata fuerunt. Apocal. XI, 19 : *Apertum est templum, Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. Templor, aris*, non est in usu, nisi in compositis, *contemplor, aris*, et ab hoc derivatur *templum* in quo contemplandum est. Apertum est autem templum, quando se contemplabilem præbuit divina veritas. Et tunc visa est arca continens omnia secreta sacramenta Dei, quando Pater per Filium patefecit sua secreta discipulis. Bene enim Filius dicitur *arca, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* [1]. Hæc ergo hora lucis æternæ fuit, quando lux divina tenebras humanas illuminavit. Psal. XVII, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas.* Tunc fecit candor lucis æternæ, quod, Sapient. VII, 27, scriptum est : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.*

« *In ipsa ergo hora,* » qua sic secreta Pater discipulis patefecit,

« Exsultavit in Spiritu sancto, »

Concepto bono discipulorum, quod Spiritus sanctus inspiravit. Spiritus enim sanctus suus (ab ipso procedens) spiritus est, qui gaudium fecit Christo homini, infundens se per lucem revelationis discipulis. Hæc autem exsultatio, vitæ æternæ refectio est, et deliciæ. Ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Hic autem proprius modus est gratias agentis : quia in lætitia donorum perceptorum gratiæ aguntur. Isa. LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.*

[1] Ad Coloss. II, 3.

« Et dixit. »

Ecce modus gratiarum actionis.

Duo autem tangit : modum confessionis, et cui confitendum est in gratiarum actione.

Modus confessionis tangitur, quando dicit :

« Confiteor tibi. »

Hoc est, ex toto corde, et omnibus quæ intra me sunt fateor. « *Tibi* » bona tua in te refundens. Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Hæc enim est confessio gratiarum actionis et laudis. Psal. CXVII, 1 : *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis.* II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* Est tamen etiam confessio peccati in pœnitentia : confessio veritatis in prædicationis doctrina. De quibus alibi dictum est. Sed ista gratiarum actione est confessio laudis. Eccli. LI, 1 : *Confiteor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum.*

« *Tibi.* » Propter discretionem ponit pronomen « *tibi,* » quia, I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria.* Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.*

« Pater. »

Hoc est tertium. « *Pater,* » inquam meus per naturalem et æternam generationem. Et « *Pater* » discipulorum per adoptionem.

De primo, Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Joan. V, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.*

De secundo, ad Roman. VIII, 15 : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater).*

De utroque simul, Joan. XX, 17 : *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum.*

Propter altitudinem et possessionem divitiarum, pulchrorum, et bonorum verorum dicit :

« Domine. »

Ad Roman. X, 12 : *Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* In hoc enim est Dominus omnium, quia prælatus est omnibus. Dives autem in omnes qui invocant illum, quia perfecta possessio omnium pulchrorum et bonorum verorum est apud ipsum. I ad Corinth. II, 5 : *In omnibus divites facti estis in illo.* Et ex his divitiis effudit dona in discipulos, de quibus hic Filius gratias agit. Ad Ephes. III, 14-17 : *Flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum.* Iste est Dominus dives, de quo dicitur, Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

Sic ergo : « *Confiteor tibi, Domine.* »

« Cœli et terræ. »

Non quidem Pater, ut dicit Glossa, sed « *Domine,* » quia non est Pater ejus, ad quod non habet conformitatem imaginis. Habet autem conformitatem imaginis in eadem substantia ad Filium, et in diversitate substantiæ ad hominem : et ideo Filius dicitur, ad Coloss. I, 15 : *Imago Dei invisibilis.* Genes. I, 26, dicitur, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei. Cœlum autem et terra non dicuntur facta ad imaginem, sed vestigia dicuntur divina.

Joannes autem Scotus, qui multa temere protulit, dicit eum Patrem cœli et terræ propter vestigii imitationem, indu-

cens hoc quod dicitur, ad Coloss. I, 15 : *Primogenitus omnis creaturæ.* Non enim, ut dicit, diceretur *primogenitus creaturæ*, nisi creatura diceretur secundo genita. Sed hoc non sequitur : quia *primogenitus* non notat ibi ordinem ad secundo genitum : sed notat ibi ordinem causæ generationis ad exitum creaturarum in esse per creationem : quia Verbum genitum a Patre (quod est ratio creaturæ), in quo est ut fiat creatura (sicut in arte est ut fiat artificiatum), est causa creationis : sicut ars in mente artificis, causa est ut fiat artificiatum. Dicitur tamen metaphorice hoc genuisse : sed metaphoricæ locutiones non sunt extendendæ. Job, XXXVIII, 29 et 28 : *De cujus utero egressa est glacies ? vel quis genuit stillas roris ?*

Sic igitur : « *Confiteor tibi, Pater* » mei et hominis diversa paternitate : « *Domine* » omnium, « *cœli et terræ,* » et in eis contentorum.

« Quia abscondisti hæc. »

De duobus facit mentionem. Per primum non probat, nisi quod hæc per seipsa abscondita sunt. De secundo autem confitetur in gratiarum actione.

De primo dicit, quia « *abscondisti hæc,* » hoc est, talia fecisti, quæ secundum se abscondita sunt. Invisibilia enim Dei, sua excellentia abscondita sunt ab oculis hominum : non propter illorum defectum, sed propter defectum oculorum cordium humanorum. Sicut fulgor solis absconditus est ab oculis vespertilionis : quia propter sui claritatem, quæ excellit oculos vespertilionis, vespertilio involvitur tenebris, et non potest videre lumen : cum tamen lumen solis nihil faciat ad hoc quod abscondatur, sed potius manifestat se clare quantum in se est, et vespertilioni, et herodio æqualiter : sed herodius potestate sui oculi videt lumen in rota solis : et vespertilio sui oculi defectu, et obvolvitur tenebris, et lumen solis nec in rota nec in aere limpide lucens videre potest. Job, XXXVII, 19 : *Ostende nobis quid dicamus illi : nos quippe involvimur tenebris.*

Sic ergo « *absconditi hæc* » lucidissima in se.

Maxime tamen hæc abscondita sunt ab infirmis oculis cordium peccatorum infidelium : quia, ut dicit Augustinus in libro X *Confessionum* : « Oculis ægris « odiosa est lux, quæ puris est amabi- « lis. » Ad Ephes. IV, 18 : *Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.*

Et hoc est quod subjungit :

« A sapientibus et prudentibus, »

Notans sapientiam et prudentiam hujus sæculi. Est autem sapientia apud Philosophos cognitio rerum altissimarum, quas difficile est homini scire : ut dicit Aristoteles in libro I suæ *Metaphysicæ.* Et has res suo modo Philosophi vocant *divinas.* Prudentia autem est cognitio conferentium et utilium hominibus in dispensatione vitæ, et domus, et civilitatis. Et sapientia talis non est fidei : et similiter prudentia non est habens conferentium ad vitam Christianam. Et ideo sapientia est stultitia, et prudentia est insipientia quædam. Abdiæ, ℣. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.* I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Ad Roman. I, 21 et 22, de sapientibus hujus sæculi dicitur, quod cum per creaturas et rationes creaturarum *cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt,... sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* De prudentiâ autem dicitur, ad Roman. VIII, 6 : *Prudentia carnis, mors est : prudentia autem Spiritus, vita et pax.* Eccli. XIX, 19 : *Non est cogitatus peccatorum prudentia.*

Ab his ergo « *sapientibus et prudentibus abscondisti hæc,* » per modum absconsionis qui dictus est, Job, XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Ideo Dominus flens dicit, Luc. XIX, 42 : *Quia si cognovisses et tu* (subaudi, fleres).... *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Non quidem Domino abscondente lucem clarissimorum donorum suorum, sed te obvolvente tenebris oculos, ut videre non possis. Augustinus in libro I de *Trinitate* : « Si quis alii digito so-« lem ostenderit, et ille lippiente oculo « solem non viderit, culpet oculi lippitu-« dinem, non digiti ostensionem. »

Sic ergo abscondisti hæc « *a sapientibus et prudentibus,* » nihil ad absconsionem operans, sed tenebras intellectus eorum permittens, et tua luce confundens.

« Et revelasti. »

De hoc gratias agit, quia « *revelasti,* » velamen obscuritatis per gratiam tuæ fidei de cordibus eorum auferens. Psal. CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua,* Domine. II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit* quis eorum *ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est.* Hæc est pellis, quæ per fel piscis, hoc est, passionis Christi egressa est de oculis Tobiæ [1].

« *Ea,* » ista : quæ tamen in se clarissima sunt, et sereno lumine limpida.

« *Parvulis.* » Qui diminuti sunt a parvis, quia humiliores sunt cæteris humilibus. Illi enim revelationes illuminationum præ cæteris humilibus accipiunt, qui profundius se humiliant : sicut lacunæ profundiores plures capiunt aquas, ut dicit Ptolomæus Philosophus in *Proverbiis* suis. Illi enim illuminatori nostro Christo similiores sunt, et ideo luminis capaciores. Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Ideo, Proverb. IX, 16, dicit sapientia : *Qui est parvulus, declinet ad me.*

His ergo « *parvulis,* » qui etsi possunt, nolunt esse magni, mirabilia tua et salutaria revelasti.

Causam autem hujus tantæ revelationis, et quæ sola causa est, dicit :

« Etiam, Pater. »

Sola enim voluntas placens Patris hujus rei causa est.

Dicit autem circa hoc duo : assertionem veritatis, et altitudinem causalitatis.

Assertio veritatis tangitur cum dicit : « *Etiam, Pater.* » Quasi dicat : « *Etiam* » in veritate sic ista tu parvulis revelasti, nec a se habent, nec ab alio nisi a te.

Et hoc quod dicit : « *Etiam,* » assertionis est indicium. Ac si dicat : Vere, Pater, paterno affectu hæc fecisti. Sapient. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Exod. XXXIII, 19 et 17 : *Ego ostendam tibi omne bonum...: invenisti enim gratiam coram me.*

« Quoniam sic placuit ante te. »

Complacitum est voluntas quæ tota simul pascitur in volito. Hæc est voluntas quam experiri jubet Apostolus, ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Scilicet sapere cum parvulis ad sobrietatem fidei, et non plus sapere quam oportet in ebrietatem sapientiæ sæculi [2]. Nimis enim jucundum beneplacitum est Dei, quod dicit Apostolus, I ad Corinth. I, 21 : *Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, pla-*

[1] Cf. Tob. XI, 14.

[2] Cf. ad Roman. XII, 3 : *Dico... omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.*

cuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Hoc autem placitum est quod diximus, quod humilibus se sibi exhibentibus tollit velamen, quo revelatum lumen agnoscant, quod turgentes de sæculi sapientia cum magis Pharaonis agnoscere non possunt, Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Et quidem hoc Deus omnibus paravit : et hoc modo verum est quod dicitur, Joan. I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et tamen non omnis homo illuminatur : quia soli parvuli intellectum suum captivantes in præcepta fidei percipiunt lumen quod omnibus æqualiter exhibetur : quia in solis parvulis complacitum est Patris. Judith, IX, 16 : *Nec superbi ab initio placuerunt tibi : sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Ideo dicit Apostolus, ad Ephes. III,8 et 9 : *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes.* Hoc ergo est beneplacitum spiritus Domini, illuminatio parvulorum et obcæcatio superborum de se præsumentium.

« Omnia mihi tradita sunt. »

Dixit quod Pater revelavit parvulis.

Et tangit hic modum revelationis : et tangit duo : modum revelationis, et quod non est possibilis aliquis modus revelationis, nisi ille solus.

Modus est, quia omnia tradita sibi sunt a Patre per ipsum revelanda.

Et hoc est quod dicit : Tu quidem, Pater, revelasti, quia « *omnia* » illa revelata et edocta a me, « *mihi tradita sunt,* » per æternam generationem [1],

« A Patre meo. »

Sum enim lumen de lumine Patre. Sapient. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Ad Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* Ad Coloss. II, 2 et 3 : *In omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu : in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.*

« *Omnia* ergo *mihi tradita sunt a Patre meo,* » et nihil me latet sacramentorum et consiliorum divinorum : et ideo mea doctrina revelatio est Patris. Joan. VII, 16 et 17 : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Patris. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Et hujus Augustinus quidem pulchrum ponit simile : Cum enim intellectus practicus dicit se in tota suæ artis plenitudine, tantum est in verbo, quantum in intellectu dicente. Et sic, omnia quæ sunt intellectus tradita sunt verbo, et tamen habet ea ab intellectu. Et in hoc solo differt ab intellectu, quia ab intellectu est, et intellectus a nullo est. Et hoc quidem verum est in intellectu agente : sed in possibili et contemplativo (qui a rebus accipit quod intelligit) nihil est simile. Sic ergo omnia tradita sunt sibi a Patre : et sic sunt in eo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Patris. Et nihil minus habet Filius quam Pater : quia Filius est ars, et verbum Patris, et imago invisibilis ipsius, nihil minus habens (ut dicit Hilarius) quam ipse, eamdem habens naturam, idem posse, idem nosse, idem velle, et idem operari. Ideo, Joan. X, 29, dicit : *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre:* qui sicut dicit Basilius, gloriam paternam cum nullo secundo genito divisit, sed totam integraliter possidet. Ad Philip.

[1] Cf. Opera B. Alberti. Comment. in I Sententiarum, Dist. XII, Art. 7. Tom. XXV hujusce novæ editionis.

II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Glossa Ambrosii : « Quod vere Deus sit et nominetur : » *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Nihil ergo retinuit quod non tradidit : et sic quidquid revelat, Patris est, et a fontali lumine procedit.

« Et nemo novit Filium, nisi Pater [1]. »

Ecce quod nullus modus revelationis divinorum possibilis est, nisi ille qui est a Patre per Filium.

Quod autem dicit : « *Nemo,* » negationem non facit in genere, sed extra genus : ut sit sensus : « *Nemo,* » hoc est, nihil « *novit Patrem nisi Filius.* » Dictio autem exceptiva, quæ intelligitur in conjunctione, excipit respectu substantiæ, et non personæ : ut sit sensus : « *Nihil novit Patrem nisi Filius,* » hoc est, præterquam Filius, hoc est, præter substantiam Filii. Quia sic, cum Spiritus sanctus sit eadem substantia cum Filio, etiam Spiritus sanctus novit Patrem.

Sed dicit : « *Nisi Filius,* » quia Filius est notitia Patris. Et est recurrendum ad simile superius inductum : quia dicentem intellectum agentem nihil novit in plenitudine sua nisi verbum, quo dicit se ipsum : alio enim secundum partem potest nosci, sed in plenitudine sua non noscit eum nisi verbum, quo plene dicit se ipsum. Sicut si dicamus, quod mens artificis non noscitur plene, nisi ab arte quæ est ab ipsa et in ipsa quæ noscit eam in toto ambitu virtutis ejus secundum omnia quæ facere potest.

Sic « *Pater, quis sit,* » hoc est, quis sit in substantialibus omnibus, et potentialibus, et scientialibus, et omnibus attributis ejus, nemo novit, « *nisi Filius,* » scilicet Verbum perfecte demonstrans ipsum. Hujus autem simile (diminutum tamen est) quia sol a Philosophis ponitur omnium generabilium pater per lumen suum. Duplex ergo est notitia solis : particularis, hoc est, secundum particularem virtutem : et sic nosci potest a multis tam in cœlo quam in terra, quæ lumine particulari informat. Et est notitia solis in virtute universali, qua omnium in se habet causam generationis et informationis tam in cœlo quam in terrra : et in virtute illa non novit solem, nisi lumen indistanter acceptum in ipsa rota solis, antequam egrediatur de ipso : si lumen illud, gratia exempli, ponamus intellectum et notitiam habere. Et sic est Verbum Filius in Patre, intellectu noscens Patrem in omni sua plenitudine naturæ et virtutis. Et talis est hic sensus : quia illud lumen in Patre sic Patrem manifestans, est Verbum increatum et Filius Patris.

Similiter,

« Nemo scit quis scit Filius, nisi Pater, »

Quia ipse Filius est perfecta et indistans similitudo Patris. Omne autem quod noscitur, simili cognoscitur : et quod perfecte cognoscitur, indistanti et indifferenti cognoscitur similitudine : et sic mutua est cognitio Patris a Filio, et Filii a Patre, a qua non excluditur Spiritus sanctus. Sed quod Spiritus non nominatur in ista perfecta notitia et mutua, est ideo, quia ipse non procedit ut verbum et notitia, sed ut amor connectens Patrem et Filium. Multa autem his similia notata sunt de hoc eodem Verbo, Matth. XI, 25 et seq. : quæ quando conjunguntur his, quæ hic dicta sunt, perfectius intelliguntur [2]. Tamen non

[1] Notandum hic quod B. Albertus assumit in enarratione sua super Lucam verba Matthæi, XI, 27 : *Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Lucas autem habet hic, ℣. 22 : *Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater : et quis sit Pater, nisi Filius,* etc. Idem est sensus, verba tantum differunt.

[2] Cf. Enarrationes in Matthæum, XI, 25, 26 et 27. Tom. XX hujusce novæ editionis.

dubito quin exempla sint convenientia, quamvis imperfecta : sicut omnis creatura in repræsentando deficit ad Creatorem. Si quis autem bene scit naturam intellectus agentis, et luminis quod est in ipso : quod (sicut dicit Philosophus) est ut ars ad naturam : et si quis bene novit naturam solis, et luminis quod est in ipso : scit aliqualiter qualiter solum Verbum Filius noscit Patrem, et qualiter solus paternus intellectus noscit Verbum Filium.

Sequitur :

« Et cui voluerit Filius revelare. »

Hoc modo est facile. Ex inductis enim exemplis planum est, quod non est revelatio intellectus nisi per verbum, quod in est ipso lumine ipsius : nec in Deo, nec in homine potest esse alia revelatio : sicut nec solis est revelatio aliqua, nisi per lumen quod est in ipso. Quamvis autem ipsum lumen in sole existens, in se habeat unde perfecte revelet solem : et ars in intellectu sive verbum, in se habeat unde perfecte revelet intellectum : tamen secundum quod lumen a sole distare incipit, et incidit in id quod formatur lumine, particulatur manifestatio. Et ideo omne cui incidit, non accipit revelationis solis nisi secundum virtutem particularem. Et similiter, omne in quod procedit verbi manifestatio, accipit manifestationem illam secundum modum possibilem sibi, et in parte, et non in toto : cum tamen nulla possit esse revelatio intellectus nisi per verbum, vel solis nisi per lumen. Et hoc est quod dicitur, Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit unquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Nulla enim creatura per seipsam vidit Deum in plenitudine suæ deitatis : sed soli splendori gloriæ suæ et figuræ substantiæ suæ Deus notus est. Et hic procedens ab ipso, enarravit secundum modum possibilem uniuscujusque, Angeli, vel hominis hanc revelationem accipientis. Parvulis autem revelavit : et ideo hic gratias agit.

Attende autem, quod hanc revelationem Apostolus, I ad Corinth. II, 10-13, attribuit Spiritui sancto, ubi dicit : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.... Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est ? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Sed hoc est ideo dictum, quia sicut spiritus hominis vehit verbum quod est in manu artificis quando operatur, et vehit verbum in linguam quando loquitur : ita Spiritus sanctus vehit verbum revelationis divinæ in corda hominum credentium : et sic idem Verbum Patris quod revelat Patrem, vehit Spiritus. Et sic revelatio est et Patris, sicut originis et auctoris : et Verbi sicut formæ luminis et notitiæ formalis : et Spiritus, sicut advehentis et inspirantis. Et tamen non est nisi idem et unum solum verbum : et eo Verbum, quo Filius sive notitia a paterno procedens intellectu per generationem. Sic dicit, Joan. XVII, 4 : *Ego te clarificavi super terram.* Et, ibidem, ℣. 6 : *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.* Sic dicitur, Matth. XXIII, 9 et 10 : *Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui est in cœlis est. Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus.* Parvulis autem vult revelare, sicut jam dictum est, et non superbis. Proverb. XI, 2 : *Ubi est humilitas, ibi et sapientia.*

« Et conversus ad discipulos suos dixit. » **23**

Hæc est pars, in qua laudat eos, qui hujusmodi revelationem acceperunt.

Tanguntur autem tria : modus dicentis, et beatitudo revelationem accipientis, et dignitas in hoc privilegii singularis,

Modus dicentis tangitur per hoc quod dicit: « *Et conversus,* » in gratiarum enim actione totus erat in cœlum extensus, totus ad Patrem directus. II Paralip. xx, 12: *Hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Sed nunc erudiens discipulos se ad eos convertit, ut exteriori corporis conversione interiorem animi intentionem demonstraret, et vox ad eos directa, in aures eorum fortius sonaret. Psal. LXXXIX, 13: *Convertere, Domine, usquequo: et deprecabilis esto super servos tuos.* Hæ sunt duæ corporis habitudines, quibus sæpe inter Patrem et discipulos mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus usus est.

« *Ad discipulos suos dixit.* » Sua enim conversione nos ad se trahit, et sic ad se trahit, et sic ad Patrem reducit. Thren. v, 21: *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur: innova dies nostros, sicut a principio.*

« Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24 Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt. »

Hic tangit beatitudinem eorum qui revelationem a Patre accipiunt.

Et dicit duo: beatitudinem oculorum cordis et corporis, et causam beatitudinis.

In beatitudine duo sunt, scilicet substantia beatitudinis, et secundum quid insit beatitudo.

De primo dicit: « *Beati.* » Duæ apud moralem Philosophum beatitudines determinantur. Una quidem civilis et moralis secundum virtutem activam moralem: altera autem contemplativa divina secundum virtutem intellectualem. Illa vero, quæ est activa secundum virtutem moralem, consistit in perfecta actione regitivæ virtutis et ordinativæ, cui nihil desit ad regendum et ordinandum in omni operatione vitæ civilis: et hæc est prudentia, cui nihil desit in omni ratione eligibilium ad vitam, ad regimen et ordinem vitæ facientium: et ideo oportet non deficere aliquam virtutum aliarum, et habere ex habitu consueto facultatem in tali ordine et regimine, et non deesse organice obsequentia in hoc ordine et regimine, sicut divitias, potentatus, et honores in se et in amicis, et etiam fortunam sive eufortunium in omnibus his. Et hoc vocat Aristoteles in I *Ethicorum*, actum secundum perfectam animi virtutem cum perfectione de qua jam dictum est. Et ideo omnia hæc simul volens comprehendere Boetius in *Consolatione Philosophiæ*, dicit quod « beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. » Hæc autem beatitudo secundum regimen et ordinem vitæ Christianæ a Domino adstruitur, Matth. v, 3 et seq.

Alia est beatitudo contemplativa, quæ est secundum actum perfectum virtutis intellectualis in summo contemplationis: quæ consistit in actu contemplationis mirabilissimorum, purissimorum et certissimorum: non retracta, et non impedita, retenta in contemplando delectatione non habente contrarium. Et contemplatio quidem est secundum solum intellectum visio, nihil habentem continui et temporis, sive imaginationis et sensus: quia in illo discurrunt rationes phantasticæ, ut dicit Dionysius. Mirabilissima autem sunt altissima, supra quæ non sunt alia. Purissima autem sunt nihil commune cum materia aut materialibus habentia. Certissima autem sunt, quæ sunt via ad omnia alia certificanda, et ipsa per alia non certificantur. Non retracta autem contemplatio est, quæ virtute omni sic juvatur, quod a carne et carnalibus corruptionibus vitiorum vel tentationum, ab actu sic contemplandi non retrahitur. Non impedita autem est, quæ sic claro contemplatur lumine jam adepti per studium intellectus, quod in naturam con-

versus habitus non sentit difficultatem. Retenta autem in contemplando est delectatione nihil habente contrarium, quia hæc non remittitur aliquando.

Talis autem est, quæ nihil sui habet in anima sensibili : et hæc est, quæ est in limpida veritate et luce ipsius, et delectatione veritatis : et illa est *beatitudo divina* dicta propter tres causas : quarum una est, quia est secundum hoc quod solum divinum est, et imago Dei in homine, et hoc est intellectus. Secunda est, quia est de divinis ista contemplatio. Tertia est, quia ista contemplatione utitur Deus, et substantiæ divinæ, quæ per participationem Dei dicuntur *divinæ*.

Et hanc beatitudinem commendat hic Dominus quando dicit : «*Beati.*» III Reg. x, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* II Paralip. IX, 7 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui assistunt coram te in omni tempore.* Tob. XII, 20 : *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* Sic beati sunt illi de quibus dicitur in Psalmo LXXXVIII, 16, 17 et 18 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur : quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Et sic beatus fuit Apostolus et alii discipuli Christi, quando dixit, II ad Corinth. III, 18 : *Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem* (suppl e, gloriæ) *transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

Sic ergo,

« Beati oculi qui vident quæ vos videtis. »

Tria dicit secundum partem qua beati sunt : instrumentum, actum, et actus determinationem.

Est enim oculus nobilis pars corporis, sola ex luminis compositione et illustratione habens venustatem. Sunt autem oculi facile in omne quod intueri volunt volubiles, figuram luminum cœlestium in sphærica forma prætendentes. Et in hoc tangitur oculus interior (qui est intellectus) qui nobilissima pars est hominis, secundum quam ad Dei imaginem facti sumus. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Secundum imaginem suam fecit illum,... et secundum se vestivit illum virtute.* Hic lumine cœlesti in cognitione veri et boni venustatus est. Unde, Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Volubilis etiam est oculus in circumspectione intellectus : quod optime significatur, Exod. XXV, 34 et 35, in candelabro luminis in quo erant sphærulæ volubiles in omnem partem. Propter hoc etiam, Ezechiel. I, 18, et Apocal. IV, 6, dicuntur animalia Dei plena oculis ante et retro : quia ad omnem partem erant circumspecta. Oculus enim in uno tantum stans, spasmatus est : præter voluntatem autem a visibili aversus, tremens est et paralyticus : sed bonus oculus convertibilis est ad nutum. Figura autem cœlestis in oculo prætendit conformitatem cœlestium in intellectum : ita quod tota pulchritudo cœlestium in ipso resultet. Et hoc iterum significatur, Exod. XXV, 34, ubi in candelabro luminis sphæræ figurabantur in nucis modum. Isti sunt oculi columbarum [1]. Genes. XLIX, 12 : *Pulchriores sunt oculi ejus vino*, quod sua claritate temperate sumptum, subtilem facit spiritum visivum.

Actum autem oculorum tangit cum dicit :

« Qui vident. »

Oculus enim non videns non est oculus, sed idolum oculi. Proverb. XX, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* Sed de idolis quibus Diabolus præsidet, et supervacua

[1] Cantic. I, 14 : *Oculi tui columbarum.*

curiositas hominum invenit, dicitur, Psal. CXIII, 5 : *Oculos habent, et non videbunt.* Et ita sunt quidam qui supervacua curiositate inveniunt sibi pellicientes *oculos plenos adulterii, et incessabilis delicti*, sicut dicitur, II Petr. II, 14. Quibus Diabolus præsidet et gubernat, non habent oculos videntes : quo contradicitur Psalmus XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Oculus enim non videns, bene tamen somniat. Sic qui in morte peccati dormiunt, non vident nisi phantasias ad modicum apparentes : sed veritatem non considerant, quæ tamen clara est ante oculos eorum : sicut Ægyptii in claro lumine Sanctorum nihil penitus viderunt nisi phantasias somniantium. Sapient. XVII, 19 et 20, et XVIII, 1 : *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erant. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris. Sanctis autem tuis maxima erat lux.*

Et ideo : « *Beati oculi qui vident.* » Matth. XIII, 16 : *Vestri autem beati oculi, quia vident,et aures vestræ, quia audiunt.*

Determinans autem visum dicit :

« Quæ vos videtis, »

Sive visu interiori, sive exteriori. Visus enim exterior ordinatus est ad interiorem, et est propter illum. Et sic sensus est : Beati sunt qui sic me exterius adspiciunt, quod interius divinitatem per fidem in me ex exterioribus miraculis intelligunt. Vel e converso : Qui sic interiora divinitatis meæ intelligunt, ut eam unitam esse humanitati quam vident, credant. Ut sic exteriora ad fidem divinitatis manuducant, qui me vident exterius : et interiora visa per intellectum exterius miracula operari credantur ab eis, qui interiorem vident deitatem. Neutro enim modorum umquam visus est nisi a præsentibus, deitatem et humanitatem ejus cognoscentibus.

Et hoc est : « *Qui vident quæ vos videtis*, » interius et exterius simul adspicientes. Job, XIX, 26 et 27 : *In carne mea videbo Deum*, id est, Salvatorem *meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.* Hoc est quod dicit Joannes in I Canonica, I, 1 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris,... et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Omnes fines terræ sunt, propter quos est omnis terra : et illi sunt electi et vocati. Luc. II, 30 et 31 : *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.*

« Dico enim vobis. »

Assertio est, quod est singulare privilegium discipulorum.

« *Quia multi prophetæ*, » intus procul videndo in futurum, Eccli. XLVIII, 7 : *Spiritu magno vidit ultima : et consolatus est lugentes Sion usque in sempiternum.*

« *Et reges*, » se et alios regendo. Eccli. XLIV, 3 et 4 : *Nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, et imperantes in præsenti populo.*

« *Voluerunt videre*, » Joan. VIII, 56 : *Abraham Pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.* Voluerunt autem videre oculo corporali. Cantic. VIII, 1 : *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* Et est hoc verbum magno dictum affectu. Frater enim est in eadem carne visus : sugens ubera matris Beatæ Virginis, in cujus spiritu omnes secundum Deum fratres Christi nati sumus : quia ipsa, ut dicit Augustinus, figura est Ecclesiæ, quæ omnes nos castis progenuit visceribus. Inventus est autem foris, extra occultum

deitatis, quando *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*[1]. Ibi osculatus est, quando spiritus ejus spiritui discipulorum conjunctus est : et os doctrinæ ejus ori eorum impressum est, ut ex ore ejus loquerentur. Et ideo non est qui despicere possit istos singulari privilegio sic dignificatos. Et hoc privilegium omnis homo concupivit, qui in spiritu ista prævidere potuit. Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* Numer. XXIV, 23, in desiderio dixit miser Balaam : *Heu ! quis victurus est, quando ista faciet Deus ?*

Sic ergo oculo corporali ad interiorem ordinato voluerunt videre « *quæ vos videtis* » exterius et interius : hæc enim consummata visio. Unus intus vìdens, et non extra dixit, Tobiæ, V, 12 : *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ?* hoc est, de cœlo veniens non video. Et in persona discipulorum dicitur, Isa. LII, 8 : *Levaverunt vocem, simul laudabunt : quia oculo ad oculum videbunt, quando converterit Dominus Sion.*

« Et non viderunt. »

Et hoc est vestrum singulare privilegium. Cum enim cuperent corporali præsentia videre quem credebant, non est eis datum. Sed uni soli Simeoni, cum diu suspirasset Christi præsentiam : *Responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini*[2]. Alii autem non viderunt : et sic lugentes descenderunt in infernum : et est in eis verificatum quod dictum est Legislatori eorum Moysi, Exod. XXXIII, 23 : *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Posteriora autem sunt creaturæ et allegoriæ, in quibus Deum viderunt : sicut dicitur, ad Hebr. I, 1 : *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis.* Et, Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum.* Et, Isa. VI, 1 : *Ea quæ sub ipso erant, replebant templum,* hoc est, creaturæ, et similitudines dependentes ab ipso. Ipse invisibilis sedebat super solium excelsum ab oculis hominum, et elevatum etiam ultra omnem intellectum.

« *Et* » ideo « *non viderunt.* » Job, XXXVI, 25 : *Qui vident eum, unusquisque intuetur procul.* Non enim parvæ delectationis fuit videre Deum hominem miracula facientem.

« Et audire. »

Desideraverunt doctrinam ab ore Dei sonantem. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.*

« *Quæ* » vos « *auditis,* » scilicet verbum sonans ab ore Verbi incarnati, in spiritu verbi in aures vestras influens. Eccli. I, 8 : *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Et ideo exclamat Petrus, Joan. VI, 69 : *Verba vitæ æternæ habes.* Psal. CXL, 6 : *Audient verba mea quoniam potuerunt.* Isa. L, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.* Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.*

« Et non audierunt. »

Cum tamen in desiderio spiritus dicerent illud Canticorum, VIII, 13 : *Fac me audire vocem tuam.* Audita enim voce Redemptoris, impletum est quod dicitur in Psalmo CXVII, 15 : *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum.*

Moraliter autem ista possunt dici multis Prædicatoribus in Scriptura videntibus, et in lectione multa audientibus de

[1] Baruch, III, 38.

[2] Luc. II, 26.

Deo, quæ ipsi parum curant : et multis Doctoribus similiter, quoniam Prophetæ, monachi, et laici simplices, et sancti viri, et multi reges seipsos et alios regentes, voluerunt libenter videre per scientiam Scripturarum quæ ipsi vident, et non est eis datum : et audire vellent in lectionibus ad intellectum, quæ audiunt illi cum fastidio, et non est eis datum audire. Hi sunt qui fastidiunt manna [1], panem scilicet Angelorum. Hi sunt de quibus loquitur Osee, x, 11 : *Ephraim vitula docta diligere trituram : et ego transivi super pulchritudinem colli ejus.* Ephraim interpretatur */rugifer*, qui fructum in spiritum per scientia lectam et auditam facere deberet, conversus est in vitulam lascivientem et diligentem trituram, hoc est, corporales hujus mundi labores postposito studio spirituali. Diligunt enim discurrere, rerum temporalium sollicitudini se immiscere, et ex palcis negotiorum sæcularium granum pabuli sui, quod interim carpant, excutere : sicut in tritura. Et ideo Dominus conculcabit colli eorum pulchritudinem. Collum est, ut dicit Beatus Dionysius, continuatio corporis ad caput. Et significat mentem nostram (quæ continuat nos ad caput nostrum Christum) quam videmus in talibus conculcatam, demersam in cogitationes temulentas hujus miseriæ. Unde Gregorius in glossa ibidem super Osee dicit, quod « per vitulam il-« lam significantur desides animæ : qui-« bus nihil laborosius est, quam in hu-« jus mundi non laborare laboribus. »

25 « Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ? »

Hic per exempla confirmat quod dixit.

Et inducit duo : in quorum primo ostendit quod Deus arcana sua abscondit a sapientibus : in secundo autem ostendit qualiter revelat ea parvulis.

In primo horum duo continentur : in quorum primo cujusdam (qui sibi sapiens videbatur) proponitur de via salutis (quæ parvulis revelatur) quæstio : in secundo autem per iteratam a sapientia Dei factam quæstionem ponitur tentantis instructio et confusio.

In primo horum duo dicuntur : tentatoris descriptio, et proposita ab eo quæstio.

Descriptio tentatoris proponitur in quatuor : quorum primum est, quod inter alios magis fuit demonstrabilis : secundum, quod fuit litteraturæ specialis : tertium, quod fuit super alios majoris elationis : quartum, quod in tentando magnæ fuit dolositatis.

Primum notatur per adverbium demonstrandi, cum dicit : « *Ecce.* » Quasi inter alios demonstrabilis. Matth. xxii, 35 et 36 : *Interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in lege?*

In hoc autem quod dicitur : « *Unus,* » demonstrabilis inter alios videbatur.

« *Quidam legisperitus.* » Ecce litteratura singularis. Litteratus autem fuit in Lege et Prophetis, sicut sunt Theologi apud nos. Joan. iii, 10 : *Tu es magister in Israel.* Daniel. xiii, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.*

« *Surrexit,* » in signum majoris elationis. Superbi enim inquieti sunt, et sedentes interrogare vel respondere non possunt, quia spiritus tumoris exagitat eos. Job, xxxii, 18 : *Plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei.* Unde Ambrosius dicit, quod iste Legisperitus verba legis tenebat, et vim legis ignorabat. Matth. xxii, 29 : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

[1] Cf. Numer. xi, 6.

« *Surrexit* » ergo qui in altum superbiæ cor erexit. Job, xv, 12 et 13 : *Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones?*

« *Tentans illum.* » Ecce quam malignæ fuit in tentando dolositatis. Matth. xxii, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ?* Psal. xciv, 9 : *Tentaverunt me patres vestri.* Deuter. vi, 6 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

« *Et dicens,* » virus quod in corde suo habuit, emittens. Job, xiii, 5 : *Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.*

« Magister. »

Ecce proposita a tentatore quæstio.

In hac autem quæstione facit duo : primo enim dolose magistrum a quo quærit, profitetur : secundo quærit de merito salutis.

Dicit ergo : « *Magister.* » Magistrum vocat, ut dicit Chrysostomus, cujus non vult esse discipulus. Non autem confitetur Deum vel Dominum : quia nec colere vult ut Deum, nec servire sibi vult ut Domino, sed fingit se ab eo discere velle sicut a magistro. Similiter facit quidam, Matth. xxii, 36 : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* Et, ibidem, ℣. 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Et verum quidem dixit in eo quod vocavit eum Magistrum : Magister enim fuit doctrinæ et disciplinæ. Fuit, inquam, ipse sapientia Dei Patris. Sapient. viii, 4 : *Doctrix est enim disciplinæ Dei, et electrix operum illius.*

« Quid faciendo? »

Quærit de merito salutis, et duo notat : meritum, et præmium.

De merito quærit : « *Quid faciendo?* » Totum enim meritum in faciendo consistit principaliter, et parum in dicendo vel docendo nisi conjungatur et opus : unde, Matth. xxiii, 3, de quibusdam bene dicentibus dicitur : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere.* Joan. vi, 28 : *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Ideo dicit, Joan. x, 28 : *Et si mihi non vultis credere, operibus credite.* Jacobi, i, 25 : *Factor operis, hic beatus in facto suo erit.* Virtutis enim perfectio in opere suo est, et ad opus est virtus, ut dicit Philosophus. Apocal. xiv, 13 : *Opera enim illorum sequuntur illos.*

Et de præmio subinfert :

« Vitam æternam possidebo. »

Tria tangit in præmio, vitam, et æternitatem vitæ, et possessionem vitæ.

Vita est actus continuus divinæ vitæ in animam, vel in corpus et animam post resurrectionem. Ut (sicut sol facit diem continuis influxionibus in mundum) ita continuis influxionibus vitæ suæ Deus influat vitam secum viventibus et se participantibus. Ideo hæc vita fonti comparatur, Psal. xxxv, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ.* Apocal. vii, 17 : *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Hic est *fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei*[1].

Æternitas autem vitæ hujus causatur ab eo, quod non habet contrarium : quia jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor[2]. Et ideo in æternum vivent. Sapient. v, 16 : *Justi autem in perpetuum vivent : et apud Dominum est merces eorum.* Radix autem immortalitatis est custodia legum divinarum. Sapient. vi, 19 et 20 : *Custo-*

[1] Psal. xlv, 5.

[2] Apocal. xxi, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*, etc.

ditio legum consummatio incorruptionis est : incorruptio autem facit esse proximum Deo : sic ergo est æterna vita.

Possessio autem vitæ est ut ad nutum et votum habeatur, sicut id quod possidetur. Et ideo dicitur *hæreditas,* quia hæret inseparabiliter ad votum et ad nutum habita. Isa. LX, 21 : *Populus tuus omnes justi : in perpetuum hæreditabunt terram.* Eccli. LI, 20 : *Venter meus conturbatus est quærendo sapientiam : propterea bonam possidebo possessionem.*

Attende autem quod dicit : « *Quid faciendo vitam æternam possidebo ?* » Quia tunc temporis propter diversas sectas Judæorum, Pharisæorum, et Sadducæorum, et Essæorum, magna erat quæstio inter Doctores : quæ esset justitia Deo placens, et qua remuneratione remuneranda ? Et de hac altissima inter Judæorum Doctores quæstione iste tentabat Dominum Jesum Christum.

26 « At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quomodo legis ? »

Ecce responsio confutans tentantem per legem.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima per legem confutat tentantem : in secunda, per similitudinem inductam confutat hypocrisim ipsius.

Adhuc prima istarum duo continet : quorum unum est, quod quærendo mittit ad legem et ad legis intellectum : secundo autem accepta occasione ex lege, dicit hanc esse justitiam remunerandam.

In primo duo facit : mittit enim ad legem, et mittit ad verum legis intellectum.

Ad legem mittens dicit :

« In lege quid scriptum est ? »

Quid scriptum ? Si enim Christus respondisset per aliquam sectam, dictum ejus calumniatum fuisset. Nunc autem mittit ad legem, quæ ab omnibus sectis a Deo data esse supponebatur secundum consilium. Isa. VIII, 19 : *Numquid non populus a Deo suo requiret,* scilicet visionem, *pro vivis a mortuis ?* Ad legem magis, et ad testimonium (supple) est recurrendum, quam ad errores hominum.

Sic ergo mittens ad legem dicit : « *In lege quid scriptum est ?* » Lex enim est jus scriptum, asciscens honestum, prohibensque contrarium. Hæc enim est lex justitiæ et promissionum pro merito justitiæ. Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones.* Ex quo igitur sunt ibi præcepta justitiarum, hæreditas domus Jacob, et promissiones Israel : in lege continetur omne quod quæris.

Hic ergo, « *In lege quid scriptum est ?* » Unde simili intentione quidam de istis quæsivit, Matth. XXII, 36 : *Magister: quod est mandatum magnum in lege ?*

Quia quæris mandatum magnum de justitia magis Deo placente,

« Quomodo legis ? »

Hoc est, ad quem intellectum legis ? Quasi dicat : Multi errando legunt Scripturas eo modo quo tu legis. Docent enim traditiones hominum, et relinquunt quæ graviora sunt legis [1]. Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Tu, « *Quomodo legis ?* »

« Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua. » **27**

Hic occasione accepta ex responsis

[1] Cf. Matth. XXIII, 23.

legis, dicit illam quam lex dicit, esse justitiam quam Deus remunerat per vitam.

Sunt ergo hic duo paragraphi : unus quidem qui continet legis responsionem : secundus autem qui continet responsionis approbationem.

Primus habet duo : unum de dilectione Dei, et secundum de dilectione proximi.

De primo dicit : « *Ille,* » ut Legisperitus de sapientia glorians, promptus ad respondendum, « *dixit.* » Contra illud Jacobi, I, 19 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.*

« Diliges Dominum Deum tuum. »

Tria dicit, scilicet, diligendi modum, et quis diligendus, et quantum diligendus est.

Et modum dilectionis dicit in hoc quod dicit : « *Diliges.* » Diligere enim est ex aliis multis electum intimo amare charitatis affectu. Non enim diligeretur nisi discrete ex aliis electum. Nec ex multis eligitur, nisi omnibus vel multis præoptatum. Et hoc est in quo residet charus et intimus affectus, non in alia divisus. Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Dicit Sapientia, Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* Pulchra enim est, quæ pulchrum de omnibus eligit : et electum præ omnibus chara dilectione complectitur. Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Et iterum, ℣. 7 : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem* Dei, hoc est, multæ aliæ frigidæ et insipidæ rerum sæcularium dilectiones.

« Dominum. »

« *Dominum* » propter tria : propter altitudinem honoris, propter excellentes divitias remunerationis, propter fortitudinem redemptionis et defensionis. Hæc enim tria in se continet diffinitio Domini, quam ponit Dionysius, quod « Domi-
« nus dicit, non subditorum excessum
« tantum, sed omnium pulchrorum et
« bonorum possessionem veram, et non
« cadere vel nutare valentem fortitudi-
« nem. »

De primo, Exod. xv, 1 : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Psal. lxxviii, 9 : *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos,* Apocal. iv, 11 : *Dignus es, Domine Deus noster, accìpere gloriam et honorem, et virtutem.* Honorem, propter dignitatis altitudinem : gloriam, propter divitiarum magnitudinem : virtutem, propter fortitudinis invincibilitatem.

De divitiarum autem copia dicitur, ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Aggæi, ii, 9 et 10 : *Meum est argentum, et meum est aurum... Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ,* hoc est, sapientia et eloquentia in thesauris meis et omnis boni possessio.

De fortitudine autem redemptionis dicitur, Numer. xxiii, 22 : *Deus eduxit illum de Egypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis,* qui in gremio capitur virginis : sicut summæ fortitudinis Dominus captus est in utero Beatæ Virginis. Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.*

Sic igitur diligendus est Dominus.

« Deum. »

« *Deum* » propter tria, quæ sonat nominis expositio secundum Damascenum. Θέος enim si derivetur a θεωρέω-ῶ dicit omnia videntem : si derivetur a θεόνιζω, εῖς, sonat idem quod *incendere* vel *ardere,* quia *Deus noster ignis consumens est*[1] : si autem derivetur a θέασθαι græco, sonat idem quod *circumire,* quia ipse omnia

[1] Deuter. iv, 24.

circumit per providentiam et curam quæ creavit : videt in abscondita illuminans, penetrat in profunda intendens, et circumit omnia conservans et procurans.

Et ideo de primo, Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.* Ideo dicit Psalmus XVII, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas.*

De secundo, Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* III Reg. XVIII, 24 : *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Isa. LXII, 1 : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.*

De tertio, Sapient. VI, 8 : *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Psal. XXXIX, 18 : *Dominus sollicitus est mei.* Ideo, Matth. XXIII, 37, comparavit se gallinæ (ex custodia et sollicitudine pullorum, quæ infirmatur et vocem acuit) dicens : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?*

Sic ergo et his de causis, « *diliges Dominum Deum.* »

Sequitur :

« Tuum »

Dominum, qui te jure creationis et redemptionis possedit. Deuter. XXXII, 6 : *Dominus Pater tuus qui possedit te, et fecit, et creavit te.* Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

Vel, « *Tuus,* » qui se tibi dedit ad votum et usum. Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari eorum Deus.* Exod. III, 6 et 15 : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob :... hoc nomen mihi est in æternum.*

Sic ergo, « *Diliges Dominum Deum tuum.* »

« Ex toto corde tuo. »

Hic tangit dilectionis quantitatem juxta possibilitatem diligentis, et non secundum valorem rei dilectæ : quia secundum valorem rei dilectæ non est creatura quæ possit diligere : sed sic se diligunt ad invicem Pater et Filius et Spiritus sanctus. Hæc enim dilectio in illa quantitate incommunicabilis est creaturæ, quia infinita est. Hæc verba autem, Deuter. VI, 5, sic jacent : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Matth. etiam, XXII, 37 et 38, sic dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Et in Deuteronomio quidem non ponitur, *ex tota mente tua*, quod tamen ponunt duo Evangelistæ Matthæus et Lucas. Adhuc autem in Deuteronomio non ponuntur nisi tria in quantitate dilectionis. Et similiter Matthæus non nisi tria ponit, et tamen Lucas ponit quatuor. Et quæritur horum causa.

Ad primum autem dici potest, quod *mens* a metiendo dicta mensurat vires et fortitudinem expendendas in affectu et effectu dilectionis. Et hanc in *fortitudine* intelligendam esse vult Deuteronomius. Et ideo non ponit eam. Quia autem aliud est mens mensurans affectum, et aliud fortitudo virium exercens effectum, ideo Lucas hæc distinguit in duo. Matthæus autem mentem accipit prout viribus mensurat se in effectu : et ideo ponit *mentem*, et non *vires*. Et sic patet solutio utriusque quæsiti. Quæcumque autem, Matth. XXII, 37 et 38, notavimus super istam legem dilectionis, ibi requirantur, et conjungantur his quæ hic dicemus [1].

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matthæum, XXII, 37 et 38. Tom. XXI, editionis nostræ.

Ibi diximus quinque expositiones Augustini, Chrysostomi, Isidori, Bernardi, et nostram unam. Hic autem solum Lucam exponentes, exponemus ista secundum proprietates eorum quæ videtur sonare littera.

« *Ex toto corde tuo.* » Tria dicit : cor adhibens dilectioni, totalitatem adjungens dilectioni, et id quod nostrum est vult dari sibi.

Cor autem secundum naturam, ut dicit Basilius, fundamentum est generationis, quia in homine primo generatur, et non ex alio membro corporis, sed omnia generantur ex ipso. Cor etiam secundum omnes fons est caloris, primum mobile movens omnia, a quo omnes motus oriuntur, et ad quod referuntur. Cor etiam vitæ et spiritus est principium, sedes animæ, origo sensuum secundum Aristotelem, pyramidalis figuræ, duræ carnis : ligatum nervis et longitudinalibus a basi ipsius ad conum protractis, et transversalibus in modum retis circumductis et implexis : fundatum super basim fortem versus dorsum : in pectore tres habens concavitates plenas spiritu et sanguine : in sinistra locatum, declinans aliquantulum versus dextram majori ventriculo ipsius : et ideo in dextra plus emittit de spiritu et sanguine : propter quod calidior et mobilior est dextra pars quam sinistra.

Propter istas proprietates cor attribuendum est dilectioni. Fundamentum enim vitæ et principium sigillandum est dilectione, ut ex ipso omnia interiora quæ ex corde formantur, dilectione sigillentur. Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* In hoc fundamento (tamquam in fonte qui in medio paradisi bullit) ignis vitalis caloris custodiendus. Levit. VI, 12 : *Ignis in altari semper ardebit.* Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat,* scilicet de Jesu?

Cor est primum movens mobile movens omnia, ut ipsum charitati mancipatum, et motum dilectione, omnes alios motus informet : quia nullus motus est meritorius nisi charitate informatus, sicut dicitur, II ad Corinth. V, 14 : *Charitas Christi urget nos*, hoc est, sua vi stimulat et movet cor vitæ et spiritus principium : et sic dandum est Spiritui sancto qui est charitas principium in nobis boni spiritus et vitæ. Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat.* Ad Roman. VIII, 2 : *Lex enim spiritus vitæ liberavit me.* Glossa ibidem : « Lex spiritus vitæ est charitas, quæ ligat sicut lex. » Sicut etiam cor est sedes animæ, ita charitas est sedes et quies ipsius : unde dicitur sedere et manere Deus in amantibus, quia vita gratiæ non sedet nisi in charitate. Cantic. III, 9 et 10 : *Ferculum sibi fecit rex Salomon,* scilicet Christus, in quo sedit, et illud *media charitate constravit,* ut mollius sederet et quietius.

Sensuum origo est cor, quia quoscumque sensus non format et elicit charitas, nihil valent. Et ideo sponsus in Canticis, IV, 1 et seq., laudat sponsam ab omnibus organis sensuum : ab oculis, propter charitatem veritatis : ab auribus, propter charitatem obedientiæ : a naso, propter charitatem suavitatis : ab ore, propter charitatem dulcissimæ bonitatis : a tactu, propter charitatem soliditatis et firmitatis divinæ. Omnia enim hæc a charitate producuntur, quod clara est veritas, quod jucunda obedientia, quod suavis est suavitas Dei, quod dulcis bonitas, quod solidissima firmitas cui homo innititur semper, numquam innixa super vanitatem.

Cor pyramidalis figuræ significat infra latam charitatem in effectu circa proximum. Psal. CXVIII, 96 : *Latum mandatum tuum nimis.* Superius strictum in affectu simplici ad Deum. In signum hujus, pyramidales figuras Judas Machabæus super busta parentum erexit, docens talem parentes habuisse charitatem.

Duræ carnis est cor, et charitas duræ æmulationis est, contendens ut placeat amato. Cantic. VIII, 6 : *Dura sicut infernus æmulatio.*

Ligatura nervorum cordis optime charitati convenit, quæ est vita ligans amantem et amatum : longitudinaliter in æternum, quia numquam excidet : et latitudinaliter circulariter, ad proximum, quem undique circuit, subveniendo necessitatibus ejus propter Deum. Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Fundatio cordis in fortitudine ossium dorsi, immobilitatem significat charitatis. Ad Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi.* Quasi dicat : Nullus. Ibidem, ℣. 39 : *Nulla creatura poterit nos separare a charitate Christi, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.*

Tres concavitates cordis in pectore plenæ spiritu et sanguine, tres receptiones charitatis in quibus spiritum habet pietatis : prima est receptio summa Dei, quem præ omnibus diligit : secunda, receptio animæ suæ et animæ proximi, quas post hoc diligit : tertia, receptio sive locatio corporis sui et proximi, quod in fine diligit : et tamen omnibus exhibet pietatem. Psal. LXII, 2 : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

Cor fundit calorem et humorem charitatis et pietatis plus in dexteram : quia illis qui ad dexteram pertinent plura exhibet signa charitatis et pietatis. Ad Hebr. XIII, 16 : *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci.* Et ibidem, ℣. 1 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*

Istis ergo proprietatibus cor ad dilectionem est referendum, scilicet, ut fundata sit vita in charitate, ut omnis motus, et sensus, et cordis consistentia fiat in charitate : sicut dicitur, ad Ephes. III, 17 : *In charitate radicati et fundati.*

Augustinus autem attendens cor esse principium sensus et cogitationis, dicit cor poni pro intellectu, et dicit, « *ex toto corde diligere,* » esse ex omni intellectu sine errore tendere in veritatem. Totalitas autem cordis est, ut in eodem corde vel parte ejus non sit retrahens. Non enim potest Deus habere partem cum diabolo vel peccato. II ad Corinth. VI, 16 : *Qui consensus templo Dei cum idolis ?* Et ibidem, ℣. 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?*

« *Tuo* » autem dicit : quia sicut dicit Gregorius, « Nihil corde est fugacius, et sæpe avertitur etiam dum teneri præsumitur. » Et quia Deus non præcipit impossibile, ideo dicit : « *Tuo.* » quod enim nobis præter consensum de corde nostro elabitur, non possumus referre ad Deum. Et ideo dicimur invenire cor, quando a fugacitate ad Deum reducimur. II Reg. VII, 27 : *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Ex toto corde tuo.* »

Sequitur :

« Et ex tota anima tua. »

Hic iterum tria notanda sunt : ut scilicet anima charitati subjiciatur : et nihil de totalitate animæ dilectioni subtrahatur : et hoc quod tuum est, a te de anima non retineatur quin charitati mancipetur.

Anima autem nostra principium est et causa intellectualis vitæ et organicæ in nobis, sicut dicunt Sapientes. Hæc autem charitati mancipatur, quando vita intellectualis et organica ad charitatem refertur. Qualiter autem hoc fieri possit ostendamus. Dicit Philosophus quod « intelligere intellectualibus est esse. » Ab eadem tamen anima est vita organica tam in oculis quam in manibus quam in pedibus et aliis membris. Unde Avicenna dicit de anima humana, quod ab ipsa fluunt quædam vires non conjunctæ corpori sicut intellectus, et liberum arbitrium, et hujusmodi : et quædam conjunctæ corpori, sicut phantasia, et sensus, et hujusmodi. Et ideo anima non refertur ad charitatem, nisi et intellectus et organorum virtutes ad charitatem referantur. Hoc vult dicere Isaias, XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de*

mane vigilabo ad te. Quod enim dicit *animam*, intelligit id quod separatum est in anima, quod est causa et principium vitæ intellectualis. Quod autem dicit de *spiritu in præcordiis*, intelligit de spiritu movente præcordia et organa, quem etiam mancipavit charitati Domini.

Hujus totalitas est in anima quidem intelligentia, memoria, voluntas : in organis autem sensibilitas, et vegetabilitas. Tota igitur intellectualis vita charitati mancipatur, quando intellectus afficitur charitate lucis, memoria notitia æternitatis, et voluntas tranquillitate pacis. De primo dicitur, Sapient. VII, 10 et 11 : *Proposui pro luce habere illam... Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* De secundo, Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* De tertio, ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*

Organica autem vita suam habet totalitatem, quando omnia membra extendit ad charitatis opera : sicut dicitur, ad Roman. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem : ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* In his autem multum est corruptionis, quod nostrum non est : et in hoc transgressores non sumus si non exhibemus : quia corruptionem sentientes gemimus, scientes quod non habitat in nobis, hoc est, in carne nostra bonum [1]. Et clamamus cum Paulo [2], dicentes : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?*

Sequitur :

« Et ex omnibus viribus tuis. »

Et in hoc etiam tria tangit : vires scilicet hominis, universitatem earumdem, et id quod nostrum est in eis quod infirmitas absorptum non dejicit.

Vires autem a vi dictæ sunt robora et fortitudines. Unde etiam, Deuter. VI, 5, dicitur : *Ex tota fortitudine tua.* Vires ergo sunt robora, quæ habere possumus. Habemus autem tria, quæ vires ministrant : unum quidem est naturæ habilitas : de quo dicitur in Psalmo LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Secundum autem, exercitium virtutis quod tribuit facilitatem : de quo dicitur, Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas,* scilicet, virtutum, *sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Tertium est gratia Dei, quæ facit potentes et vincentes. Ad Philip. IV, 13 : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Hæc est igitur universitas virium.

In omnibus autem multum tollit infirmitas : et hoc ad charitatem operando referre non possumus : et ideo dicit : « *Tuis.* » Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.*

Sequitur :

« Et ex omni mente tua. »

Iterum tria dicit : mentem ad charitatem Dei referendam, totalitatem mentis, et id quod nostrum est in ea.

Mens autem (a metiendo dicta) ratio intelligitur : quæ mensurat opus, et circumstantias operis, et finem. Istæ enim mensuræ sunt necessariæ ordini charitatis, qui nullo modo est violandus. Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Iste est vir de quo dicitur, Ezechiel. XL, 3 : *Funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus.* Funiculo enim lineo (quod linum de terra oritur) mensuratur actus ad circumstantias terrenæ virtutis. Calamo autem

[1] Cf. Ad Roman. VII, 18 : *Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.*

[2] Ad Roman. VII, 29.

solidæ rectitudinis mensuratur opus ad finem intentionis, ut sic ex omni mente procedat opus ordinatæ charitatis. I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant*, scilicet in vobis. In his autem iterum per surreptionem et ignorantiam multa depereunt, quæ non potest cavere humana ignorantia. Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* Et ideo dicit : « *Tua.* »

Sic ergo dilige Deum « *ex omni mente tua.* »

Ex toto quidem *corde* dilige, ut motus vitæ ad ipsum referas : *ex tota anima*, ut intelligentiam, et voluntatem, et memoriam cum corporalibus organis ad ipsum convertas : *ex omnibus viribus*, ut nihil tibi de viribus tuis retineas, vel attribuas : *ex omni mente tua*, ut omnia ordine charitatis ordines, et nihil inordinatum relinquas. Sic enim *charitas attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* [1].

« Et proximum tuum sicut teipsum. »

Tangit duo : id quod diligendum est, et formam dilectionis.

Id quod diligendum est, est proximus. Levit. XIX, 18, sic habetur : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Et dicitur quod ibi Septuaginta habent *proximum.*

Est autem notandum quod est proximus sanguine, et est proximus beneficio largitatis vel misericordiæ.

Proximus sanguine est secundum gradum aliquem sanguinis prope vel propius conjunctus. II Reg. XIV, 11 : *Non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum.* Hic tamen videntur *proximi* dici beneficio misericordiæ et charitatis. Iste enim proximus est, qui proxime accedit in affectum. Et ille est a quo dependeo per affectus exhibitionem in charitatis beneficiis, quibus me prævenit. Et ideo dicit Chrysostomus, quod « cognatio non facit proximum, sed misericordia. » Quæ etiam misericordia secundum naturam est : nihil enim tam secundum naturam est, quam naturæ adjuvare consortem. Est autem intelligendum verbum, quod cognatio non facit proximum secundum actum proprium proximi : quia proximus secundum actum proprium et operationem proximi est qui appropiat : sicut hic dicitur, quod Samaritanus *appropians alligavit vulnera* [2]. Sæpe autem contingit quod cognati non appropiant, sed longe recedunt. Psal. XXXVII, 12 : *Qui juxta me erant, de longe steterunt.*

Dupliciter ergo dicitur *proximus* : gradu naturæ, et appropiatione beneficii.

Gradu naturæ nemo proximior quam ille, qui sine gradu conjungitur : sicut parens spiritualis, Deus principaliter, in quo, sicut dicitur, Act. XVII, 28 : *Vivimus, et movemur, et sumus.* Et post hunc parens carnalis, qui sine gradu conjungitur corpori nostro. In primo autem gradu, qui nobiscum est ex eodem, sicut frater et soror. Et sic postea secundum distantiam est aliquis propinquior et alius longinquior. Et secundum hoc cum omnes spiritualiter et secundum opus creationis et reformationis simus ex uno parente Deo, omnis homo omni homini est proximus in gradu primo. Ruth, III, 12 : *Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.*

Sed proximus secundum actum proximi principaliter proximus est : et de illo hic loquitur Dominus et Lex, quando dicit : « *Et proximum tuum sicut teipsum,* » supple, diliges.

Quod autem dicit *diliges,* in futurum extendens dilectionem, notat perseverantiam dilectionis tam ad Deum quam ad proximum. Joan. XIII, 1 : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Joan. XIV, 21 : *Ego diligam eum, et*

[1] Sapient. VIII, 1.

[2] Luc. X, 34.

manifestabo ei meipsum. Psal. XVII, 2 : *Diligam te, Domine, fortitudo mea.*

« *Proximum,* » omnem hominem, vel tibi approximantem : quia ille te prævenit beneficiis charitatis. Eccli. XXXVII, 1 : *Omnis amicus dicet : Et ego amicitiam copulavi.*

Hunc ergo diliges

« Sicut teipsum. »

Sicut autem non notat quantitatem, sed similitudinem in forma, et fine.

In forma quidem, ut ex ejusdem charitatis sinceritate diligamus eum : quia dicit Tullius in libro de *Amicitia,* quod « prima lex amicitiæ sancita est, ut pro « amicis non nisi honesta faciamus. » Et sic diligitur ex charitatis sinceritate, expulso omni fermento libidinosi amoris, vel lucrosæ dilectionis. I ad Corinth. V, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Charitas enim, sicut dicitur, I ad Corinth. XIII, 4, *non agit perperam.*

Secundum finem autem diligit *sicut seipsum,* quando et ad terminum dilectionis diligit, et ad finem.

Ad terminum : quia ad charitatis opera. Sicut enim dicit Gregorius : « Charitas magna operatur si est : si « autem desinit operari, charitas non « est. » Ideo etiam dicit, quod « probatio dilectionis exhibitio est operis. » Unde, Joan. XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* I Joan. III, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?*

Ad finem etiam eumdem, quia propter idem diligit proximum propter quod diligit seipsum : et hoc est propter salutem æternam, propter quam facit quidquid facit. Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexit populos.* Et propter quid dilexerit, subdit dicens : *Omnes sancti in manu illius sunt.* Sic diligitur in Deo amicus : et propter Deum convertendus diligitur inimicus.

Sic ergo, « *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* »

Si autem faciliter hunc passum dilectionis vellemus exponere, diceremus, quia una charitas accipitur in affectu, et accipitur in effectu. In affectu, quantitas ejus mensuratur ad Deum : et in effectu mensuratur ad proximum.

In mensura autem affectus ad Deum, qui bonorum nostrorum non indiget, mensuratur secundum duas animæ partes : motivam videlicet, et apprehensivam : sive affectivam, et intellectivam : quod idem est.

Et si mensuratur secundum partem affectivam vel motivam, non potest mensurari nisi duobus : uno, quod est sicut motum et affectum imperans : et altero, quod est sicut exsequens.

Imperans autem motum est cor, quod est omnis motus et affectus principium : et quoad hoc dicit : « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* » Proverb. IV, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procèdit,* hoc est, omnis motus vitæ.

Si autem mensuratur eo quod motum exsequitur, hoc est vires quæ ad motus charitatis exercentur et expenduntur : et sic dicit : « *Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis,* » quia vires expendit charitas. Dicit sponsa in Canticis, V, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo.*

Si autem mensuratur secundum partem apprehensivam sive intellectivam, hoc iterum contingit duobus modis : uno quidem secundum veritatis intellectum et acceptionem : et hoc est quod dicit : « *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua,* » quia non est in homine anima nisi intellectiva : sensibilis enim et vegetabilis partes sunt potentiæ et non animæ : et ideo dicit Philosophus in X *Ethicorum,* quod « homo est solus intellectus. »

Aut etiam mensuratur secundum acce-

ptæ vel intellectæ sive apprehensæ veritatis collationem : et sic dicitur : « *Diliges Dominum Deum tuum ex omni mente tua,* » quia, sicut diximus, *mens* a mensurando dicta sive metiendo, rationem supponit conferentem accepta per intellectum, et probantem quid sequatur ex acceptis : sicut dicit Apostolus, I ad Thessal. v, 21 et 22 : *Omnia probate : quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.*

Si autem mensuranda est secundum effectum, tunc dilatatur in opere ad proximum per modum qui dictus est.

Ordinatur autem ista secundum rationem : quia enim imperans est ante exsequens : ideo duo imperantia sunt ante duo exsequentia. Inter exsequentia autem id ponitur ante, quod est essentialius ad virtutem : et hoc sunt vires operantes ante mentem mensurantem. Et quia dilectio affectus est ante dilectionem effectus, ideo dilectionem Dei ponit ante dilectionem proximi. Ruth, III, 9 : *Expande pallium tuum,... quia propinquus es*, hoc est, pallium charitatis in latum propinquitatis per omnem differentiam proximi expande.

Et hæc expositio de duobus mandatis charitatis inter alias convenientior esse videtur. Tamen si hæc quæ dicta sunt hic, his quæ super Matthæum dicta sunt addantur, melius potest intelligi [1].

28 « Dixitque illi : Recte respondisti : hoc fac, et vives. »

Ecce vera salutaris justitiæ ostensio, accepta de responsis legis quæ calumniam habere non poterant.

Dicit ergo : « *Recte respondisti.* » Luc. XIX, 12 : *De ore tuo te judico, serve nequam.* Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« Hoc fac, et vives. »

« *Hoc fac,* » in opere. Jacob. I, 25 : *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis,... non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit.* Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi.*

« *Fac* » ergo in merito sicut legis et intelligis, « *et vives* » possessione vitæ æternæ. Et ideo consignificat in verbo vivendi tempus futurum, cujus nullus est finis. Ad Roman. VIII, 13 : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Spiritus autem quo facta carnis mortificantur, spiritus est charitatis : quia in hoc est verum quod dicitur, Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Iste calor charitatis est, quo calefacta est caro pueri (quando se super eum expandit Propheta magnus, potens in opere et sermone) et morte fugata revixit. Quomodo enim non vivet, in quo continue spirat spiritus vitæ? Charitas autem est spiritus vitæ, quia Spiritus sanctus est. Ad Roman. VIII, 2 : *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Quod de charitate exponit Glossa, ibidem.

« Ille autem volens justificare se- **29**
ipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus? »

Hic tangitur convictio hypocrisis ejusdem tentatoris, qui ante de malitia tentationis convictus est.

Dividitur autem in quatuor partes : in quarum prima continetur quærentis simulatio : in secunda, simulatoris in parabolica similitudine instructio : in tertia, instructi per parabolam inquisitio : in quarta, per occasionem acceptam ex responsis ipsius confutatio.

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matthæum, XXII, 37 et 38. Tom. XXI hujusce novæ editionis.

[2] Cf. IV Regum, IV, 34.

De primo autem dicit duo : simulationem, et simulatoris, ut se occultet quæstionem.

De simulatione dicit : « *Ille autem volens justificare seipsum,* » hoc est, justum ostendere, putans se coram homine et non coram Deo stare. Et ideo, Matth. XXIII, 27, dicit Dominus, quod ipse et similes sui similes sunt sepulcris dealbatis, quæ a foris videntur hominibus speciosa, intrinsecus autem sunt plena spurcitia et omni immunditia. Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Contra quod dicit Daniel, IX, 18 : *Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

« *Dixit ad Jesum,* » de quo dicitur, Joan. II, 25, quod *opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine.*

« Et quis est meus proximus ? »

Aut enim iste nescivit quis esset proximus in opere et actu proximi : aut scivit, sed finxit se nescire. Si nescivit, tunc non ad intellectum legis legit legem. Et sic dicit Glossa quædam, quod Legisperitus ut sapienter respondisse dicatur, primum se legis fatetur ignorare mandatum : quia humiliari recusans, et seipsum justificare volens, arcana non potest videre quæ revelantur parvulis Christi. Cui Dominus ita responsum temperat, ut omnis qui misericordiam facit, proximus esse intelligatur. Specialiter ipse Dei Filius, qui nobis per humanitatem proximus esse designatur ex factis. Si autem scivit quis erat proximus, tunc simulator fuit. Et hoc verius videtur esse secundum litteram, quæ dicit quod voluit justificare seipsum : quia aliquo modo potest ignorare aliquis cognationem proximi, et negare : ideo quod forte per actum se elongat et operationem. Job, XIX, 14 : *Dereliquerunt me propinqui mei : et qui me noverant, obliti sunt mei.* Sed nullus potest ignorare eum qui secundum actum et opus appropinquat : quia asinus nec bos illum ignorat. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui.* Et ideo pro multa ingratitudine, quæ fuit in isto ad omnes beneficos suos : et pro multa simulatione sua motus Dominus fuit.

Et hoc est quod sequitur :

« Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. » 30

« *Suspiciens*[1] *autem Jesus* » in cœlum, pro multa hominis ingratitudine et simulatione : ostendens in sua in cœlum adspectione, quantum peccaret sic simulando, et ingratitudinis vitio : ita suspiciens in cœlum in morte Lazari, ostendens quam profunde eum mors absorbuerat. Joan. XI, 41 : *Jesus autem elevatis sursum oculis.*

« *Dixit.* » Hic autem incipit per similitudinem parabolica instructio. Utrum autem istud ad litteram factum sit sicut hic narratur, an per similitudinem ita aptatum sit, responsione non est determinatum : et ideo sub dubio relnquitur : quia si ita non fuit, tamen sic esse potuit. Et probabilius est quod ita sicut

[1] Vulgata habet *suscipiens*, non *suspiciens*. « *Suscipiens*, ut dicit D. Fillion, expression solennelle pour introduire la parabole. Ὑπολαβών, dont elle est la traduction littérale, ne se trouve qu'en ce passage du Nouveau Testament : mais les classiques emploient souvent ce verbe dans le sens de « répondre. »

narratur acciderit : quia adhuc desertum quoddam interjacet inter Jerusalem et Jericho, ubi multi transeuntes periclitantur.

Dividitur autem ista similitudo in tria : in quorum primo de periculo agitur sauciati : in secundo autem de duritia et immisericordia eorum qui videbantur esse proximi : in tertio, de misericordia ejus secundum operationem et actum proximi, licet secundum cognationem esset longinquus et alienus.

In primo autem horum quatuor determinantur : via scilicet hominis in periculum incidentis, ministerium periculi, perpetratio sceleris, et crudelis abjectio et derelictio semivivi.

Quatuor autem dicit circa primum : naturam scilicet periclitati sub metaphora, causam periculi a quo recessit, urbem quam reliquit, et in quam tendebat cum periclitari incepit.

De primo dicit :

« Homo. »

Adam *homo* interpretatur, et genus humanum significat : quia omnis homo in natura est Adam, ut dicit Anselmus.

« *Quidam* » autem dicitur in ratione dignitatis, in qua singulare antequam caderet habuit privilegium. Genes. III, 22 : *Ecce Adam*, sive homo, *quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Genes. v, 2 : *Vocavit nomen ejus Adam*, hoc est, homo. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Omnis quidem homo in natura : quilibet autem peccans homo in persona, significatur in hac similitudine.

« Descendebat. »

Ecce causa periculi sub metaphora significata. Descensus enim est in peccatum inclinatio : in quo a gratia Dei, et a dignitate naturæ, et a custodia Angelorum descenditur. Isa. LII, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi.* Descensio ista inclinationem significat hominis in peccatum ad regionem, quæ mortis, mœroris, et tenebrarum est plena.

Dicit autem : « *Descendebat,* » a præterito in præsens continuans descensiones suas, sicut gravis corde. Psal. IV, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Semper enim deorsum tendit, qui cor suum gravat per peccatum : quia, sicut dicitur, Zachar. v, 7 et 8, iniquitas sedet super talentum plumbi [1].

Dicit autem quid reliquit :

« Ab Jerusalem, »

Ad litteram. Sed figurative intelligit illam, *quæ sursum est Jerusalem, quæ libera est, quæ est mater nostra* [2] : quæ nomine et interpretatione *visio æternæ et internæ pacis* interpretatur, ubi nullæ latronum insidiæ : ubi, sicut dicitur, Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus Domini in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.*

Ab ista descendit, quando peccato consensum dedit,

« In Jericho, »

Quæ interpretatur *luna* vel *defectus* : quia sicut dicitur, Eccli. XXVII, 12 : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.* Et ex hoc,in defectus omnes quos patitur incidit. Psal. XXX, 11 : *Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea.* In intellectu igitur et sensu menstruis defectibus subjacuit ut luna : in omni-

[1] Zachar. v, 7 et 8: *Et ecce talentum plumbi portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas*, etc.

[2] Ad Galat. IV, 26.

bus autem aliis defecit in infirmitatibus ad bonum ex paupertate spoliorum, quam incidit ex quo spoliatus fuit.

« Et incidit in latrones. »

Tangit in ministerio periculorum primum auctores sceleris, dicens : « *Incidit in latrones.* »

Et bene dicit : « *Incidit,* » quia nemo ex intentione vult peccatum : cum peccatum, sicut dicit Dionysius, sit involuntarium et præter intentionem, incausale, infœcundum, et pigrum. Et ideo dicit Augustinus quod « peccatum est actus incidens ex defectu boni. »

Et ideo, « *incidit,* » quia licet ex intentione in commutabili bono delectari vellet, tamen ex intentione abstrahi ab incommutabili bono non intendit : sed hoc incidit, quia frui volebat utendis. Et sicut dicit Beatus Bernardus : « Ne« mo simul sapere potest quæ sursum « sunt, et quæ super terram [1]. »

Sic ergo incidit « *in latrones.* » Ecce ministri sceleris. *Latro* autem est aperte spolians. *Fur* autem a furno, quod nigrum, dictus est, qui clam insidiatur. Latro autem est diabolus aperte tentans : et fur, quando occulte insidiatur. Abdiæ, ℣. 5 : *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Latro enim et fur jus non habent, sed invito domino contrectant ea quæ auferunt. Ita diabolus jus non habuit in homine, sed spolia contrectavit malitiosa voluntate, et Dei permissione. Joan. x, 1 : *Qui ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Osee, vii, 1 : *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.*

In tales ergo incidit latrones.

« Qui etiam despoliaverunt eum. »

Ecce sceleris ministerium duplex. Despoliaverunt autem eum gratuitis, auferentes salutis habitum, de quo dicitur, Isa. lxi, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis : et indumento justitiæ circumdedit me.* Sic fratres Joseph exuerunt Joseph tunicam polymitam, quam fecerat ei pater suus. Gratiam enim et virtutes perdit homo, quando diabolo suadente et præcipitante cadit in peccatum.

« Et plagis impositis, »

Quia in naturalibus bonis vulnera gravissima intulerunt. Naturale enim bonum est in ordine cordis ad bonum cognoscendum, credendum, volendum, operandum, consequendum, et retinendum : quod qualiter vulneratum sit, patet omnibus qui niti voluerint ad bonum, et difficultatem sentiunt in his quæ dicta sunt, Isa. i, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Quia neque ligata ligamentis præceptorum, nec curata medicamine sacramentorum, neque fota oleo misericordiæ ministrorum et compassionum. Job, xvi, 15 : *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Quia peccato post peccatum continuo vulneratur naturale bonum.

« Abierunt, »

Per dissimulationem ad tempus, non tamen cessantes ab insidiis ante mortem. Psal. x secund. Hebræos, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Divites sunt Dæmones multos spoliantes.

« Semivivo relicto, »

Quia mortuus fuit, vita gratiæ per culpam privatus, et in vita naturæ profunde vulneratus, solam imaginem in qua creatus est retinens. Psal. xxxviii, 7 : *In imagine pertransit homo.* Job, xix, 9 et 10 :

[1] Ad Coloss. iii, 2.

[2] Cf. Genes. xxxvii, 23.

Spoliavit me gloria mea, et abstulit coronam de capite meo. Destruxit me undique, et pereo. Gloria enim conscientiæ in gratiæ perditione spoliatur : corona lapidum pretiosorum perditur in ornatu virtutum : destruitur homo undique in habitu naturalium bonorum : et sic volutatur de peccato in peccatum, et perit.

31 « Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : et viso illo, præterivit. »

Hic tangit similitudinem propinquorum secundum opus et actum proximi non appropinquantium.

Et habet duas partes secundum duo genera propinquorum non appropinquantium.

Tangit autem tria : debitum appropinquandi, inexcusabilitatem, et appropinquationis dissimulationem.

De primo dicit : « *Accidit autem :* » quia etiam quod sacerdos infirmitate in manus latronum cadit, accidit et præter intentionem fit : ut dicitur, ad Hebr. v, 2 et 3 : *Quoniam et ipse Pontifex circumdatus est infirmitate : et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.*

« Ut sacerdos quidam, »

Legis veteris habens sacerdotium. Psal. xcviii, 6 : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Et in hoc notatur debitum : quia sacerdotis officium est subvenire infirmis, et impendere curam. Quia, sicut dicitur, Levit. xiv, per decursum, et xvi, 6 : ad Hebr. v, 3 et vii, 27, sacerdos offerre habet pro populo, et orare, et curare infirmitates populi et immunditias.

« Descenderet, »

Scilicet per tentationem. Ut, sicut dicitur, ad Hebr. v, 8, ex his quæ ipse passus esset, disceret compassionem [1].

« *Eadem via,* » ut sit inexcusabilis, quod non invenit eum : modo autem saucium invenit,

« Et viso eo, »

Non compassionis oculo, sed potius claudens viscera sua ab eo : quamvis esset loco compatriota, ordine pater, genere frater, viso tamen eo duro oculo. Job, xxx, 21 : *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.*

« Præterivit, »

Nihil subventionis et misericordiæ impendens. Thren. iv, 3 : *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.* Crudelitas enim struthionis est quam determinat Job, xxxix, 16, quia *duratur ad filios suos quasi non sint sui.* Et sic sacerdotium veteris legis, in quo lex statum habuit, sauciato homini nullam curam vel misericordiam impendit.

« Similiter autem et levita, cum esset secus locum et videret eum, pertransiit. » 32

Tangit hic similiter tria : debitum curandi, inexcusabilitatem, et curationis subtractionem.

Dicit igitur : « *Similiter*, simili de causa : quia gratiam nullam contulit, sicut nec sacerdotium vel lex. Quia sicut prætereunte aliquo, qui curam sauciato non impedit, augetur dolor sauciati et gemitus et non minuitur : ita lex et sacerdotium subintraverunt ut abundaret delictum, ex hoc quod delictum indicave-

[1] Ad Hebr. v, 8 et 9 : *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam : et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

runt et non curaverunt [1]. Multi autem etiam nostrorum sacerdotum non curant sauciatos in peccatis, sed paucula illa (quæ a dæmonibus relicta sunt) temporalia tollunt : et peccatorum vulnera non curant per sinceram sacramentorum exhibitionem. Job, XXIV, 7 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Et sic faciunt domini in defendendo, advocati in patrocinando, medici in curando : et quilibet ad alterum est in affectu exactoris et latronis. Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Jerem. VI, 13 : *A minore quippe usque ad majorem, omnes avaritiæ student.*

« Et Levita. »

Levita hic ab officio Levitæ dicitur, qui minoris ordinis existens sacerdoti obsequitur. Et allegorice quidem cuneum significat Prophetarum, qui licet limpidis oculis saucium viderit, tamen nec curavit nec curare potuit, sed verum ejus curatorem indicavit. Moraliter autem quilibet ordinis inferioris curam et misericordiam non impendens, sed lucrum intendens per Levitam significatur : et maxime illi qui curam sauciorum susceperunt, sicut Prælati et Judices Ecclesiarum. Mich. II, 1 et 2 : *Contra Deum est manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt.* Isa. V, 23 : *Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam aufertis ab eo.* Significantur autem et illi qui dissimulant adjuvare, cum debeant et possunt. Omnes enim isti de crudelitate arguuntur.

« Cum esset secus locum, »

Scilicet propinquus. Secus autem locum seu viam esse, significat rationem vicinitatis et propinquitatis ex patria, et cognatione, et ordine. Psal. XXXVII, 12 : *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.*

« Et videret eum, »

Ut sit inexcusabilis. Matth. XXV, 43 : *Infirmus fui,... et non visitastis me.*

« *Præterivit.* » Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum ? Super me continuerunt se.*

Similem fere in omnibus historiam narrat Alexandro Aristoteles in libro I de *Regimine Dominorum*, de Judæo et Gentili, præcipiens Alexandro ne umquam confidat de Judæo. Est autem hæc historia : Judæus et Gentilis iter fecerunt per desertum : Judæus pede, et Gentilis in jumento subvectus. Cum autem Judæus deficeret, Gentilis cibavit eum, et de utribus suis potavit. Itinerantes autem ab invicem quæsiverunt quibus legibus uterentur. Gentilis dixit suam esse legem, omnibus hominibus fidem tenere, beneficia impendere, misericordiam exhibere. Econtra Judæus dixit suam esse legem, nulli fidem tenere nisi contribuli, nulli grates pro beneficiis exhibere nisi suæ esset legis, nulli etiam misericordiam facere nisi carni suæ. Tandem lassato Judæo positus est a Gentili in jumento cum esculento et poculento, qui statim abegit jumentum cum necessariis, dimisso Gentili in periculis deserti. Sed ultor iniquitatum Deus misit bestiam contra Judæum, quæ dejectum de jumento prostravit et debilitavit : et sic Gentilis in jumento repositus, a periculis deserti salvatus est. Cum autem improperaret Gentilis Judæo cur ingratus beneficiis, malum pro bono reddere voluisset, in excusationem prætendit legem, dicens : Hoc esse suæ legis, quod alienigenis mala essent impendenda, etiam si beneficia essent recepta ab eis : contra quod dicit Apostolus, ad

[1] Cf. ad Roman. V, 20.

Roman. XII, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* I ad Corinth. X, 32 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesia Dei.*

33 « Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est.

34 Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, et vinum : et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. »

Hic ostendit qualiter alienigena, secundum opus et actum proximi appropians, proximior efficitur, quam cujuscumque ordinis vel gradus cognatus.

Dicit autem duo : scilicet, qualiter misericordia motus appropinquavit, et qualiter curam misericorditer impendit et beneficia.

In primo sex continentur : quorum primum descriptio est patriæ, quia alienigena fuit : eo quod vulneratus erat Jerosolymitanus, et iste Samaritanus. Secundum, quod eodem itinere ambulavit. Tertium, quod passu cordis et corporis ad eum venit, non pertransiens sicut alii duo fecerant. Quartum, quod nuntio pietatis oculo vulnera ejus respexit. Quintum, quod misericordia intus motus visceribus pietatis est affectus. Sextum, quod congemens doloribus ejus, ad ipsum per compassionem appropinquavit.

Dicit igitur : « *Samaritanus quidam.* » Congruum nomen patriæ accepit : quia Samaritanus *custos* interpretatur, qui sui custos et aliorum nihil non custoditum relinqueret. Sui enim custos est qui seipsum intra terminos humanæ pietatis et virtutis custodit. Et qui hoc non facit in canem vel asinum vel aliam bestiam transformatus perditur. Psal. XLVIII, 13, 21 : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Deuter. IV, 9 : *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.* Alios etiam custodit sibi commissos : quia hic custos Jesus Christus est, et ejus sequaces. Joan. XVII, 12 : *Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Psal. CXXVI, 1 : *Nisi Dominus custodierit civitatem,* etc. Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*

« Iter faciens. »

Transit enim talis custos, frequenter visitans et quærens cui miserationum impendat beneficia. Hoc optime significatum est, Tob. V, 7 et 8 : *Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum ? Cui respondit : Novi : et omnia itinera ejus frequenter ambulavi,* etc. Medi enim *mensurantes* interpretantur vel *adæquantes* : et significant misericordia plenos, qui semper commensurant et adæquant se miseris. Rages autem interpretatur *ægrotatio.* Viam enim quæ ducit ad ægrotos noverunt, et omnia itinera illa secundum diversitates pauperum et infirmorum frequenter ambulant.

Tertium est, quia

« Venit secus eum, »

Quia in eadem via ponit se per compassionem, in qua infirmus est per passionem. II ad Corinth. XI,29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ?* Job, XXX, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

« Et videns eum. »

Ecce quartum, quod nuntio pietatis oculo vulnera ejus respexit. Thren. I, 20 : *Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.* Psal. XXIV, 16 : *Re-*

spice in me, et miserere mei. Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei, et clamorem ejus audivi.*

« Misericordia motus est. »

Ecce quintum, quod misericordia intus motus est. Jerem. XXXI, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum : miserans miserebor ejus.* Osee, XI, 8 : *Conversum est in me cor meum : pariter turbata est pœnitudo mea.*

« Et appropians. »

Ecce sextum, quod per miserationes appropinquavit. Psal. XXXIII, 19 : *Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde : et humiles spiritu salvabit.* Deuter. IV, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Sic amici Job appropinquabant sibi, Job, II, 11 : *Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, et consolarentur.* Sic enim oportet, quod appropinquet consolator consolando : ut prius compatiendo condescendat, et condescendens afflicto congemat, congemens inhæreat, et inhærens ad consolationem trahat.

« Alligavit vulnera ejus. »

Hic ostendit qualiter beneficium et curam vulnerato impendit.

Dicit autem septem quæ vulnerato impendit beneficia, scilicet alligationis, lenificationis, depurgationis, subvectionis, hospitalitatis, curationis, expensarum exhibitionis.

De primo dicit : « *Alligavit vulnera ejus.* » Vulnera sunt aperturæ plagarum peccatorum, quæ plagæ sunt apertæ quamdiu consensu et actu et consuetudine dividunt integritatem naturalis boni animæ. Isa. I, 6 : *Vulnus et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Hæc vulnera iste custos alligavit, constringendo ea institis et restibus præceptorum et consiliorum divinorum. Psal. CXLVI, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Eccli. VI, 26 : *Ne acedieris vinculis ejus.* Et infra parum, ℣. 31 : *Et vincula illius alligatura salutaris.*

« Infundens oleum. »

Ecce beneficium mitigationis. Oleum enim lenitivum est. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Et oleum unctionem significat gratiæ sacramentalis. Eccli. XXXVIII, 7 : *In his curans mitigabit dolorem : et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* Gratia enim sacramentalis partem pœnæ tollens, mitigat acerbitatem doloris.

« Et vinum. »

Ecce beneficium purificationis. Vinum enim mordacitate sua purificat vulnera, tollens et lavans si quid est in eis putredinis. Psal. LIX, 5 : *Potasti nos vino compunctionis.* Genes. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.* Stola dicitur a Græco στόλον [1], quod sonat latine *longum* : et significat stola vitam corporis hujus, quæ sæpe secundum totam longitudinem juventutis usque ad senectam vulnerata est, et vino compunctionis lavanda. Pallium autem amictus animæ est et spiritualiter conversationis in corde et verbis, quæ similiter lavanda sunt vino pœnæ et compunctionis, dicendo : *Asperges me hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor* [2].

[1] Melius, στόλος, ου, *iter, militia,* etc.

[2] Psal. L, 9.

« Et imponens illum in jumentum suum. »

Ecce beneficium subvectionis. Jumentum enim dicitur quasi juvamentum, quia juvat ad laborem : et significat oneris supportationem, qua infirmorum onera supportamus, ut melius ferant onus pœnitentiæ. Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum.* Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad Roman. XV, 1 et 2 : *Debemus autem nos firmiores onera infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.*

« Duxit in stabulum. »

Ecce beneficium hospitalitatis. Stabulum a stando dicitur, et significat Ecclesiam in quam pœnitens introducitur pro reconciliatione. Vel, significat domum, in quam introducitur pauper infirmus. Job, XXXI, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Isa. LVIII, 7 : *Egenos vagosque induc in domum tuam.* Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« Et curam ejus egit. »

Ecce beneficium curationis, quia nihil aliud est nisi adhibere sollicitudinem, ut cum effectu sublevetur necessitas indigentis : sic enim curatur et sanatur infirmus. Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee.* Psal. LIX, 4 : *Sana contritiones ejus, quia commota est.*

35 « Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. »

Et dicit quatuor : expensarum prolationem, hilarem donationem, fidelem ægroti apud stabularium commissionem, et supererogationis solvendæ promissionem.

In primo horum adhuc tria notantur : quorum unum est Samaritani apud ægrotum morosa mansio : secundum, temporis ad recessum determinatio : tertium est quod supra dictum est, expensarum prolatio.

De primo nota quod ab inventione ægroti Samaritanus uno die permansit : quia posteaquam vulnera ligata sunt, in uno die videtur de infirmi desperatione, vel convalescentia. Quia si non adjunguntur sibi partes vulnerum sed spasmantur, desperationis signum est. Si autem fovetur vulnus et adjungitur, spes est convalescentiæ. Et est opus misericordiæ mansio apud ægrotos donec emendentur. Job, II, 13 : *Sederunt coram Job* dolente *septem diebus, et septem noctibus.* E contra de subito se abstrahentibus a consolatione, dicitur, Osee, VI, 4 : *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et quasi ros mane pertransiens.* Nubes enim matutina statim sole orto recedit, et ros exsiccatur subito.

Determinatio autem temporis est, quod dicit : « *Altera die,* » et hujus causa litteralis jam dicta est. Allegorice autem, altera dies Samaritani nostri veri custodis Christi est altera lux ejus : quia primo die fuit nobiscum vulnera nostra ligans in luce gratiæ. Altera die in luce gloriæ recessit a nobis parare nobis locum. Joan. XIV, 2 et 3 : *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et paravero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum.* Judicum, XIX, 6 : *Quæso te hodie hic maneas, pariterque lætemur.*

« *Altera* ergo *die,* » hoc est, altera luce surgentis auroræ et novæ sanitatis in vulnerato, et novæ gloriæ in Samaritano,

« Protulit duos denarios. »

Ecce expensarum impendendarum prolatio. Duo autem denarii duo sunt Testamenta, imagine summi regis impressa : vel sunt textus, et fidelis interpretatio : vel sunt mandata, et consilia : vel sunt gratia sacramentalis, et virtus. Hæc significantur per duo æra minuta, Luc. XXI, 2, et Marc. XII, 42, quæ vidua in gazophylacium obtulit. Dicuntur autem *minuta* propter humilitatem, quamvis magna sint ad omnem abundantiam impensarum faciendarum. Vel forte sunt duo mandata charitatis. Matth. XXII, 37-41 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc... *Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ.*

Denarius decem valet usuales. Quodlibet enim istorum decem implet mandata decalogi. Ad Roman. XIII, 8 : *Qui diligit proximum, legem implevit.*

« Et dedit stabulario. »

Stabularius est plebanus vel prælatus, qui expensis sibi dimissis vulneratum procurare tenetur. Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.* Dedit autem, non mutavit, nec vendidit. Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. XXIV, 45, et Luc. XII, 42 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ?*

« Et ait : Curam illius habe. »

Ecce sollicitudinis commissio. III Reg. XX, 39 : *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Genes. XLIII, 9 : *Ego suscipio puerum : de manu mea require illum.* Proverb. XI, 30 : *Qui suscipit animas, sapiens est.*

« Et quodcumque supererogaveris. »

Ecce supererogationis solvendæ promissio. Supererogatur autem in sermone, in potestate, in opere, in debito.

In sermone doctrinæ supererogatur, quando expositiones bonæ et fideles verbis Domini adduntur. Daniel. XII, 4 : *Plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia.* Hæc est usura, cum qua recipere vult Dominus commissa servo fideli talenta [1]. Proverb. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicitur in populis : benedictio autem super caput vendentium.*

In potestate supererogatur, quando aliquis potestate sibi concessa non utitur propter Deum : sicut dicitur, I ad Corinth. IX, 14 et 15 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Gratis enim prædicavit, victum labore manuum acquirens.

In opere autem supererogat, qui cum non teneatur nisi ad præcepta, implet etiam consilia, vel omnia, vel quædam. I ad Corinth. VII, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.*

In debito supererogat, qui debitis aliquid addit : sicut a viris devotis orationes votivæ adduntur horis canonicis et statutis. Psal. CXVIII, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.*

« Ego cum rediero reddam tibi. »

Vel in morte uniuscujusque, quando redit ad judicium particulare : vel in resurrectione communi, quando ad universale redierit judicium. Act. I, 11 : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum eun-*

[1] Cf. Matth. XXV, 27.

tem in cœlum. Matth. xxvi, 64 : *Amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus.* Apocal. i, 7 : *Ecce venit cum nubibus : et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

36 « Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ?

37 At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. »

Hic quærit judicium convictionis ex ipso tentatore.

Et conficitur ex tribus : ex quæstione ad veritatem dicendam obligante, ex veritatis responsione, et ex conclusa in tentante convictione.

De primo dicit : « *Quis horum trium,* » quorum primi duo sunt compatriotæ et contribules : et ex ordine spirituales patres et procuratores. Tertius autem alienigena, cui non coutebatur Jerosolymitanus, tamen secundum actum et opus proximi approximans.

« *Videtur tibi,* » judicio rectæ rationis, « *proximus,* » secundum actum et opus proximi, « *fuisse illi* » misero « *qui incidit in latrones.* » Job, vi, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id quod justum est, judicate.*

« At ille dixit. »

Ecce convicta responsio veritatis, quam libenter iste dissimulasset si potuisset.

« Qui fecit misericordiam in illum. »

Quia alii quamvis sint carne proximi, tamen quia omnis res quando proprio et sibi essentiali opere destituitur, tunc etiam cadit a nomine et nominis ratione, et non habet nomen nisi secundum quid. Psal. xxxvii, 12 : *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Jerem. xx, 10 : *Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu : Persequimini, et persequamur eum : ab omnibus viris qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum.* Unde tales cadunt a ratione proximi. Psal. lxi, 5 : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Sed qui facit misericordiam appropinquando opere proximi, proximus efficitur. Proverb. xi, 17 : *Benefacit animæ suæ vir misericors : qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.*

« Et ait illi Jesus : Vade. »

Ecce in tentante conclusa convictio.

« *Vade,* » potius profectu virtutis, quam passu pedis. Iste enim videtur numquam misericordiam fecisse, qui in se non est expertus, quantum per compassionem cordis appropinquatur misero.

Dicit ergo tali : « *Vade,* » cordis compassione. Eccli. xvii, 25 : *In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo.* Matth. ix, 13 : *Euntes discite quid est : Misericordiam volo et non sacrificium.*

« Et tu fac similiter. »

« *Et tu,* » magister in Israel, disce a Samaritano. Joan. iii, 10 : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ?*

« *Fac similiter.* » Non doceas tantum sicut Legisdoctor et Scriba, sed ad opus convertere.

« *Et fac.* » Ideo enim, Levit. i, 15, præcipitur os turturis in sacrificio ad ascellas retorqueri, ut os doctrinæ verbi ad opus retorqueatur. Quod in alio cognoscis esse verum, hoc sine dissimulatione facias in teipso : alioquin dicetur tibi illud Apostoli, ad Roman. ii, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces ?* Luc. iv, 32 : *Dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura te ipsum.* II ad Timoth.

II, 15 : *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis :* ut scilicet, fideliter sentias, et efficaciter facias quod doces.

38 « Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum. »

Hic ostenditur qualiter Deus arcana sua revelat parvulis, sicut patuit in divisione superius inducta.

Glossa tamen hanc historiam præcedenti continuans dicit, quod habito sermone de dilectione Dei et proximi, supponit exemplum utriusque dilectionis, non tam in solo sermone quam in operis exhibitione. Per istas enim duas sorores duæ vitæ significantur spirituales : per Martham actuosa devotio, qua proximo in charitate sociamur : per Mariam religiosa mentis intentio Dei verbo, qua in amore Dei suspiramus. Et quodcumque qui vult, dicere poterit : primum tamen melius est quoad historiæ inductionem : secundum autem litteræ dicit continuationem.

Unde sicut in præcedenti historia per quæstionem tentatoris arcana Dei ostenduntur esse abscondita ei qui se sapientem esse putabat, et quod vix parva rudimenta per similitudinem parabolicam intellexit : ita hic per duarum sororum opera studiosa, et per querelam inde exortam datur intelligi istis tamquam parvulis arcana esse revelata : et quæ in arcanis Dei sint quidem bona ad vitam, sed desitura : et quæ sint in vita sic agenda, quod numquam sunt desitura.

Tanguntur ergo hic tria : in quorum primo utriusque sororis in bona vita ponitur exercitium : in secundo, unius sororis de altera ponitur interpellatio apud Deum : in tertio, hujus quæstionis diffinitio ostenditur per Domini responsum.

In primo horum tria continentur : quorum primum est in domo, in qua utraque soror est, dominica receptio : in secundo, Mariæ continetur otium et contemplatio : in tertio, Marthæ continetur ministerium et occupatio.

In horum primo continentur quatuor : in quorum primo attenditur Domini circa salutem nostram transitus et diligentia : in secundo, loci ad hoc convenientia : in tertio, pietatis et hospitii honestatis quam discipulos docuit congruentia : in quarto, ex sorore recipientis notatur honesta familiæ sufficientia.

De primo dicit :

« Factum est autem, »

Secundum præfinitionem consilii divini. Sicut filii Israel ad motum columnæ ignis et nubis movebantur, ita cum discipulis fecit Dominus ad præfinitionem consilii divini ; quod sicut nubes refrigerabat, et sicut ignis intellectum illuminabat, et affectum accendebat : sicut dicitur, Numer. IX, 16.

« Dum irent, »

Dominus et discipuli quærendo salutem hominum. Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo, et psalmum dicam Domino.* Allegorice tamen, dum Pater, Filius et Spiritus sanctus, et Angelorum præsidia et ministeria ibant tunc ad nos, per hoc iter venit ad nos Dominus de cœlo profectus. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Cantic. IV, 6 : *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris.* Mons enim myrrhæ, propter amaritudinem sollicitudinis in officio Marthæ : collis thuris, in devotione Mariæ.

Dum ergo sic irent Salvator et ministri salutis,

« Et ipse intravit in quoddam castéllum. »

« *Et ipse,* » sicut discipulis præceperat, ut inquirerent quis esset dignus in civitate [1].

Et sic tale inveniens hospitium, « *intravit in quoddam castellum.* » Ad litteram, in Bethaniam : et hoc est planum.

Allegorice autem hic notantur tria : introitus mirabilis, dignitas receptaculi singularis, et munitio invincibilis. Introitus mirabilis in uterum beatæ Virginis : dignitas singularis in beatitudine matris Virginis : munitio invincibilis in virtute tantæ sanctificationis. Introitus est porta clausa. Ezechiel. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit, non aperietur :... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Hæc est porta orientalis, per quam ingressus est ille, cui nomen Oriens, Zachar. VI, 12, quia subter ipsum semper orietur lumen indeficiens. Sic intravit, quando sicut dicitur, Luc. I, 78 : *Visitavit nos oriens ex alto.*

« In quoddam. »

Ecce dignitas singularis in terra et in cœlo.

In terra, in omnibus generationibus quibus Redemptorem protulit. Luc. I, 48 : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes,* scilicet inter omnes mulieres, quibus primam dignitatem per Hevam amissam reddidit. Luc. I, 42 : *Benedicta tu inter mulieres.* Inter virgines, quarum sterilitatis opprobrium abstulit. Proverb. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

In cœlis autem : quia cœlibatum prima Deo devovit : quia regno cœlorum integritatem reddidit : et quia ut illuminatrix in cœlis etiam mirabili lumine totam cœlestem curiam sua luce venustavit.

De primo, Luc. I, 34 : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?* hoc est, non cogniturum propono. Hæc est arca Dei visa in templo Dei [2], intus fulgens auro cordis munditiæ, extra circumtecta corporis virginei fulgore [3].

De secundo, Luc. XV, 8 : *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat ?* Mulier hæc est beata Virgo, habens in se omnem imaginem, novem beatitudinibus Angelorum, et una beatitudine hominis insignitam. Perdita est una culpa parentum. Ipsa autem accensa lucerna flammæ deitatis in testa humanitatis, evertit totam domum, suprema infimis in utero suo sociando, nova veteribus commiscendo, æterna temporalibus ingerendo, incorruptibilia mortalibus uniendo, pretiosa vilibus imponendo : et sic quæsivit diligenter,donec drachmam perditam invenit, et regnum cœlorum reintegravit.

De tertio dicitur, Apocal. XII, 1 : *Et signum magnum apparuit in cœlo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quia fulgor divinus splendet in ea in miraculis. Quidquid gratiæ in luna significatur in Ecclesia, procumbit ejus meritis. Quidquid lucis fulget in cœlo in beatis, refertur in eam : eo quod mater est Redemptoris aperientis januam regni cœlestis.

« Castellum. »

In castello autem notatur munitio suæ sanctitatis et virtutis. Quæ quidem in sex consistit : situ scilicet altitudinis, fossatorum depressione, murorum circumdatione, turrium altitudine, expen-

[1] Cf. Matth. X, 11.
[2] Cf. Apocal. XI, 19.
[3] Cf. Exod. XXV, 11.

sarum abundante præparatione, militum instructione.

Situs ejus est in monte sancto, ad quem nulla machina pertingit inimici. Isa. II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium : et elevabitur super colles,* scilicet dignitatum angelicarum : *et,* pro gratia impetranda, *fluent ad eum omnes gentes.* Est enim hic mons eminentia suæ sanctitatis. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. LXVII, 16 et 17 : *Mons Dei, mons* pinguedine consolationis divinæ *pinguis,... mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus,* per gratiam et gloriam, *habitabit* in ea usque *in finem,* qui non habet finem. Matth. V, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Hæc est enim civitas in qua omnis civilitas cœlestis habitavit. Psal. XXIII, 3 : *Quis ascendet in montem Domini ?* Nulla quidem creatura per æqualitatem. Omnis tamen sanctus exaltatur in ea per suffragii subventionem.

Profunditas fossati, abyssus est humilitatis ejus. Eccli. I, 2 : *Profundum abyssi quis dimensus est ?* Nullus penitus, nisi qui de altissimo *respexit humilitatem ancillæ suæ* [1], et de altis in eam descendit. II Reg. V, 9 : *Ædificavit David per gyrum a Mello et intrinsecus.* Mello enim erat vallis profundissima quasi vorago, in qua summus David per gyrum vallem circumducens ædificavit. Quia humilitas undique muniens, custos est bonorum, omnibus exterius occurrens : ita ut nihil in exterioribus fastuosum inveniatur.

Murorum autem circumdatio est meritorum virtutum in conversatione per charitatis glutinum, quasi quorumdam solidorum lapidum quadratorum elevata ædificatio. Isa. XXVI, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion : Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Murus quidem ex implentibus præcepta meritoque virtutum : antemurale autem ex supererogatis operibus consiliorum. Et sic et murum habet et antemurale ex lapidibus pretiosis virtutum. Isa. LIV, 11 et 12 : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Lapis significat operum soliditatem. Sapphirus in lapidibus significat in soliditate operum cœlestem intentionem. Jaspis in operibus significat fidei virorem, per quam fuit Filii Dei ingressus ad eam. Et expugnabatur Diabolus in propugnaculis fidei istius sic virentis in corde ejus. Portæ sculptæ significant ingressus, quos habemus ad eam per imitationem virtutum ejus. Sculptura significat imagines patrum, quas per imitationem in se ostendit : sicut David in humilitate, Salomonem in sapientia, Josiam in religione, Moysen in mansuetudine : et sic de aliis. Termini autem castri quos extendit, totum montem altitudinis cœlestis occupando, sunt expressæ claritates angelicæ, quas præfert in conversatione : et omnes illi termini lapides solidati propositi : et sunt desiderabiles honestatis pulchritudine et dulcedine.

Turres sunt elevationes contemplationis ejus, quibus super omnes virtutes Angelorum elevatur in contuitu veritatis. Cantic. IV, 4 : *Turris David... ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* David adspectu desiderabilis est Filius Dei contemplandus. I Petr. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Turris hujus contemplatio divina in oculis beatæ Virginis. Mille clypei pendentes ex ea sunt infinitæ veritates in ea contemplative resplendentes, et omnes signum Regis altissimi semper in aliqua imagine prætendentes. In ea etiam pendet omnis fortium armatura : quia in ea vi-

[1] Luc. I, 48.

detur qualiter quilibet militum ejus armatur contra hostes et quibus virtutum præsidiis muniri potest : et ideo dicitur, Cantic. VII, 4 : *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Nasus vim significat discretionis in contemplatione, qua suavitatis divinæ percipitur fragrantia. Hæc est elevata et fortis sicut turris Libani per candidationem lucis fugantis nebulas phantasiarum : et respicit contra Damascum, firmans se in parte illa quæ sanguini conjungitur : quia Damascus *potus sanguinis* interpretatur. Firmat autem, ut non accipiat aliquid in carne et sanguine, sed *a Patre luminum apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* [1]. Matth. XVI, 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.*

Sic ergo castellum istud turritum.

Quintum est expensarum abundans præparatio, ne fame vel defectu alicujus necessariorum umquam capi possit. Ibi enim est panis vitæ qui de cœlo descendit, ibi est adeps frumenti satiantis, ibi sal sapientiæ, ibi fons aquæ salientis in vitam æternam, ibi carnes agni immaculati, ibi vestis decoris et honestatis, ibi ignis charitatis, ibi hortus conclusus voluptatis, ibi aura flatus sancti Spiritus, ibi nullius boni defectus.

De primo dicitur, Joan, VI, 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Hæc est enim princeps Sara, quæ hunc panem ex tribus satis farinæ sub cineribus nostræ mortalitatis decoxit [2].

De secundo, in Psalmo CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te*, hoc est, pinguedine verbi : quia, Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

De sale, Matth. V, 13 : *Vos estis sal terræ.* Levit. II, 13 : *In omni oblatione tua offeres sal.* Mater autem sapientiæ sale carere non potest : nec potest evanescere sal ejus, vel infatuari.

Aqua etiam non deest : quia ipsa est fons indeficientis aquæ per plenitudinem gratiæ ipsius : a qua peccator accipit absolutionem veniæ, justus autem puritatem gratiæ, tentatus refrigerium temperamenti, devotus haustum dulcem sapientiæ consolationis consolantis. Esther, X, 6 : *Parvus fons, qui crevit in fluvium...,et in aquas plurimas redundavit.* Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit*, hoc est, confortavit *tabernaculum suum Altissimus.*

Ista etiam est de cujus expensis carnes agni recentes, semper et in omnibus ad quietationem desiderii convenientes acceptæ sunt. Unde, Numer. XI,18 : *Sanctificamini : cras comedetis carnes.* Et ibidem : *Det vobis Dominus carnes, et comedatis.*

De hujus etiam agni vellere castellum hoc in vestitu decoris non deficit. Hæc est enim de qua dicitur,Proverb.XXXI,13: *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Lanam enim conversationis in exterulas contexuit : linum autem innocentiæ nevit ad interulas. Et ideo, Proverb, XXXI, 21, dicitur, quod *non timebit domui suæ a frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.*

In isto etiam castello ignis æterni luminis numquam exstinguitur. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut accendatur ?* Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetnr in nocte lucerna ejus.* Et quomodo lucerna exstingueretur, quæ juxta nomen suum illuminatrix est et interpretatur.

Ibi etiam est hortus, in quo omnis boni oritur fructus, et arbores fructus medicinales, fructus per singulos menses primitiva offerentes, veteribus semper nova cumulantes. Et primum quidem (sicut hic dictum est) Ezechiel. XLVII, 12, con-

[1] Jacob. I, 17.

[2] Cf. Genes. XVIII, 6.

tinetur. Secundum autem, Cantic. VII, 13 : *Omnia poma, nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Et ne desint herbæ salutares et aromata, dicitur, Cantic. IV, 12 : *Hortus conclusus, fons signatus.*

Ibi flat aura suavissima sancti Spiritus. Cantic. IV, 16 : *Surge Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.* Ad hanc auram deambulavit Dominus post meridiem, jam remisso calore fervoris, declinante sole per peccatum parentum primorum [1] : quando de redemptione primæ prævaricationis cogitavit.

Et ut breviter dicatur, in hoc castello nullius boni est defectus. Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Domus enim Dei, Virgo est beata, et incastellatum præsidium contra timores inimicorum : abundantia domus, plenitudo est charismatum, qua plena gratia omnibus abundanter usque ad ebrietatem refundit. Torrens inde erumpens impetu magno, pietatis ejus fluxus est, charitate cogente impetuosus et rapidus, omnium ad se rapiens devotionem. Firmissimum ergo est hoc castellum quantum ad indeficientem abundantiam expensarum.

Nec deest instructio militum defendentium, quæ in se per illuminationes, quas largitur semper, habet omnia agmina Angelorum. Cantic. VI, 3 : *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Et ideo non timeat aliquis virtutem aliquam inimici : quia, IV Reg. VI, 16, dicitur, quod *plus nobiscum sunt quam cum illis.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei*, id est huic castello, *et decies millies centena millia assistebant ei :* sicut Filio suo, qui est rex et hæres hujus castelli. Et ideo quicumque confugit in hujus castri defensionem, fiet in eo quod dicit Psalmus XC, 7 et 8, quod *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : ad te autem non appropinquabit. Verumtamen* hæc præsidia *oculis* tuis spiritualibus *considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Hæc est enim unica mulier, quæ, sicut habetur, Judith, XIV, 16 : *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.* Genes. III, 15 : *Ipsa conteret caput tuum.* Habacuc, III, 13 : *Percussisti caput de domo impii.* Et capite percusso, omnia sceptra ducum ejus confusa sunt. Quamvis autem tantorum præsidiorum sit castrum fortissimum, tamen diminutivo nomine, *castellum,* propter ejus nimiam humilitatem, nominatur. Et ideo omnem fiduciam in humilitate ponens defensionis, dixit : *Respexit humilitatem ancillæ suæ* [2]. Ille enim superbus et superborum rex (de quo, Job, XL, 25, dicitur, quod *omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ*) non nisi humilitatis præsidio poterat expugnari. Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus.*

Sic ergo « *intravit Jesus in quoddam castellum,* » introitu mirabili, dignitate singulari, et munitione invincibili præparatum.

Sequitur :

« Et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. »

Hic agitur de domus istius familia.

Et primo tangitur de familia actuosa per omnis virtutis perfectionem : secundo, de familia suspensa ad mirabilium cœlestium pulchritudinem, per plenæ lucis illustrationem et contemplationem.

In primo horum sex continentur, scilicet, naturalis mollities pietatis, specialis præeminentia virtutis, provocatio exemplaris, hospitalitas hilaris, receptio

[1] Cf. Genes. III, 8.

[2] Luc. I, 48.

salutis, et domus propriæ præparatio commoditatis.

Primum horum notatur in hoc quod dicit : « *Mulier,* » quæ non tam a sexu quam a sexus optima proprietate *mulier* vocatur : quia mulierum est frangi mollitie pietatis, et ad nihil durum cor exhibere.

Secundum autem notatur per hoc quod dicit : « *Quædam,* » quod in generalitate mulierum particulat, et ideo specialitatem notat virtutis.

Tertium notatur per hoc quod dicit : « *Martha nomine,* » quia Martha *provocans* vel *irritans* interpretatur : quia æmulatio sua ad virtutes plurimos provocat : quia heroica sua virtute provocat ad sui æmulationem. Unde Syriaco sermone Martha *domina* interpretatur.

Quartum, quod est hospitalitas hilaris, notatur in hoc quod dicit : « *Excepit.* » Exceptio enim est (prout superius nos dixisse meminimus) quando omnibus interioribus cum gaudio ad exterius occurrentibus, fit alicujus dilecti susceptio.

Quintum notatur in hoc quod dicit : « *Illum,* » hoc est Jesum Salvatorem, in quo est receptio salutis.

Sextum notatur in hoc quod dicit : « *In domum suam.* » In quo notatur ex proprio præparatio commoditatis ad commodum recepti hospitis facta.

Quæ omnia magis spiritualiter impleta sunt in beata Virgine, quam sint exterius litteraliter exhibita per diligentiam Marthæ.

Hæc enim non fractura sexus vel pudoris, sed proprietate pietatis singularis Herum vel Heroem summum emollivit et flexit a duritia qua adversabatur nobis, quando piis lacrymis et devotione flexum molli carne induit : et sic ad pietatem emollivit, ut nulli penitus resisteret, sed omnia quasi mollis sustineret. II Reg. XXIII, 8 : *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus* : qui adeo mollis est, ut etiam tactus ejus non sentiatur. Et hanc mollitiem corpore molli (quod humanum est) prætendens : mansuetudine operis, cordis, et verborum exhibuit, quando dixit : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* [1]. Quod autem mulieris fuerit hæc mollities : attende quod cum a matre provocaretur ad facienda miracula, dixit : *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea* [2] : quando scilicet me ex te emollitum exhibeam. Veniet tempus quando mansuetudine emollitus, nihil fortitudinis, nihil duritiei ostendam, et tunc filium mulieris me probabo. Isa. LIII, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur : et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* Tunc enim cum sic ad modum ista non cognoscentis se habuit, recte et proprie emollitus fuit : quia molle diffinitur, quod non resistit tangenti. Sic ergo nobis illum antiquitus durissimum, quem nullus tangere ausus fuit, mollitum et emollitum exhibuit. Antiquitus enim dictum est, ad Hebr. XII, 20 et 21 : *Et si bestia tetigerit montem* (in quo Deus habitavit) *lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur* (quod primus inter omnes qui majoris audaciæ esse debuit) *Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus.* Quid ergo alii facerent non tam familiares, et non tam audaces? Exod. XX, 19 : *Loquere* (inquiunt) *tu, nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Nunc autem sic mollis factus est, ut ab omnibus tractetur ad libitum, et nulli penitus resistat tangenti.

Hæc, « *Quædam* » est in generalitate mulierum exceptæ et specialis virtutis ad omnem activæ vitæ profectum : de

[1] Matth. XI, 29.

[2] Joan. II, 4.

qua dicitur, Ruth, III, 11 : *Scit omnis populus... mulierem te esse virtutis.* Proverb. XXXI, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos*, ne defluant per aliquam libidinem : *et roboravit brachium suum*, ad omnem virtutis operationem. Et ideo, Proverb. XXXI, 31, dicitur de ea : *Date ei de fructu manuum suarum*, qui dulcissimum virtutis habet gustum : *et laudent eam in portis opera ejus*, quæ omni laude digna ad portas omnium sensuum se manifestavit.

Hæc est « *Martha nomine*, » quia sua æmulatione multos choros virginum ad cœlibem vitam provocavit. II ad Corinth. IX, 2 : *Vestra æmulatio provocavit plurimos.* II ad Corinth. XI, 2 : *Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quæ enim umquam sic ad heroicam sive dominalem et cœlestem vitam sic omnium corda irritans provocavit, ut hæc nostra Martha : non « *nomine*, » sed nominis interpretatione. I ad Corinth. VII, 35 : *Ad id quod honestum est provocem*, scilicet, votum virginitatis : *et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*

« *Excepit* » ergo hæc hilarius in utero, et gremio, et domo Dominum quam Martha, dicens Angelo cum hilariter exciperet Dominum : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* [1], hoc est, ut Dominus sit mecum : quia hoc secundum fuit in verbis angelicis. Hoc significatum est, Isa. XLV, 8, ubi dicitur : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Aliter enim terra nostra, quæ dedit salutis fructum, aperta non est, nisi quod omnia interiora ejus occurrentia in consensum verbi angelici, peregrinum in terra Dominum in gaudio susceperunt : et tunc cantans, dixit : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* [2].

« *Illum*, » salutis auctorem, qui in ipso matris hospitio salutem nostram est operatus. Luc. XIX, 9 : *Hodie salus domui huic facta est : eo quod et ipse*, per redemptionem, *filius* factus *sit Abrahæ.* Matth. I, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« *In domum suam.* » Hic innuitur præparatio commoditatis ad susceptum in domo hospitem pertinentis. Ad hanc autem commoditatem duo sunt necessaria, quorum unum est de commoditate domus : et alterum de commoditate recepti in domo hospitis.

Ad commoditatem domus pertinent cœnaculum, et lectus, mensa, sella, et candelabrum : quæ præ omnibus domibus in utero sunt beatæ Virginis. Et hoc significatum est, IV Reg. IV, 8 et seq., ubi dicitur, quod mulier magna recepit Eliseum Prophetam : et cum frequenter transiret per eam, fecit ei cœnaculum parvum, et posuit in eo lectum, et mensam, et sellam, et candelabrum : ut veniens requiesceret ibi et reficeretur. Hæc mulier magna dignitate, beata Virgo est. Eliseus Propheta potens in opere et sermone, Dominus Prophetarum Christus est. Mulier ergo hæc magna ad recipiendum istum in utero Prophetam cœnaculum fecit : apothecam videlicet sancti corporis sui, in qua omnium cibus inveniretur Sanctorum repositus. Psal. CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum*, id est, Virginis, *plena, eructantia ex hoc in illud.* Genes. VI, 21, collegit Noe, scilicet Beata Virgo, ex omnibus quæ esu spirituali mandi possunt, ut sint tam sibi quam aliis in cibum : et reposuit in hac arca apud se. Hoc autem cœnaculum licet omnium contineat gratiarum et virtutum abundantiam et verbi Dei, tamen parvulum est per humilitatem, et intrare per ostium ejus non potest nisi humilis. Et si humiles sunt esurientes, implet homines : et eos qui se divites reputant, dimittit inanes [3]. In hoc ponit

[1] Luc. I, 38.
[2] Psal. CII, 1.
[3] Luc. I, 53 : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

lectum quietis, in secreta mentis dilectione et charitatis amplexu. Ponit mensam in refectione meditationis divini verbi, et operum Dei, et magnalium ipsius. Ponit sellam in quieta sapientiæ sessione : ut quiete sapientia docens audiatur in corde. Ponit candelabrum in intellectus sui illuminatione. Sternit letulum floribus et odoribus virtutum. Cantic. I, 15 : *Lectulus noster floridus.* Mundat domum in expurgatione peccatorum. Psal. XXV, 8 : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Ornat cœnaculum et mensam munditia conscientiæ. Eccli. XXIX, 33 : *Orna mensam ; et quæ in manu habes, ciba cæteros.*

Hæc est igitur præparatio domus.

Ea autem quæ in domo sunt ad recepti hospitis commodum præparanda, Genes. XVIII, 4 et seq., describuntur, ubi dixit Abraham : *Afferam pauxillum aquæ, et lavate pedes vestros, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis,* etc. Paravit tamen de tribus satis similæ subcinericios panes, et vitulum tenerrimum et optimum. Quæ omnia in domo ista parata sunt. Pauxillum aquæ fuit in gratia sancti Spiritus sanguinem purificante : ex qua facti (alias, loti) sunt pedes humanitatis Christi, quibus terram nostram calcavit. Umbra requiei sub arbore fuit umbra refrigerii in virore Mariæ : quæ sicut rubus virens virginitate, ignem divinum per fœcunditatem tenuit, et florem pudicitiæ inconsumptum servavit. Buccella ad cellam buccæ pertinens panis Dei fuit, qui de se dixit : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* [1]. Hic sub cineribus humanæ mortalitatis manu sapientiæ formatus, decoctus est igne charitatis : de tribus purissimis satis similæ compositus, scilicet, corpore, et anima, et deitate, et omnibus in Eucharistiam præparatus. Vitulus autem sacrificium pro peccato, est ipse homo natus ex ea secundum humanitatem oblatus : tenerrimus propter devotionis et gratiæ adipem : optimus propter sanguinis sui pretiositatem. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

Sic ergo recepit eum in domum « *suam,* » non alienam. Hanc enim domum ipsa cum hospite suo Filio Dei habuit. In qua nullus communicavit alienus, nec dæmon, nec homo : nec aliquis umquam nisi iste hospes jus vel opus habuit secum in ea. Psal. C, 7 : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam : qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.*

« Et huic erat soror nomine Maria. » **39**

Ecce residuum familiæ hujus domus. Quæ Maria licet secundum historiam sit Magdalena, de qua dæmonia septem Dominus ejecerat : sicut et Martham a profluvio sanguinis curaverat, et Lazarum fratrem harum sororum postea quatriduanum a monumento suscitaturus erat : et ideo fiducialiter ad domum illam declinabat. Tamen spiritualiter hæc melius in familia domus beatæ Virginis inveniuntur. Hæc enim Maria, sicut diximus, fastigium et suspensionem significat divinæ contemplationis : quod plenissime secundum intellectuales virtutes fit in corde beatæ Virginis.

Tanguntur autem hic duo : primum est beata inter activam et contemplativam sororitas : secundum autem in nomine sororis altissima divinæ lucis contemplanda veritas, et veritatis puritas.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Et huic,* » scilicet activæ, « *erat soror* : » ex eodem enim Patre bonitatis et

[1] Joan. VI, 51.

veritatis formatæ sunt. Joan. VIII, 41 : *Unum Patrem habemus Deum.* Et ex utero unius matris processerunt : quæ est sapientia per saporem bonitatis formans activam, et per claritatem veritatis producens alteram. Hæc enim duo importat nomen sapientiæ : per saporem unum, et per sapere alterum. Sapientia enim sapidum sapere importat. Una igitur sororum istarum ordinatrix est passionum et operum : et ideo *activa* latine, græce autem *practica* vocatur. Altera autem illuminativa intellectuum, et accensiva affectuum in Deum, et delectativa in solis abstractis divinis : et ideo latine *contemplativa,* græce autem *theorica.* Una regitur prudentia, quæ est activa : quia prudentia est cum ratione activus habitus, ut dicit Philosophus. Altera regitur sapientia, scilicet contemplativa : quia sapientia est contemplatio altissimorum divinorum : quæ non propter aliud, sed propter seipsa scire et cognoscere desideramus. Proverb. VII, 3 et 4 : *Liga eam in digitis tuis; scribe illam in tabulis cordis tui. Dic sapientiæ, soror mea es : et prudentiam voca amicam tuam.* Activa enim propter diligentiam operis digitis est inscribenda. Sapientia autem propter contemplationem inscribenda est tabulis cordis in intellectum.

Hæ duæ domum beatæ Virginis, in qua primo peregrinantem Dominum susceperunt, totam præparaverunt. Activa quidem in exterioridus flore omnis virtutis et honestatis. Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Altera ornans thalamum interius per pulchritudinem æterni splendoris. Cantic. IV, 7 : *Tota pulchra es, et macula non est in te.* Cantic. I, 16 : *Tigna domorum nostrarum cedrina : laquearia nostra cypressima.* Cedrina quidem tigna fulcientia thalamum, imputribilia æternæ veritatis principia. Laquearia autem sibi propter ornatum implexa. Cypressina æterni viroris sunt fidei lumina (quæ *articulos* nominamus) et aliæ spiritus revelationes. Activæ vitæ in operibus beatæ Virginis est iste sermo Ecclesiastici, XXIV, 25 : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Omnis enim spes vitæ est, in qua omnis ordo est vivendi : quia et virgo et mater est, soluta uxor, et vidua, voto serviens et libera. Ecce omnis spes vitæ, et omnis spes virtutis secundum quemlibet statum : omnis enim status exemplum habet in ea.

Contemplativa dicit in ea, quod præcedit parum, Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis gratia viæ et veritatis.* Viæ quidem quibus venitur ad visionem : veritatis autem qua inhæretur veritati perceptæ. Viæ illæ sunt, per vestigium ascendere, per speculum considerare, per ænigmata percipere, per revelationem videre, in lumine ire, in meditatione quærere, in raptu sequi, et pertingere in ultima intellectus ascensione. Istæ sunt viæ de quibus dicitur, Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ : et omnes semitæ illius pacificæ.* Et, Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Job, XXXVIII, 24 : *Indica mihi, per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Veritas autem est quæ manet et vincit, et invalescit : sicut dicitur, III Esdr. III, 12,et IV, 38. Et totam tenet mentem, et afficit, et obligat sibi. Sic dicit Filius gloriosæ Virginis, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita :* via qua itur, veritas ad quam pervenitur, vita quæ influitur ad veritatem pervenienti.

Ecce quale ministerium in ancillis suis habet domus ista. Istæ sunt ancillæ de quibus dicitur, Proverb. IX, 3 : *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* Ad arcem quidem contemplationis, et ad mœnia virtutis et civilitatis : quia civilitas est secundum usum et exercitium virtutis consuetudo convivendi cohabitantibus, ut dicit Sapiens. Obsequio istarum ancillarum sic circummoventium se in sedulitate obsequiorum : et ipsa domina domus se vo-

cat ancillam, dicens, Luc. I, 38 : *Ecce ancilla Domini.*

Ecce qualis sororitatis convictio est inter istas in domo sancta beatæ Virginis.

« Nomine Maria. »

In qua notatur felix et præsagum nomen contemplativæ. Maria enim *amarum mare*, et *illuminatrix* interpretatur. Contemplativa enim amaritudine puncta recedit ab exteriorum administratione, et lumine affecta trahitur ad contemplationem interiorem. Sic, Ruth, I, 20, Noemi binomia fuit, dicens : *Ne vocetis me Noemi (id est, pulchram) sed vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Hoc est desiderium amplexivum Omnipotentis quod fecit omnia alia amara videri.

Et hoc est quod dicit : « *Nomine,* » in quo sui nominis nota exprimitur : quia amaricatur ad exteriora, totum in interioribus habens desiderium et cordis oblectationem. Cantic. V, 8 : *Nuntiate dilecto meo, quia amore langueo.* Vidit enim ambulantes in lumine Dei, et adeo affecta est, quod nihil sibi dulce est nisi esse cum illis. Psal. LXXXVIII, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.* Psal. XLIV, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Nihil enim quærit foris laudis vel utilitatis, quæ intus habet fimbrias subtilium contemplationum, quibus dependet ad dilectum.

Hæc igitur nomine « *Maria* » vocatur propter quatuor causas : duas in amaritudine, et duas in illuminatione. Amaricatur enim ad exteriora : quia sunt sollicitudine plena : et quia administrari non possunt sine fœdante oculos pulvere.

De primo dicitur, Proverb, V, 4 : *Novissima illius amara quasi absynthium.* Novissima autem concupiscentiæ subjecta sunt hæc exteriora plena sollicitudine.

Propter secundum etiam perfectissimis Apostolis dicitur, quod extergant pulverem de pedibus affectuum suorum [1]. Et, Joan. XIII, 10 : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.*

Duæ causæ in illuminatione sunt duo luminis beneficia : quorum unum est, quod lumen venustat : alterum, quod lumen dissolvens penetrat. De venustatione sive pulchrificatione dicitur, Apocal. XII, 1, quod mulier est amicta sole ad venustationem. De subintratione per dissolutionem et cordis apertionem dicitur,II ad Corinth.IV,6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Sic ergo intus penetrata lumine et extra venustate, cum Moyse, Exod. XXXIV, 29, cornuta sive splendida facta est facies ejus, et cum ministris gloriæ luminis, II ad Corinth. III, 18, revelata facie gloriam Domini speculans, a claritate in claritatem a Domini spiritu transformata in eamdem imaginem lucis ascendit : ut vere illuminatrix sit, et nominetur Maria.

« *Huic* ergo *erat soror nomine Maria.* »

« Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. »

Hic tanguntur harum sororum propria officia.

Et primo tangitur officium Mariæ, et secundo officium Marthæ.

In officio Mariæ duo sunt : quies, et verbi Dei auditus.

Quies autem adhuc duo habet : positionem quiescentis, et locum.

Et positio quidem quiescentis est sessio, quam notat cum dicit : « *Sedens.* »

[1] Cf. Matth. X, 14 et Luc. X, 11.

Locus autem est : « *Secus pedes Domini.* »

In sessione autem positio est, qua superiora libera eriguntur, fulta substratis inferioribus. Et hoc proprium est contemplativis posteriora et inferiora substernere : et superiora capitis et mentis erigere, et libera exhibere. Sic enim cor recte quiescit, inferiora posteriora substernens, et altiora libera ad cœlum extendens. Ad Philip. III, 13 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum.* Sic vincula vanitatis collum (per quod trahuntur vitales spiritus) hoc est, rationem deprimentia solvuntur, et residens cor imbuitur sapientia. Isa. LII, 2 : *Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem : solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* De pulvere excutitur per abjectionem terrenæ fœditatis. Consurgitur autem per extensionem in cœlum contemplativæ intentionis. Sedetur per quietem cordis, quæ provenit ex subjectione corporis. Et filia Sion speculationis æternæ vincula solvit per absolutionem exterioris obligationis : quæ vincula collum, hoc est, rationem per quam spiritus vitalis trahitur, intercipiunt. Sic dicit Philosophus, quod « in sedendo et « quiescendo fit anima sciens et pru« dens. »

Hac sessione quis mortalium umquam sic sedit, sicut cor Mariæ matris sapientiæ Filii Dei ? Cantic. v, 12 : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima.* Oculi beatæ Virginis sunt duo adspectus ejus per sapientiam : per sapientiam experimentalem unus, et per intellectum veritatis auditæ alius. Isti enim adspectus simplices sunt et innocentes et sine felle, sicut columbæ. Sedens autem quiescens super rivulos aquarum, hoc est fluxuum consolationis Spiritus sancti : in quibus sicut in aqua clarissima refulget imago veritatis æternæ, et sicut in aqua pervia penetrat lumen divinum usque in profundum. Hi adspectus sive oculi lacte candoris et dulcedinis (quod de uberibus sapientiæ manat) sunt loti ab omni inquinamento carnis et spiritus : et mellea delectatione affecti resident in toto quiescentes juxta fluenta plenissima de ipso fonte bonitatis et veritatis, ad modum torrentis effluentia.

Locus autem quietis hujus « *secus pedes Domini* » est. Hunc enim locum Magdalena elegit, quia ibi a turpitudinis suæ maculis purgata fuit[1]. Ubi etiam mater Domini tamquam in schola quievit. Ubi sapientia pedes fixit, per saporem summi boni imprimens vestigium unum, et per lumen Verbi divini infigens vestigium alterum. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Joan. XI, 32 : *Maria* ergo, *cum venisset ubi erat Jesus*, id est, per dulcedinem delectantis bonitatis, et per visionem claræ veritatis *videns eum, cecidit ad pedes ejus.*

Ecce locus et situs istius apud Dominum in spiritus contemplatione.

Opus autem ejus et officium describitur, cum dicitur :

« Audiebat verbum illius. »

Tria tangit : auditum patulum, verbum auditum, et verbi auditi fontem irriguum.

Et nulli hæc ita competunt sicut beatæ Virgini, quæ præ omnibus patulum auditum habuit ad audiendum quid dicat Spiritus sanctus. Et ideo ornamentum aureum accipit, Cantic. I, 10 : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Ornamentum ipsum devotionem significat aurium. Murenulæ quæ manibus teneri non possunt, sed strictæ elabuntur, significant susurra sapientiæ

[1] Luc. VII, 38 et seq.

quæ insensibiliter illabuntur. Aureæ autem sunt, quia splendore divini luminis refulgent. Vermiculi vero significant subtiles motus veritatis in corde, qui argentati sunt per eloquium pulchritudinis, quod splendet in verbis veritatis. Psal. xi, 7 : *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Hæc est Rebecca quæ multum accepit a Domino : in cujus aures servus summi Patriarchæ (sermo scilicet propheticus) suspendit inaures aureas, ut nullum audire delectaretur præter solum dilectum. Et ideo dicit, Cantic. v, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Tota enim liquescit ad auditum ejus, experta quod *mel et lac est sub lingua illius*[1]. Et, in Psalmo xliv, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Et hæc memoria semper aures ejus aperit ad audiendum in desiderio, et semper inclinat aures ad ipsum auscultandum : nec alium audire delectatur. Psal. xliv, 11 et 12 : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : ...et concupiscet rex decorem tuum.* Et ideo dicit, Cantic. ii, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* In aure enim melos est, et in corde jubilus.

Audiebat autem « *verbum.* » Dicit Augustinus in libro VIII de *Trinitate,* quod verbum, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est, vel notitia amata. Hoc autem verbum quatuor facit in anima : sono enim spirituali mentem verberat, notitia intellectum illuminat, amore accendit affectum, et convenientia sui cum corde hominis capit et tenet.

Sono quidem verberat, propter quod etiam *verbum* vocatur : et ideo malleo comparatur. Jerem. xxiii, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram.* Verberat enim ad cordis contritionem præcipue sermo divinus. Iste est malleus quo Jahel perforavit tempus Sisaræ[2]. Jahel enim *ascensio Dei* interpretatur : et significat eam quæ altius præ cæteris in verbo Dei ascendit, et diabolo caput perforavit.

Quod autem per notitiam illuminet, dicit Psalmus cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Psal. cxviii, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

Amore etiam accendit, sicut scriptum est, Act. ii, 3 : *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Jerem. xxiii, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis?* Psal. cxviii, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.*

Capit etiam per consensum et convenientiam sui cum mente. Deuter. xxx, 14 : *Juxta te est sermo valde, in ore tuo et in corde tuo.* Et hoc idem dicit Apostolus, ad Roman. x,8. Unde quibusdam rebellibus improperans Dominus, Joan. viii, 37, dicit : *Sermo meus non capit in vobis.*

Sic ergo conterens, illuminans, accendens, et capiens per informationem verbum præ omnibus illa audivit : quam sic concussit, ut totam perforaret et confoderet : sic illuminavit, ut totam irradiaret : sic accendit, ut totam inflammaret : sic cepit, ut in ea caro fieret. Et primum quidem horum operatum est in ea, sicut dicitur, Jerem. x, 4 : *Clavis et malleis compegit ut non dissolvatur.* Sic enim consolidata fuit verbo Domini, quod moveri non potuit ad peccandum. De secundo tantum habuit, quod etiam ab illo nomen accepit. Ezechiel. xliii, 2 : *Terra splendebat a majestate ejus,* hoc est, beata Virgo quæ terra divinum ferens fructum vocatur. Accensa etiam est, quod sicut ignis incanduit : quia, Isa. lxii, 1 : In ea egressus est *ut splendor justus ejus : et salvator ejus velut lampas accensus est.* De quarto autem dicitur, Joan. i, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

Ecce qualiter « *audiebat verbum.* »

[1] Cantic. iv, 11.

[2] Cf. Judicum, iv, 21.

« Illius, »

Hoc est, Jesu Christi, fontis sapientiæ et omnis verbi : a cujus ore non est transfusum de vase in vas : et ideo sapor ejus non immutatus, sed odor ejus remansit in eo. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Et ideo de officiis contemplativæ partis dicit Glossa, quod « contemplativa charitatem Dei et proximi retinet, et ab exteriori actione quiescit : solius conditoris desiderio inhæret, et calcatis omnibus curis ad videndam faciem Creatoris inardescit, et desiderat misceri supernis civibus de æterna in conspectu Domini incorruptione gaudentibus. »

Hæc autem sex præ omnibus hominibus Virgo beata habuit.

Secus pedes enim Domini sedens, sola charitate Dei et proximi in affectu flagrans, Deum sibi per charitatem attraxit, et proximo redemptionem impetravit. Et de primo horum dicitur, Cantic. I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus enim calida et humilis et odorifera charitatis ardorem et humilitatem significat, quæ Regem regum de cœli accubitu in uterum Virginis suo attraxit odore. De proximi autem redemptione, Genes. XXVII, 13 : *In me sit ista maledictio, fili mi.*

Hæc etiam audiendi et videndi desiderio ab exteriori quievit actione, sciens hoc quod dicit Ecclesiasticus, XXXVIII, 25 : *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu sapientiam percipiet : qua sapientia replebitur.*

Hæc solius conditoris desiderio dicebat illud Psalmi XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram : ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et illud Psalmi LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?*

Hæc etiam omnes curas exteriorum calcavit, dicens sibi illud I Petr. V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Psal. XXXIX, 18 : *Dominus sollicitus est mei.*

Hæc etiam ad videndam faciem Creatoris inardescit, attendens hoc Psalmi CIV, 4 : *Quærite Dominum et confirmamini : quærite faciem ejus semper.* Dicens cum Moyse, Exod. XXXIII, 3 : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Et illud Canticorum, II, 11 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

Hæc misceri supernis civibus desiderat : et ideo etiam familiarius visitatur, salutatur, confortatur, et instruitur ab ipsis de conceptu futuro, et de regno quod in ea inchoatum est, et per filium ejus perfectum,

Hæc igitur sunt officia Mariæ, quorum dilectione et delectatione omnia alia postponit.

Sequitur de officiis Marthæ.

Dicit ergo :

« Martha autem satagebat circa fre- **40**
quens ministerium. »

Quinque autem dicit circa activæ officium : convenientem enim primo ponit activæ vitæ nominationem : secundo, sufficientem suam dicit actionem : tertio, actuosam operationem suam dicit esse circa hominem exteriorem : quarto, diligentem dicit esse sui studii laborem : quinto, dicit hoc totum pertinere ad hujus vitæ administrationem.

De primo dicit : « *Martha autem.* » Sicut supra diximus, Martha *provocans* vel *irritans* interpretatur. Et hoc congruum nomen est activæ vitæ, quæ suis operibus multos provocat ad æmulationem meliorum. I ad Corinth. XIV, 12 : *Vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis.* Ad hoc enim omnis activus æmulatur, ut ad ædificationem Ecclesiæ

sua contendat æmulatio, et Ecclesia accipiat ædificationem. Sic enim Martha provocat ad bonum æmulandum per exemplum suum, et præveniens per beneficium. Deuter. XXXII, 11 : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis.* Ecce Marthæ nomen activæ conveniens : quod illi præ omnibus convenit, quæ plurimos in imitationem sui provocavit : sicut superius jam determinatum est. Hæc est enim Maria, quæ, Exod. XV, 20, tympano assumpto mortificatione carnis, per votum castitatis præcinuit : et infinitæ mulieres in choris Deo psallentium egressæ sunt post eam : quibus ipsa præcinuit ut cantent Deo, qui in eis gloriose honorificatus, equum effrænem impetum concupiscentiæ, et ascensorem ejus sensum libidinis projecit in mare amaræ pœnitentiæ et religionis. Hæ sunt juvenculæ tympanistriæ : in quarum medio Benjamin filius dexteræ Dei, adolescentulus adhuc in carnis integritate gaudet in mentis excessu, seipsum excedens ut interius appareat [1].

Hæc ergo Martha provocans, et virtutum domina,

« Satagebat, »

Hoc est, satis agebat in eum viriliter virtutum opere. Non enim satis agit qui secundum virtutem non agit, sed agens bonum et ad modum boni virtutis. II Petr. I, 10 : *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Quod præ omnibus illa fecit, quæ ad modum certæ virtutis omnia sua perfecit opera. II Petr. III, 14 : *Satagite immaculati et inviolati Deo inveniri in pace.* Ideo enim, quia omnia hæc ad ædificationem Ecclesiæ egit, nonnumquam invita otium delicatæ contemplationis interrumpens, et choros civitatis cœlestis egrediens, ut proximo proficiat, dolens dicit in Canticis, VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis :* rura etiam rusticana percolere satagentes. Michææ, IV, 10 : *Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem.* Ecce quod satagens actio sua de civitate superna egressa, usque ad Babylonem confusionis peccatorum pertingit, ut ibi liberetur, arbitrans liberari in proximi liberatione.

Sic ergo satagebat nostra mater et Martha.

Satagebat autem

« Circa. »

Quia omnis operatio deserviens proximorum saluti *circa* est, et non intus, nisi per intentionem. Illum enim pascit, hunc vestit, docet illum, et corrigit alterum. Et sic circumit, et circumfertur circa omnes proximorum necessitates. Psal. XLIV, 10 : *Circumdata varietate.* Tob. I, 15 : *Pergebat ad omnes qui erant in captivitate, et monita salutis dabat eis.* Iste autem circuitus sic perficitur : quia amor proximorum impellit eam ad proximorum procurandam salutem : et diligentia virtutis et misericordiæ facit eam moveri in circuitu ad omnes omnium miserias sublevandas. Et sic a *summo cœlo* est *egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus : nec est qui se abscondat a calore ejus* [2]. Sic enim proprie *ancilla* dicitur, quæ componitur ab ἀν Græco, quod est *circum*, et κέλλω, εις quod est *moveor, ris.* I Regum XXV, 41 : *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.*

« Frequens. »

Ecce obsequii diligentia et frequentia. Non enim est una necessitas proximi,

[1] Cf. Psal. LXVII, 26 et 28.

[2] Psal. XVIII, 7.

nec semel tantum incidit proximus in necessitatem : et ideo oportet diligenter et frequenter obsequi. Unde, ad Roman. XII, 13, dicitur : *Necessitatibus Sanctorum communicantes.* Oportet enim instanter operari circa proximum. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Unde etiam Apostolus, II ad Timoth. I, 16, dicit : *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit.* Ideo, Marc. XIV, 7, dicit Dominus : *Pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis, potestis illi benefacere.* Deuter. XV, 11 : *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Et cum multi defecerint corpore, et plures mente, oportet hanc Martham valde esse frequentem. Quam frequens autem illa est beata Virgo, quæ semper affuit, et numquam alicui defuit in necessitate. Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

Hoc autem totum est

« Ministerium, »

Ad utilitatem fidelium perfectum. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Non enim dominam se exhibet receptrix Filii Dei, sed ministratricem et famulam in omni devotione ministrantem. Hæc enim est princeps et domina earum mulierum, de quibus dicitur, Luc. VIII, 2 et 3, quod secutæ sunt eum a Galilæa, et ministrabant ei de facultatibus suis.

Unde hic in Glossa enumerantur officia activæ vitæ principalia, quæ præ omnibus impleta sunt a beata Virgine. Dicit enim Glossa sic : « Activa panem vel corporalem esurienti, vel doctrinæ ignoranti tribuit : errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, quæ singulis expediant dispensat. »

Hæc enim beata Virgo perfecit : panem tribuit, et cæteras necessitates corporales supplevit : quando aurum sibi a tribus regibus, qui parum non obtulissent, sic in usus pauperum distribuit, ut nihil vel parum sibi retinuisse putetur, Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

Doctrinam ignoranti largita est, quando sicut dicitur Luc. II, 19 : *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Quæ postea Apostolos et discipulos ad prædicandum, et Evangelistas ad scribendum edocuit.

Errantem correxit sæpius : sicut Theophilum, et alios quos ad veritatem reduxit.

Superbum ad humilitatem reduxit : quando suæ humilitatis ostendit superbis exemplum, dicens : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Hæc, quæ singulis ad vitam bonam expediant dispensat, quia sicut jam ante diximus, omnium in se transformavit vitam et statum.

Et ideo, Eccli. XXIV, 26, ad omnes concionans clamat, dicens : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini* Quæcumque enim desiderantur, in ipsa inveniuntur. Et ideo dicit, ibidem, ℣. 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Pulchræ quidem dilectionis Dei et proximi, ordinantis ad faciendum omne bonum virtutis. Timoris autem ordinantis ad fugiendum omne malum malitiæ et vitii et iniquitatis. Agnitionis autem ad cognitionem omnis divinæ veritatis. Sanctæ autem sive firmæ spei ad exspectationem æternæ beatitudinis.

Sic ergo stat in perfectione devotæ actionis, et altissimæ contemplationis.

« Quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. »

[1] Luc. I, 48.

Hic incipit agere de comparatione actionis et contemplationis.

Et dividitur in duas partes : in quæstionem querulosam, et diffinitionem dominicam.

Prima harum habet tria : quorum primum, ex lassitudine stans et subtracta actio : secundum autem, querulosa de sorore ad Dominum interpellatio : tertium, adjutorii sororis petitio.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Quæ stetit, et ait.* »

Et duo dicit : lassitudinem stantis, et locutionem impatientis.

Primum tangit quando dicit : « *Quæ stetit.* » Lassa enim subsistit, eo quod in tot ministeriis peragendis sola non sufficit, quamvis pro viribus sategerit. Dominus enim cum magna ivit turba discipulorum : et multæ ad procurandum eum exigebantur sumptuum præparationes. Et ideo Martha lassata « *stetit.* » Hoc significatum est, I Reg. xxx, 9, ubi dicitur, quod inter viros David lassi quidam substiterunt ad torrentem Besor. Besor enim *tribulatio* vel *angustia* interpretatur : quia ubi torrens angustiæ vires supergreditur, ibi necesse est quod Martha lassata subsistat.

Sed valde commendabile est quod non sedit, sed *stetit*, iterum parata ad laborem resumpto spiritu virtutis : quia stans, ad laborandum est parata.

Stat autem præcincta ad ministrandum præ omnibus Domina virtutum, quæ, sicut dicitur, Proverb. xxxi, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* Et sicut ipsa dicit, Luc. i, 51 : *Fecit potentiam in brachio suo :* et mira peregit in obsequiis Domini Salvatoris. Ruth, ii, 7 : *De mane usque nunc stat in agro : et ne ad momentum quidem domum reversa est.* Hæc enim in agro actionis ferens pondus diei et æstus persistit : nec ad momentum quidem laborem intermittens, ad rei familiaris curam reversa est, ut collectionem spicarum intermitteret. Spicæ enim remanentes significant animas ad manus messorum Apostolorum non venientes, quæ fallente Diabolo manibus messorum Apostolorum sunt subductæ. Et has Regina misericordiæ stans in agro actionis et miserationis colligit : et in horreum Domini, hoc est, Ecclesiam, humeris sui adjutorii reportans reducit.

Sic ergo « *stetit.* »

« *Et ait,* » aliquantulum victa lassitudinis impatientia. Turbata enim est, et est locuta per locutionem, dicens illud Job, xxxii, 20 : *Loquar, et respirabo paululum.* Locutio enim prodens dolorem solet refrigerium quoddam præstare laborantibus.

« Domine, non est tibi curæ, etc. »

Ecce Domini adversus sororem quiescentem interpellatio.

Et tria dicit : Majestatis in Domino actionis et contemplationis professionem, miserabilem de Domino quod non curet innuit conquestionem, et de quiescente sorore interpellationem.

De primo dicit : « *Domine.* » Quasi dicat : Domine, et meæ et sororis meæ actionis et contemplationis dispensator. Esther, xiii, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita : et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus.*

« *Domine* » ergo, in cujus ditione sunt omnia, et qui vides vias hominum, et ponderator es spirituum, « *non est tibi curæ.* » Cum tamen, Sapient. vi, 8 : *Æqualiter cura est illi de omnibus.* I Petr. v, 7 : *Ipsi cura est de vobis.* Tu es qui dixisti, Isa. xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

Sic ergo dixit : « *Non,* » hoc est, nonne « *est tibi curæ,* » quia tu solus laborem et dolorem consideras. Hoc labore circa ministerium proximi, quamvis non usque ad murmurationem, tamen usque

ad lassitudinem ancilla humilis Domini sæpe laboravit. Unde etiam in Psalmo CXXII, 2 : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Propter hunc laborem actuosis compatiens Dominus, jussit interponi laboribus diem sabbati, et alios festos dies, Exod. VIII, 10, ut requiescat (inquit) servus et ancilla tua. Et præcipue illa, quæ ipsi Deo ancillata est.

« *Quod soror mea,* » quæ ex naturali mihi obligatur pietate. *Frater* enim *qui adjuvatur a fratre,* est *quasi civitas firma* [1].

« *Reliquit,* » sedens in otio quietis, « *me solam.* » Cum dicat Salomon, Eccle. IV, 10 : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Et, ibidem, ℣. 9 : *Melius est duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ.* Et infra, ℣. 11 : *Si dormierint duo, fovebuntur mutuo.*

« *Ministrare* : » quod tam utile est, ut tibi et tuis inde provideatur. II ad Corinth. IX, 12 : *Ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt Sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino.*

« Dic ergo illi, ut me adjuvet. »

Putabat Martha ex utilitate ministerii persuasum esse Domino, quod sororem revocaret a contemplatione, et mitteret eam in ministerium : et ideo ante responsionem Domini infert : « *Dic ergo illi, ut me adjuvet.* » Consuetum enim est, ut quilibet opus, quo occupatur et cui deditus est, melius reputet. Ad Galat. V, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

« Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.

Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. » 42

Hic ponitur hujus quæstionis difinitio per Dominum.

Ad objecta enim sororis penitus conticuit Maria : ne dum respondendo cum sorore altercaretur, et a contemplationis intensione remitteretur, sicut dicit Ambrosius. Cantic. II, 16 : *Dilectus meus mihi, et ego illi,* hoc est, dilectus intendit mihi, et ego illi : et ideo non adverto quid dicat vel faciat mihi homo. Felix tamen, ut dicit beatus Bernardus [2], domus, et beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Quia frequenter ubi propter tædium contemplationis jam Maria de Martha conquerebatur : potius eligentes esse in hujus mundi laboribus, quam sedere ad pedes Domini in otio contemplationis, et audire verbum illius. Qui significantur, Numer. XI, 4, et seq., per eos, qui manna fastidientes flagrabant desiderio Ægyptiacarum carnium, et desiderabant pepones, et cepas, et allia lacrymosis oculis manducare : quam cibum Angelorum, *in se habentem* (sicut dicitur, Sapient. XVI, 20) *omnis saporis suavitatem.* Carnes enim Ægyptiacæ carnalem significant voluptatem : pepones fœtentes, vanitatum factas deductiones : cepæ, negotiorum lacrymosas angustias : allia acuta et fœtentia, libidinum impedimenta, in quibus quærunt occupari.

Felix etiam Maria est, quæ tacet ad querelas sororis. Signum est interioris abstractionis, quod etiam ea quæ præ oculis et auribus habet, non percepit. Obdormivit cum Joanne in pectore Domini [3] : et ideo non percipit ea, quæ exterius eam perturbare nituntur.

Dominus ergo se medium objiciens, querelas determinat, tria faciendo : lau-

[1] Proverb. XVIII, 19.

[2] S. BERNARDUS, Serm. 3 in Assumpt. B. Mariæ.

[3] Cf. Joan. XXI, 20.

dat enim Marthæ ministeria, ostendit quid necessarium ad vitam, determinat quid optimum quod post hanc vitam non est auferendum.

Dicit ergo :

« Et respondens »

Ad querelas Marthæ, « *dixit illi,* » ad commendationem ejus, « *Dominus.* » Multum enim valet ad compescendum murmur laborantis, quando commendatur opus laboris, et acceptum esse comprobatur. Jerem XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus.*

« Martha, etc. »

Tria dicit: ingeminat nomen in signum acceptationis, commendat sollicitudinem, compassionem exhibet ad turbationem.

De primo dicit « *Martha, Martha,* » in signum firmæ recordationis nominis ejus et notitiæ, quæ est per dilectionem et approbationem. Apocal. III, 5 : *Non delebo nomen ejus de libro vitæ,* hoc est, de corde et mente mea. Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui :* quod scilicet facio quod possum : verumtamen *in libro tuo omnes scribentur,* qui faciunt hoc quod possunt. Et ideo Martha ibi nominatur in gratia virtutis, et nominatur in gratia operis. II ad Corinth. VIII, 3 : *Secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt.* Ibidem, infra, ℣. 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.*

« Sollicita es »

Ad ministrandum ea, de quibus sollicita fuisti ad acquirendum. Ad Hebr. VI, 10 : *Non injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, et ministratis.* Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Igitur hac sollicitudine ministrandi sollicita es.

« Et turbaris. »

Quia in plurimis necessariis et necessitatibus sunt tua ministeria, multa capientia impedimenta, necesse est ut turberis « *erga plurima.* » Psal. CV, 32 et 33 : *Vexatus est Moyses propter eos : quia exacerbaverunt spiritum ejus.* Numer. XI, 10 et 11 : *Sed et Moysi intoleranda res visa est : et ait ad Dominum : Cur afflixisti servum tuum ? Quare non invenio gratiam coram te ? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me ?* Dum ergo omnium pondus Marthæ imponitur, necesse est ut erga plurima turbetur. Et si non turbatur omnibus ministrans, hoc donum Dei est speciale : sicut in beata Virgine, quæ sine murmuris turbatione omnibus ministravit. Sicut dicitur, ad Roman. XII, 11 : *Sollicitudine non pigri. Spiritu ferventes : Domino servientes.* Et, Infra, ℣.13 : *Necessitatibus Sanctorum communicantes : hospitalitatem sectantes.*

« Porro unum est necessarium. »

Hæc littera diversimode exponitur. Secundum meam opinionem ad commendationem partis activæ sive Marthæ sic exponenda est : Tu quidem, Martha, turbaris erga plurima : sed unum est, quod hoc quod agis est necessarium, et a vitæ hujus necessitate exactum, et ideo mihi et Sanctis acceptum : quia sine hoc Maria nec contemplari poterit. Augustinus tamen videtur exponere pro parte Mariæ. Dicit enim quod unum est necessarium, quasi formaliter accipiendo *unum,* hoc est, unicum : quia multa ab uno, non unum a multis : sed multa sunt necessaria ut perveniatur ad unum. Hoc

autem unum a quo multa sunt, et non ipsum a multis, Deus est, quem quærit diligendo et contemplando Maria : et ad quem per multa, circa quæ turbatur, vult venire Martha. Et hoc est illud de quo dicit Psalmus XXVI, 4 : *Unam petii a Domino*, etc. Tob. X, 5 : *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.* Deuter. VI, 4 : *Dominus Deus noster, Dominus unus est.* I ad Corinth. VIII, 6 : *Nobis tamen unus Deus, ex quo omnia, et nos in illum.* Hoc ego solum unum est necessarium : quia sine omnibus aliis vivitur propter illud. Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* Psal. LXXII, 28 : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Sic et Maria Virgo, in qua omnia hæc perficiuntur, unum quærebat a quo sunt omnia, et in ipso spem totam posuit. Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum.*

« Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. »

Postquam partem laudavit Marthæ ab utilitate : quia necessitati præsenti utiliter deservit, et in hoc etiam parti Mariæ præfertur : laudat partem Mariæ in hoc, quod non auferetur.

Si enim consideretur ex parte intellectus in visione, auferetur quidem modus cognitionis, sed remanet genus visionis, quod est videre Deum. I ad Corinth. XIII, 8 et seq. : *Scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Si autem consideratur ex parte affectus in amore Dei, fortior erit amor in futuro quam nunc est. Isa. XXXI, 9 : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, et caminus in Jerusalem.* Quia, sicut dicit Glossa : « Ignis charitatis qui nunc calescit, in futuro (quando per speciem Deus videbitur) amplius exardescet. » I ad Corinth. XIII, 13 : *Nunc autem manent fides, spes et charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.* Ibidem, ℣. 8 : *Charitas numquam excidit.* In hoc ergo major est, quia permanentior est, quia manet in æternum.

Tamen a multis quæritur de comparatione activæ et contemplativæ : et ideo notandum, quod contemplativa præfertur activæ unitate, puritate, æternitate, firmitate, delectatione. Unitate quidem, quia est circa unum : puritate, quia non sordidatur pulvere venialium : æternitate, quia hic et in patria permanet in æternum : firmitate, quia est in luce quæ non fallitur fallacia errorum : delectatione, quia consolatione spiritus jugiter oblectat animum. In horum oppositis postponitur sibi activa. Hæc enim est circa plurima, quibus indiget proximus. Et hæc sunt frequenter non pura a venialibus, propter eos inter quos conversamur. Isa. VI, 5 : *Vir pollutus labiis ego sum : et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Hæc est etiam circa transitoria : quia in futuro nec panem porriget, cum non sit egenus : nec docebit, cum non sit ignorans : nec corriget, cum non sit errans : nec visitabit, cum non sit aliquis in carcere neque infirmus. Est etiam circa probabilia, quæ per nos fieri possunt, quæ non habent firmam probationem : et turbatur potius quam delectetur. Est autem contemplativa circa omnia intelligibilia, et meditabilia, et considerabilia ad finem veritatis : et circa affectiva ad finem dulcenis et bonitatis. Activa autem circa effectibilia et effecta ad proximi utilitatem et necessitatem. Si ergo consideretur activa in pluralitatis utilitate, in merendi virtute, in operandi fortitudine et vigore, in necessitatis hujus subventione, in ea quæ per multos, quibus subvenitur, fit gratiarum actione : in quinque his præponitur activa contemplativæ. Et ideo dicunt quidam quod habent se sicut excedentia et excessa. Quia tamen totum quod activæ est non habet rationem boni, nisi in quantum

utile est bonum : et totum quod est contemplativæ, habet rationem boni, in quantum honestum est bonum et delectabile : bonum autem utile est bonum per hoc, quod est ad finem boni : honestum autem et delectabile bonum est, quia ipsum est finis simpliciter loquendo : tunc contemplativa est optima, et propter se volita : et ideo libera. Activa autem non est optima, sed ad aliud bona, et propter aliud volita : et ideo ancilla.

Hoc autem ultimum verbum : « *Maria optimam partem elegit*, » ita convenit beatæ Virgini, quod nulli alii. In bono enim corporis, et in bono animæ, et in bono meriti, et in bono gloriæ semper elegit partem optimam.

In bono enim corporis virginitatis elegit pudorem, et habet florem honestatis, et cum hoc elegit matris utilitatem : et ideo habet gaudium matris : et ideo nec primam similem visa est, nec habere sequentem : significata, Exod. III, 2, per rubum ardentem incombustum, qui prætendit ignem divini fructus : et viror carnis remanet incombustus.

In bono autem animæ etiam habet splendorem divinæ lucis in intellectu : et non deest sibi fructus virtutis in opere : significata, Isa. XI, 1, per virgam rectitudinis virtutis, quæ ascendit de radice Jesse, hoc est, incendio charitatis, super quam stat flos divinæ lucis, qui *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula*[1]. Et super hunc florem superveniens in eam requiescit Spiritus sanctus. Anima ergo ejus ultra perfecta est in omni bono, candens flore lucis, ardens incendio charitatis, in altum consurgens omni rectitudine virtutis.

In opere autem sive in bono meriti habet omnem activæ proprietatem bonam et omnem contemplativæ puritatem : et nihil habet de defectu utriusque. Utilis enim multis, et circa multa merendi virtutem tantam habuit, quod privilegia singularia promeruit. Tam fortis in operando, quod invincibilem omnibus superavit. Multis, et omnibus ipsam quærentibus in necessitatis subvenit articulo : et ideo per multos, quibus subvenit, abundat gratiarum actio Deo. Habet cum contemplativa unum, quod omni intentione quæsivit et invenit. Habet puritatem, quam numquam etiam in minimo (sicut tota pulchra[2]) sordidavit. Habet æternitatem, quam constantia propositi, et vultus constantia, et immutabilitate prætendit. I Reg. I, 18 : *Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.* Habet veritatis firmitatem, quia ad nugas et fallacias se numquam miscuit. Tob. III, 17 : *Numquam cum his qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Habet cordis delectationem jucundissimam, quia delectabatur in Domino, et dedit ei petitionem cordis sui. Agens ergo est circa plura non turbata, circa maculata venialibus non sordidata, circa transitoria non immutata, circa infirma fortissima, circa tristia jucundissima : significata, Numer. XVII, 8, per virgam Aaron, quæ in rebellione filiorum Israel viruit, fronduit, floruit, et amygdalinum fructum produxit. Viruit virtute, fronduit benedictione, floruit gravidatione cordis, quo nos concepit, et corporis, quo Filium Verbum incarnatum suscepit. Fructificavit in partu salutis cibum et refectionem salutarem.

In bono autem gloriæ *optimam partem elegit.* Pars enim bona, stola corporis : pars melior, stola animæ : pars optima, consortium imperii et Regis nostri in imperatoria majestate : dicente Scriptura, III Reg. II, 19 et 20, quod positus est thronus matri regis juxta thronum regis, rege dicente : *Pete, mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* Non enim (salva pace Hieronymi) ratio esset, quare esset ibi corpus Christi, et non essat ibi id unde sumptum est cor-

[1] Sapient. VII, 26.

[2] Cant. IV, 17 : *Tota pulchra es, amica mea,* etc.

pus Christi : dicente Apostolo, ad Roman. XI, 16 : *Quod si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami.*

Hoc significatum est, I Reg. VI, 14, ubi arca ascendens de terra Philistiim, stetit in agro Josue Bethsamitis. Arca enim Virgo mater Dei est : terra Philistiim, mundus hic est in quo arca Dei capta et peregrinata fuit. Solutis autem mortis nexibus, quibus deprimi non potuit, libera de hoc mundo rediens, in agro, hoc est, in beatitudinis mansione : Josue, hoc est, Salvatoris : stetit in Bethsames quæ interpretatur *domus solis*, vel *domus illuminationis :* quia exaltata super omnes choros Angelorum ad cœlestia regna, ad thronum, et illuminationem Flii sui proxima ascendit. Et ideo, Cantic. VI, 9, dicitur *quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ut aurora enim lucem gratiæ soli miscuit : quando gratiam in gloriam commutavit, quæ est lux plena. Pulchra ut luna fuit : quando æterni solis Filii sui lux se in corpore ejus collegit. Eccli. L, 6 : *Quasi luna plena in diebus suis lucet.* Electa autem fuit ut sol : quando in anima immaculata imago lucis æternæ apparuit. Apocal. XII, 1 : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* Terribilis autem fuit ut castrorum cœlestium acies : quando omnium cœlestium agminum splendores expressit. Apocal. XII, 1 : *In capite ejus corona duodecim stellarum*, hoc est, novem ordinum Angelorum, et trium statuum Sanctorum : conjugum, virginum, et viduarum : vel trium aureolas portantium : Doctorum, quæ Apostolos docuit : Virginum, quæ illos virginum fuit : Martyrum, cujus animam gladius doloris Filii sui petransivit. Ipsa enim custodiam exhibuit Angelorum, secreta consilia Archangelorum, justa decreta Principatuum, severitates contra malitiam exhibuit Potestatum, conterendo caput dæmonis, interminabilem virtutem in miraculis ostendit Virtutum, altitudinem non inclinabilem ostendit Dominationum, quietem in receptione sessionis divinæ præbuit Thronorum : altitudinem scientiæ et contemplationis Cherubim transcendit, et affectione charitatis incendium Seraphim superavit. Doctrix autem, Virgo, et Martyr fuit. Et ideo omni luce cœlesti (quæ in duodecim stellis figuratur) coronata decoratur.

Hoc etiam significatur, III Reg. XVIII, 44, ubi dicitur, quod nubes parvula *quasi vestigium hominis* elevata est de mari, Elia statim clamante et dicente, quia sonus multæ pluviæ est. Nubes enim solis calore attracta, terrena est inhabitatio corporalis beatæ Virginis, quæ attracta sursum calore dilectionis solis veri, Filii sui : elevata autem per assumptionem in cœlum de mari amaritudinis et inquietudinis hujus mundi ad thronum summæ dignitatis et regiæ majestatis. Statim autem clamat sermo propheticus, et omnis bonorum cœtus, quod sonus inundantis est multæ pluviæ : qua terrestres compluit in gratia et venia, cœlestes in illuminationum gloria, et infernales in indulgentia : ut sibi pro honore Filii sui curvetur omne genu cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia ipsa est ut domina majestatis in gloria Jesu Christi Filii ejus [1], cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria pro honore tantæ reginæ in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Ad Philip. II, 10.

CAPUT XI.

Docet discipulos orare, ostendens perseveranti oratione omnia impetrari : ejecto dæmonio muto, confutat dicentes quod in Beelzebub ejiceret dæmonia : mulier quædam dicit beata ubera quæ Jesus suxerat : de signo Jonæ, de regina Austri, et Ninivitis, oculoque simplici et nequam : Pharisæum qui ipsum invitaverat reprehendit, murmurantem quod illotis pranderet manibus : taxat hypocrisim Pharisæorum et Scribarum, dicens quod ab hac generatione exquiretur sanguis omnium Prophetarum.

1. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos.
2. Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum [1]. Adveniat regnum tuum.
3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.
4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.
5. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes,
6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum :
7. Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse : jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, et dare tibi.
8. Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.
9. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis [2].
10. Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur.
11. Quis autem ex vobis patrem petit panem [3], numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?
12. Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?
13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se!
14. Et erat ejiciens dæmonium [4], et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.
15. Quidam autem ex eis dixerunt :

[1] Matth. vi, 9.
[2] Matth. vii, 7 et xxi, 22 ; Marc. xi, 24 ; Joan. xiv, 13 ; Jacob. i, 5.
[3] Matth. vii, 9.
[4] Matth. ix, 32 et xii, 22.

In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia[1].

16. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.

17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet

18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

20. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem : et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

28. At ille dixit : Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

29. Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere : Generatio hæc, generatio nequam est[2] : signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis[3] : ita erit et Filius hominis generationi isti.

31. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis[4] : et ecce plus quam Salomon hic.

32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ[5], et ecce plus quam Jonas hic.

33. Nemo lucernam accendit[6], et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus[7]. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit

[1] Matth. IX, 34 ; Marc. III, 22.
[2] Matth. XII, 39.
[3] Joan. II, 1.
[4] III Reg. X, 1 ; II Paralip. IX, 1.
[5] Jonæ, III, 5.
[6] Matth. V, 15 ; Marc. IV, 21.
[7] Matth. VI, 22.

lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

38. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

39. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis[1] : quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.

40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit ?

41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei : hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.

43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro[2].

44. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes supra nesciunt.

45. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait : Et vobis legisperitis væ : quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas[3].

47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.

49. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas, et Apostolos, et ex illis occident et persequentur :

50. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatique ista.

51. A sanguine Abel[4] usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

52. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.

53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et Legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis,

54. Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

[1] Matth. xxiii, 25.
[2] Matth. xxiii, 6 ; Marc. xii, 39 ; Infra, xx, 6.
[3] Matth. xxiii, 4.
[4] Genes. iv, 8.
[5] II Paralip. xxiv, 22.

IN CAPUT XI LUCÆ

ENARRATIO.

« Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit. »

Habito de doctrina et revelatione facta parvulis, et confirmatione eorum, agit hic de eo, cujus virtute omnia ea quæ dicta sunt perficiuntur, hoc est, de virtute boni spiritus, quem Pater cœlestis dat per virtutem orationis. Hæc enim provehit ad hoc parvulos, quod eis cœlestia tam in activa quam in contemplativa revelantur. Et fere idem dicit Glossa continuans Ambrosii sic : « Post hi-« storiam sororum, quæ duas vitas signi-« ficant, inducit Dominum orasse, et « discipulos ad orandum informasse : « quia oratio quam docuit, utriusque vi-« tæ continet mysterium : et ipsarum « perfectio vitarum, non nostris viribus, « sed precibus est obtinenda. »

Dividitur autem pars ista, quæ in hoc capitulo tota continetur, in duas partes : in quarum prima ostendit id, per quod omnia præcedentia habentur et confirmantur : hoc enim fit virtute orationis. In secunda ostendit, quod totum hoc fundatur in interiori munditia, et non in observantia exteriori.

In prima harum partium adhuc duo facit. Primo enim docet orationem, cujus virtute omnia hæc fiunt. Secundo autem omnia hæc effici per spiritum qui datur in oratione, probat per effectum, et ostendit per rationem.

Adhuc, Prior istarum duo continet, in quorum primo docet orationem : in secundo, orationis persuadet instantiam per utilitatem exauditionis.

Adhuc autem in harum partium prima tria continentur, scilicet, facti hujus occasio, doctrinæ orationis a discipulo expostulatio, et doctrina orationis.

Facti hujus occasio importatur cum dicitur :

« Et factum est. »

Et hoc refertur ad dispositionem divinam, quæ omnia facta Christi disposuit sicut ipse dicit, Joan. VIII, 29 : *Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum : quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*

« *Cum esset in loco* » quodam a tumultibus hominum. Matth. VI, 6 : *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.*

« Orans. »

Ad Hebr. VI, 7 : *In diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum... cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Oratio enim sua aliis exemplum orandi dedit, et desiderium aliorum ad orandum accendit. De primo, Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.* De secundo. Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris ?* Hæc enim verba sunt adolescentularum desiderantium sic devote et ferventer orare sicut sponsa oravit : cujus maxime personam gerit anima Christi. Discipuli autem exhibent personas adolescentularum et in desiderio imitandi, et admirationis, quæ est ista. Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et quia sic in devotione orationis inarserunt,

« Ut cessavit, »

Scilicet ab oratione Dominus : quia aliquando in oratione, pro nobis orat cum Patre : aliquando pro honore Patris docens, erat nobiscum. Cum Patre existens, orat pro nobis : nobiscum existens,orat pro Patre : sic se utroque modo probans esse Mediatorem et Pontifirem futurorum bonorum. I ad Timoth. II, 5 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* De pontificatu autem dicitur, ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum.* Ibi Glossa : « Assistens Patri, et assidens nobis.» Sic Moyses intrat tabernaculum ad Deum, et egreditur iterum ad populum [1]. Sic docet nos aliquando in secreto esse cum hominibus. II ad Corinth. V, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Eccle. III, 1 et 5 : *Omnia tempus habent :... tempus amplexandi, et tempus longe fieri ab amplexibus.* Amplexandi enim tempus est in oratione, et tempus vacandi ab amplexibus est in utili cum exterioribus occupatione. Sic inter tabernacula Rachelis et Liæ mutabatur Jacob [2].

« *Ut* » ergo « *cessavit* » ab oratione,

« Dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. »

Hic expostulatio est doctrinæ orationis a discipulis.

Et tanguntur tria : tempus expostulationis, dispositio expostulantis, et ipsa expostulatio.

Tempus expostulationis fuit, « *ut cessavit* » ab oratione : quia dum esset in oratione, non erat inquietandus. Cantic. III, 5 : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Capreæ visu præeminent : cervi autem saltibus. Unde adjurare adolescentulas per capreas cervosque camporum, est adjurare per limpidas contemplationes in visu intellectus, et per saltus gaudiorum in jucunditate affectus, quæ apparent in orantibus cum in devotione sunt cum Domino sopiti in sensibus exterioribus, et interioribus instantius vigilantes. Scientes igitur hanc adjurationem discipuli, interpellare Dominum non audebant dum oraret.

Sed « *ut cessavit,* »

« Dixit unus ex discipulis ejus ad eum. »

Ecce dispositio expostulantis.

« *Unus* » enim erat qui non in multa se diviserat, et ideo orare et scire orare cupiebat. Similiter de potioribus discipulis fuit, qui cætera audita a Domino sic memoriæ commendaverat, quod ut alia potiora doceretur,dignus erat.Utrumque enim horum exigitur ad orandum, scilicet, cordis in unum collectio, et disciplinæ ad mentem revocatio.

De unitate dicitur, Cantic. VI, 8 : *Una est columba mea.* Et hoc est ad commendationem uniti spiritus et cordis. E contra de dividentibus cor per multa dicitur, Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

De memoria disciplinæ præteritæ dicitur, Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

Sic ergo fuit « *unus ex discipulis,* » qui dixit ad eum :

« Domine, doce nos orare. »

Duo dicit : petitionemem enim proponit, et rationem impetrandi subjungit.

Petitio est : « *Domine, doce nos orare.* » *Domine*, dicit : reponens ei reverentiam sive timorem reverentialem.Malach.

[1] Cf. Numer. XI et XII, passim.

[2] Cf. Genes. XXIX, passim.

1, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Dominus etiam qui oratur pro majestate, scientiam habet qualiter orandus sit. Psal. XLIV, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.*

« *Doce nos,* » qui discipuli tui sumus, et doctrinam tuam profitemur. Et dicit « *nos* » communiter, petens pro se et pro aliis affectus charitate fraternitatis. Ad Roman. XII, 10 : *Charitate fraternitatis invicem diligentes.* Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ad Hebr. XIII, 1 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*

Sic ergo in communi pro se et pro fratribus affectus dicit :

« *Doce nos orare.* » Hoc enim necessarium est. Ad Roman. VIII, 26 : *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.*

In hoc autem quod dicunt : « *Doce nos orare,* » volunt dicere : Doce nos orare, et modum orationis, et quid oremus, et orationis virtutem, et effectum. Oratio enim est pius mentis affectus in Deum directus, ut dicit Augustinus. Modus autem orationis in corde quidem exprimitur, Joan. IV, 23 et 24 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus : et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* In corpore autem proprius modus exprimitur, I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Virtus autem orationis est sublevare mentem, et cor in Deum. Et hoc multis rationibus et exemplis probat Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Quia si etiam in oratione videtur homini quod Deum in se trahat : « tamen e contrario est : quia se potius « trahit in Deum orando, quam e converso Deum in seipsum. Sicut si multi luminis catenam de cœlo pendentem aliquis ad se trahere videretur, non trahe- « ret quidem ad se catenam cœli, quæ « non est declinabilis : sed per manuum « exaltatam vicissitudinem in catena se « ad catenam exaltaret : et sic ad cœlum « appropinquans exaltaretur. Et sic oran- « do trahit se in Deum, et non attrahit ad « aliquid Deum ubique præsentem [1]. » Ista autem orationis virtus significatur, Judic. XIII, 20, ubi dicitur, quod *cum ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Altare enim cor est. Flamma autem est flamma devotionis in corde. Angelus autem Domini, spiritus Dei est, nostro unitus et conjunctus spiritui, qui in flamma devotionis in cælum ascendit. Sic enim præveniunt principes cœli conjuncti psallentibus : ut in virtutibus orationum et profectuum nostrorum, nos secum reducant in cœlum. Sicut dicit Damascenus, quod « oratio est ascensus « intellectus in Deum. »

Subjungit autem rationem hujus petionis, dicens :

« Sicut docuit et Joannes »

Baptista, qui præcursor tuus fuit, et cujus tu facta semper approbasti, et quem majorem inter natos mulierum esse dixisti, « *discipulos suos.* »

Est autem hæc doctrina salutaris qua discipuli petunt disciplinam orationis. Oratio enim prodest ad removenda mala, et ad adipiscenda bona : ad removenda mala spiritus, et ad removenda mala corporis, et mala operis. Spiritus enim mala removet, quia diabolum fugat, ut dicit Chrysostomus. Matth. XVII, 20 : *Hoc genus,* scilicet dæmonis, *non ejicitur nisi per orationem et jejunium.* Sic Tobia et Sara orantibus [2], Angelus Raphael compescuit et ligavit dæmonium.

Contra malum etiam corporis valet

[1] S. DIONYSIUS, Lib. de Divinis nominibus, cap. 4, quod est de *virtute orationis.*

[2] Cf. Tob. VIII, 4.

oratio : quia valet etiam contra corporis infirmitatem. Eccli. xxxviii, 9: *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te.* Jacob. v, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum :... et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Valet etiam contra mala operis dupliciter, scilicet, ne fiant : et si facta sunt, quod deleantur. De primo dicitur, Matth. xxvi, 41 : *Orate, ut non intretis in tentationem.* Quod facta mala deleantur, Jacob. v, 15 : *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Eccli. xxviii, 2 : *Deprecanti tibi peccata solventur.* Unde, II Reg. xii, 13, postquam David confessus est et oravit, statim dixit Nathan Propheta : *Dominus quoque transtulit a te peccatum tuum.*

Sic ergo valet contra malum omne.

Valet etiam ad adipiscenda bona animæ et corporis : animæ quidem quadrupliciter.

Primo enim gratiam impetrat, Luc. i, 13 : *Exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* Uxor, nostra conscientia est, quæ parit Joannem, hoc est, gratiam per orationem. Genes. xxv, 21 : *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ,* hoc est, conscientiæ : quæ multum accepit, quando accepit gratiam.

Secundo, solvit debitum hominis. Oratio enim, ut dicit Chrysostomus, est debitum quod solvit homo de visceribus suis, et de profundo sui cordis. Tob. xii, 12 : *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Psal. cxl, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Et hæc duo facit in affectu.

Duo etiam facit in intellectu : illuminat enim, et erudit in dubiis. II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Dat etiam lucem sapientiæ, Jacob. i, 5 et 6 : *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

Adhuc etiam valet ad bonum operis, et ad bonum temporis. Operis quidem meritorii, ut dulcius sit ad faciendum. Eccli. xviii, 22 : *Non impediaris orare semper, et non verearis usque ad mortem justificari : quoniam merces Dei manet in æternum.* Bonum etiam temporis impetrat, quod est pax et tranquillitas. I ad Timoth, ii, 1 et 2 : *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus.*

Cum sic igitur ad omnia valeat oratio, præ cæteris est utilis disciplina orationis : et ideo discipuli petunt ut orare doceantur.

« Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater. »

Pius Doctor non deest discipulis, sed omnia utilia docens eos, docet orare sicut petunt discipuli. Isa. xlviii, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.*

« *Cum oratis,* » hoc est, orare vultis, « *dicite.* » Matth. vi, 9 : *Sic ergo vos orabitis*

Et ponit hic doctrinam orationis.

Quæcumque autem nos de ista oratione super Matthæum, vi, 9 et seq., notavimus, subjaceant[1] : quia hic illa repetere propter prolixitatem non audemus : sed hic alia dicere studebimus.

Dicimus igitur quod hæc oratio in duobus consistit : in quorum primo docet ad quem oratio est dirigenda : in se-

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evang. Matthæi, vi, 9 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis.

cundo autem ponit ea quæ in oratione potissime sunt petenda.

Primum notatur in hoc quod dicit:

« Pater. »

Quod est nomen fontis naturæ, et nomen affectus: quia Pater est a quo fluunt omnia: et Pater est ex quo in nos, et a nobis in ipsum dulcissimus tendit amoris affectus.

Quod enim Pater sit a quo fluunt omnia, patet ex hoc, quod Pater est qui producit Verbum, quod est ars plena rationum omnium viventium: in quo Verbo sicut in formali et effectiva causa est, ut fiant et producantur omnia. Psal. CIX, 3: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Pater enim genuit Verbum existens in omnibus splendoribus sanctitatis et Sanctorum, hoc est, mundorum: a quibus etiam, sicut Plato dicit, mundus vocatur *mundus:* sicut jam in antehabitis hujus libri nos dixisse meminimus. Matth. XI, 25, et Luc. X, 11: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Pater ergo sic vocatus est tota Trinitas, quæ pater noster est secundum verissimam patris rationem, quæ colligitur ab Aristotele in Libris *Animalium* [1], quod pater est qui sui aliquid habet in alio: unde ille constat in fieri et esse perfecto.

Pater enim summus in nobis habet virtutem, spiritum, et imaginem: sicut omnis pater verus habet in filio. Virtutem quidem qua provehimur ad esse, et bene esse: spiritum autem quo formamur: et imaginem qua assimilamur. Per virtutem enim in ipso vivimus, per spiritum in ipso eodem movemur, et per imaginem suam sumus in ipso id quod sumus [2]. Virtutem largitur Pater, quia sibi attribuitur potentia: spiritum autem dat, quia generat per adoptionem: imaginem autem, quia filiis dat potestatem filios Dei fieri [3].

De virtute dicitur, Isa. LXVI, 9: *Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus?* hoc est, virtutem generandi non habeo? Imo est in eo virtus pariendi, in qua fundatur omnis virtus generationis. Et sic dicitur « *Pater* » per creationem. Isa. LXIV, 8: *Nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Per virtutem enim productivam *Pater* est *noster* per creationem. Ad Ephes. III, 14 et 15: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.* Et hoc est primum, in quo Pater cœlestis suam in nobis ostendit paternitatem: quia dat posse ad esse, et bonum, sive bene esse. Joan. I, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Et si natura in nobis aliquid accipit de ista potestate, hoc non est alia de causa, nisi quia natura est creatum exemplatum ad potestatem Patris. Solus enim Deus Pater est. De quo verum est quod dicitur, ad Roman. IV, 17: *Qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt,* scilicet sua virtute et potestate. Et quod natura patris carnalis in nobis pullulat a non esse in esse, hoc habet ab illa Patris virtute, et efficienter, et exemplariter. Et similiter, quod sacramentum Baptismi confert esse spiritualiter generans, hoc est etiam exemplariter ab illa virtute. Et similiter, quicumque corde jam pullulat a non esse gratiæ in esse gratiæ, jam in se sentit hanc virtutem: quia jam fingit eum Deus ad esse. Et sic dicitur *Pater* per creationem. Jerem. XVIII, 6: *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Psal. XXXII, 15: *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Psal. L, 12: *Cor mundum crea in me, Deus, et spiri-*

[1] Cf. De Animalibus, Lib. XVI et XVII.

[2] Act. XVII, 28: *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.*

[3] Cf. Joan. I, 12.

tum rectum innova in visceribus meis. Sic non de Filio naturali tantum intelligitur quod dicitur, Psal. II, 7 : *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Numquam enim fons generationis divinæ arescit : sed semper fundit virtutem, ex qua tales filii fingantur et formentur tam secundum esse naturæ, quam secundum esse gratiæ.

Hoc est ergo primum, quod sui habet in nobis Trinitas Pater noster Deus, virtutem scilicet sic ad esse nos deducentem.

Dicitur etiam *Pater*, quia spiritum adoptionis filiorum habet in nobis. Hic autem spiritus confert nobis jam per gratiam existentibus vitam, et motum, et sensum sive cognitionem, et affectum. Et divinam vitam quidem, quia nobis eam influit. Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Et hæc est vita, qua primo in utero matris Ecclesiæ vivere incipimus, et vitam nostram manifestare : et cor nostrum aperitur ad fontem vitæ Patris cœlestis. Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Psal. XXXV, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ.* Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus.* Joan. I, 3 et 4 : *Quod factum est, in ipso vita erat.* Et quos sic non vivificat Pater, abortivi sunt ad nihilum valentes. Job, III, 16 : *Sicut abortivum absconditum non subsisterem.* Unde etiam Apostolus, quamdiu hanc vitam non habuit, seipsum abortivum reputavit, I ad Corinth. XV, 8 : *Tamquam abortivo visus est et mihi Dominus.* Hæc enim vita motus est Dei Patris in hominem ad commovendum cor ejus in vita Dei, ut Deus vivat in ipso : et non vivat sibi homo. Ad Galat. II, 20 : *Vivo, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Sic dicitur, Eccli. IV, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspiravit.* Sic dicitur, Ezechiel. XXXVII, 9 : *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Et hoc est primum beneficium paterni spiritus in nobis.

Est secundum beneficium Patris : quia postquam ad esse spirituale formavit per virtutem paternam, inspirat nobis vitam per spiritum paternum. Hic est spiritus qui dat motum in gratia, ut moveamur postquam vivificati sumus. Est hic motus spiritus, impulsus quidam cordis ad Dominum, ex quo venit spiritus. Isa. XXV, 4 : *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* Robusti sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, quorum virtuosus spiritus statim ut cor filiorum Dei intraverit, motum dat salutis ad Deum in desiderio spirituali. Sic impletur illud Isaiæ, II, 22 : *Cujus spiritus in naribus est* : quia statim flare in naribus incipit Spiritus sanctus. Genes. II, 7 : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ : et factus est homo in animam viventem.* Sic dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, 45, quod *novissimus Adam* factus est *in spiritum vivificantem*, hoc est, vitam gratiæ per motus cordis manifestantem. Hoc spiritu moventur animalia Dei sequentia spiritum [1]. Et, ibidem, Ezechiel. I, 19 et seq., eodem spiritu moventur et rotæ sequentes animalia : quia ubi erat impetus spiritus, illuc sequebantur et gradiebantur animalia Dei, quæ significant Dei filios, et circularia corda eorum, quæ a Deo incipiunt omnem suum motum : et per Deum dirigentem, in Deum terminant motus suos per sanctam intentionem. Sic enim circumeunt.

Tertium autem quod dat spiritus Patris, est cognitio per intellectum, et affectio per charitatem. Sapient. VII, 22 : *Est enim in illa*, scilicet sapientia, *spiritus intelligentiæ, sanctus.* Intelligentiæ quidem per cognitionem, et sanctus per charitatis affectionem : et in hoc spiritu incipit filius cognoscere et invocare Patrem

[1] Cf. Ezechiel. I, 12.

divinum. Et de primo horum, I ad Corinth. II, 12, dicit Apostolus : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* De secundo dicitur, ad Roman. VIII, 15 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore : sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (*Pater.*) Sic spiritu suo, quem habet in nobis Pater summus, deducit nos ad esse, et vitam, et motum, et cognitionem, et affectionem filiorum. Et quia ducit ad esse, Pater est per creationem : et hoc facit per creativam virtutem. Et quia dat vitam, et motum, et intelligentiam, et affectionem, Pater est per adoptionem. Et istis etiam modis virtus patris carnalis, et spiritus datus ab ipso operantur, in generatione carnali : sicut sciunt omnes, qui bene didicerunt naturas generationis humanæ.

Adhuc autem *Pater* est per assimilationem : et sic de suo habet in nobis imaginem nos sibi assimilantem, quantum est possibile creaturæ assimilari Creatori. Et hoc est quod dicit, Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et hæc imago quasi *imitago* vocatur, quia facit nos imitari similitudinem et exemplar Patris cœlestis. Eccli. XVII, 2 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Sicut enim pater carnalis nativitatem filii (nisi natura erret) promovet semper usque ad perfectam similitudinem ipsius, ita Pater spiritualis promovet spiritualis hominis generationem usque ad similitudinem divinam, nisi obicem ponat homo. Hæc autem imago distinguitur tripliciter ab Augustino in Glossa super illud Psalmi IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : dedisti lætitiam in corde meo.* Est enim imago creationis, recreationis, et imago similitudinis. Et omnes has tres imagines habet in nobis Pater cœlestis, sicut ante colligitur. Imago creationis est in tribus, sicut dicit Augustinus super *Genesim ad litteram* : « In naturali imitatione, in naturali potestate, in naturali origine. »

In naturali imitatione : quia sicut Deus habet potestatem et liberam facultatem ad cognoscendum verum et bonum, ita et homo habet facultatem ad cognoscendum et quærendum et faciendum per gratiam Dei. Genes. III, 22 : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Homo ergo qui Deum vocat Patrem, in hoc debet imitari, quod veritatem agnoscat et diligat sicut Deus, et bonitatem cognoscat et diligat sicut Deus. Psal. IV, 6 : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ?* Et hoc, supple, inconveniens est : quia *signatum est,* hoc est, sigillatum in suprema parte animæ, *lumen vultus tui super nos :* quo cognoscere, et libere quærere, et facere possumus bonum. Et in hoc *dedisti lætitiam in corde meo.* Ab hac imagine degener filius efficitur alienus a semine divino. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi : filii alieni inveterati sunt,* scilicet per imaginis deformationem : *et claudicaverunt a semitis suis,* in quibus meam imaginem debuerunt imitari. Hi sunt qui in pecorinam et ferinam mutantur imaginem pro diversitate passionum, quibus commutantur. Psal. XLVIII, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Et tales non vere vocant Deum *Patrem.*

Est autem imago recreationis, quæ quasi pictura et color serenat et decorat creatam imaginem. Et hoc, sicut dicit Glossa, est fides, spes, et charitas. Fides enim vultum animæ per lucem veritatis purificat et venustat : spes autem æternorum bonorum exhilarat et elevat : et charitas grato calore et rubricante faciem accendit, et roseum super candorem lilii inducit colorem. Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Iste filius est speciosus præ filiis hominum, qui in decore et similitudine divina sic præfulget. Act. VI, 15, dicitur de sancto Ste-

phano quod omnes intuebantur vultum ejus, tamquam vultum Angeli stantis inter illos. Ab hac imagine degenerant, qui defectu formatæ fidei filii diffidentiæ secundum Apostolum efficiuntur [1] : et defectu rerum sperandarum turpibus tradunt seipsos : et defectu charitatis divinæ scatent scatebra libidinum carnalium : quos plangit Jeremias, Thren. IV, 2, dicens : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Filii enim Sion sunt filii speculationis æternæ : inclyti per imaginem divinam : amici autro primo per fidem, spem, et charitatem, quæ conferunt eis splendorem serenitatis, et hilaritatis, et gratæ pulchritudinis. Sed per peccatum computati sunt in vasa testea ad turpem usum deputata : quando nihil nisi terrenum remanet in eis. Opus autem manuum figuli summi amittere non possunt : et hoc turpe et indecorum retinent.

Imago autem similitudinis est, quæ est in assimilatione memoriæ, intelligentiæ, et voluntatis. Et hoc, quantum nunc ad propositum sufficit, est, ut forma Patris continuo sit in memoria, et splendeat in intelligentia, et fortissimo desiderio affectata sit in voluntate. Et hoc forte est diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni mente tua [2] : ut nihil oblivionis a facie Patris interrumpat memoriam, nihil erroris vel obnubilationis phantasticæ seducat intelligentiam, nihil concupiscentiæ illiciat voluntatem, et ab affectu rectæ similitudinis Patris avertat. Sic filii sunt de quibus dicitur, I Canon. Joannis, III, 2 : *Nunc filii Dei sumus : et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit,* hoc scilicet quod erimus, ex divina paternitate, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* In nobis autem sic eum videbimus. Isti dignissimam in se vident Patris cœlestis similitudinem : et ideo verissime vocant eum *Patrem.* Psal. LXXXVIII, 27 et 28 : *Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum :* quia primus est inter spiritualiter genitos, qui sic præfert imaginem Patris.

Adhuc autem, sicut diximus, ex Glossa super *Genesim ad Litteram* colligitur, quod imago est etiam in similitudine potestatis, et similitudine originis. In similitudine quidem potestatis : ut sicut Deus præest omnibus ad nihil ignobiliter inclinatus, ita homo præsit sibi subjectis, ad nihil inclinatus sibi subjectorum. Dictum est autem ut præsit piscibus maris, et volatibus cæli, et reptilibus, et bestiis terræ [3], ad nihil horum ignobiliter inclinatus. Et hoc ostendit recta et erecta statura hominis : quia, sicut dicit Poeta Ovidius,

> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit : et erectos ad sidera tollere vultus [4].

Et hoc fit per hoc quod Dominus est homo omnium, non scabellariter ad aliquod inferiorum per amorem vel imitationem inclinatus. Psal. VIII, 6 et seq. : *Gloria et honore coronasti eum : et constituisti super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et ille talis non degenerans a gloria Patris, merito vocat et invocat Patrem gloriæ, *Patrem.* Isa. XXII, 23 et 24 : *Erit in solium gloriæ domui patris ejus : et suspendent super eum omnem gloriam domus patris ejus.* Sic Patrem nominare non potest inglorius homo, quem Pater gloriosus erubescit vocare filium : qui vilia eligens, et cum infimis quærit habere conversationem, contra naturalem suam et propriam dignitatem : sicut, Ezechiel.

[1] Ad Ephes. V, 6 : *Venit ira Dei in filios diffidentiæ.*

[2] Cf. Deuter. VI, 5 ; Matth. XXII, 37 ; Marc. XII, 30 ; Luc. X, 27.

[3] Cf. Genes. I, 28.

[4] OVIDIUS, Lib. I Metamorphoseon.

XVI, 3 et 4, de quadam dicitur : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.* Chanaan, *transmutatio* interpretatur : quia filii gloriæ commutant generationem suam in nativitatem ignominiæ, et ibi figunt radices. Amorrhæus autem *amaricans* interpretatur, et significat Diabolum, qui in peccati persuasione configurat eos sibi per Cethæam matrem, quæ interpretatur *insaniens :* et significat concupiscentiam, in cujus vulva concipiuntur illi ignominiosi filii, significati per Ichabod, qui interpretatur *inglorius* : quia natus est quando translata est gloria Domini de Israel [1].

In similitudine autem originis, homo præfert similitudinem summi Patris : quia sicut ex Deo sunt omnia, ita ex uno homine tota prodiit humana natura : et sic Adam vere est ad imaginem Dei. Spiritualiter autem loquendo non omnis origo est commendabilis : sed origo divina a qua bona cuncta procedunt, et etiam ea quæ mala videntur, et in ipso bona sunt. Et secundum hoc in quo omnia, quæcumque in ipso sunt, vita sunt et lux : et sic procedunt ab ipso. Illa est divina origo et imago Dei. Talis autem homo a cujus intellectu non procedit nisi lux, et a corde suo vita, est imago Dei : et talis homo est de quo dicitur, Matth. XII, 35 : *Bonus homo de bono thesauro,* scilicet cordis sui, *profert bona.* Et, Matth. XIII, 52 : *Profert de thesauro suo nova et vetera.* Iste enim est imago Verbi Filii Dei, quem sicut thesaurum omnium bonorum de se genuit Deus. Sic dicitur Pater, Matth. XI, 25, et Luc. X, 21 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Parvuli enim in quibus est thesaurus sapientiæ et gratiæ, et a quibus talia procedunt, filii Dei sunt, quia talia procedunt ab ipso. Jacob. I, 17 et 18 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* A tali autem filiatione degenerant, a quibus non procedunt nisi mala et corruptiones : de quibus dicitur, Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.*

Sic igitur Pater est, qui sui aliquid habet in nobis. Per virtutem creatricem, Pater est creatione : per spiritum autem est Pater adoptione : per imaginem autem Pater assimilatione.

Hic *Pater* omne ad nos ostendit jus et bonitatem patris. Erudit enim, corrigit, recipit, et thesauros confert hæreditatis. Erudit, ut ejus recipiamus disciplinæ sanctitatem (alias, sanitatem) : corrigit per verbera, ne bona ipsius amittamus per indisciplinæ errorem : suscipit misericorditer revertentes, ut trahat ad fructum vitæ meliorem : thesauros congerit et largitur, ne inopia faciat filium deteriorem.

De primo dicitur, ad Hebr. XII, 9 et 10 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum, secundum suam voluntatem erudiebant nos : hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.*

De secundo, Proverb. III, 12, et ad Hebr. XII, 7 et 8 : *Quis filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis.*

De tertio, in Psalmo CII, 13 et 14 : *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Exemplum, Luc. XV, 20-24, ubi pater

[1] Cf. I Reg. IV, 21.

longe adhuc agentem recepit revertentem ad se filium, dicens: *Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus, et adducite vitulum saginatum...*, quia salvum illum recepi.

De quarto dicitur, II ad Corinth. XII, 14: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Isa. XLV, 5: *Dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus qui voco nomen tuum.* Thesauri autem isti sunt divitiæ gratiæ, et gloriæ. Et arcana secretorum sunt abscondita mysteriorum, quæ suis filiis Deus semper revelat.

Sic ergo vocamus eum *Patrem.*

Est autem *Pater* ad filium nomen honoris, et reverentiæ, et plenæ fiduciæ impetrandi quidquid petimus.

Quod enim nomen sit honoris summi, patet, Malach. I, 6: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus?* Exod. XX, 12: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

Quod autem sit nomen summæ reverentiæ et obedientiæ, patet, ad Hebr. XII, 7: *Patres carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos.* Et quia maxime revereri et obedire debemus Patri cœlesti, et nulli contra eum: ideo dicitur, Matth. XXIII, 9: *Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.* Matth. VI, 9: *Pater noster, qui es in cœlis.*

Quod vero summæ fiduciæ sit hoc nomen ad impetrandum omne quod petimus, dicit expresse Chrysostomus super *Matthæum*, in Originali. Unde, Luc. XV, 18 et 19: *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Et statim impetravit supra id quod petiit. Joan. XI, 41 et 42: *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Hoc enim non est tantum de Filio naturali verum, sed etiam de filiis adoptionis, quos semper audit Pater: et ideo sibi eos in paternitate conjungit, dicens, Joan. XX, 17: *Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.*

Sic igitur est *Pater*, omne ostendens ad nos naturale jus Patris, et paternum affectum, et fiduciam ipso nomine faciens impetrandi quidquid petierimus: unde, Joan. XVI, 23, dicit: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

« Sanctificetur nomen tuum. »

Hic post captationem benevolentiæ ejus a quo petendum est, ponit omnium quæ petenda sunt sufficientiam in quinque petitionibus, omnia quæ huic et futuræ vitæ necessaria sunt comprehendens. Quarum tres sunt de adeptione boni, et duæ de amotione mali.

Tres autem quæ sunt de adeptione boni dividuntur sic: quod duæ sunt de adeptione boni spiritualis, et una de adeptione boni corporalis.

Inter eas autem quæ sunt de adeptione boni spiritualis, una est de adeptione boni divini, quod invocatum est super nos: et alia est de adeptione boni meritorii, quod conducit ad bonum divinum.

Et ex hoc patet divisio petitionum istarum, et ordo: quia bonum est ante malum: sicut habitus est ante privationem. Et inter bona, spirituale bonum est ante temporale, quia dignius est illo. Et inter spiritualia bona, divinum bonum est ante meritorium bonum, quod conducit ad ipsum: sicut finis est ante id quod est id finem.

Prima ergo petitio (quæ divini et nobilioris boni est) est quod dicit: « *Sanctificetur nomen tuum.* »

Dicit autem tria: petitionem scilicet sanctificationis: et cujus petit sanctificationem, quia *nominis*: et cujus nominis, quia *tui*, hoc est, divini nominis in bonis.

Cum autem sanctificari idem sit quod purificari, et emundari, et confirmari : sanctificatur nomen divinum in nobis sex modis. Emundatur enim per immundantium et inquinantium abjectionem : depuratur autem per impurorum separationem : et manifestatur per obscurantium ipsum illuminationem : clarificatur per venustantium appositionem : confirmatur autem per inscriptionem, et fortissimam cordis impressionem. Et sic oramus : « *Sanctificetur nomen tuum.* »

De emundatione nominis divini dicitur, Ezechiel. XXXVI, 2 : *Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter Gentes.* Sanctificat autem Deus Pater nomen suum in nobis, quando immundas cogitationes et sermones et actus abstergit a nobis per gratiam et pœnitentiam : ut nihil in nobis appareat nisi id quod nominamur a tanto Patre. Amos, II, 7 : *Filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.* Immunditiis enim stupri et aliorum carnalium peccatorum, sanctitas sive munditia Patris Dei in nobis ingenita polluitur et violatur.

Et iterum sanctificatur, quando nomen Patris sancti in nobis emundatur, et mundum custoditur. Ezechiel. XLIII, 7 : *Non polluent ultra domus Israel nomen sanctum meum, ipsi et reges eorum, in fornicationibus suis.* Ideo enim dicit, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Ut sanctitas Patris innata nobis custodiatur : et si polluta est, iterum emundetur ad normam munditiæ divinæ. Ideo etiam improperat Dominus quibusdam, Isa. LII, 5 : *Jugiter tota die nomen meum blasphematur,* scilicet inter Gentes. Nomen enim mundi et sancti Patris blasphemare facit immundus filius, sequens carnis immunditias : sicut fecit filius prodigus, qui omnem substantiam suam consumpsit, vivendo luxuriose cum meretricibus [1]. Talia enim peccata immunditiarum, carnalium præcipue, contraria sunt sanctificationi et munditiæ, quæ innata est nobis a Patre, cujus sanctitate sancti esse debemus, qui tam mundus est, ut dicitur, Sapient. VII, 25, quod propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit in illum. I ad Thessal. IV, 3 et seq. : *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii.* Sicut enim et ex patre carnali innascitur filio id quod naturale est patri carnali in corpore, ita ex Patre spirituali innasci debet nobis munditia sive sanctitas Patris spiritualis, ut non tantum præferamus imaginem ipsius, sed etiam præferamus munditiam suæ sanctificationis, et denominemur ab ipsa. Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus.*

Nomen etiam divinum si sanctum esse debeat et sanctificari, purificandum est ab his quæ sibi ad impuritatem permiscentur. Sic enim sanctum dicitur ἅγιος, quod est *sine terra.* Terrenorum enim admixtio et concupiscentia splendorem offuscat nominis divini in nobis : et hoc est in conscientiæ depuratione a terrenorum appetitu. Ideo dicitur, III Reg. VI, 20, quod Salomon operuit et vestivit oraculum ex auro purissimo. Et similiter Moyses texit arcam auro purissimo [2]. Sicut aurum autem purissimum ab omni fæce terrena purgatum est, ita conscientia nihil in se terrenum habens, pura est : et divinum nomen quod ex Patre cœlesti est, in ipsa purificatum dicitur. Ideo, Sapient. III,6, dicitur, quod Sanctos probat Dominus. Dicitur enim sic : *Tamquam aurum in fornace probavit illos :* ut ad purum decoquantur. Purum enim est in qualibet natura, quod alienæ naturæ, non est admixtum. Ita semen divinum quod ex Patre cœlesti in nobis est, purum est quando nihil habet admixtum

[1] Cf. Luc. XV, 13.

[2] Cf. Exod. XXV, 11.

alienum. Ideo, II Paralip. IV, 21, dicitur, quod omnia quæ ad ritum templi facta sunt, omnia ex auro purissimo et mundissimo sunt facta : quia in his quæ ad Deum pertinent nihil debet esse nisi pure divinum. Et tunc est ἅγιος, hoc est, sanctificatum vel depuratum. Psal. XVII, 21 : *Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.* In quibus nihil debet esse nisi purus divinus flos virtutis, nobis ex Deo innatus. Proverb. III, 14 : *Primi et purissimi fructus ejus.* Quia primum, ideo nihil ante ipsum, et quia purissimum, ideo nihil habet admixtum.

Sic igitur sanctificatur nomen per alienæ naturæ depurationem. Et ideo dicitur, Osee, I, 11 : *Ascendent de terra, quia magnus dies Jezrahel.* Ascendit enim de terra, qui se elevat de terrenitate : et tunc est magnus dies Jezrahel, quod *semen Dei* interpretatur : quia tunc nihil in nobis apparet nisi semen divinum.

Sanctificatur etiam nomen Dei per obscurantium ipsum in nobis manifestationem. Sæpe enim nomen Dei immundis actibus non est inquinatum, nec pulveri terrenorum admixtum : sed tamen adeo est obscurum quod non bene est manifestum, nec bene agnoscitur in nobis cujus simus nominis. Oportet ergo in hoc nomen Dei sanctificari, quod manifestetur cujus simus nominis. Hoc autem cognoscitur per divinorum manifestationem. Sicut et in naturis per naturam et causam propriam rei formalem cognoscitur nomen illius naturæ : sicut nomen hominis, et nomen equi, et nomen asini, et hujusmodi : ita etiam in divinis cognoscitur et manifestatur nomen Patris divini, ubi figura et proprietas ejus in nato manifestatur. Sic enim dicit in Psalmo LXXXI, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Generatio enim Dei in nobis manifestatur (qua *dii* dicimur) si nihil in nobis appareat nisi divinum, et nobis a Patre cœlesti ingenitum. Et hoc omnibus per exemplum exterius fit manifestum. Joan. X, 35 : *Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est*, hoc est, qui sermonem Dei (qui est verbum et imago Dei) in opere compleverunt : quia in illorum vultu apparet, quod nomen Dei in eis sanctificatum est. Unde et Judæos Dominus convincens, Joan. X, 36, dixit : *Quem Pater sanctificavit*, hoc est sanctum mundo præmonstravit, *et* sic *misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.*

Nomen istud multi obnubilant adeo, quod nescitur utrum ex Deo vel ex mundo sint. Unde, I Joan. III, 3 : *Omnis qui habet hanc spem in eo,* scilicet quod sit filius Dei, *sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* Talis autem est qui omnia a se abjicit opera tenebrarum et dubietatis : ut in luce diei possit manifestari. Sic enim dicitur, Joan. XVII, 16 : *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi,* hoc est, nomen tuum cordibus eorum impressum ad manifestum eduxi : ut omnes clare videant quia sunt filii Dei. Sicut dicitur, ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Abjiciamus opere tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus,* hoc est, in lumine divino. Ad Ephes. V, 8 : *Ut filii lucis ambulate.* Qui enim non in manifesto, sed in latebris ambulant, non ambulant in veritate. Et ideo divinum nomen in eis occultatur, et non sanctificatur, sed obtenebratur.

Sic sanctificatur nomen, quando celebre et grande efficitur per ejusdem nominis in divinis actibus publicam manifestationem. II Reg. VII, 9 : *Feci tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terra.* Ruth, IV, 11 : *Habeat celebre nomen in Bethlehem,* hoc est, inter eos qui Deo fructificant. Hoc enim modo id quod sanctificatur, celebratur. Quia, sicut dicit Philosophus, sanctitas est virtus quæ scire facit quæ ad Deum justa sunt. Et ideo quando aliquis se illa scire per effectum ostendit, tunc nomen Dei, quod super eum invocatum est, sanctificat. Jerem. XIV, 9 : *Nomen tuum invocatum est super nos,* Domine Deus exer-

cituum. Ubicumque enim divinum nomen manifestum est in actibus, ibi ab omnibus invocatur.

Sic ergo sanctificatur ad celebrandum, quando manifestatur.

Sanctificatur etiam, quando clarificatur ut effulgeat et splendeat in gloria, quod latet in humilitate. Et sic sanctificatur in Sanctis, quando mirificatur : quando scilicet mirabilis Deus in Sanctis suis et videtur, et prædicatur. Psal. IV, 4 : *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum.* Joan. XII, 28 : *Pater, clarifica nomen tuum*, scilicet hominibus, hoc est, clarum in gloria nominis splendere facito. Judicum, XIII, 18 : *Cur quæris nomen meum quod est mirabile ?* Sic enim *mirabilis* est *Deus in sanctis suis* [1] : et in sanctitate sua Sanctos, qui nomen invocant, facit sanctificatos : et per sanctitatem talem nominis, etiam quidam eorum catalogo Sanctorum adscribuntur. Psal. LXIV, 5 et 6 : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Quamvis autem non omnes Sancti faciant ea quæ vocamus *miracula*, tamen hoc miraculum fit in omnibus, quod pusilli et pauperes Diabolum vincunt, præsentibus non attendentes ad æterna suspirant, in carnis incendiis existentes cœlibem vitam ducunt. Et quod omnibus est mirabilius, simplices et illitterati secreta norunt divinorum consiliorum : et hoc est quod petit Psalmista, Psal. LXXXV, 17 : *Fac mecum signum in bonum : ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.*

Sic ergo sanctificatur nomen, quando clarificatur in mirabilibus gloriosis.

Est autem sanctificatio idem quod confirmatio. Et hoc fit dupliciter sicut diximus : per inscriptionem, ne deleatur : et per impressionem in mentis memoriam, ne aliqua oblivione recedat a corde. Fit autem inscriptio per litteram, et elementa quædam, et signa spiritualia : quibus legitur et in fronte, et in femore, et in vestimento. Nomen sanctificatur in fronte per publicam operis confessionem : in femore per sinceram in nomine Domini delectationem : in veste per honestæ conversationis virtutem. Unde, Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum.* Nomen enim Dei in nobis describitur, quando spiritu Dei in nobis similitudo Dei publice confitetur. Nomen autem cœlestis civitatis in nobis scribitur, quando omnia nostra ad exemplum Sanctorum Angelorum perficiuntur : ita quod in nobis legi potest omnium similitudo cœlestium. Nomen autem Filii novum nobis inscribitur, quando nova opera privilegiata Filii in meritis nostris figurantur : sicut cœlibatus in corpore, doctrina verbi in officii perfectione, et martyrii constantia in periculorum mortis perpessione : et quia scriptura hæc indelebilis est, ideo nomen sic inscriptum, est sanctificatum. Hæc enim scriptura sancta est Spiritu sancto exarata, Ezechiel. XI, 4 : *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium.* Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.*

Sic ergo inscriptum nomen, est sanctificatum : et sic a Christo scripti et signati sumus, et sanctificati.

Sanctificatur etiam et confirmatur per memoriæ impressionem : ut nulla oblivione hoc nomen umquam deleatur. Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Sicut dicit, Isa. XXVI, 8 : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ*, non enim esset in desiderio animæ, nisi semper in memoria esset dulce. Unde legitur de Cypriano [2] martyre, quod nomen Domini aureis litteris scriptum habuit in corde. Quia sanctificatum, hoc est, per memoriæ impressionem sic fuit

[1] Psal. LXVII, 36.

[2] Aliter, *Ignatio* (Nota edit. Lugd.)

confirmatum, quod seipsum in corde etiam corporaliter sigillavit. Et hoc est quod clamans desiderat Dominus in Canticis, VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum*, hoc est, sicut sigillum in profundum pertingens, in quo imago mea in te semper resultet. Sic sanctificatum sumitur, Eccli. XXIV, 16, ubi dicit sapientia : *In plenitudine Sanctorum detentio mea*, hoc est, ubi plena est confirmatio per impressionem.

Primam harum sanctificationum operatur munditia cordis et animæ, I ad Corinth. VII, 34 : *Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Secundam sanctitatem operatur spiritualitas, segregans cor a terrenorum pulvere interius fœdante, Isa. LII, 11 : *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : exite de medio ejus : mundamini, qui fertis vasa Domini.* Tertiam sanctificationem illuminatio facit spiritualis, ut divini nominis decor appareat : sicut dicitur, I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et hoc fit per elongantiam obscurantium spiritualium peccatorum : sicut est superbia, et ira, et invidia, et acedia. Hæc enim obscurant sanctitatem Dei. Luc. I, 75 : *In sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Quartam sanctitatem (quæ fit per clarificationem) operatur in nobis divinus splendor intus ingrediens, et extra in operibus splendens. Psal. CIX, 3 : *In splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.*

Primæ tres sanctitates significantur in Sanctis : et quarta significatur per sancta sanctorum [1]. Quinta sanctitas est confirmationis sanctitas, quæ fit scriptura authentica : sicut leges et jura sanciuntur. Et hoc fit, quando leges divinæ in nobis per doctrinam spiritus intus scribuntur in corde. Ad Hebr. X, 16 : *Dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas* [2]. Sic dicitur sanctum, ad Roman. VII, 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Sexta sanctitas (quæ est confirmatio memoriæ) fit per dilectionem : quia illa facit nomen Dei profundari in memoria, Jerem. LI, 50 : *Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

Sic ergo dicimus, « *sanctificetur* »

« Nomen, »

Quod a notamine dicitur : quia notam sui facit in animam, sicut character quidam consignans hominem Deo. Sicut enim patris carnalis virtus notam facit in nato, per quam facit characterem patris : et ideo imprimit ei nomen naturæ patris, ut dicatur et sit homo : ita nativitas divina characterem facit virtutis divinæ, per quam natus dicitur filius Dei, et participative dicitur Deus. Exod. VII, 1 : *Constitui te deum Pharaonis.* I ad Corinth. VIII, 5 : *Sunt dii multi, et domini multi, sive in cœlo, sive in terra.* Hoc enim nomen verissimum est, quod petimus sanctificari. Hoc enim est quod dicit Joannes in I Canon. III, 2 : *Nunc filii Dei sumns*, supple, participando divinitatem, *et nondum apparuit quid erimus :* quia nondum nomen est sanctificatum per depurationem et confirmationem. *Scimus quoniam cum*, scilicet in sanctificatione perfecta, *apparuerit* nomen illud cum re nominis, *similes ei erimus*, id est, participatione deitatis, et non æqualitate : *quoniam* tunc in nobis *videbimus eum sicuti est* in suæ perfectione participatæ deitatis. Hoc est igitur *nomen quod est super omne nomen* [3], quod petimus sanctificari : quia sanctificatione sua perfecta nos perfecti sumus, hic secundum gratiam, et in futuro secundum gloriam.

Hoc autem nomen, quamvis sit multi-

[1] Cf. Exod. XXVI, 34.
[2] Cf. Jerem. XXXI, 33.
[3] Ad Philip. II, 9.

plex, tamen quintuplex est secundum relationem suæ deitatis ad nos, secundum quam nos deificat. Unum autem est *Deus*, quod est nomen naturæ divinæ. Alterum autem est, *Qui est*, quod est nomen æternitatis divinæ. Tertium autem est, *Dominus*, quod est nomen divinæ potestatis. Quartum autem, *Jesus*, quod dicit Deum humanatum. Quintum, *Christus*, quod dicit hominem deificatum : sicut dicut Damascenus.

Primum scilicet nomen, *Deus*, quatuor operatur in nobis : naturæ scilicet divinæ similitudinem per adoptionem, intellectus illuminationem per divinam limpidam visionem, interiorem et exteriorem circuitionem per provisivam ejus virtutem, et nostri curam per suam perfectam providentiam. Et per primum vocatur *Pater*, per secundum autem *illuminator*, per tertium vocatur *custos*, per quartum autem *gubernator*. Per primum format, per secundum autem oculos illuminat, per tertium impedimenta removet, per quartum autem dirigit in dubiis.

De primo dicitur, Isa. LXIV, 8 : *Pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Eccli. XVII, 1 et 2 : *Secundum imaginem suam facit hominem :... et secundum se vestivit illum virtute.* Et sic dicitur, Jerem. XIV, 9 : *Nomen tuum invocatum est super nos.*

De secundo, dicit Psalmus XVII, 29 : *Tu illuminas lucernam meam, Domine : Deus meus, illumina tenebras meas.* Psal. XXXI, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Joan. I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sic etiam cæcutiens Simeon illuminatus clamavit, Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.*

De tertio dicitur in Psalmo CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Semper enim castra nostra circuit. Deuter. XXIV, 14 : *Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te, et tradat tibi inimicos tuos : et sint castra tua sancta, et nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.*

De quarto dicitur, Proverb. XI, 14 : *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.*

Hæc enim quatuor sunt in hoc nomine, *Deus*. Imponitur enim hoc nomen naturæ divinæ quæ fœcunda est : et ideo uterus quidem semper gignens dicitur in Psalmo CIX, 3 : *Ex utero ante luciferum genui te.* Job, XXXVIII, 29, 28 : *De cujus utero egressa est glacies ? et quis stillas roris genuit ?* Pater autem est istius creati, quod ad suam producit similitudinem ut dicit Augustinus. Damascenus autem dicit, quod Θεός Græce sonat *visionem*, quia θεωρέω-ῶ, est *videre*. Et sonat circuitionem, quia θεάσθην, *circumire* : quia circuit omnia quæ sua fruuntur providentia. Et etiam sonat *ardere*, propter curam quam habet suorum : sicut etiam in antehabitis dictum est. Deuter. IV, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.*

Est autem proprium nomen substantiæ divinæ, *qui est*, quod a tribus perficitur : veritate scilicet entitatis, identitate, stabilitate. Veritate scilicet, quia vere est : in comparatione cujus ea quæ ab alio vel per aliud sunt, non sunt, sicut dicit Augustinus. Identitate, quia unum et idem est quod simplex est : in comparatione cujus non sunt quæ ex diversis et diversa sunt. Stabilitate, quia in se stabile, nihil exspectans in futurum, et nihil abjiciens in præteritum : in comparatione cujus non sunt quæ numquam in eodem statu permanent.

De primo dicitur, Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus, et rectus.* Glossa : « Fidelis, hoc est, verus absque defectu, justam et rectam habens entitatem et substantiam, non deflexam ad privationem vel ad non ens.

De simplicitate sive identitate dicitur in Psalmo CI, 28, et ad Hebr. I, 12 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non de-*

ficient. Hic enim, ut dicit Boetius, idem vere et simplex est, in quo nullus numerus, quod nulli nititur. Quod autem quibusdam vel cuidam nititur ut sit, non vere simplex est.

De immutabilitate dicitur, I ad Timoth. VI, 16 : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*. Et in Glossa ibidem dicit Augustinus, quod « vera immortalitas est vera est immu- « tabilitas : quoniam in his quæ mutan- « tur, ipsa sua mutatio nonnulla mors « est. » Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur*.

Hoc nomen etiam in nobis sanctificatur, quando veritatem ipsius participamus per veritatis perceptionem et falsitatis et vanitatis abjectionem : quando depuramus simplicitatem Dei per intentionis nostræ simplicitatem, ut simplici intentione non ad aliud, sed ad ipsum tendamus : et quando immutabilitatem ipsius per constantiam nostri propositi percipamus.

De primo horum dicitur, Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Vani autem non sunt in veritate : quia vanum est, quod finem ad quem dirigere videtur non includit, Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*. Quia ad veram entitatem non perveniunt, Psal. IV, 3 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Falsi autem sunt, qui cum aliquid prætendant, aliud interius habent, Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Mendaces autem, qui hoc quod dicunt vel promittunt in sacramentorum perceptione, vel voti emissione non persolvunt, Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax*. Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus*.

Abdicantes autem mendacium oris et operis, et separantes se ab omni falsitate, et fugientes vanitatem, sanctificant in se veritatem, hoc est, puram Dei entitatem : sicut petit Dominus, Joan. XVII, 17 : *Sanctificata eos in veritate : sermo tuus veritas est*. III Esdræ, IV, 36 : *Omnis terra veritatem invocat, cœlum etiam ipsam benedicit, et omnia opera moventur et tremunt eam, et non est cum ea quidquam iniquum*. Et, ibidem, ℣. 38 : *Veritas manet, et invalescit in æternum, et vivit, et obtinet in sæcula sæculorum*.

Vera autem identitas per simplicitatem participatur a nobis, et sanctificatur per duplicitatis emendationem. Sapient I, 1 et 2 : *In simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum*. Hoc modo nomen non sanctificat, qui vel est dubius de Deo, vel duplex. Dubius enim dicitur, quasi duvius, hoc est, qua via ambulet Dei nescius, Jacob. I, 6 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur*. De duplici, Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis*. Jacob. I, 8 : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis*. Hi sunt non simplices, neque simplicitatem Dei in se sanctificantes. Sed sanctificantes sunt, qui ad unum et idem simplex, simplici corde procedunt et contendunt. Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, hoc est, in pace cordis contendam ad id quod est idipsum : et in hoc dormiam, quia ab omnibus aliis sensus et appetitus claudam : et in ipso, nihil præter ipsum quærens, requiescam. Psal. XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram*. Matth. VI, 22, et Luc. XI, 34 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Psal. CXXI, 3 : *Cujus participatio ejus in idipsum*. I ad Corinth. I, 10 : *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*.

Immutabilitatem autem participamus per constantiam propositi, sicut diximus,

quod scilicet cor a vacillatione, et opus a trepidatione purificetur. Tunc enim nomen illud sanctificatur, et manifestatur, et clarificatur. I Reg. I, 18 : *Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.* Exod. XIV, 13 et 14 : *Nolite timere : state : ... Dominus pugnabit pro vobis*, scilicet contra illos. II Paralip. XX, 17 : *Confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.*

Sic igitur nomen, *qui est*, sanctificatur in nobis.

Hoc autem nomen, *Dominus*, nomen est potestatis, ut dicit Ambrosius.

Potestatis autem perfectio in tribus consistit : in gradus superpositione, in instrumentaliter obsequentis ad potestatem perfecta possessione, in continendi potestatem fortitudine. Oportet enim eum, qui participat potestatem divinam, poni in alto super alios : ut alii non sint ejusdem potestatis. Et sic, Exod. VII, 2, Moyses dicitur deus Pharaonis, quantum ad altitudinem potestatis divinæ. Oportet ut abundanter habeat ea, quæ huic potestati deserviunt tamquam instrumenta ipsius, et sine quibus non perficitur in actu : sicut sunt amici et amicorum copia, et divitiæ, et apparatus qui pertinet ad potestatem. Oportet etiam quod in ipso, qui utitur potestate, sit virtus continendi eos, super quos accipit potestatem contra inimicas fortitudines : quia aliter excutietur potestas ejus.

Et secundum hæc tria nomen Patris *Domini* sanctificatur in nobis : quando ista in nobis depurantur, et clarificantur, et describuntur in nobis confirmata. Et tunc sumus filii *Domini*, sicut fuimus dii ex Deo Patre. Sicut enim Deus Deum generat, sic etiam Dominus generat Dominum. Omnibus autem superponimur per gloriam et honorem. In nullo deficimus in instrumentaliter operantibus per gratias et virtutes et illarum copiam et scientiarum. Continendi autem omnia nostra virtutem accipimus per præsidia suffragiorum divinorum, Angelorum, et Sanctorum.

De primo dicitur de Domino homine in Psalmo VIII, 6 et 7 : *Gloria et honore coronasti eum : et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Sic, Genes. XXVII, 29, dicitur : Jacob, *esto dominus fratrum tuorum : et incurventur ante te filii matris tuæ*, scilicet, Ecclesiæ. Et, ibidem, ℣. 37 : *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi.* Hoc autem fit per actus dominales et virtutes, qui in supremo constituunt. I Reg. IX, 2 : *Ab humero et sursum eminebat super omnem populum.* Ab humero eminet, qui fortitudine operationis et sustinentiæ passionum Dei, super alios omnes divina operatur et patitur. Et ille in alto coram Deo jam est constitutus : sicut dicitur in Psalmo CXII, 5 et 6 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra ?* Habitat enim Dominus honoris sic in altis, qui tamen in oculis suis humiles sunt. Isti sunt in quorum persona dicit Apostolus, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Numquam ergo ad pedestria calcanda et scabellaria inclinati sunt. Sed tota voluntate in altissimis cœlestium perfectionibus conversationis ducere vitam, hoc Dominum se esse probat quantum ad primam partem dominationis.

Instrumentaliter autem ad hæc juvantia sunt virtutes, et scientiæ, et alia cooperantia. Non enim ad gloriam altitudinis istius se erigere poterit, qui in aliqua virtute deficit. Unde Dominus, Job, XL, 5, dicit : *Esto gloriosus, et speciosis induere vestibus.* Et præmisit : *Circumda tibi decorem, et in sublime erigere.* Decore enim virtutum omnium oportet esse renitentem, et speciosis operibus indutum, qui gloriosus in sublimibus debet esse erectus. Eccli. XLIV, 3 et 4 : *Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentia sua prædíti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in præsenti populo.* Omnia enim talia, sicut instrumenta quædam, sublevant hominem in sublime potestatis

divinæ, in qua nihil est impotentiæ. Breviter ergo concludendo : Quicumque omnia instrumenta virtutum et spiritualium habet adminiculorum, quibus omnia sua in potestatis perfectione fiant, et numquam declinet ad infirmitatis ostensionem : hic pro certo secundam partem hujus nominis, in se sanctificavit depurando et confirmando. Dico autem *infirmitatem voluntatis*, non corporis. Infirmitas enim voluntatis in peccatis est et vitiis : et hæc infirmitas contraria est potestati divinæ.

Sic etiam oportet ut in tertia parte continendi habeat fortitudinem, quia aliter dissipatur totum : quia aliter ea quæ sibi subjecta sunt, ad pacem reducere non posset. Unde, Job, XL, 6, dicitur ei qui sic in sublime est erectus : *Dispergе superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* Et hoc quidem facit homo Dominus in proprio corde, et paterfamilias in propria domo, et dominatus tenentes in commissis : vel oportet dispendium pati in dominatione. Hæc tria simul tanguntur, Esther, XIII, 9 : *Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* In hoc enim quod dicit *omnipotentem*, Regem in loco honoris dicit esse positum. In hoc autem quod dicit, *omnia in ditione sua esse posita*, notat quod omnia subservientia potestati habet in possessione perfecta. In hoc autem quod dicit, quod *non est qui possit resistere suæ voluntati*, notat quod habet virtutem et fortitudinem omnia continendi fortitudine invincibili. Et hoc dominium participat homo pro modulo suo, quando se in alto ponit, et subservientes ad hoc virtutes possidet, et se sic continendi contra tentationes inimici habet perfectam facultatem. Hæc etiam tria notantur, Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis.* In hoc enim quod dicit, *virtutibus divites*, significat omnium ad potestatem operantium perfectam possessionem. In hoc autem quod dicit, *pulchritudinis studium habentes*, significat ea quæ faciunt ad dignitatis exaltationem. Et cum subjungit, *pacificantes in domibus suis*, innuit ea quæ faciunt continendi fortitudinem.

Sic ergo sanctificatur et confirmatur in nobis participatio hujus nominis Adonai sive Dominus. Et sic dii et domini generantur a Patre cœlesti Deo et Domino.

Nomen autem quod nobis magis Deo conjungit, est JESUS, quod *salutaris* vel *salvator* interpretatur.

Hoc autem in nobis sanctificatur, quando a periculis separamur, et removemur per electionis gratiam a massa perditionis. Hoc autem fit, quando ab omnibus diffidentiæ actibus corde et opere removemur : ut salus nostra a Salvatore perfecta, speretur a nobis. Sicut dicitur, Habacuc, III, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* Eccli. LI, 1 et seq. : *Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te Deum, salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.* Hoc nomen non sanctificat, qui a periculosis se non depurat. Quod a metaphora vasis Apostolus, II ad Timoth. II, 21, convenienter dicit sic : *Si quis ergo emundaverit se ab istis,* contumeliosis, *erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Et hoc est etiam quod, Isa. VIII, 13 et 14, dicitur : *Dominum exercituum ipsum sanctificate : ipse pavor vester, et ipse terror vester : et erit vobis in sanctificationem.*

Nomen autem, *Christus*, dicit hominem deificatum chrismatis unctione.

Et hoc nomen participatur a nobis chrismatis sive unctionis participatione : unctio autem est gratiæ : et hanc unctionem participamus per gratiæ et gratitudinis participationem : et hoc est, quando nihil nisi gratiosum admittimus, et

in omnibus gratias agimus. I ad Thessal. v, 18 : *In omnibus gratias agite.* Sic participaverunt nomen illud isti, de quibus dicitur, I Paralip. xvi, 22, et Psal. civ, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Hoc autem nomen transfundit in nos Pater cœlestis, quando Filii sui unctionem per Spiritum et ejus dona in nos influit. Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum,* quod est Christus, ab unctione denominatus. Psal. xliv, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Hoc est unguentum, quod descendit a capite in barbam, hoc est, Apostolos, et a barba in oram vestimenti [1], ut omnibus unctio exhibeatur.

Sic ergo nomina Dei ex Patre in nos derivata sanctificantur : quia per emundationem mundificantur, et per terrenorum depurationem pura redduntur, et per abstersionem offuscantium revelantur et manifestantur, et per clarificationem pulchritudinis enitescunt. Et hoc totum continet nomen sanctificationis secundum quod sonat liberam ab omni inquinamento, et perfectam munditiam : secundum autem quod sonat confirmationem, sic impletur per inscriptionem in corde, et sigillationem sive impressionem indelebilem in memoria.

Hoc est ergo quod dicit : *Sanctificetur nomen tuum.* » Nomen enim Domini solius est sanctum in se : et ideo in nobis sanctificandum. Psal. cxlviii, 12 et 13 : *Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini : quia exaltatum est nomen ejus solius.* Quidam enim nomen suum quasi sanctum celebrant : de quibus dicitur, Psal. xlviii, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis :* et illi de nomine Dei non curant. Qui autem nihil attendunt nisi nomen Dei, quod invocatum est super eos, cum Psalmo cxiii, 1, dicunt : *Non nobis, Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.* Nomen enim a notamine dicitur. Et Sancti nullam de se notam et notitiam habere quærunt, nisi divinam : et ideo dicunt : « *sanctificetur* » per confirmationem, « *nomen,* » non nostrum, sed

« Tuum. »

Alii autem hoc nomen blasphemant. Jacob. ii, 7 : *Nonne divites blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos ?* Non ergo nostrum, quod in terra tantum vocatur, sed « *tuum,* » tam in terra quam in cœlo, « *sanctificetur.* »

Hæc igitur quinque nomina Dei in nobis sunt sanctificanda. Quamvis enim alia sint, sicut Ia, Sadai, et hujusmodi quæ Hieronymus ponit, et Eloim, et hujusmodi : hæc ad ista reducuntur, quia *Ia,* est idem quod Dominus. *Sadai* autem omnipotens : quæ omnipotentia, sicut patuit supra, in intellectu dominationis intelligitur. *Eloim* autem est plurale hujus nominis, vel, quod sonat Deum. *Adonai* autem idem est quod Dominus. Tria igitur prima nominant Deum : secundum substantiam enim nomen est, *qui est* : secundum virtutem autem nomen est *Dominus* : et secundum operationem propriam Dei, nomen est *Deus.* Omnis autem res perfecte habetur et cognoscitur, quando habetur et scitur secundum substiam, virtutem, et operationem. Duo autem residua sunt nomina : *Mediatoris,* per quem gratia et veritas facta est Jesus Christus. Jesus quidem secundum adventum Dei in nos : Christus autem secundum processum et profectum nostrum in Deum. Sic ergo, o Pater, « *sanctificetur nomen tuum.* » *Emma-*

[1] Psal. cxxxii, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.*

nuel autem sonat *Nobiscum Deus* [1] : et hoc est Jesus Christus.

« Adveniat regnum tuum. »

Hæc est secunda petitio, qua per meritum venitur ad præmium.

Tria autem in ea notanda occurrunt : unum quidem, quod principaliter petitur, est « *regnum :* » secundum autem, per quod determinatur, est « *tuum.* » Tertium autem modus percipiendi est hoc petitum : quod designat cum dicit : « *Adveniat.* »

Omittimus autem quorumdam irrationabilem distinctionem de multiplici regno Dei : quia supra tetigimus eam sufficienter. Et dicimus, quod quantum ad intellectum hujus petitionis in regno tria petuntur : decor videlicet regni, et virtus, et operatio justitiæ.

Decor autem regni consistit in corona, purpura, fibula, sceptro, et throno.

Corona autem, quæ ornamentum est capitis, ornamentum significat mentis, per ea quæ faciunt candentem et radiantem mentem. Hæc autem non sunt nisi quinque, scilicet, sapientia, intellectus, scientia, prudentia, et ars, ut dicit Philosophus. Sapientia quidem in cognitione altissimorum Dei et divinorum. Intellectus in cognitione principiorum fidei, et aliorum contemplabilium. In omnibus enim his oportet nos inniti quibusdam principiis, quorum veritatem præintelligere oportet. Scientia vero est cognitio eorum, quæ per rationes fidei et Scripturarum sunt probata. Prudentia, cognitio eligibilium ad vitam et operationes virtutum. Ars autem est cognitio eorum, quæ facienda sunt vel facta in exteriori materia : sicut in templis, et candelabris, et aliis divinis utensilibus. Sic enim ista quinque divinis rebus adaptantur. Ista ergo radiant in mente tanquam pretiosi lapides in corona.

De sapientia quidem dicitur, I ad Corinth. II, 6 et 7 : *Sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus seculi*, hoc est, Philosophorum, *qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est*, etc.

De intellectu autem dicitur, Proverb. I, 5 : *Audiens sapiens sapientior erit : et intelligens gubernacula possidebit.* Intellectus enim est veritatum suppositarum ex fide et Scriptura, ex quibus gubernamus nos et juvamur ad scienda divina.

De scientia autem, Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Qui enim arguta et probata ex fide et Scripturis non percipit et cognoscit, frustra de regimine sacerdotii præsumit, quia in regimine deficit.

De prudentia autem, quæ est eligibilium ad vitam cognitio, dicitur, Proverb. II, 2 : *Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam.* Sine hac enim etiam vitam suam et aliorum nescit regere, qui regnum sibi assumit.

De artibus divinis dicitur, Eccli. XXXVIII, 35 : *Unusquisque in arte sua sapiens est.* Sic etiam rex in arte regiminis sapiens esse debet : aut ipse peccabit in regendo.

Rex autem est cui advenit regnum, sicut patebit inferius. Coronam ergo regni in decore portare, est quinque ista in capite habere : ut sapientia sit superiora ornans : intelligentia anterius præcedens : scientia posteriora eliciens, et ideo posterius disposita : prudentia a dextris eligibilia discernens : ars autem in his quæ sinistra sunt et exteriora, per bonum ingenium semper utilia perficiens. Hæc est corona, de qua dicitur, Eccli. XLV, 9 : *Coronavit illum in vasis virtutis.* Et, ibidem, infra, ℣. 14 : *Corona aurea super mitram ejus*

[1] Cf. Matth I, 23.

expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis, etc.

Hic est igitur decor regni in capite.

Purpura autem significat ornamentum conversationis exterioris. Purpura enim ostreum est conchilium, quod de mari legitur : et suo humore sericum vestimentum tingitur, quo reges utuntur. Hoc autem Dominum Jesum signat, qui de mari, hoc est, multitudine amaritudinis legitur : et suo cruore vestimentum corporis et conversationis regum ejus rubricatur. Isa. LXIII, 2 : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Sic vestimentum conversationis regum Christi rubrum esse debet per colorem sanguinis, qui semper in eis debet apparere. Cantic. VII, 5 : *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Comæ capitis sunt opera a mente ordinante dependentia. Sicut enim in antehabitis diximus, omnia præordinat et præmensurat mens et ratio : et ordinate a mente descendunt omnia, cogitationes, verba, et opera, quæ vestiunt regem decore. Psal. XCII, 1 : *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Decor autem iste purpureus est in rege, in signum ultricis virtutis per sanguinem et in signum sanguinis Christi in spiritualibus : sicut jam diximus. *Non enim*, sicut dicitur, ad Roman. XIII, 4, *sine causa gladium portat.* In omnes enim gladio spirituali (qui est verbum Dei) ulciscitur contradicentes : sicut dicitur in Psalmo XCIII,1 : *Deus ultionum Dominus.* Hæc purpura regis est vincta canalibus Scripturarum doctrinis, quia secundum Scripturas et leges scriptas omnia operatur.

Fibula autem quæ magno decore munit pectus (et *monile* vocatur a quibusdam) et capitium stringit sub gutture, ne apertus sinus familiaria pectoris revelet indecenter, significat secretum consilii non omnibus esse revelandum. Tob. XII, 7 : *Sacramentum regis abscondere bonum est* Proverb. XI, 13 : *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.*

Sceptrum autem est signum directionis, semper florens in virtute et justitia, et semper frondens in sermonibus juris et æquitatis, et semper rectum in omni exemplo rectitudinis operum. Psal. XLIV, 7 : *Virga directionis virga regni tui.* Exod. IV, 17 : *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.*

Hæc igitur sunt insignia regalia, et decor regni. Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini :* in omni ornamento capitis per virtutes intellectuales : in omni ornamento totius corporis per purpuratam conversationem : in omni ornamento directionis in dubiis per sceptralem virgam frondentem et florentem.

Thronus autem in his, signat mentis tranquillitatem in omnibus fortunæ venationibus, et hujus sæculi tumultibus, et diversitate causarum. Psal. XLIV, 7 : *Sedes tna,Deus,in sæculum sæculi.* Quia quocumque modo sæculum et sæcula variantur, semper stabilis manet et inconcussus. Non enim regnat, cujus cor cum omni varietate concutitur et jactatur. III Regum, VII, 13 : *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum.* Psal. LXXXVIII, 30 : *Ponam in sæculum sæculi semen ejus : et thronum ejus sicut dies cœli.* Psal. LXXXVIII, 38 : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo.*

Hoc modo dispositum est regnum decoris, et decor regni.

Virtus autem *regni* consistit in tribus : uno quidem quod in se non sit ad humilia declinabile, suam semper et ubique tenens nobilitatem et altitudinem. Secundo autem, quod non infirmatam ad omnia magna habeat virtutem : quia per hoc est timori omnibus, quæ insurgere possent contra ipsum. Tertio autem, quod ordinem non excedat in reprimendo malitias, et continendo civilitates. Hic enim ordo præci-

pua pars est potestatis. Et in his tribus omnis consistit regni virtus et stabilitas. Et hæc tria regnum Dei Patris confirmant in nobis.

Ad humilia cor inclinabile non regnat, sed conculcatur a vilibus. Isa. LI, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Job, XX, 25 : *Vadent et venient super eum horribiles.* Et hoc accidit, quando singuli dæmones, et singula vitia vicissim conculcant hominem. Regnum autem tenet hominem in sublimi suæ nobilitatis et dignitatis. Ad Galat. II, 5 : *Neque ad horam cessimus subjectione.* Psal. XLVI, 4 : *Subjecit populos nobis,et gentes sub pedibus nostris.*

Virtus etiam ad ardua debet non esse infirmata per resolutionem alicujus mollitiei. Et hoc optime notat Salomon in Proverbiis, XII, 24, ubi dicit : *Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet.* Eccli. IV, 34 : *Noli esse inutilis et remissus in operibus tuis.* Ideo dicit Apostolus, ad Hebr. XII, 12 et 13 : *Remissas manus et dissoluta genua erigite : et gressus rectos facite pedibus vestris : ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

De ordinata autem repressione iniquitatis, et continentia civilitatis dicitur, I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia secundum ordinem fiant,* scilicet in vobis : ut non cum furore insurgatur contra malum, nec in dissolutione contineatur bonum. Et hoc est quod dicit Job, XXIX, 24 : *Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi :* quia non propter hoc dissolvi permittebam. Et, ibidem : *Lux vultus mei non cadebat in terram :* quia lætitiam quam prætendit inutilem, et dissolutionis causam esse non permisit. Ab altera parte, nec in insurgendo contra malum debet exagitare furor, sed ordine rationis comprimenda sunt mala. Eccli. IV, 35 : *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.*

Opus autem regni consistit etiam in tribus, scilicet, in ordine decernentis justitiæ, in distributione officiorum secundum ministros et ministeria congrua, et in virtutis exercitatione Ordo autem decernentis justitiæ est in ratione, officia congrua in viribus et membris, et virtutis exercitium in operis occupatione. Et sic est de patrefamilias in domo, et rege in regno ; qui recta decernit, et officia congrua singulis imponit : et de occupatione utili cujuslibet, in hoc quod sibi congruit.

De primo dicitur, Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Proverb. XVII, 26 : *Non est bonum damnum inferre justo, nec percutere principem qui recta judicat.* De secundo, I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I ad Corinth. XV, 23 : *Unusquisque in suo ordine.* De tertio, I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiusi llis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* II ad Corinth. VI, 1 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

Sic ergo regnum tale est quod petimus nobis advenire : quia sic pro certo et nos regnamus, et Deus regnat in nobis. Et sicut dicitur, Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Et qui sic non regnat cum Deo, sustinebit gravem comminationem quam rex noster facit, Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

Hoc autem est « *regnum.* »

« *Tuum,* » discretive : quia in eo Deus regnat in nobis, et nos cum ipso, et conducit ad regnum æternum.

De primo horum et secundo dicitur, Apocal. V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Regnum enim istud est sacerdotale, quia in sacris est : sicut regnum Melchisedech, qui rex pacis et rex

justitiæ interpretatur [1]. Apocal. III, 21 : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Hoc etiam regnum ideo « *tuum,* » hoc est, Patris cœlestis et æterni dicitur : quia et ostendit regnum cœleste, et conducit ad illud. De primo, Sapient. x, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* De secundo, Sapient. VI, 21 : *Concupiscentia sapientiæ conducit ad regnum perpetuum.*

Oramus autem ut hoc regnum « *adveniat* » nobis, quia per pœnitentiam quidem, qua corrigit illicita, nobis appropinquat : sed per justitiam advenit et obtinet in nobis : in futura autem vita consummatur. De primo horum dicitur, Matth. III, 2, et IV, 17, et Luc, III, 3 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et ideo Dominus cuidam se per pœnitentiam præparanti dixit, Marc. XII, 34 : *Non es longe a regno Dei.* Justitiæ autem in decore et virtute et operibus status, facit advenire et obtinere in nobis. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* De futuro regno, quod consummat omnia dicit, Matth. XIII, 41 : *Mittet Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.*

Sub hac petitione continetur illa quam Matthæus ponit tertiam, quæ est : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra* [2]. Quando enim regnum Dei perfecte advenit, non obtinet nos nisi per hoc quod conformis sit voluntas nostra voluntati divinæ, sicut in cœlo et in cœlestibus est conformis : sicut patet ex præ inductis : et tunc implebitur quod dicitur, Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit : et omnis voluntas mea fiet.* Isa. LXII, 4 : *Non vocaberis ultra derelicta et terra tua non vocabitur amplius desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata, quia complacuit Domino inte.*

« Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. » 3

Hæc est secundum Lucam tertia petitio inter eas quæ sunt de adeptione.

Est autem hæc de adeptione boni temporalis secundum expositionem litteralem. Pater enim noster in omnibus curam habens de nobis, vult ut etiam ex materiali parte nostra mereamur, et dependeamus ad ipsum, et petamus ab ipso omne quod est necessarium.

Notantur autem sex in hac petitione : quorum primum est petiti ad vitæ sustentationem necessitas : secundum autem, sustentantis et petiti ex justitiæ rationibus ad nos congruitas : tertium, ex tempore sollicitudinis pro sustentante opportunitas : quartum, ad hoc concedendum Patris liberalitas : quintum autem, ad hoc cogens nos instans frugalitas : sextum autem, temporis hujus cogens ad petendum exacta pœnalitas.

« *Panis* » enim sustentatio est necessitatis. « *Noster* » autem panis est, qui ex justitiæ rationibus congruit nobis. « *Quotidianus* » autem est, qui quotidie est opportunus necessitati. Liberalitas autem attenditur in hoc quod dari petitur, et non vendi, vel reddi. Nec frugalitatem excedimus, « *nobis* » petentes, nec in immensum sollicitudinem, ad hanc diem necessaria petentes. In istis ergo sex continetur id quod petitur in ista petitione.

Dicit igitur :

« Panem. »

Quamvis enim multa sint sustentamenta, tamen præcipuum est id quod de granis labore hominum acquiritur, et

[1] Cf. Ad Hebr. VII, 2, et Genes. XIV, 18.

[2] Matth. VI, 10.

non vagis et clamosis agitationibus agitatur vel venatur. Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Panis etiam cor hominis confirmat [1] : quia nutrimentum acceptum de pane citius reficit, et magis confortat, et fortius adhæret membris. Hic autem est panis de frumento, et qui solus *panis* simpliciter vocatur. Quia alia grana non faciunt panem simpliciter, sed faciunt panem quemdam per quamdam similitudinem ad istum dictam.

Nec facit peti potum : quia potus non sumitur a natura, neque desideratur nisi propter cibum : ut scilicet fluxu suo det cibo motum ad membra. Et id quod de potu incorporatur, continuationem præstat ei quod de cibo incorporatur. Et ideo sicut qui equum petit ab aliquo, in equo petit omnia quæ ad equitandum sunt necessaria : sic qui petit panem, petit omnia quæ necessaria sunt ad vitæ necessitatem. Petit enim potum qui fluxum dat cibo, et continuationem cibo incorporato. Et cibati corporis petit fomentum in veste et domo, ut digestio possit celebrari. Unde, I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti sumus.* Eccli. XXIX, 28 : *Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum et domus protegens turpitudinem.* Quod enim petitur a Patre cœlesti, petitur secundum intentionem utilitatis : et secundum utilitatem nostram Pater concedit petita.

Sine autem his quæ dicta sunt, panis non est utilis nobis. Unde in pane intelligitur conveniens infirmitati hominis et statui suo nutrimentum : et in aqua intelligitur conveniens fluxui nutrimenti, et continuationi membrorum potus et humor, et foventia in corpore acceptum nutrimentum. Et hoc totum petitur in pane. Eccli. XXXIX, 31 : *Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, et ferrum, sal, lac, et panis similagineus, et mel, et botrus vuæ, et oleum, et vestimentum.* Hæc omnia Sanctis in bona, sic et impiis et peccatoribus in mala convertentur. Si enim hæc necessaria non essent, non ea Dominus judicio sibi in pauperibus suis facta vel non facta computaret.

Hæc igitur intelliguntur in pane cum cum dicitur : « *Panem nostrum.* » Proverb. XXX, 8 et 9 : *Mendicitatem, et divitias ne dederis mihi : tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et pejerem nomen Dei mei.*

Dicit autem :

« Nostrum. »

In quo tria intelliguntur. *Noster* enim est, quem labor meritorius, vel pretium emens, vel prædium reditus exsolvens nostrum effecit : et ille est nobis debitus a Patre cœlesti. *Noster* etiam est, quem necessitas personæ, vel status congruitas, vel infirmitatis indigentia expostulat. Quod enim sufficit uni et congruit, alii non sufficit nec congruit. Et quod unus propter infirmitatem vel pristinam consuetudinem requirit, alteri non est opus, qui nec infirmus est, nec delectabilibus assuetus. Sic ergo congruens personæ vel infirmitati iterum dicitur noster panis : non nobis debitus, sed nobis congruus. Tertio *noster* dicitur, quo digni sumus apud Patrem : aut in re, si boni sumus : aut in spe, si dignos nos facere proponimus.

Sic igitur dicitur : « *Panem nostrum.* » De primo dicitur, Isa. IV, 1 : *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* De secundo dicitur, Isa. XXXIII, 16 : *Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.* De tertio dicitur, Matth. X, 10 : *Dignus est operarius cibo suo.* Genes. XXVIII, 20 et 21 : *Si fuerit Deus mecum, et*

[1] Psal. CIII, 14 et 15 : *Ut educas panem de terra,... et panis cor hominis confirmet.*

custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum,... erit mihi Dominus in Deum.

Sic igitur materialis panis, quo vescimur, *noster* vocatur.

Panis vero raptus, vel per usuras et illicita acquisitus, vel voluptati et non necessitati quæsitus, vel quo per peccatum indignos nos fecimus, sicut Ecclesiarum quibus non deservimus, non est noster sed alienus. Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Et quia sic difficile est nostrum panem facere, ideo cum magno timore Sancti leguntur panem manducasse. Job, III, 24 : *Antequam comedam suspiro : et tamquam inundantes aquæ sic rugitus meus.* Tob. II, 5 : *Manducavit panem cum luctu et tremore.* Daniel. X, 2 et 3 : *Trium hebdomadarum temporibus panem desiderabilem comedi.* Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.*

« Quotidianum. »

Quem sicut quotidiana exigit necessitas, ita quotidianum meritum nostrum facit. II ad Thessal. III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet.*

Hic etiam interdicitur nimia, et in annos plurimus sollicitudo, talis quæ pietatem in corde exstinguit. Luc. XII, 19 et 20, de illo qui bona se dixit habere plurima, reposita in annos plurimos, quem Deus stultum vocavit : quia ipsa nocte repetenda erat anima sua : et ideo dixit ei Deus : *Quæ parasti, cujus erunt ?* Ideo igitur dicit : « *Quotidianum.* »

Hoc est etiam quod dicit Dominus, Matth. VI, 31 et 32 : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus,* scilicet in futurum ?... *Scit enim Pater vester cœlestis quia his omnibus indigetis.* Ubi autem Lucas dicit *quotidianum,* Matthæus, VI, 11, dicit *supersubstantialem.* Et in Hebræo habetur *segella* [1], quod interpretatur *egregium.* Et sicut ibi diximus [2], *supersubstantialis* dicitur, quia super substantiam nostram est ordinatus. *Egregius* autem, quia quidquid a Patre cœlesti datur est egregium. *Quotidianus* autem dicitur, quia quotidianæ indigentiæ est a Patre cœlesti : ut semper sit in ore nostro. Quod dicit Psalmista, Psal. CX, 4 et 5 : *Memoriam fecit mirabilium suorum :...escam dedit timentibus se.*

Ad liberalitatem autem ejus adspicientes dicimus :

« Da. »

Quia non habetur nisi de benignitate liberalitate sua. Luc. XI, 5 : *Commoda mihi tres panes,* panem scilicet refectionis, panem congruentiæ infirmitatis, et panem confortationis ad robur operis. Ad ista enim tria requirimus panem. Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Hic autem speratur a liberalitate Patris, qui de paucis seminibus, multiplicatis segetibus, omnes pascit, sicut dicit Augustinus. Psal. CXLIV, 15 et 16 : *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno : aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Psal. CXLVI, 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum : et pullis corvorum invocantibus.*

Non negligit hominem qui providet jumentis et corvis.

« Nobis. »

Non enim petimus aliis ad propriæ indigentiæ revelationem. Præsumptuosum enim est petere pro aliis, qui vix sufficit

[1] S. HIERONYMUS : « In Evangelio quod appellatur secundum Hebræos, reperi *mahar* (מחר) quod dicitur *crastinum.* »

[2] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangelium Matthæi, VI, 11. Tom XX hujusce novæ editionis.

petere pro seipso. Nec petere per se quis auderet, nisi Pater affectu paterno daret rogandi fiduciam. Gregorius : « Præcep-« tis salutaribus moniti, et divina insti-« tutione formati, audemus dicere : *Pater « noster.*» Unde, Joan. VI,27 : *Operamini non cibum qui perit,sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Exod. XVI, 15 : *Iste est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum.*

« Hodiè, »

Hac mortalitatis die. Exod. XVI, 16 : *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum.* Unde ibi dicitur, quod manna (quod fuit panis viatorum) in mane reservatum computruit. Ita etiam nutrimentum ultra quam sufficit necessitati mortalitatis præsentis, et repositum ex avaritia in abundantias futuras putrescit : et putredo in vermes conversa, manducabit corpora et animas avare reservantium. Matth. VI, 34 : *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit diei malitia sua.* Crastinus enim dies dicitur, qui non pertinet ad præsentem necessitatem, sed reservatur futuris abundantius in deliciis consumendus.

Sic ergo dicitur : « *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* »

Quando autem licet petere delicias, vel vestium claritatem : qui etiam panem in futurum petere non docet, et abundantiam panis Sodomæ improperat, quem labore suum non effecerat, sed otio tepebat [1] ?

Spiritualiter autem hunc locum exponendo, sunt quidem tres panes quotidie necessarii, et quotidie requirendi : panis scilicet intellectus, qui est veritatis verbum : panis affectus, qui est virtutis firmamentum : et panis sacramenti, qui est animæ famelicæ verum viaticum.

De primo dicitur, Deuter.VIII, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.*

De secundo dicitur in Psalmo LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* De quo dicitur, Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.*

Hic enim cibus maxime confortat, qui est panis virtutis. Eccli. XXXI, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia.* Hoc enim maxime verum est de splendido in panibus virtutum.

De tertio pane dicitur, Sapient. XVI, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem quam in filios habes ostendebat,et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Plenus enim delectatione et refectione est hic panis, habens in se vas gratiæ, animam Christi quasi gomor mannatis.Habens in se substantiam corporis Christi, qui vere cibus est, sicut dicitur, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus.* Habens humorem in se sanguinis Christi, qui dat saporem cibo, Cantic. II, 3 : *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Hic autem sanguis est in specie vini : de quo dicitur, Cantic. VII, 9 : *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Quia quo frequentius per memoriam revocatur et per meditationem teritur, eo dulcius invenitur, et jucundius, et suavius. Unde habet deitatem ad condimentum. Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Isa. XXV, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc,* hoc est, in elevatione Ecclesiæ, *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Omnibus enim populis est præparatum hujus gratiæ convivium, quod est medullatorum pinguium, quod est corporis et animæ Christi : quæ me-

[1] Cf. Ezechiel, XVI, 49.

dullam pinguissimarum habent gratiarum, et vindemiam defæcatam, quia in gaudiis gratiarum ejus nihil umquam fuit de fæce peccati immixtum.

Hi sunt ergo tres panes quos accommodari petimus ab amico Deo Patre [1], quando noster amicus (animus noster) per conversionem venit ad nos : et revertitur de labore sæculi famelicus, et exesus de labore mundi, in quo nihil invenitur refectionis, et non habemus ut ponamus ante illum reficiens aliquid, nisi a Deo Patre efflagitemus.

Sunt adhuc alii panes spirituales : panis scilicet pœnitentiæ, panis obedientiæ, panis doctrinæ, panis eleemosynæ, panis consolationis divinæ, et panis devotionis in oratione.

De pane pœnitentiæ dicitur in Psalmo LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* III Reg. XXII, 17 : *Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ.* Isa. XXX, 20 : *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum.* In angustia enim reficit panis iste.

De pane obedientiæ dicitur, Joan. IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me,* scilicet Patris mei, *ut perficiam opus ejus.* Cibus autem simpliciter non vocatur nisi panis. Genes. XVIII, 6 : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes,* scilicet azymos. Tria sata similæ sunt præcepta, consilia, et exempla divina. Panis autem subcinericius est obedientiæ humilis refectio. Azymi autem sunt, quando sunt sine remurmuratione. In fortitudine istius panis ambulabat Elias quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb [2]. Quadragenarius enim partibus suis quinquaginta perficit, qui est numerus jubilei : et signat tempus præsens in obedientia ambulandum usque ad remissionem futuram : quando, sicut dicitur, Job, III, 19 : *Servus erit liber a domino suo.*

De pane doctrinæ, qui sunt duodecim juxta numerum doctrinæ Apostolorum, et numerum doctrinæ Patriarcharum, et numerum duodecim Prophetarum, et numerum quinque librorum Moysi, et quinque Prophetarum majorum, David, Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, et Job, et Salomonis. De his, inquam, dicitur, Levit. XXIV, 5. Et significantur per duodecim panes propositionis. Significantur etiam per duodecim cophinos, quos sustulerunt de his qui manducaverunt [3].

De pane eleemosynæ dicitur, Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.* Job, XXXI, 17 : *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.* Eccle. XI, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum. Aquæ* dicuntur hic transeuntes pauperes : quia transeunt accipiendo, et redeunt centuplum retribuendo.

De pane consolationis divinæ dicitur, Matth. XV, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Isa. XXI, 14 : *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.* Habitantes enim terram Austri (quæ est terra luminis et caloris) sunt Angelis et Sancti, qui abundant illuminationibus et consolationibus Spiritus sancti.

De pane devotionis in oratione dicitur, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Hoc est manna quod habet saporem panis oleati : sicut dicitur, Exod, XVI, 31, et Numer. XI, 8. Hi sunt quinque panes, ex quibus satiavit Dominus quinque millia hominum [4].

[1] Cf. Luc. XI, 5 et 6.
[2] Cf. III Reg. XIX, 8.
[3] Cf. Matth. XIV, 20 et Luc. IX, 17.
[4] Cf. Matth. XIV, 17 21 ; Luc. IX, 13-17.

4 « Et dimitte nobis peccata nostra. »

Hæc est prima petitio de amotione mali, quæ proprie *deprecatio* vocatur.

Multiplicantur autem istæ petitiones secundum multiplicationem mali quod impugnat. Aut enim hoc jam contractum est, et inest secundum seipsum : aut jam quidem inest secundum causam, et timetur fieri in futurum. Et de primo quidem petitio prima. De secundo autem est petitio secunda.

Prima autem harum petitionum duas habet partes, in quarum prima talis mali petit remissionem : in secunda autem illius remissionis proprium ponit remissivum.

Dicit ergo : « *Dimitte nobis debita nostra.* »

In quo quatuor notantur : paterna invocata pietas, invocantis hominis supplicitas, orantis debita recognoscentis humilitas, et sui ante Dominum accusabilitas in hoc quod *sua* dicit esse debita.

Pietas paterna innuitur cum dicitur :

« Dimitte. »

Non enim in parte dimittendum petit, vel exspectandum donec reddi possit : sed tantum speratur de bonitate sua quod simpliciter dimittat. Unde et ipse liberaliter dicit de se, Luc. VII, 41 et 42 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque.* Et ideo pietas ejus et bonitas notatur in tribus, quorum unum est quod gratis dimittit, secundum quod totum dimittit, tertium quod non improperando dimittit.

De primo dicit, Psal. XXXI, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Hoc enim Apostolus, ad Roman. VI,17 et seq., exponit de eo cui Deus fert justitiam, quem etiam et gratis de impio facit justum. Et hoc facit per gratiam prævenientem. Isa. LII, 3 : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini,* hoc est, gratis absque commutatione. Hoc enim est vera gratia Patris nostri, ut gratis faciat. Ad Titum, III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Ad Ephes. II, 8 et 9 : *Gratia enim salvati estis per fidem : et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

De secundo, scilicet quod totum dimittit, Matth. XVIII, 27 : *Misertus dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.* Et, ibidem, ℣. 32 : *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.* Ideo dicit Ambrosius, quod « impium est a Deo dimidiam spera- « re veniam. » Ezechiel. XVIII, 22 : *Omnium iniquitatum ejus,... non recordabor* amplius. Psal. L, 11 : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele,* hoc est, delebis.

De tertio, scilicet quod non improperat, Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Luc. XV, 20 et seq., non tantum filio prodigo non improperavit, sed etiam stolam primam protulit, et decorem multum dedit, et convivium instruxit, quia salvum illum recepit. Et, ibidem, ℣. 10 : *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Qui autem gaudet, non improperat.

Sic ergo facilis est ad dimittendum Pater noster. Et sic docet nos orare : « *Dimitte.* »

« Nobis. »

In hoc notatur orantis supplicitas. Nobis enim dimitti petimus, attendentes quod supplicandum est pro nostris excessibus. Sic suppliciter oravit Manasses, in Oratione, ad finem, ubi dixit : *Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare peto rogans te, remitte mihi, Domine,*

remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reserves mala mihi. Hoc est enim suppliciter petere.

« Debita. »

In hoc notatur debita recognoscentis humilitas. Psal. L, 5 : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Qui enim petit sibi remitti debita, recognoscit se esse debitorem. Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Recognoscens debitum, stat in veritate. Negans debitum, a veritate declinat, et mendax est. Debita autem dicuntur peccata : quia pro ipsis debitores Deo efficimur.

Debitores autem sumus ex omisso, et ex commisso. Ex omisso quidem, quia quod debuimus facere omisimus : et hoc est tripliciter, omissum obedientiæ, omissum concessi temporis, et omissum lucrum gratiæ concessæ.

Omissum obedientiæ est contra præcepta affirmativa, quæ implere omisimus. Et in hoc notatur debitum delicti quasi derelicti. Unde Dominus de præceptis negativis et affirmativis dicit, Matth. XXIII, 23 : *Hæc oportuit facere* (præcepta scilicet negativa) *et illa non omittere*, præcepta affirmativa. Omissio autem hujus maxime fit aut per negligentiam, aut ignorantiam : sicut dicit Psalmista, Psal. XXIV, 7 : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.*

Omissio autem sive delictum temporis est, quod perditur tempus quod concessum est ad pœnitentiam et serviendum Deo. Unde, Apostolus loquens ad litteram de gratia concessi temporis dicit, II ad Corinth. VI, 2 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.* Multum est enim debitum temporis, ut dicit Anselmus, quando de toto tempore non præteribit unicum momentum, quod non exigatur qualiter sit expensum. Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ : et ille abutitur eo in superbiam.*

Omissum autem lucri gratiæ concessæ secundum omnem gratiam nobis dadatam multiplicatur : quia in divitiis, quando non elargiuntur : in scientia, quando non docetur, vel prædicatur, vel consulitur : in virtute, quando in opere non exercetur. Et sic de aliarum gratiarum omissionibus. Sicut enim dicit Gregorius : « Cum crescunt dona, rationes « etiam crescunt donorum. » Matth. XXV, 26 et 27 : *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi : oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et ego veniens recepissem utique quod meum est cum usura.*

Debitum autem commissi est, quod committendo nos debitores efficit. Et hoc est peccatum transgressionis. Hoc enim est, cujus debitores sumus Deo ad satisfaciendum. Unde, Psal. L, 6 : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Genes. XLII, 36 : *In me hæc omnia mala reciderunt.* Et ideo sibi debitores efficimur, et ex omisso sicut diximus, et ex commisso.

Est autem aliud debitum per quod efficimur debitores proximo, quem si fraudamus, Deus non dimittit nobis debita, nisi prius quantum possumus solvamus proximo sua debita. Ad Roman. XIII, 7 et 8 : *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Aliquod etiam debitum debemus spiritui. Ad Roman. VIII, 12 et 13 : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus :* Glossa, « sed spiritui. » *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini :*

si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

Omnia hæc debita Patri cœlesti debentur : quia etiam ea quæ proximo vel spiritui debentur, ipse reposcit quando non solvuntur : sicut causam suscipiens et proximi, et spiritus. Et quoad omnia hæc dicimus : « *Dimitte nobis debita.* »

« Nostra

Autem dicit, docens nos accusare in oratione : quia nostra sunt debita peccatorum, et nihil aliud habemus de nostro. Proverb. XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui.* Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

Sic ergo dicimus : « *Dimitte nobis debita nostra.* »

« Si quidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. »

Hic ponit proprium remissivum, in quo fit remissio peccatorum : et hæc est charitas fraterna remittens debita fratrum.

Et notantur tria : scilicet, remissionis confirmatio, propria dimissio, et generalitas dimissionis.

Primum notatur per hoc quod dicit : « *Si quidem,* » quod tantum valet sicut *certe.* Hoc enim coram Deo debet esse confirmatum, qui, Deuter. XXXII, 35, secundum translationem Septuaginta dicit : « Da mihi vindictam, et ego retribuam [1]. » I Petr. III, 9 : *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes.* Confirmatio enim sermonis confirmationem notat charitatis. Ideo enim, Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros :* ut non tantum inimicis dimittantur debita, sed etiam e contra affectus dilectionis impendantur, et effectus operis. Ad Roman. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus* Levit. XIX, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

Certitudinem ergo charitatis adversus eos qui in nos delinquunt notans, assertionem sermonis interponit cum dicit : « *Si quidem.* »

« Et ipsi. »

Propriam tangit hic dimissionem : quia quidam sunt adeo felliti cordis, quod injurias non per ipsos, sed per alios dimittunt. Dominus autem vult quod bonitas et dulcedo cordis præveniat eum qui veniam petit, scilicet quilibet non ab alio inductus, sed ipse per se dimittat.

Et hoc est quod dicit : « *Si quidem et ipsi* »

« Dimittimus. »

Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te : et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Luc. VI, 37, et Matth. VII, 1 : *Dimittite, et dimittemini.* Et, ibidem, Luc. VI, 38 : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Eccli. XXVIII, 3 : *Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam.* Quasi dicat : Non inveniet. Matth. XVIII, 32 et 33 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?* Eccli. XXVIII, 4 : *In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur.* Act. VII, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum :* quia nesciunt quid faciunt. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ecce ipsi sic dimittimus, nullo nos inducente vel cogente, vel per emendationem et

[1] Vulgata habet, Deuter. XXXII, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam.*

humiliationem præveniente : sed nosipsi ex nobis dimittimus

« Omni debenti nobis. »

Ecce dimissionis generalitas. Eccli. XXVIII, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit :* hoc est, qui ex ira appetit vindicari de malo illato sibi a proximo, ille nihil aliud inveniet a Domino, nisi quod vindicabit in eum omnia peccata quæ commisit in Deum. Et omnia peccata illius servans servat, ut demum convolutis in unum peccatis suis, condemnet eum. Omnibus ergo dimittendum est, et omnia dimittenda sunt : quia sicut vult omnia sibi dimitti a Domino, ita omnia dimittere debet : quia ira et inimicitia in nullo est retinenda. Eccli. XXVIII, 5 : *Homo cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo : quis exorabit pro delictis illius ?* Quasi dicat : Nullus. Sicut autem dimittere debemus debita debentibus nobis, ita cum nos sumus debitores alicui, veniam petere debemus et reconciliari sibi. Matth. v, 23 et 24 : *Si offers munus tuum ante altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum.* Unde sicut charitate paratus debet esse animus offensi ut dimittat debitum : ita per pœnitentiam et charitatem paratus debet esse animus offendentis, ut placet per satisfactionem eum, quem offendisse se recognoscit. Qui autem sic non facit, offensus et offendens, sive læsus et lædens, in peccato remanet apud Deum. Psal. XXXVI, 21 : *Mutuabitur peccator, et non solvet.* Quia per peccatum quo lædit proximum, debitor fit proximo : et non solvit per satisfactionem et emendæ exhibitionem.

Similiter improperatur ei qui non est facilis ad dimittendum proximo, Isa. LVIII, 3 : *Omnes debitores vestros repetitis.* Boni ergo cordis est debita dimittere : et ei cui debet, per humilitatem satisfacere.

Est tamen unum debitum quod numquam est dimittendum, sed semper exigendum : et ita reddendum quod semper est et manet adhuc debitum : et hoc est debitum charitatis. Ad Roman. XIII, 8 : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Hoc enim debitum dulciter obligat, et benigne solvit, et solvendo se magis ad debendum astringit. De hoc dicit Apostolus ad Philemonem, ℣. 19 : *Et teipsum mihi debes.*

Sic ergo dicitur : « *Dimitte nobis debita nostra, si quidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Qui autem non dimittit, frustra hanc orationem præsumit dicere, nisi in persona Ecclesiæ dicat, et cum fiducia quod Deus per orationem cor suum illuminet, et in futuro gratiam charitatis accipiat, qua debitoribus omnia debita dimittat.

« Et ne nos inducas in tentationem. »

Hæc est deprecatio quæ est de malo futuro, quod jam imminet per causam. Tentatio enim (quæ est impulsus hostis ad illicitum) est causa peccati secundum intentionem tentatoris : quia non induceret in tentationem, nisi intenderet peccatum : quia aliter per tentationem prodesset homini : quia tentatio cui per peccatum non consentitur, materia est exercendæ virtutis. Unde etiam aliqui fortiores et experti vires suas, in gratia Dei sancti tentari oraverunt. Psal. XXV, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum.* Et, Psal. CXXXV, 23 et 24 : *Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me et cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.*

Tanguntur autem tria in petitione ista, quorum primum est in Deo, et est id quod petitur : et est præservatio a casu in tentatione. Secundum est in quo est

casus ille: quoniam ille in ipso inductu ingreditur per gradus in tentationem, Tertium autem est in quo est ille inductus et ingressus qui casus est, ille enim est in tentationem.

Dicit ergo primo: « *Et ne nos inducas.* » Quasi dicat: A malo imminente libera per debiti dimissionem, et a malo futuro cave et præserva.

Per hoc quod: « *Ne nos inducas,* » hoc est, induci permittas vel dissimules: quia quicumque ductor sit hominis in appetitibus et consiliis et operibus suis, seducit hominem præter te solum.

Attendendum enim quod quatuor ducunt et inducunt hominem quamdiu est in via. Opinio enim sua ducit in dubiis, et hæc errat: quia dicit Augustinus, « Quod opinamur, debemus errori.» Ductor in appetitibus frequenter est concupiscentia, et hæc præcipitat. Ductor in perversis operibus ut frequenter est Diabolus, et decipiendo seducit. Ductor in bonis gratiæ est solus Deus: sicut ipse dicit, Joan. XIV, 6: *Ego sum via, et veritas, et vita.*

Si autem aliquando ducit ratio naturalis et natura, valde ista sunt seducibilia: et ideo non sequenda nisi cum gratia, et ductore gratiæ. Et hoc est quod intendit Moyses, Exod. XXXIV, 15: *Si non tu ipse præcedas, non educas nos de loco isto.* Deuter. XXXII, 12: *Dominus solus dux ejus fuit: et non erat cum eo deus alienus.* Isa. LXIV, 14: *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Sic igitur ducendo et tenendo manum itinerantis in via hujus vitæ, præservat a tentationis casu. Psal. LXXII, 24: *Tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me: et cum gloria suscepisti me.* Sic, Matth. IV, 1, et Luc. IV, 1 et 2: *Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a Diabolo.* Et omnes qui sic ducuntur, vincunt tentatorem et alii cadunt. Ad Roman. VIII, 14: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Sapient. X, 12: *Custodivit illum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum, et certamen forte dedit illi ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia.*

Sic ego præservat a casu in tentatione.

Secundum autem quod valde attendendum est, in quo est ille casus: quia est in ductu « *in tentationem.* »

Et attende quod non dicit, ne nos tentatio tangat: quia omnes, qui pie volunt vivere in Christo, tentatio tangit [1].

Tangit autem aliquando tantum exterius in oblatione illiciti facta ab hoste: sicut, Matth. IV, 3: *Accedens tentator,* scilicet ad Christum, *dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Et sic etiam tetigit primos parentes primo, antequam per peccatum corrumperentur. Genes. III, 1: *Serpens dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi.*

Aliquando etiam tangit tantum interius: sicut quando non hostis, sed concupiscentia causa est principii tentationis. Jacob. I, 14: *Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus.*

Aliquando est ab exteriori et interiori, quando quidem exterius offertur illicitum, et interius incipit trahi desiderium. Genes. III, 15: *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Caput enim serpentis conterere, est primum motum ejus in principio tentationis excludere, ne venenum infundat, vel ne infusum ad exstinctionem vitalis spiritus serpere valeat.

Hic autem non oratur ut non tangat tentatio: quia hoc est impossibile in hac vita. Omnes enim tangit aliquo dictorum modorum tentatio. Sapient. XVIII, 20: *Tetigit autem et justos tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.* Quamdiu enim sumus in hac vasta

[1] II ad Timoth. III, 12: *Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

eremo, in qua tot instrumenta Diaboli impugnant, non potest esse quin tentatio tangat nos.

Hoc enim est utile ad sex : quorum unum est, ut nostræ fragilitatis memores humiliemur, II ad Corinth. XII, 7 : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

Secundum, ut a peccato purgemur, Psal. XVI, 3 : *Probasti cor meum, Domine, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*, hoc est, ita depurasti, usquedum consumatur iniquitas.

Tertium est, ut virtus exerceatur, Tob. XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*, hoc est, probatum ostenderet : et sic in exemplum aliorum virtus tua poneretur. Hoc etiam modo tentatus fuit beatus Job, sicut in libro Job dicitur.

Quarta causa est, ut seipsum homo in infirmitate et virtute et fidelitate, quam ad Deum habet, experiatur. Quia sic vel cautus, vel audacior efficitur. Eccli. XXXIV, 11 : *Qui tentatus non est, qualia scit?* Et, ibidem, ℣. 9 : *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa.*

Quinta causa est, quia per constantiam tentationis digni Deo efficimur, Sapient. III, 5 et 6 : *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* In omnibus enim aliis sacrificium facit homo de suis : in tentatione autem offert seipsum Deo, sicut se Christus in cruce obtulit Patri.

Sexta causa est, ut per victoriam miles Christi gloriosus fiat. Et hoc est quod dicit Psalmus V, 13 : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Victoribus enim, secundum leges antiquas, scuta rotunda quibus pugnaverunt retro capitibus alligabantur : et sic in conspectu regum et civium, pro quorum libertate pugnaverant, in gloriam et honorem adducebantur. Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine.*

Attende autem, quod tactus tentationis vocatur et non inductio, totum tempus in quo manet aliquis in tentatione forti animo : ita quod in tentatione animus nec mollescit, nec frangitur. Diu enim fuit Job in tentatione, et diu Tobias, et nullum in eis habuit tentatio progressum : sed semper stabat animus sicut in tentationis principio. Et ideo dicit Jacobus, I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Alii autem in tentationem inducuntur. Et illi sunt qui per gradus tentationum usque ad interiora procedunt, hoc est, de primo motu procedunt ad delectationem : de delectatione usque ad delectationis moram : de mora usque ad rationis deliberationem : et de deliberatione usque ad consensum : et de consensu usque ad voluntatis impetum : de impetu usque ad opus : de opere usque ad iterationem operis : de iteratione usque ad consuetudinem : de consuetudine usque ad defensionem : de defensione usque ad profundum desperationis, vel præsumptionis. Sic procedere et induci in tentationem in quolibet gradu, est cadere vel parvo, vel majori, vel maximo casu. Et ideo orandum est ne sic inducamur. Quamvis enim tentatione tangi sit proficuum, tamen quia spiritus promptus est, caro autem infirma, Dominus dicit, Matth. XXVI, 41 : *Orate ut non intretis in tentationem.* Sic igitur ad interiora tentationis passibus animæ devenire, est induci in tentationem. Et quia sic in principio tentationis vel a tentatione tangendo, vel aliquantulum delectando multi tentantur, ideo dicitur, Proverb. XXIV, 16 : *Septies cadet justus, et resurget : impii autem corruent in malum.* Et quia Dominus de ultimis portis tentationis et peccatorum reducit aliquando peccatorem in tentationem et peccatum inductum, ideo dicitur, Job, XXXVIII, 17 :

Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti? Quasi dicat : Non tu fecisti hoc, sed ego. I Regum, II, 6 : *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.* Sic enim de ostiis tenebrosis inferorum reduxit Magdalenam.

Hoc est ergo induci « *in tentationem.* »

Jam supra dictum est, quod tentatio est impulsus ad illicitum. Super Matthæum autem diximus de tentatione quædam [1]. Hic autem ad hoc quod hic sufficit dicimus, quod hic non intendit Dominus de tentatione qua Deus tentat, ut tentatum virtutem suam cognoscere faciat : sicut tentatus fuit Abraham [2]. Nec de tentatione qua homo hominem tentat, ut experimentum sui capiat. Nec de tentatione qua homo Deum tentat, ut utrum Deus pro eo signum faciat experiatur : sicut in Psalmo XCIV, 9 : *Tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, et viderunt opera mea.* Exod. XVII, 7 : *Tentaverunt Dominum dicentes : Estne Dominus in nobis an non?* Sed hic loquitur Dominus tantum de tentatione Diaboli, quæ fit aliquando per hostem, aliquando per carnem, aliquando per mundum, hoc est, mundi oblectamenta, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ : sicut dicitur, I Joan. II, 16. Hæc enim tentatio est ex apprehenso illicito motus, propellens hominem ad illicitum per gradus sensualitatis in delectando, et inferioris partis rationis in apprehendendo, delectando, et immorando : et gradus superioris partis rationis in videndo, dissimulando, vel consentiendo : et gradus voluntatis in impetum faciendo, et membra in opus exhibendo ad illicitum peragendum. Et quamdiu quidem est in sensualitate, peccatum quidem est, sed veniale. Ulterius autem vel est mortale, vel periculum mortalis. Et ideo dicitur, I ad Corinth. X, 13 : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Hoc igitur est quod oramus dicentes : « *Et ne nos inducas in tentationem.* »

Hoc autem quod additur, Matth. VI, 13 : *Sed libera nos a malo,* continetur sub ista eadem petitione. Cujus signum est, ut dicit Glossa, quia non copulatur isti per conjunctionem copulativam, sed adversativam. Quasi dicat : Non permittas induci in malum tentationis, *sed* libera nos a malo eodem. Quia a malo pœnæ liberari possumus, nec oramus nos omnino liberari ab illo : quia oratio non est de hoc quod impossibile est fieri. Malum autem culpæ aut jam contractum et factum est, aut per tentationem timetur futurum. Et hoc sufficienter oratur aut remitti aut caveri per duas obsecrationes præcedentes. Et ideo in his duabus deprecationibus finitur oratio Dominica secundum Lucam. Matthæus autem non tantum docet petere sufficientia, sed etiam explicans implicita, plura ponit in oratione Dominica. Et hoc jam super Matthæum explanatum est. Ubi etiam ostendimus qualiter septem dona, et septem beatitudines in septem illis petitionibus intelliguntur. Et qualiter septem vitia excluduntur per easdem [3].

« Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum. »

Hic per similitudinem inducit ad orationis instantiam.

Dividitur autem hæc pars in duo : in quorum primo inducit ad instanter

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrat. in Evangel. Matthæi, VI, 13. Tom. XX hujusce novæ editionis.

[2] Cf. Genes. XXII, 1 et seq.

[3] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangel. Matthæi, VI, 13. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ, pag. 294 et seq.

orandum : in secundo vero docet quid est petendum.

Adhuc autem, primum horum habet duas partes : in quarum prima proponit similitudinem : in secunda, similitudinis propositæ concludit intentionem.

Similitudo proposita duo continet : primo enim ostendit petendi necessitatem : secundo, construit instandi importunitatem.

In petendi necessitate tria continentur, scilicet, ad eum pro quo petitur vinculum obligationis, expressio petitionis, et causa necessitatis.

De primo dicit : « *Quis vestrum*, » secundum Glossam remissive est legendum, hoc est, aliquis : vel, si quis vestrum. Et in hoc notatur amicitiæ raritas. In hoc autem quod dicit : « *Habebit*, » notatur amici fidelitas. In hoc autem quod dicit : « *Amicum*, » notatur amicitiæ necessitudo et honestas.

Dicit ergo :

« Quis vestrum,

Hoc est, aliquis vestrum : quia non omnium est habere veros amicos, sed paucorum, ut dicit Philosophus in *Ethicis*. Eccli. VI, 14 : *Amicus fidelis,... qui invenit illum, invenit thesaurum.* Iste autem amicus allegorice Christus est. Joan. XV, 15 : *Vos dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et ante, Ibidem, ℣. 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Moraliter autem amicus noster est noster animus, vel nostri cordis intellectus. Proverb. VII, 4 : *Dic sapientiæ : Soror mea es, et prudentiam voca amicam tuam.* Cantic. II, 16 : *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia,* hoc est, virtutum odoribus, in quibus pascitur animus.

« Habebit. »

Ecce amici fidelitas quæ notatur in perseverantia dilectionis in futurum. Proverb. XVII, 17 : *Omni tempore diligit qui amicus est.* Proverb. XVIII, 24 : *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit quam frater.*

« Amicum. »

Amicus dicitur quasi animi custos. Et in hoc notatur necessitudo amicitiæ et honestas. Duæ enim sunt falsæ amicitiæ et una vera.

Falsa enim est ea quæ fundatur super temporalem utilitatem, tantum diligens quanta est utilitas : non diligens hominem, sed utilitatem ab homine provenientem. Eccli. VI, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.*

Falsior autem amicitia est quæ non fundatur nisi super delectationem : sicut fuit amicitia Samsonis ad Dalilam [1], per quam tonsus est a virtute, ligatus funibus concupiscentiæ, excæcatus obtenebratione intellectus. Ezechiel. XXIII, 25 : *Nasum tuum et aures tuas præcident amatores tui.*

Tertia est amicitia vera, quæ fundatur super honestum. Hieronymus : « Vera « enim illa necessitudo est, quam non « utilitas rei familiaris, non subdola et « palpans adulatio, sed Christi nectit « amor, et studia sacrarum Scripturarum « conciliant. » Eccli. VI, 17 : *Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius.*

Hoc igitur modo aliquis « *habebit amicum*, » sive litteraliter, sive mortaliter, sive allegorice : quoniam in amicis nihil est diligendum nisi honestum.

« Et ibit ad illum media nocte, et

[1] Cf. Judicum, XVI, 4 et seq.

dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes. »

Ecce hic continetur petitionis expressio.

Tangit autem tria : motum confidentiæ, tempus indigentiæ, et petitionem sufficientiæ.

Motum confidentiæ tangit cum dicit : « *Ibit ad illum,* » ad quem habet impetrandi confidentiam. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Talis autem est amicus : est unius cum amico cordis, et magis quam frater. Eccli. VI, 11 : *Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis : et in domesticis tuis fiducialiter aget.*

« *Media nocte,* » præsentis indigentiæ, vel adversitatis. Sapient. XVIII, 14 et 15 : *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus... prosilivit.* Psal. CXVIII, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

« *Et dicet illi.* » Ecce confidentia amicitiæ. Eccli. VI, 7 : *Si possides amicum, in tentatione posside eum.*

« *Amice,* » qui es animi mei custos. Eccli. VI, 15 : *Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius.*

« *Commoda,* » hoc est, ad commodum meum præsta. Ea enim quæ sunt amicorum, communia sunt quantum ad commodum utriusque. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : nec quisquam, eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia.* Eccli. VI, 16 : *Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis : et qui metuunt Dominum invenient illum.* Talis enim facilis est ad accommodandum.

« Tres panes. »

Hoc est, tres refectiones. Qui, secundum Glossam, sunt fides sanctæ Trinitatis : ut fides Patris nostram reficiat infirmitatem ex omnipotentia, fides Filii nostram reficiat ignorantiam ex sua sapientia, fides Spiritus sancti nostram reficiat et reparet malitiam ex sua bonitate, fides autem unitatis essentiæ nostram reficiat animam ex suæ gratiæ unione et consolatione. Genes. XVIII, 6 : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes,* scilicet azymos.

Primus panis dat virtutem, Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.*

Secundus dat oculorum illuminationem, qui attenuati sunt et obtenebrati per inediam, I Reg. XIV, 29 : *Illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto.* Verbum enim veritatis dicitur *panis* propter soliditatem veritatis, et dicitur *mel* propter dulcedinem suæ puritatis. Psal. CXVIII, 14 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* De attenuatione autem oculorum ex fame, Isa. XXXVIII, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Naturale enim est ex longa fame obscurari visum. Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.*

Tertius panis dat sanitatem per Dei bonitatem : et ideo dicitur *panis vitæ.* Matth. XV, 22 et seq., cum mulier Syrophœnissa peteret filiæ sanitatem, quæ male a dæmonio vexabatur, respondit Dominus, quod *non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Et intellexit de gratia bonitatis contra malitiam dæmonis. Proverb. XXXI, 27 : *Panem otiosa non comedit.*

Fides autem unitatis non est panis quartus, sed est idem in tribus uniens affectiones et intentiones animæ, quæ in multa divisa est secundum multa vanitatis concupiscibilia. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

Potest etiam dici, quod ex quo is qui

venit de via amicus, est noster animus : quod tres panes sunt intellectus veritatis, et affectus bonitatis, et divinæ dulcedo consolationis. Primus crescit in spica verbi, secundus germinat in culmo virtutis, tertius floret in deliciis contemplationis. Primus panis est azymus absque fermento hæreticæ pravitatis. Exod. XII, 15 et 19 : *Azyma comedetis, et septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Secundus panis est calidus calore charitatis, sine cujus calore informes sunt virtutes. Josue, IX, 12 : *Panes, quando egressi sumus de domibus nostris ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus.* Hoc est, quando nostra relinquentes, sociari quæsivimus Sanctorum virtutibus. Tertius panis est oleatus pinguedine spiritualis consolationis. Exod. XVI, 31, et Numer. XI, 8, Manna saporem habebat panis oleati.

Isti sunt ergo tres panes.

Vel, Tres panes sunt discretio morum, discretio eligibilium, et perfectio amoris sive desideriorum. Discretio morum est ad adipiscendum honestum virtutis. Discretio eligibilium est ad cautelam vanitatis, et adeptionem veritatis. Perfectio amoris est ad evitationem libidinis, et amplexum summæ dulcedinis. De primo dicitur, Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane* : quia panis morum cum labore excolitur. De secundo dicitur, III Reg. XIX, 6 : *Respexit Elias, et ecce ad caput ejus subcinericius panis, et vas aquæ :* quia panis discretæ veritatis sæpe tegitur similitudinibus vanitatis. De tertio dicitur, Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Primus horum docetur in Proverbiis : secundus autem in Ecclesiaste : tertius vero in Canticis Canticorum.

« Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. »

Allegatio est causæ indigentiæ.

Et tangit duo, quorum unum est opportunitas indigentiæ : alterum autem ipsa indigentia.

Opportunitas est ex hospitalitate : illa enim facit opportunam petitionem.

Et circa hanc tangit tria : idoneitatem hospitis venientis, lassitudinem recreatione indigentis, et declinationem ad se cui inconveniens est pati repulsam.

De primo dicit : « *Quoniam amicus meus,* » qui recipi est idoneus : quia ab illo nihil habeo divisum. Proverb. XII, 26 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.*

« *Amicus* » ergo « *meus,* » cujus occasione libenter damnum subeo expensarum, « *venit,* » de via lassus et fractus labore. Isa. XXVIII, 12 : *Hæc est requies mea, reficite lassum, et hoc est meum refrigerium.*

« *Ad me* : » et ideo denegare hospitalitatem est turpe. Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« Et non habeo. »

Allegatio est indigentiæ.

Dicit : « *Non habeo.* » Isa. III, 17 : *In domo mea non est panis, neque vestimentum.* Est autem nimis indigens domus, panes supradictos non habens : et ideo compellitur ad amicum divitem recurrere, qui est Deus : de cujus domo dicit Psalmus XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

« *Quod,* » cum honestate, « *ponam ante illum,* » ut ad libitum accipiat quantum vult, vel indiget. Act. IV, 35 : *Dividebatur singulis prout cuique opus erat.* Et hic ostenditur, quod hospiti pauperi apponendus est cibus potius quam frangendus : maxime si in Deo sit amicus et honestus. Unde, Luc. XXIV, 30, Lucas et Cleophas qui collegerant Dominum in specie peregrini, non Domino dederunt fragmentum panis, sed potius commen-

salem sibi fecerunt, et sibi panem apposuerunt frangendum. Unde,ibidem, ℣.35, dicitur, quod *cognoverunt eum in fractione panis* : ut dicit Gregorius, « merito tantæ hospitalitatis. » Pauperi autem transeunti, qui sola fortuna pauper est, et non spiritu pauper, frangendus est panis : sicut dicitur, Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.*

7 « Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse. »

Hic tangit similitudinem ad orationis instantiam.

Tangit autem tria : scilicet, amici ad quem tempore necessitatis recurritur excusationem, petentis perseverantem importuninatem, et importune instantis victoriam.

Circa primum tria tangit : primum quidem amici ad amicum difficilem aditum, quia unus est intus, et alter est foris : secundum autem petitionis propositæ contrarietatem : tertium vero accusationis causam multiplicem.

De primo dicit : « *Et ille,* » scilicet, amicus dives. Ad Roman. x, 12 : *Dives in omnes qui invocant illum.*

« *Deintus,* » quia ipse est intus in secreto et gaudio contemplationis beatorum. Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ad hoc intus vocat, Matth. xx, 21 et 23 : *Intra in gaudium domini tui.* Ad Hebr. IV, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Et non obduretur quis ex nobis fallacia peccati. Psal. XCIX, 1 : *Introite in conspectu ejus in exsultatione.* Intus enim esse, est in intimis secreti faciei Dei manere. Psal. xxx, 21 : *Abscondes eos in absconditо faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Sic ergo Deus noster amicus, nullo indigens, omnibus bonis abundans est intus : et nos stantes ad ostium misericordiæ ejus pulsantes foris. Matth. XXV, 10 : *Venit sponsus : et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.*

« Respondens, dicat. »

Non enim sic recluditur ut pulsans non audiatur : sed auditur, et responsa dantur petentibus. Isa. LVIII, 9 : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum :* quia misericors sum Dominus Deus tuus. Erit autem tempus cum nec exaudiet, neque respondebit. Thren. III,8 : *Cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam.* Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Modo autem clamantes aliquando audit et respondet, sed non exaudit : sicut audivit divitem purpuratum in inferno et respondit, sed non exaudivit [1]. Aliquando audit et respondet, sed exauditionem differt, ut ad instantiam orationis provocet, Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Aliquando statim orantem exaudit, Jerem. XXXIII, 3 : *Clama ad me, et ego exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis.* Aliquando exaudit desiderium ante clamorem, Psal. x, 17 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Exod. XIV, 15 : *Quid clamas ad me ?* Hoc enim ad Moysem dixit Dominus, cum non ore, sed corde clamaret.

Sic igitur clamanti et pulsanti amico deintus respondens, dixit :

« Noli mihi molestus esse. »

Ecce petitionis dispensatoria contrarietas, ut avidius et instantius petatur. Job, xxx, 20 et 21 : *Clamo ad te, et non exaudis me : sto, et non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.* Habacuc, I, 2 : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies ? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ?* Sic enim se

[1] Cf. Luc. XVI, 24 et seq.

habet aliquando Dominus, ac si sibi molestus sit orans et pulsans : et hoc dispensatorie facit, ut instantius requiratur.

Attendendum autem quod *molestum* dicitur, quasi mole est lassum : et hoc est idem quod supergravans : et ideo molesta est petitio tripliciter.

Aliquando enim molesta est petitio propter ingratitudinem petentis, quia molestus est Domino. II Machab. IX, 13 : *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus.*

Aliquando molesta est propter petitionem, quia mala, et male petuntur. Jacob. IV, 3 : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.*

Aliquando molesta est propter proportionem petentis ad rem petitam, quia non expedit petenti neque decet : cum oratio sit petitio decentium a Deo, ut dicit Damascenus. II ad Corinth. XII, 8 et 9 : *Ter Dominum rogavi ut discederet a me : et dixit mihi,* scilicet Dominus : *Sufficit tibi gratia mea.* Et hoc est quando homo petit pro seipso. Uno autem modo est molesta quando petitur pro alio, scilicet, propter finalem abjectionem ipsius. I Reg. XVI, 1 : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ?*

Hic autem ista petitio dispensatorie dicitur esse molesta, ut instantius petatur, ut avidius requiratur. Psal. CIV, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.*

« Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, et dare tibi. »

Ecce multimoda excusatio exaudiendi.

Præmittit autem hic duas causas difficultatis exaudiendi : et secundo, subjungit surgendi impotentiam.

Una quidem causa est quod intempestiva est petitio, quia ostium est clausum : secunda autem est quies familiæ, quam non est conveniens inquietare.

De prima dicit : « *Jam enim,* » tempore quietis, « *ostium* meum *clausum est.* » Est enim tempus laboris dum vivimus, et sani et fortes sumus : et tunc patet nobis ostium divinæ misericordiæ et largitatis. Ad Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest : invocate eum dum prope est.* Et, Isa. XLIX, 8 : *In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* Tunc enim ostium patet, aditus divinæ misericordiæ. Quando autem jam defessa est virtus, vel vita functus est homo, ostium est clausum : et tunc magis difficulter impetratur quod petitur. Psal. CXVII, 19 et 20 : *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Ostium etiam misericordiæ aliquando est clausum. Aliquando etiam est repagulis perpetuis obfirmatum. Modo enim dum vivitur ex aliqua causa dissimulationis misericordiæ divinæ et dilationis es clausum. Post mortem autem erit obfirmatum. De primo dicitur, Genes. VII, 16 : *Inclusit deforis eum,* scilicet Noe et alios in arcam, *Dominus.* Quod tamen postea ad misericordiam conversus aperuit. De firmatura perpetua dicitur, Matth. XXV, 10-12 : *Clausa est janua.* Et ideo ibi pulsantibus respondetur : *Nescio vos.*

Hoc est ergo quod dicit primo modo loquens : « *Jam ostium* meum *clausum est.* »

« Et pueri mei mecum sunt in cubili.

Secunda causa est excusationis.

Dicuntur autem *pueri* a puritate, qui sunt cum Domino. Isa. VIII, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* I Reg. XXI, 5 : *Sunt vasa puerorum sancta,* hoc est, corda pura sunt puerorum. Hi sunt cum Domimo vel præsentialiter in beatitudine. Deuter. XXXIII, 3 : *Omnes Sancti in manu illius sunt.* Vel sunt cum ipso per intentionem piæ con-

versationis. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et est ac si dicat : Si purus esses, et de puris, et tu mecum esses. Et quia purus non es, non dignus es ut statim tibi detur : sed stude puritati, et insta petitioni. *Oportet* enim *semper orare, et non deficere* [1].

Dicit autem : « *In cubili,* » cubile vocans vel secretum beatitudiuis, vel secretum contemplationis. Matth. VI, 6 : *Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Isa. XXVI, 20 : *Vade, populus meus, intra in cubicula tua : claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.*

« Non possum surgere. »

Quasi conclusio est ex præmissis. Et dicit se non posse, quod non commode potest vel congruit fieri propter tempus neglectum, in quo facilius poterat inveniri misericordia. Sicut quando aliquis usque ad ultimam ætatem, vel usque ad ultimam ægritudinem differt conversionem. Illius enim amicus, animus scilicet, vel spiritus, semper est in via de qua dicitur, Sapient. V, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles.* Tarde igitur iste revertitur ad cor. Contra quod dicitur, Eccli. V, 8 et 9 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Dicit enim Gregorius, quod « qui non vult converti « ad Dominum cum potest, justum est « ut infligatur ei non posse cum volue- « rit. »

Et quantum ad hoc hic dicit : « *Non possum,* » quia quoad hoc non congruit, quod horam in qua ostium apertum fuit neglexit, « *surgere.* » Hoc dicit per effectum : quia, sicut dicit Psalmus CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.* Sed quia exterius operatur circa nos, et nos donis suis et devotione surgere facit, ideo *surgere* dicitur. Et dicitur non surgere, quando hoc non facit. Cantic. V, 5 et 6 : *Surrexi ut aperirem dilecto meo :... at ille declinaverat, atque transierat.*

« Et dare tibi. »

Attende quod amicus petit accommodari panes. Deus autem amicus tacet de accommodatione, et dicit de datione : quia gratis sunt dona, et vocatio Dei : sicut dicit Apostolus, ad Romanos, XI, 1 et seq.

Et sensus est : « *Non possum,* » de congruentia ex culpa negligentiæ tuæ, statim « *surgere et dare tibi.* » Sed in pœnam negligentiæ tuæ donum differtur : ut instantia devotionis recuperes, quod negligentia temporis neglexisti. Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.* Matth. XX, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi?* Ideo dicitur, Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

« Et si ille perseveraverit pulsans, di- 8
co vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. »

Tangit alteram partem similitudinis.

Et dicit tria : perseverantiam pulsationis, causam donationis, et sufficientiam collatorum.

De primo dicit : « *Et ille,* » scilicet pulsans, et indigens, « *si perseveraverit,* » cum instantia et devotione et humilitate, « *pulsans* » ad ostium misericordiæ. Matth. X, 22 : *Qui perseveraverit usque*

[1] Luc. XVIII, 1.

in finem, hic salvus erit. Ideo dicitur, ad Hebr. XII, 7 : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.* Ideo etiam docet, Cantic. V, 2, cum perseverantia pulsare misericordiam, dicens : *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Si enim contingat nos rigari rore tribulationum, et infundi guttis adversitatis in sæculo tenebroso : tamen non remittere debemus de instantia orationum.

« Dico vobis. »

Confirmatio est, humana utens similitudine. Matth. XXIV, 35, et Luc. XXI, 33 : *Verba mea non transibunt.*

« *Etsi non dabit ei.* » Non quia liberalis non sit, sed quia differt ex causa donationem. Psal. LXXVII, 21 : *Audivit Dominus, et distulit.* Ideo dicit Psalmus XXXIX, 2 : *Exspectans exspectavi Dominum.* Et iterum, Psal. XXV, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

« Surgens. »

Circa nos in exterioribus agens, et non ulterius pulsationem dissimulans. Psal. XLIII, 23 et 24 : *Exsurge, quare obdormis, Domine ? exsurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis ?*

« Eo quod amicus ejus sit. »

Quia pulsans tempus negligendo amicitias non meruit. Proverb. XVII, 9 : *Qui celat delictum, quærit amicitias : qui altero sermone repetit, separat fœderatos.* Celare delictum, est post reconciliationem ad Deum factam delictum non repetere. Altero autem sermone repetere, est post reconciliationem factam per ingratitudinis vitium iterum peccatum innovare. Et ille separat amicitias, et non meretur quod Deus ei aliquid faciat, « *eo quod amicus ejus sit,* » nisi evincat per instantiam devotionis. Psal. LIV, 13, 15 et seq. : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero, homo, unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos : in domo Dei ambulavimus cum consensu. Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* Et ideo non merentur cito exaudiri.

Et hoc est quod sequitur :

Propter improbitatem tamen ejus, »

Hoc est, propter importunam instantiam ipsius. II ad Timoth. IV, 2 : *Insta opportune, importune.* Psal. LXXIX, 19 : *Non discedimus a te : vivificabis nos.* IV Reg. II, 2, 4, 6 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo : meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.*

« Surget, »

In exterioribus circa nos operando. Psal. LXXVII, 65 : *Excitatus est tamquam dormiens Dominus.* Matth. VIII, 26 : *Tunc surgens, imperavit ventis et mari : et facta est tranquillitas magna.*

« Et dabit illi. »

Quia etiam in se liberalis est, et libenter dandi accipit occasionem. Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

« Quotquot habet necessarios. »

Ecce sufficientia dati, quod ille ad numerum parvum petierat. Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Et quomodo non daret, qui abiens ad secretum cœli, servis commisit

ut darent omnia necessaria, etiam antequam peterentur ? Matth. XXIV, 45 : *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore* [1]. Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Ideo, Luc. XXII, 35 et 36, dicit : *Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ? At illi dixerunt : Nihil.* Tob. XII, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.*

9 « Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.

10 Omnis enim qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. »

Explanatio est similitudinis.

Et tangit hic duo. Primo enim concludit a similitudine inductæ similitudinis. Secundo, ulteriorem rationem inducit a minori, in qua probat utilitatem rei petitæ.

Dicit ergo : « *Et ego,* » qui veritas sum. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Dico vobis.* » Matth. V, 18 : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

« Petite, et dabitur vobis. »

Duo dicit : exhortationem ad petendum, et fiduciam dat ad impetrandum. Et de expositione hujus loci et sequentium, plurima secundum expositiones Sanctorum a nobis notata sunt in capitulo sexto Matthæi [2], quæ hic repetere non oportet. Et est ac si dicat : Ex quo per instantiam vincitur Deus ut det petita, « *Petite, et dabitur vobis.* » Petitur autem donum per quod vita bona inchoatur : et hoc est gratia præveniens hominem : et ideo petitio est ante quæstionem : quia nec quærere quisquam potest, nisi prius accepta gratia, quæ dat vires ad quærendum.

Petitur igitur donum gratiæ et virtutis ad merendum, « *et dabitur vobis* » illud : et adjicietur bonum æternitatis ad beate vivendum, et feliciter regnandum. Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

Attendendum autem qualiter sit petendum bonum virtutis, et quid petendum, et pro quo.

Petendum enim est pie, hoc est, quod ipse petens pietate fidei dilectionem operantis sit informatus. Et hæc fides debet movere ad petendum. Jacob. I, 6 et 7 : *Postulet in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.* Joan. XVI, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo,* hoc est, in pietate et fide nominis mei, *dabit vobis.* Jacob. IV, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod mal petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Est autem petendum donum virtutis ad meritum, quia hoc est ad salutem. Joan. XVI, 24 : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Nullius enim boni perfectum habet gaudium nisi virtus meritoria : quæ, sicut dicit Ambrosius, sincera et sancta delectatione suos delectat possessores. Psal. XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hoc autem non fit nisi per meritum virtutis. Hoc considerans Eliseus, IV Reg. II, 9, cum diceretur sibi ab Elia, quod peteret ab eo quod vellet antequam tolleretur ab eo, dixit :

[1] Cf. Luc. XII, 42.

[2] Cf. etiam Matth. VII, 7 et XXI, 22 ; Marc. XI, 24. Vide enarrationes B. Alberti in tom. XX et XXI.

Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus. Spiritus enim meriti duplex est, dum per virtutem operatur ad meritum, et per eamdem virtutem operatur ad veniam delictorum et satisfactionem. Hoc igitur est petendum.

Pro se autem est petendum, quia non semper pro alio exauditur petens : sicut patet, I Reg. xv, 11 et seq., ubi Samuel non est exauditus pro Saul petens. Sed qui pie ad salutem petit pro seipso, semper accipit quod petit. Psal. xvii, 7 : *Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus introivit in aures ejus.* II ad Corinth. xii, 8 et 9, cum Paulus peteret a se removeri stimulum, non est exauditus : quia amotio stimuli non fuit ad salutem : sed potius exercitium stimuli operabatur ad virtutem meriti. Aliquando tamen aliquis exauditur pro alio petens, sicut Stephanus pro Paulo. Sed hoc non fit semper, ut prius dictum est. Pro se autem semper exaudiuntur Sancti. Ad Hebr. v, 7 : In omnibus *exauditus est pro sua reverentia.* Joan. xi, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis.* Hæc enim non tantum de Christo vera sunt secundum se, sed etiam vera sunt de membris.

Addunt etiam quidam quod perseveranter petat qui petit. Luc. xi, 8 : *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.*

Sic ergo petite donum virtutis.

« Et dabitur vobis, »

Quia liberalis Pater bene sibi reputat fieri, si inveniat locum dandi et opportunitatem. Et hoc habetur, si aliquis ad ipsum manus ad accipiendum petens extendat. Psal. cxliv, 5 : *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.* Magnificentia autem, ut dicit Philosophus, est magnorum et in magnis liberalitas. Deuter. xxxii, 3 : *Date magnificentiam Deo nostro.* Hic enim dat omnibus, et abunde *juxta magnificentiam principalem* [1]. Exod. xv, 11 : *Magnificus in sanctitate,* hoc est, in donis ad sanctitatem pertinentibus. Sic ergo a magnifico principe Deo magnifice dabitur vobis. Ad Ephes. iv, 8 : *Dedit dona hominibus.* Ad Roman. x, 12 : *Dives in omnes qui invocant illum.* Ideo dicitur, I ad Corinth. i, 5 et 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omnia scientia :... ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.*

« Quærite, et invenietis, »

Lumen scilicet veritatis. Non enim quæritur (dicit Augustinus) nisi quod jam secundum aliquid noscitur, quia aliter inventum non cognosceretur. Est enim principium veritatis in nobis concreatum, ut dicit Damascenus, ad cujus lumen cognoscitur inventa in conclusionibus veritas. Sic enim dicit Philosophus, quod omnis scientia intellectiva ex præexistenti fit cognitione. Nemo enim quærit hoc, quod si inveniat nescit se invenisse : quia sic semper quæreret post inventionem, sicut antequam inveniat. Sic ergo et hac de causa lumen quæritur veritatis, cujus principia sunt in nobis. Et attende ordinem : quia per donum virtutis quod petitur, datur virtus quærendi : et tunc imperatur ut quæramus. Psal. civ, 4 : *Quærite Dominum et confirmamini : quærite faciem ejus semper,* hoc est, præsentiam veritatis ejus.

« *Quærite* » autem diligenter, et sapienter, et cum humili intellectu, et cum pietate.

Diligenter, sicut docet Dominus, Luc. xv, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat.* Accendere lucernam est devotione et confessione cor purificare, et flamma

[1] Esther, ii, 18

scientiæ Scripturarum illuminare. Everrere domum est evolvere sacramenta Ecclesiæ triumphantis et militantis, et considerare effectus divinos in rebus mundi hujus, et in his investigare veritatem. Quærere diligenter, est meditatione et contemplatione per rationem continuo in admiratione esse suspensum donec inveniat. Quærere, est usque ad illuminationem veritatis perseverare : et tunc de inventa veritate maximum gaudium concipere. Psal. CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

Sapienter quærere, est Deum ubi est quærere, et quando potest inveniri. Job, XXVIII, 13 : *Non invenitur in terra suaviter viventium.* Oportet ergo studere difficilibus, circa quæ est omnis disciplina et virtus. Ad Hebr. XII, 11 : *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris.* Adhuc, I ad Corinth. II, 7 et 8 : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,... quam nemo principum hujus sæculi cognovit.* Ergo inter potentes sæculi et Philosophos mundi non invenitur. Job, XXVIII, 18 : *Trahitur sapientia de occultis*, scilicet humilibus, absconditis a sæcularibus. Matth. XI, 25 et 26 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* I ad Corinth. II, 7 : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, hoc est, in occultis divinis susurris, et devota contemplatione in secreto acceptum. Job, IV, 12 : *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.*

Cum humilitate autem intellectus quærendum est, ut in captivitatem fidei intellectus redigatur. II ad Corinth X, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Psal. CXVIII, 130 : *Intellectum dat parvulis.* Proverb. I, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti autem scientia et intellectus.* Ptolemæus Philosophus : « Qui « inter sapientes est humilior, inter sa- « pientes est sapientior : sicut profun- « diores lacunæ plures capiunt aquas. » Sic humilis Salomon accepit sapientiam. Sapient. IX, 4 et 5 : *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis : quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.*

Quærendum est etiam pie cum devotione, quæ totum cor affluere faciat ad veritatis admirationem. Isa. LX, 5 : *Videbis, et affluës, mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Sicut dicitur, Daniel. X, 16 : *In visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Hoc significatum est, Exod. III, 3, ubi dicit Moyses : *Vadam, et videbo visionem hanc magnam.* Non enim magna veritas videtur, nisi per pietatem et devotionem ad eam accedatur. Sic ergo quærenda est veritas et præsentia divina diligenter, sapienter, humiliter, et pie.

Et hoc est quod dicit : « *Quærite.* »

« Et invenietis, »

Hoc est, intus venietis qui foris fuistis. Cantic. III, 4 : *Cum petransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, hoc est, pertransissem vigiles qui custodiunt civitatem. Vigiles autem dicuntur Angeli propter suam insomnem naturam, ut dicit Chrysostomus. Inter quos conversandum, et cum quibus confabulandum est, et a quibus quærenda est veritas divina : quæ tamen ultra eos invenitur in seipsa, quamvis in eis resplendeat per multa decoris et gloriæ argumenta. Baruch, III, 37 : *Deus noster adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo.* Via disciplinæ dicitur veritas divina, quam invenit Deus quando nos invenire facit. Tradit autem eam inveniendam Jacob luctanti in oratione cum sapientia : et Israel rectissimo in mandatis Dei tradit percipiendam. Quoniam, sicut dicitur, Sapient. I, 4 : *In malevolam animam*

non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Sic autem inventa veritate, et data virtute,

« Pulsate, et aperietur vobis. »

Pulsat enim qui jam pervenit. Pulsat autem ad ostium beatitudinis et perfectionis, de quo dicitur, Joan. x, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Hæc autem beatitudo perfectionis non est tantum patriæ, ad quam pulsans continuo dicit illud Apostoli, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Sed etiam est beatitudo perfectionis viæ, ut homo jam virtute proficiens, et veritate intus resplendens, totus divinus in Deo delectatus inveniatur. Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui :* ita quod jam desipiat quidquid Deus non est. Hic enim jam ad secreta Dei pulsat, alibi permanere non valens : dicens cum Psalmista, Psal. XV, 2 : *Dixi Domino : Deus meus es tu : quoniam mihi bene non est sine te.* Sic enim habet veritas hebraica in loco ubi nos habemus : *Quoniam bonorum meorum non eges.*

Ad hoc ergo ostium instanter manu boni operis, et clamore orationis et devotionis pulsandum est.

« Et aperietur vobis. »

Aperitur autem cum introitus panditur ad divinas pulchritudines et delectationes. Psal. XCIX, 1 et 3 : *Introite in conspectu ejus in exsultatione...Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.* Hymnizantes enim ingrediuntur, qui divinas in se sentiunt delectationes. Hi sunt qui claves accipiunt habitationis divinæ, et intrant cum voluerint. Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David* (qui *adspectu desiderabilis* interpretatur) *super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat.* Hi sunt illi felices de quibus dicitur in Psalmo XLI, 5 : *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.*

Propter hæc tria dicit Christus : *Ego sum via, et veritas, et vita* [1]. Via enim est proficientibus in merito virtutis. Veritas autem splendentibus in scientia veritatis. Vita autem pervenientibus ad delectationem divinæ dulcedinis.

Sic (secundum Augustinum) petitur fide operante per dilectionem, quæ est forma omnis meritoriæ virtutis : quæritur spe semper illuminantis veritatis : pulsatur charitate perfectæ beatitudinis. Sed de his in enarrationibus super Matthæum dictum est [2].

Dat autem fiduciam impetrandi cum subjungit :

« Omnis enim qui petit accipit. »

Tantæ enim magnificentiæ congruit, ut omnis qui petit accipiat, et nullus a tanta magnificentia repellatur. I Machab. II, 61 : *Cogitate per generationem et generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur.* Psal. CXLIV, 15 : *Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das illis,* etc. Joel, II, 32 : *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

« Et qui quærit invenit, »

Quia lumen veritatis seipsum ostendit. Sol enim dum quæritur, statim luce propria manifestatus invenitur. Sapient. I, 2 : *Invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Et quid dicam de quærentibus, quia etiam non quærentibus se ultro ingerit se veritas. Isa. LXV, 1 : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant,*

[1] Joan. XIV, 6.

[2] Cf. Enarrationes B. Alberti super Matthæum, VII, 7. Tom. XX hujusce novæ editionis.

invenerunt qui non quæsierunt me. Et ideo, sicut dicit Apostolus, ad Romanos, I, 19, nullus est excusabilis, *quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit.* Sicut jam enim superius dictum est, nihil quæritur nisi id quod secundum aliquid sui jam intus manifestum habetur. Et ideo culpabiles sunt qui non quærunt : et per naturam suam propriam quam negligunt condemnabuntur : quia omnes homines Dei veritatem natura scire desiderant. Et ideo qui dissimulat naturæ lumen ut sequatur illud quærens Deum, juste condemnatur. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Dedisti lætitiam in corde meo.* Act. XVIII, 26 et seq. : *Definiens statuta tempora, et terminos habitationis hominum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Vivimus per gratiam virtutis, movemur per inquisitionem veritatis, sumus per adeptionem et introitum beatitudinis.

« Et pulsanti aperietur. »

Tantum enim desiderium habet ut intremus ad beatitudinem ipsius, quod non sicut homo amicus quærit dilatationem : sed statim irruptis repagulis, et dissilientibus valvis aperit nobis, dicens illud Genesis, XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas ?* Sic enim ad ingrediendum invitat, Isa. XXVI, 2 : *Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.* Nec sustinet quin ruptis repagulis volentem intrare et pulsantem introducat. Psal. CVI, 16 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Nihil enim dividit inter nos et Deum nisi iniquitas. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.*

Sic ergo pulsanti ad januam beatitudinis et misericordiæ libenter aperietur.

« Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?

Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem ?

Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. »

Hic determinat utilitatem doni Patris cœlestis cum fiducia impetrandi quod petitur.

Et in hac parte facit duo : quorum primum est, quod præmittit similitudinem. Secundo autem ex proposita similitudine doni arguit utilitatem, et Patris ad nos benignitatem.

In primo horum tria facit, secundum tria petita quæ a Patre carnali petuntur. Petitur enim aliquando quod necessarium est communiter ad vitæ sustentamentum. Petitur etiam aliquando quod est delectationis dulcoramentum. Petitur item aliquando quod promittit utilitatis futuræ fructum. Et in his tribus omne genus petibilium intelligitur.

De primo igitur duo dicit : petiti necessitatem a patre naturali, et arguit ex impossibili dati nocivi collationem.

In primo dicit tria : dispositionem petentis, affectum ejus a quo petitur, et petiti necessitatem. Dicit ergo :

« Quis ex vobis, »

Qui patris affectum non demeruistis, sed mandata patris custodistis ut boni discipuli et obedientiæ filii. Luc. XV, 29 : *Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi.* Non enim

estis filii contumaces, qui lapidandi sunt[1]. Sed ex vobis nullus est talis, qui estis dilectissimi filii, quos Pater semper audit. Ad Ephes. v, 1 : *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi.*

« *Quis ergo ex vobis,* » qui Patrem sic vobis obligastis.

« Patrem, »

Qui tantum ad vos habet affectum. Jerem. XXXI, 20 : *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus! Quia ex quo sum locutus de eo, adhuc recordabor ejus.* Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

« Petit panem, »

Hoc est, cordis confirmationem, quæ fit per virtutem : et præcipue per charitatem, quæ est forma et mater et virtus virtutum. Quia sicut cætera fercula sine pane, sic cæteræ virtutes nihil nutrimenti et confirmationis habent sine charitate. Psal. CIII, 5 : *Panis cor hominis confirmat.* Hic est panis supremorum Seraphin, qui ab incendio amoris denominantur. Hoc calore calidi panes in conspectu Domini proponuntur per singula sabbata, hoc est, cordis quietes et delectationes. I Reg. XXI, 6 : *Ut ponerentur panes calidi,* scilicet in conspectu Domini, hoc est, panis sanctus, ut ibidem dicitur, ℣. 4 : *Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum.*

« Numquid lapidem dabit illi ?

Arguit ab impossibili apud affectum paternum. Lapis autem significat cordis duritiam ad charitatis et virtutis donum.

Dicit ergo : « *Numquid* » pater tam pius et bonus, « *lapidem,* » hoc est, cordis duritiam, « *dabit illi?* » Quasi dicat : Non est possibile. Quin potius pater pius dicat lapidi, hoc est, cordi duro, ut panis fiat[2]. Ezechiel.XXXVI,26 : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Sapient. XVI, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.*

« Aut piscem. »

Secundum petitum est, quod est necessitatis præsentis dulcoramentum : quia aliter præsens necessitas esset importabilis.

Et attende, quod boni filii non petunt libidinis fomentum, sed potius castum præsentis necessitatis dulcoramentum : quia pisces et dulces sunt, et frigidum et castum faciunt humoris nutrimentum. Et hujus signum est, quod Dominus cum suis pisces sæpe in usum nutrimenti legitur habuisse. Piscis autem qui in aquis nutritur, fidem formatam, et operantem per dilectionem significat, quæ a Patre petitur inquisitione veritatis, quæ est secundum pietatem. Ad Titum, I, 1 : *Paulus, servus Dei, apostolus autem Jesu Christi, secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est.* Hæc enim veritas limpida nutrit fidem, sicut aqua limpida bonum piscem. Luc. XXIV, 42 : *Obtulerunt Domino partem piscis assi, et favum mellis,* hoc est, dulcedinem spiritus. Ezechiel. XLVII, 9 : *Erunt pisces multis satis.* Joan. XXI, 10 : *Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.*

« Numquid pro pisce serpentem dabit illi ?»

Arguit ab impossibili.

« *Numquid pro pisce* » tam dulci,

[1] Cf. Deuter. XXI, 20 et 21.

[2] Cf. Matth. IV, 3.

« *serpentem dabit illi?* » hoc est, infidelitatem, quam serpens primo homini inspiravit. Quasi dicat : Non faciet. II ad Corinth. XI, 3 : *Timeo autem, ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo.* Fides enim simplex est, quia rationi astutiarum naturalium vel sæcularium scientiarum non innititur : et est vera, quæ super auctoritatem divinam et non super humanam opinionem fundatur. Isa. LIV, 11 : *Fundabo te in sapphiris*, qui sunt omnes cœlestis coloris, et significant divinas revelationes et auctoritates.

« Aut si petierit ovum. »

Tertium petitum est. Si ergo aliquis ex vobis bonis filiis « *petierit ovum,* » in quo est spes pulli volatilis : et per consequens significat spem æternæ beatitudinis, ad quam est pulsandum, sicut in antehabitis diximus. Hoc est ovum columbæ, in qua apparet Spiritus sanctus, quæ nidificat *in foraminibus petræ*, hoc est, in vulneribus Christi : et *in caverna materiæ* [1], hoc est, in latere Christi, et ibi ponit ova sua. Psal. LXXXIII, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum.*

« Numquid porriget illi sciorpionem? »

Scilicet pro ovo tantæ spei « *porriget scorpionem* » fine pungentem per beatitudinis desperationem, Quasi dicat : Non faciet. Deuter. VIII, 15 : *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas.* Serpens statu adurens in concupiscentiæ tentatione. Scorpio in futuræ beatitudinis finali desperatione. Dipsas, in mundanarum rerum insatiabili cupiditate : quia dipsas, *situla* alio nomine vocatur : quia quem percutit, sitire non desinit.

« Si ergo vos cum sitis mali, etc. »

Hic arguit a minori ex proposita similitudine.

Præmittendo ergo in argumentatione dicit : « *Si ergo vos,* » boni filii, « *cum sitis* » tamen « *mali,* » hoc est, malitiæ hujus vitæ et corruptæ naturæ permisti : et ideo ad malum inclinati, et per peccatum mali. Psal. XIII, 3 et 2 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est intelligens aut requirens Deum.* Ad Roman. III, 10 : *Non est justus quisquam.* I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

« *Nostis,* » ex aliqua rationis scintilla, et naturali pietate, « *bona,* » hoc est, utilia temporalia, « *data dare filiis vestris,* » hoc est, amicis in filiali dilectione dilectis. Ad Hebr. XII, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos.* Et post pauca, ℣. 10 : *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos.* Et hoc quidem minus videtur. Ergo,

« Quanto magis Pater cœlestis, »

Ex effectu paterno diligens. Matth. VI, 9 : *Pater noster.* Matth. XXIII, 9 : *Unus est Pater vester qui in cœlis est.*

« *De cœlo,* » qui naturaliter bonus est, nihil habens terrenæ admistum malitiæ. Marc. X, 18 : *Nemo bonus nisi unus Deus.* Psal, CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.* Joan. VIII, 41 : *Unum Patrem habemus Deum.*

« *Dabit,* » naturali pietate et liberalitate quam in filios habet, « *spiritum bonum,* » omnis boni auctorem et inspiratorem. Psal. CXLII, 10 : *Spiritus tuus*

[1] Cantic. II, 14.

bonus deducet me in terram rectam. Psal. CXLII, 12 : *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Nehemiæ seu II Esdræ, IX, 20 : *Spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos.* Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!*

« *Petentibus se,* » illo modo petitionis qui dictus est, dummodo petant in spiritu adoptionis. Ad Galat. IV, 6 : *Quoniam estis filii Dei, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem : Abba (Pater).*

Spiritus enim movet ad petendum clamando : *Abba (pater).* Spiritus docet postulare. In spiritu petendum est, et Spiritus datur petentibus.

Et de primo horum jam dictum est.

De secundo autem dicitur, ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* hoc est, docet postulare.

De tertio dicitur, Daniel. III, 39 et 40 : *In animo contrito et in spiritu humilitatis suscipiamur..., sicut in millibus agnorum pinguium.*

De quarto, Act. I, 8 : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Joan. XX, 22 et 23 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Hoc ergo est donum Patris qui in cœlo est, qui per Spiritum vivificat filios, et in spiritu diligit eos, et de spiritu remunerat et ditat eosdem. De primo horum, Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat.* De secundo, Proverb. I, 23 : *En proferam vobis spiritum.* De tertio, Ezechiel. XXXVI, 26 : *Dabo vobis spiritum novum.*

Sic ergo est petendum et orandum apud Patrem de cœlo.

Multa autem de his dicta sunt, Matthæi, VI, 5 et seq., quæ si fuerint conjuncta his quæ dicta sunt, magis sufficiunt [1].

« Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. » 14

Exposita parte de oratione, in qua virtus impetratur operationis discipulorum, tangit hic de ipsa virtute operante in discipulis regnum cœlorum prædicantibus.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima hanc virtutem demonstrat per rationes et effectum proprium : in secunda autem ostendit quod hæc virtus non est in exteriori observantia legalium, sed in interiori spiritus sanctificatione.

Prima harum dividitur in duas partes : in quarum prima, ut dictum est, demonstrat virtutem : in secunda, ostendit qualiter demonstrata virtus ad mundi utilitatem est propalanda per similitudinem lucernæ, quæ in abscondito non ponitur.

Prior autem harum adhuc dividitur in duas : in quarum prima per effectum et rationem probat hanc virtutem : in secunda autem ostendit quantitatem reatus eorum qui huic virtuti contradicunt, per hoc quod immundus spiritus cum septem nequioribus ad illos revertitur.

Prior autem istarum in tres particulas subdividitur : in quarum prima hanc virtutem ostendit per effectum : in secunda, malitiam exaggerat contradicentium, et devotionem fidelium. In tertia vero, per rationes multas de mendacio convincit contradicentes : et veritatem ostendit virtutis.

In prima harum quatuor dicuntur : virtutis emanatio, modus operationis, defectus et malitia virtutis contrariæ, et effectus virtutis.

Primum horum intelligitur in verbi supposito, cum dicit :

« Et erat. »

Subintelligitur enim Jesus Christus :

[1] Cf. Enarrationes B. Alberti in Evangelium Matthæi, VI, 5 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ.

de quo dicitur, I ad Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Dicitur autem, Matth. XII, 22, quod *oblatus est ei.* Et in hoc notatur fides et devotio offerentium, quæ expostulant et impetrant miraculum. Per ista enim virtus Altissimi obumbrat fidelibus, sicut obumbravit beatæ Virgini [1]. Quantacumque virtus enim sit in Salvatore, non operabitur in nobis, nisi conjungatur nobis per fidem et devotionem. Sicut medicina in pyxide (quæ non operatur nisi suscipiatur) in corpus et naturam ægrotantis nihil penitus operatur.

« Ejiciens. »

Ecce modus operationis : quia non per claves exorcismorum vel supplicationum. Sed in potestate ejecit. Deuter. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* Luc. IV, 36 : *Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt.*

« Dæmonium. »

Ecce contrariæ virtutis malitia, contra quam operatur virtus divina. Dæmonium enim *sufficiens iniquitas* interpretatur. Dæmonium autem quamvis singulariter hic ponatur, tamen in nocumento malitiæ multiplex fuit. Sicut, Luc. VIII, 2, de Maria Magdalena septem dæmonia exivisse perhibentur.

« Et illud erat mutum. »

Hic tangitur effectus malitiæ dæmonis.

Dicitur autem, Matth. XII, 22, quod erat cæcus et mutus : nec poterat esse mutus nisi esset et surdus. Et sic quatuor ad minus intulit nocumenta : interius enim præsidens, ordinem et regimen rationis impedivit. Extra in sensibus abstulit lumen visus, et auditum aurium. Et in virtute motiva impedimentum faciens, linguam immobilem reddidit ad interpretationem sermonis. Et pro tanta quantitate multiplicis malitiæ exclamat, Isa. XXXVIII, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.* Habacuc, I, 17 : *Semper interficere Gentes non parcet.* Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* Quia enim semper grassatur in malitia, ideo non sufficit ei quod unum inferat nocumentum, sed infert multa, impetrata licentia nocendi a Domino : sicut patet in Job [2]. Et hoc facit ad commendationem miraculi. Et ideo de hoc miraculo præcipue fuerunt ædificati fideles devoti, et scandalizati indevoti et infideles.

Impedimentum autem rationis spiri tualiter est in exagitatione inordinata de peccato in peccatum. I Reg. XVI, 14 *Spiritus Domini recessit a Saul : et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.*

Cæcitas autem est obtenebratio luminis veritatis : quamvis sinistro oculo lumen cœnulentum videatur mundi vanitatis et cupiditatis. I Reg. XI, 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros.*

De surditate ab auditu interiori verbi Dei et cæcitate simul dicitur, Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

De mutitate (quæ est taciturnitas a laude Dei), Psal. XXXVII, 14 : *Ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* Marc. VII, 32 : *Adducunt ei surdum et mutum : et deprecabantur eum ut imponat illi manum.*

Ecce tot dæmon intulit nocumenta. In ratione quidem, ne veritatem perciperet : in visu, ne lumen claritatis Dei in miraculis videret : in auditu, ne ex auditu

[1] Luc. I, 35.

[2] Cf. Job, I et II.

verbi ad fidem veniret : in loquela, ne de salute ab aliquo inquirere posset. De olfactu autem et gustu et tactu non curavit : quia illi sunt sensus nutrimenti, per quos homo magis ad concupiscentias carnis inclinatur, quam juvetur ad veritatis cognitionem.

« Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. »

Hic tangitur divinæ virtutis effectus.

Tangitur autem in causa, et in effectu.

In causa per essentiam malitiæ. Dicit enim Aristoteles, quod aliquid per præsentiam causa est alicujus, et per absentiam est causa oppositi : sicut gubernator navis causa est salutis navis per præsentiam, et causa periclitationis navis per absentiam. Ita Dæmon per præsentiam causa est periculi, et per absentiam causa est salutis : quia non abest nisi per gratiam Salvatoris.

Et hoc est quod dicit :

« Et cum ejecisset dæmonium, »

Hoc est, per gratiam suam expulisset : sicut dicitur, Genes. XXI, 10 : *Ejice ancillam*, hoc est, petulantiam : *et filium ejus*, hoc est, Diabolum, et opus ejus, peccatum. *Non enim hæres erit filius ancillæ*, Diabolus, *cum filio meo Isaac*, hoc est, cum Christo. Idem continetur, ad Galat. IV, 30. Hoc promisit Dominus, Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

« Locutus est mutus. »

Matth. XII, 22 : *Curavit eum, ita ut loqueretur, et videret.* Sicut enim dicitur, Ezechiel. XXIII, 25, amatores nostri, Diaboli, qui nasum præciderant et oculos effoderant et aures præciderant, expulsi per Filium Dei verum amicum animæ, cum per præsentiam omnia nobis mala fecerint, per absentiam ipsorum Filius Dei omnium nobis bonorum causa est effectus. Ideo cæcus videt lumen divinum in veritate splendente. Joan. IX, 25 : *Cæcus cum essem, modo video.* Surdus audit, et mutus loquitur. Audit quidem Dei verbum : loquitur autem laudem Dei et veritatis confessionem. Isa. XXXV, 5 et 6 : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Marc. VII, 37 : *Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui.*

« Et admiratæ sunt turbæ. »

Ecce devotio simplicium fidelium. Sicut enim dicit Chrysostomus, « Admiratio « via est ad fidem : quia dum videns mi- « raculum ex Dei potentia suspenditur, « tunc investigans virtutem divinam ad « fidem ædificatur. » Unde, Marc. VII, 37 : *Bene omnia fecit* (et omnipotens est, subaudi) : *et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Matth. XII, 23 : *Stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David ?* supple, in lege promissus. Joan. VI, 14 : *Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.*

« Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. » 15

« *Quidam autem ex eis dixerunt,* » indevoti scilicet et excæcati per invidiam, sicut Pharisæi. Sapient. II, 21 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.*

Tangit autem hic duo genera indevotorum, et in idem pari malitia consentientium. Quidam enim factum calumniari non valentes, causam facti calumniati sunt : sicut Pharisæi. Alii autem in

idem consentientes, argumentum et signum cœlestis virtutis quæsiverunt : quasi ista virtus quam viderant, cœlestis non esset, sed infernalis : latenter quasi utentes testimonio Isaiæ, VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra.*

De primis ergo dicit :

« In Beelzebub, principe dæmoniorum. »

Attende, quod sicut dicit Glossa, Ninus, rex Ninive, et conditor, Belo patri suo statuam consecravit, eique divinos honores instituit : cujus similitudinem Chaldæi recipientes, Bel dicebant. Inde Palæstini suscipientes, Baal dicebant. Moabitæ appellabant Beelphegor. Judæi autem unius Dei cultores, propter derisionem Gentilium, Beelzebub appellabant, quasi *vir muscarum :* eo quod in sordibus cruoris sacrificiorum suorum multitudo insidebat muscarum. Quod idolum quia primum fuit, dicebant in se habere principem dæmonum. Sapient. XIV, 15 et 16 : *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem : et illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit : et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est.* Hunc ergo dæmonem dicebant in potestate habere Christum, sicut Necromantici in potestate dæmonum cogunt dæmones. Et Lucas quidem ponit affirmativam, quæ minus dicit : « *In Beelzebub, principe dæmoniorum.* » Joan. XIV, 30 : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.*

« Ejicit dæmonia, »

Sicut Necromantici. Et hanc affirmativam dixerunt illi, qui erant minus mali. Matth. XII, 24, autem ponit negativam, quæ nihil de divina relinquit virtute, sic : *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum.* Plus autem dicitur, Marc. III, 21 et 22 : *Quoniam in furorem versus est, et.... quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Et in hoc notatur triplex genus malitiæ istorum. Sed non intellexerunt illi, quod Necromantici ejicientes dæmonia non compescunt ea nisi ab exterioribus nocumentis, et non ab interiori malitia. Christus autem interius primo, et postea in exterioribus curavit. Joan. VII, 23 : *Totum hominem sanum feci in sabbato.* Et ideo de blasphemia convincuntur : sicut patebit in sequentibus.

« Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. »

Secundum genus est indevotorum, qui fuerunt Scribæ, sibimetipsis in sapientia sua placentes.

Dicit ergo : « *Alii,* » sicut Scribæ, « *tentantes,* » experimentum istius virtutis quærentes. Matth. XXII, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ?*

« Signum de cœlo quærebant ab eo. »

Ac si dicerent : Quæ circa inferiora operaris, a virtute possunt esse inferiori. Sed in cœlestibus non potest operari virtus inferior. Et ideo si de cœlo signum facis, cognoscemus quod non in principe dæmoniorum, sed virtute divina facis quod facis. Sic enim præcipui inter Prophetas in se esse probabant virtutes divinas. Sicut primus Moyses in columna ignis et nubis signum de cœlo dedit [1] : Samuel secundus mugire fecit tonitrua tempore messis [2], quod contra naturam et consuetudinem fuit terræ illius. Elias ignem de cœlo descendere fecit super

[1] Cf. Exod. XIII, 21.

[2] Cf. I Reg VII, 10.

sacrificia [1]. Elias etiam ignem dejecit de cœlo bis, qui combussit duos quinquagenarios principes cum quinquaginta suis qui erant cum eo [2]. Similiter autem orationes sacerdotum Jonatha inchoante, cæteris autem respondentibus, descendit ignis super sacrificia [3].

Ita igitur tentantes, « *signum de cœlo quærebant ab eo,* » tamquam non et illa calumniari possent, dicentes ex variis aeris passionibus ea accidisse. Calumniator enim veritatis non cogitat quid dicat, dummodo contradicens veritati calumniam imponat. Joan. VI, 30 et 31 : *Quod tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ? Quid operaris ? Patres nostri manducaverunt manna in deserto.* Manna autem etiam de cœlo descendit.

« Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis. »

Hic incipit calumniantium confutatio et virtutis divinæ demonstratio.

Facit autem duo. Primo enim Evangelista ostendit Christo virtutem divinam inesse, per quam est omnisciens. Deinde, inducit rationes mendacium confutantes, et veritatem demonstrantes.

Primum horum dicit : « *Ipse autem,* » Jesus. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondili.*

« *Ipse* » ergo, *qui est in sinu Patris* [4] : qui omnia secreta Patris scrutatus est et novit, Matth. XI, 27 : *Nemo Patrem novit nisi Filius* [5].

Ergo unigenitus Dei cui nihil est absconditum, « *ut vidit cogitationes eorum,* » quas solus novit Deus. Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscet illud ?* Nemo nisi solus Deus. Psal. VII, 10 : *Scrutans corda et renes Deus.* I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* I Paralip. XXVIII, 9 : *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.* Psal. XCIII, 11 : *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« *Dixit eis.* » Ex hoc patet quod in cordibus suis ista dixerunt, Psal. LII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.*

Dixit autem ipsis respondendo :

« Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18 Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus ? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19 Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi judices vestri erunt.

20 Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. »

Hic ponit rationes mendacium et blasphemiam confutantes, et veritatem demonstrantes.

Ponit autem primo rationes deducentes ad impossibile, eo quod contra adversarios veritatis disputat, procedens ex falsis datis ab ipsis. In tali enim disputatione ratio ad impossibile prior est, quam ratio veritatis ostensiva. Secundo autem ponit rationes ostensivas.

Disputando autem ad impossibile, procedit super quadam divisione secundum expositionem Glossæ,sic : Aut ejicio dæmonia in Beelzebub : aut in demonstra-

[1] Cf. III Reg. XVIII, 38.
[2] Cf. IV Reg. I, 10 et 12.
[3] Cf. II Machab. I, 22 et 23.
[4] Joan. I, 18.
[5] Cf. Luc. X, 22.

tione divinis piritus et virtutis. Si quidem ejicio in Beelzebub : sequitur inconveniens, quod regnum ejus desolabitur, et quod filii vestri in eodem ejiciunt dæmonia : ergo non ejicio in Beelzebub. Igitur altera pars divisionis est vera, quod ejicio in demonstratione virtutis Dei et Spiritus sancti. Et tunc sequitur, quod non regnum Beelzebub quod destruo, sed regnum Dei quod construo, « *pervenit in vos.* » Et hoc est quod arguere intendit.

Duas autem rationes inducit, quibus ad inconveniens primam partem divisionis deducit.

In prima ratione universaliter proponit causam destructionis omnis regni : et est propositio civilis. Secundo, assumit causam desolationis regni Satanæ.Tertio, conclusionem propositi innuit temperans conclusionem, in hoc quod per modum interrogationis eam inducit, et non per modum illationis, cum tamen adversarius obligatus sit ex contextione syllogistica præmissa.

Proponens autem universaliter in omnis regni coruptione, dicit :

« Omne regnum in seipsum, »

Hoc est, contra seipsum « *divisum, desolabitur.* » Regnum enim, ut sæpius diximus, est ordinata et completa potestas ad unum in essentialibus, et potestativis, et operationibus perfecta. Cujus corruptio divisio est ordinatorum ad unum : quod contra se : invicem, et contra eum ad quem ordinantur dividuntur. Corruptione autem facta in partibus ordinatis ad unum, necesse est quod desoletur totum. Unde, Isa. III, 5, cum diceretur : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* In quo notatur illius regni in seipsum divisio. Post pauca subjungitur, ℣. 8 : *Ruit Jerusalem, et Judas concidit: quia lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum.* Finem etiam mundi et casum declarans Dominus per signa præcedentia, Matth. XXIV, 7, et Luc. XXI, 10, dicit : *Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.* Et per divisionem vult ostendere regni ruinam et casum. II Paralip. XX, 23 : *Filii in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus.* Matth. XII, 25 : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.*

« Et domus supra domum cadet. »

Signum est desolationis. Domus autem dicitur familia. Sicut domus Jacob, et domus Levi, et domus Aaron, familiæ tales et parentelæ ruunt : et tunc regni est desolatio. Isa. XXIV, 4 et 5 : *Defluxit orbis, infirmata est altitudo virorum terræ. Et terra infecta est ab habitatoribus suis.* Altitudo virorum dicitur hic, altorum sanguine progenies. Et quando illæ in se dividuntur, tunc cadit domus supra domum. Isa. XXII, 9 : *Scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt.*

« Si autem et Satanas, etc. »

Assumptio in regno Satanæ, qui *adversarius* interpretatur : quia omni bono et omni bonæ ordinationi adversatur, et maxime ordinationi factæ per Christum. Matth. IV, 10, 7. *Vade, Satana : Scriptum est enim : Non tentabis Dominum Deum tuum.*

« *In seipsum,* » hoc est, contra seipsum « *divisus est,* » in multitudine potestatum et ministrorum regni sui, sicut vos dicitis. Quamvis enim mali semper divisi sint, et nihil habeant veræ unionis : sicut, Judicum, XV, 4 et 5, dicitur, quod vulpes Samsonis capita habebant divisa, et caudas colligatas : tamen in intentione nocendi conveniunt : et nisi ad illam ordinent actus suos, ad perfectionem nocumenti non proficiunt. Quando autem concordant in unum, tunc ad perfectionem mali intenti proficiunt. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines..., proficient in*

pejus, errantes, et in errorem mittentes. Propter quod dicit Philosophus, quod bonum et finis cujuslibet regni est sicut in duce exercitus, in quo sibi quilibet secundum suum officium ad victoriam cooperatur : et quando ad multa tendunt in seipsos divisi, tunc destruitur victoria. Proverb. XXVIII, 2 : *Propter peccata terræ multi principes ejus*, hoc est, ad multa tendentes. Et cum destruendum esset regnum Alexandri Macedonis, divisio fuit causa destructionis. I Machab. I, 7 et seq. : *Divisit Alexander pueris suis nobilibus regnum suum, cum adhuc viveret... Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo : et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus, et filii eorum post eos annis multis, et multiplicata sunt mala in terra.* Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

« *Si autem Satanas in seipsum divisus est,* » cum divisio, sicut probatum est, sit tota et sola causa desolationis, « *quomodo stabit,* » hoc est, stare poterit, « *regnum ipsius ?* » Temperat conclusionem in modum quæstionis : ne aperte concludens, nimis videantur confusi adversarii veritatis. I ad Corinth. IV, 14 : *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.* Unde per quæstionem excitat ut ipsi in sensum redeant veritatis. Ac si dicat illud Isaiæ, XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« Quia dicitis. »

Confirmatio est assumptæ propositionis, assertive pronuntiando : « *Quia dicitis in Beelzebub,* » hoc est, in virtute et potestate Beelzebub, « *Me ejicere dæmonia.* » Ex quo dicto sequitur Satanam in seipsum divisum esse.

Attende autem, quod regnum diaboli non proprie *regnum* vocatur : quia regnum est in ordine boni regiminis ad utilitatem populi qui regitur ordinatum. Quod non est regnum dæmonum, quod potius ordinatum est ad nocumentum. Et hoc est corruptio regni quæ proprie vocatur *tyrannis* : et rex sic principans vocatur *tyrannus.* Sed propter similitudinem obediendi ad unum, et sub uno, vocatur regnum. Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium : et rex fortis dominabitur eorum.* Hoc regnum est Chaldæorum (qui *feroces* interpretantur) quod venit dissipare optimus Rex noster Christus. Isa. XLVII, 1 : *Non est solium filiæ Chaldæorum.* Et infra, ibidem, ℣. 5 : *Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldæorum : quia non vocaberis ultra domina regnorum.* Et quod sic virtute regni summi cœlestis (quod construit Christus) destruatur regnum diaboli, intendit hic probare. Luc. I, 32 et 33 : *Regnabit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis.*

« Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia. »

Secunda ratio est deducens ad inconveniens, et fundatur super hoc, quod est ecclesiasticum et sacramentale principium, quo utuntur et Necromantici, et Ecclesiastici : quia unius invocationis una est operatio. Filii autem eorum vel fuerunt Apostoli, qui (sicut supra, X, 5 et seq., legitur) missi expellebant dæmones : vel alii discipuli, qui reversi ad Christum, Luc. X, 17, dixerunt : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo* : vel fuerunt etiam illi, qui Christum non sequentes tamen in nomine Christi etiam dæmones ejiciebant, Luc. IX, 49 et 50 : *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Et respondit Christus quod non prohiberetur. Act. XIX, 13 : *Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat.* Vel, sicut dicit quædam Glossa, fuerunt Exorcistæ, qui videntes infirmos jam esse exorcismos Salomonis, adjurare cœperunt in nomine Christi. Isti ergo sunt

filii Pharisæorum instructi ab eis, et nati, et noti, et approbati. Si ergo illi non in Beelzebub, sed in virtute divina ejiciunt : et cum unius invocationis eadem sit operatio : ego in præsentia imperans dæmonibus, ex eadem virtute ejicio.

Et hoc est : « *Si autem ego*, » cujus nomen ab aliis invocatur, « *in Beelzebub ejicio dæmonia*, » non nomen meum, sed Beelzebub nomen ab aliis esset invocandum, « *filii vestri*, » de quibus dictum est, « *in quo ejiciunt ?* » Iterum temperat illationem conclusionis in quæstionem : ut ad rationem redeant, et considerent rationis veritatem. Job, VI, 29 et 30 : *Loquentes id quod justum est, judicate : et non invenietis in lingua mea iniquitatem.* II ad Corinth. VI, 15 et 16 : *Quæ conventio Christi ad Belial?... et qui consensus templo Dei cum idolis ?*

« Ideo ipsi judices vestri erunt. »

Exaggeratio est. Quasi diceret : Quia « *ipsi* » nomen meum invocant dæmones ejiciendo, « *ideo*, » comparative loquendo, « *judices vestri erunt.* » Ad Roman. II, 27 : : *Judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.* Isa. XLIII, 10 : *Vos testes mei, dicit Dominus.*

Si autem de Apostolis et discipulis intelligitur, tunc est concordia. Matth. XIX, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Glossa quædam arguit ex hac contextione, dicens : « Si omne regnum divisum desolatur, ergo regnum Patris et Filii et Spiritus Sancti, quod nulla contradictione, nullo impulsu desolatum est, non est divisum : et ideo est æternum. Daniel. II, 44 : *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus quod non corrumpetur.*

« Porro si in digito Dei, etc. »

Acceptio est alterius partis divisionis : quia jam destructa est prima.

Et hoc est : « *Porro*, » hoc est, sed adversando prædictis quæ ad inconveniens deducta sunt, « *si in digito Dei*, » hoc est, in demonstratione virtutis Dei et divini spiritus, « *ejicio dæmonia*, » divino spiritui et virtuti contraria. Luc. VIII, 46 : *Ego novi virtutem de me exiisse.* Exod. VIII, 19 : *Digitus Dei est hic*, hoc est, Spiritus et virtutis Dei demonstratio. Matth. XII, 28 : *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei.*

« *Profecto*, » hoc est, certe. Et est adverbium in virtute conjunctionis illativæ, sive rationalis.

« *Pervenit in vos*, » in sensus et corda, « *regnum Dei*, » quod destruit regnum diaboli. Dicitur autem *regnum Dei*, potestas regni Dei vincens contrariam tyrannidem diaboli. Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Joan. XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Unde Glossa dicit, quod « ideo quia in Christo spem non gerunt, sed in principe dæmoniorum ejici dæmones opinantur, eos regni negat esse perpetui. »

« Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit. »

Hic adducit ad propositum rationes ostensivas, quæ omnes a civilibus sumuntur.

Et sunt tres quæ per ordines inducuntur : quarum prima sumitur a præsidio fortis, ea quæ in ditione sua sunt custodientis.

Habet autem partes duas : unam quidem a possessione quieta, qua sua possidet fortis, non ejectus de possessione ab alio se fortiori.

Dicit ergo : « *Cum fortis,* » quilibet in civilibus, « *armatus,* » armis præsidia sua munientibus : sicut sunt amici, ministri, et loricæ, et clypei, et castra, et hujusmodi, « *custodit,* » per fortitudinem suam, « *atrium suum,* » hoc est, ea quæ sunt in ditione sua, « *in pace,* » hoc est, pacifica possessione, « *sunt* omnia *ea quæ possidet,* » sive juste, sive injuste possideat.

Sic diabolus, « *fortis,* » de quo dicitur Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Habacuc, I, 12 : *In judicium posuisti eum : et fortem ut corriperes, fundasti eum.*

« *Armatus,* » sententiis et maledictionibus Dei et peccatis hominum, et multitudinibus dæmonum. I Reg. XVII, 5 : *Lorica squamata induebatur.* Ad Roman. VI, 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati,* etc.

« *Custodit atrium suum,* » hoc est, mundum, quem habet in ditione sua. I Joan. V, 19 : *Mundus totus in maligno positus est.* Unde, Matth. XII, 29, dicitur *domus sua.* Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.*

« *In pace.* » Non interiori securitate conscientiæ : quia, Isa. XLVIII, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Sed quia exterius non impulsabatur ab aliquo. Isa. XXXVIII, 17 : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Isa. X, 14 : *Universam terram ego congregavi, et non fuit qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret.*

« *Sunt omnia quæ possidet.* » Habacuc, I, 15 : *Totum in hamo sublevabit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum.*

« Si autem fortior illo superveniens, etc. »

Secunda pars est rationis ejusdem. Christus autem dicitur fortior in jure, et fortior in robore et armis. Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Et, Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate?* Hic supervenit forti, quia superior eo exstitit. Jerem. XLVI, 12 : *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter ceciderunt :* Christus per mortem corporis in sepulcrum, et diabolus a potestate dejectus in infernum. Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Equidem, et captivitas a forti tolletur : et quod ablatum est a robusto, salvabitur.

Et hoc est quod dicit :

« Vicerit eum, »

Scilicet fortem. Apocal. VI, 2 : *Data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Apocal. XX, 1 et 2 : *Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum..., et ligavit eum per annos mille.*

« *Eum,* » scilicet fortem diabolum. Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.*

« Universa arma ejus auferet. »

Hæc dicuntur vasa, Matth. XII, 29, quia continent iram Dei. Et sunt arma impugnationis diaboli, quibus expugnat alios. Hoc significatum est, I Reg. XVII, 50, ubi David tulit arma Goliath Gethæi, et in gladio suo amputavit caput ejus. Et, I Machab. III, 12 : *Accepit spolia eorum, et gladium Apollonii abstulit Judas, et erat pugnans in eo omnibus diebus.* Unde Christus dicitur prædator armo-

rum, Isa. VIII, 3 et 4 : *Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere, festina prædari : quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* Ad Ephes. IV, 8 : *Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.*

« In quibus confidebat. »

Sicut confidebat in Saulo et litteratura sua diabolus : quem abstulit Christus, Act. IX, 15, dicens : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Sic, Exod. XII, 35 et 36, filii Israel spoliaverunt Ægyptum.

Et hoc est quod sequitur :

« Et spolia ejus, »

Hoc est ablata ab eo, « *distribuet* : » diversis dabit pro utilitate Ecclesiæ. Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe : sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Hæc est ergo ratio prima : quia quicumque diripuerit vasa diaboli, fortior illo est, et contrarius illi. Ego autem sic diripio : ergo fortior illo sum et contrarius illi : ergo propria virtute ex me emanante ejicio illum.

« Qui non est mecum, contra me est. »

Secunda ratio. Quia immediata sunt vel esse cum Deo, vel esse contra Deum. Et ideo cum diabolus et membra ejus non sunt mecum facientes et operantes, sequitur quod contra me sint. Et sic virtute potentiori divina et contraria sibi ejicio eum. Quod autem non sit mecum, patet : quia præsentiam meam non sustinet, sed est ibi tormentum. Matth. VIII, 29 : *Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*[1] *?*

« Contra me est. »

Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Job, XV, 13 : *Quid tumet contra Deum spiritus tuus ?* Numer. XXII, 32 : *Perversa est via tua, mihique contraria.*

« Et qui non colligit mecum, dispergit. »

Tertia ratio est sumpta a proprietate operum : quia Christi est colligere, dæmonis autem dispergere : et sic regnum Dei cum dæmonum regno nullam habet communicationem. Colligit enim Christus, et Sancti colligunt secum. Colligit autem Christus primo passiones in formam virtutis : actiones ad normam rectitudinis : electiones ad prudentiam rationis : animales vires et motus ad mensuram bene constitutæ mentis : diversas, et discurrentes, et vagas cogitationes ad contemplationem intellectus divini simplicis : multitudinem totam operum in unum simplicis intentionis : multitudinem credentium in unanimitatem cordis : multitudinem credentium in unanimitatem cordis : multitudinem ovium in omnibus nationibus ad unitatem unius ovilis, et curæ pastoralis. Et sic semper Christus colligendo est et congregando. Unde Augustinus in libro X *Confessionum* : « In omni-
« bus quæ mente percurro, non invenio
« locum tutum animæ meæ præter te, in
« quo colliguntur sparsa mea. »

De his collectionibus dicit Psalmus XLIX, 5 : *Congregate illi Sanctos ejus.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Ezechiel. XXXVI, 24 : *Congregabo vos de*

[1] Cf. Luc. IV, 34.

universis terris, scilicet de terris in quibus dispersi estis. Psal. CV, 47 : *Salvos nos fac, Domine, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo.* Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Joan. XI, 51 et 52 : *Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

« Dispergit. »

Omni contrario modo collecta dispergit diabolus, qui divisionis est pater et origo. Dispergit enim in varietatem passionum desideria peccantium. Dispergit in corruptionem actionum multitudinem injustorum operum. Dispergit voluntatem in diversitatem eligibilium. Dispergit mentis mensuram per diversitatem animalium motuum. Dispergit intellectum in evagationes cogitationum inutilium. Dispergit intentionem per diversitatem finium intentorum. Dispergit credentes in contrarietatem discordiarum : unitatem Ecclesiarum in diversitates errorum. Joan. X, 16 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Exod. V, 14 : *Dispersus est populus ad colligendas paleas.* Sic, Genes. XI, 9, divisum est labium loquelæ cordium in turri Babel, hoc est, confusionis. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine*, hoc est, permitte ut dispergantur.

« Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem : et non inveniens dicit : Revertar in domum meam unde exivi. »

Hic exaggerat peccatum istius blasphemiæ in Spiritum sanctum.

Dicit autem quatuor, quorum primum est emundatio Synagogæ a spiritus immunditia : secundum autem, perambulatio spiritus immundi, quærentis locum habitationis quietæ : tertium est reversio ad Synagogam : quartum est profectus malitiæ post reversionem. Intendit autem quod ante legem datam et circumcisionem patrum, immundus spiritus fuit in populo Pharisæorum, qui per legem et circumcisionem, per devotionem cultus divini et fidem patrum exivit ab eis. Quo recedente, otio vacantes, et scopis exteriorum traditionum se ornantes, sectam invenerunt Pharisæorum. In qua secta vacantes in justitia simulata hypocritarum, spiritus immundus reversus invenit eos : et ideo ingressus in eos convertit vel potius pervertit in spiritum blasphemiæ et hypocrisis. Et ideo facta sunt novissima eorum pejora prioribus. Et hoc est quod intendit. Sed generaliter loquitur, temperans sermonem gratia disciplinæ : et ne minis provocet eos.

Dicit ergo :

« Cum immundus spiritus, »

Non per naturam, sed per effectum. Matth. X, 1 : *Dedit illis potestatem spirituum immundorum.*

« *Exierit ab homine* » quolibet, vel a Synagoga, vel Pharisæis. Luc. IV, 41 : *Exibant autem dæmonia a multis.* Luc. VIII, 2 : *Maria, quæ vocatur Magdelene, de qua septem dæmonia exierant.*

Ecce exitus immundi spiritus.

« Ambulat. »

Ecce discursus. Ambulat enim componitur ab *an*, quod est *circum*, et *bulo*, quod in simplici non est in usu sed in composito, et est idem quod *vado*. Job, I, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* I Petr. V, 8 et 9 : *Adversarius vester diabolus...circuit, quærens quem de-*

voret : cui resistite fortes in fide. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Immundorum enim spirituum est ambulare in circuitu : quia semper declinant ab itinere recto. Longissime enim distat a recto circuitus. Curvum enim non circumductum in aliqua parte distat, et in aliqua parte appropinquat. Sed circumductum undique maxime distat : ita quod rectum non tangit nisi in puncto, et statim recedit. Psal. XXXV, 5 : *Adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

« Per loca »

Fundata : quia inter proprietates, tres sunt quæ magis competunt loco : scilicet immobilem esse motu, locati continentem esse, et quod ad ipsum sit motus. Ista sunt corda quæ quærit diabolus, quæ immobilia sint a malitia, quæ intra se circumdando contineant diabolum et detineant etiam recedentem, et ad quæ sicut ad locum sibi convenientem moveatur.

De primo dicitur, Apocal. II, 13 : *Habitas ubi sedes est Satanæ.* De secundo, Thren. III, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* De tertio, Job, XX, 25 : *Vadent et venient super eum horribiles.* Sic locus in malo accipitur.

Et similiter locus dicitur cor immobile a bono virtutis. Genes. XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto.* Josue, V, 76 : *Locus in quo stas, sanctus est*, hoc est, firmus, circumdans est. Psal. LXVII, 6 et 7 : *Deus in loco sancto suo. Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.*

Ad istum etiam locum conversio Dei est. Cantic. VII, 10 : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* Ideo dicitur, Eccle. X, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris* : quia spiritus malignus semper corda Sanctorum explorat.

« Inaquosa, »

Hoc est, a vitiis et humore concupiscentiæ arida. Psal. CXLII, 6 : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Sicca enim loca, alta, bene perflabilia, et plana, sana sunt secundum naturam. Sicca a concupiscentiæ humore : alta contemplationis supensione : plana virtutis æqualitate et justitiæ æquitate : et bene perflabilia Spiritus sancti inspiratione et consolatione.

Primum significatur, Exod. XIV, 21 et seq., ubi Dominus filios Israel sicco vestigio eduxit per Mare rubrum, Ægyptios autem demersit in mare. Secundum autem est quod dicitur, Isa. LVIII, 14 : *Sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* De tertio, Isa. XLIX, 9 : *In omnibus planis erunt pascua eorum.* De quarto, Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.*

Talia igitur loca explorans perambulat,

« Quærens, »

Scilicet per tentationem. I Petr. V, 8. *Quærens quem devoret.*

« *Requiem* : » mansionem per peccati consensum, et obstinationem : sicut, Genes. VIII, 7, corvus requievit in cadavere. Apocal. XVIII, 2 : *Facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi.*

« Et non inveniens »

In sanctis talem requiem, « *dicit.* »

Et tangitur hic reversio immundi spiritus ad Synagogam, et ad quemlibet exterioribus et non interioribus studentem. Non enim ille qui *sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus* [1], invenit requiem in Sanctis,

[1] Job, XL, 16.

intus et extra ex humore concupiscentiæ siccis, in luce et non in umbra ambulantibus, et solidum veritatis et non vacuum arundinis ad auras sibilantis prosequentibus, qui dicunt Domino : *In terra deserta, et invia, et inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam*[1].

Unde cum in mentibus fidelium omnia sua tentamenta cessare perpendit, dicit :

« Revertar, »

Reversione nequitiæ iniquitatis. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum, et, Sus lota in volutabro luti.* Isa. XXXVII, 34 : *In via qua venit, per eam revertetur, et civitatem hanc non ingredietur.*

«*In domum* » habitationis meæ, quam iniquis construxi actibus. Job, XVIII, 15 : *Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est.* Jerem. LI, 37 : *Erit... habitatio draconum.* Apocal. XVIII, 2 : *Facta est habitatio dæmoniorum.*

« *Meam,* » quam sibi quieta possessione acquisivit. Hæc est domus impii de qua dicitur, Habacuc, III, 13 : *Percussisti caput de domo impii.*

« *Unde exivi,* » compulsus per justificationem. Deuter. XXXIII, 27 : *Ejiciet a facie tua inimicum, dicetque : Conterere.* Luc. XI, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.* Luc. IV, 41 : *Exibant dæmonia a multis.*

« Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam.

Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. »

Hic tangit qualem invenit domum, quæ non interioris, sed exteriori studet justitiæ.

Dicit ergo : « *Cum venerit,* » per immunditiæ persuasionem. Venit autem cum accedit. Matth. IV, 3 : *Accedens tentator, dixit.* Sic, Genes. III, 1, serpens accessit ad Hevam.

« *Invenit,* » quia locum tentandi dedit. Jerem. II, 24 : *Omnes qui quærunt eam, non deficient, in menstruis suis invenient eam.* Contra quod dicitur, ad Ephes. V, 27 : *Nolite locum dare diabolo.*

« *Scopis mundatam, et ornatam.* » Scopa non purgat nisi exterius in superficie, et significat Pharisæos et hypocritas exteriori studentes pulchritudini. Unde, Matth. XXIII, 27, assimilantur *sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Et, ibidem, ℣. 25, dicuntur mundare quod exterius est calicis et catini, et interiora spurca et immunda relinquentes. Isa. XIV, 23 : *Scopabo eam in scopa terens* (hanc exteriorem malitiam neglecta interiori). Dicit Apostolus, ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

« Tunc vadit. »

Hic tangit qualis revertitur.

Tangitur autem hic profectus malitiæ in tribus : in profectu, in habitatione, in comparatione ad statum præcedentem.

Profectus autem tangitur in tribus : in profectus processu, in quantitate, in malitiæ intensione.

De primo dicit : « *Tunc vadit,* » per incrementa malitiæ. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.* Matth. XXIV, 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

Sic ergo, « *vadit,* » passibus iniquitatis.

[1] Psal. LII, 3.

« Et assumit, »

Quia vera iniquitas falsam et simulatam sumit virtutem, ut veniat in vestimentis ovium, et intrinsecus sit lupus rapax. Istæ sunt adhortationes de quibus dicitur, Job, xxxix, 25 : *Exhortationem ducum, et ululatum exercitus.*

« Septem alios spiritus secum, »

Septem simulationibus capitalium vitiorum prælatos. Sicut vera superbia sumit secum falsam humilitatem : vera invidia falsam fraternam charitatem, et fraternam correptionem : vera ira falsam mansuetudinem sub pallio zeli latentem : vera acidia mundanorum gaudiorum placentiam mentientem sub integumento debilitatis : vera avaritia simulatam providentiam : vera gula apparentem necessitatis indigentiam : vera libidinis immunditia simulatam in exterioribus muliercularum consolationem. III Reg. xxii, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* II ad Corinth. xi, 14 : *Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Non est ergo mirum si ministri ejus transfigurantur sicut ministri justitiæ.

« Nequiores se, »

Quia simulatio magis est efficax ad decipiendum. III Reg. xxii, 22 : *Decipies, et prævalebis.* Dicit enim Augustinus, quod « simulata æquitas non est « æquitas, sed duplex iniquitas. »

« *Et ingressi.* » Luc. viii, 30 : *Intraverant dæmonia multa in eum.* Ingreditur autem diabolus per consensum. Joan. xiii, 27 : *Post buccellam, introivit in eum Satanas.*

« *Habitant ibi,* » morando per consuetudinem. Contra dicit Psalmus v, 6 : *Neque habitabit juxta te malignus.* Et sic in Pharisæis habitabant spiritus immundi, moventes eos ad blasphemiam Spiritus sancti.

« Et fiunt novissima hominis illius, »

In spiritu blasphemiæ et impugnatione veritatis agnitæ (quæ Dei digito demonstratur) « *pejora,* » quantum ad aggravationem peccati, « *prioribus,* » quando in ignorantia Dei vixerunt. Quia tunc ignorantia excusabat eos, etsi non a toto, tamen a tanto. II Petr. ii, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Matth. xxvii, 64 : *Erit novissimus error pejor priore.* Jerem. vii, 26 : *Pejus operati sunt quam patres eorum.*

« Factum est autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi. » 27

Hic tangit condemnationem istorum ex judicio comparationis.

Tangitur autem duplex condemnatio comparationis : una quidem mulierculæ benedicentis, ad blasphemantes Pharisæos et Scribas : alia autem antiquorum minoribus credentium, ad Pharisæos majori non credentes.

In prima harum duo dicuntur : scilicet, descriptio benedicentis mulierculæ, et ipsa benedictio.

Descriptio autem benedicentis est a quinque, scilicet, a temporis opportunitate, ab excellentia quam habuit in sermone, a singulari dignitate, a sexus fragilitate, a plebeia et turbarum (quibus impediri non potuit) strepitu et tumultuositate.

Opportuno enim tempore fuit contra blasphemantes auxiliata, scilicet, quando contra tumultum etiam obstrepentium vox clamoris sui fuit elevata. Inter mulieres etiam ad benedicendum Christum singulariter fuit dignificata. Et cum esset fragilis sexus, terrore blasphemantium non est exterrita. Et cum esset in

medio plebis et turbarum humilis, constanter veritatem est confessa.

De primo ergo dicit Evangelista : « *Factum est autem,* » Domino excitante spiritum mulieris debilis, cum undique perstreperent blasphemantes. Eccli. LI, 10 : *Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret.* Psal. CXVII, 12 : *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : et in nomine Domini quia ultus sum in eos.*

« *Cum hæc,* » disputans, et blasphemantes confutans. Job, XIII, 4 : *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.*

« *Diceret* » ad turbam, in qua fuerunt veritatem rationum suarum intelligentes, et malitiam Pharisæorum advertentes. Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum,* hoc est, qui exauditis, veritatem elicite, et vobis eam incorporate.

Ad turbas autem loquitur, quia parvi et populares audiverunt. Alii autem excæcati sunt. Joan. VIII, 37 : *Sermo meus non capit in vobis.* De aliis autem dicitur, infra ỳ. 52 : *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.* Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

In hoc ergo tempore cum turbarum Pharisæi blasphemarent, ista muliercula benedixit. Psal. CVIII, 2 : *Laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.* Psalmo eodem, ỳ. 28 : *Maledicent illi, et tu benedices. Qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur.*

« Extollens vocem. »

Extra clamores omnium sonum vincentem tollens. Isa. XL, 9 : *Exalta in fortitudine vocem..., exalta, noli timere.* Hæc autem extollentia vocis, magnificæ laudis est indicium. Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Psal. XXIX, 2 : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me : nec delectasti inimicos meos super me.* Per disputationem enim Domini *obstructum est os loquentium iniqua.* Per magnificam laudem mulierculæ condemnata est et repressa adversariorum blasphemia.

« Quædam, »

Dignitate singularis, quamvis conditione humilis. Hæc est una de ancillis (de quibus dicitur, Job, XL, 24 : *Ligabis eum ancillis tuis,* hoc est, Leviathan) quæ sic ligavit linguas blasphemorum. Ancilla profecto fortissimæ mulieris sapientiæ divinæ, quam ipsa sapientia cibavit pane vitæ et intellectus ad cognoscendam veritatem : sicut dicitur, Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit : deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.*

Ad litteram enim fertur ab antiquis hæc fuisse a cilla beatæ Marthæ, Stella nomine, quæ post passionem et ascensionem Domini cum beata Maria Magdalena, et Lazaro, et Martha, et beato Maximino mare transiens in Massiliam pervenit. Cujus nomen (quod est Stella) signat illuminationem radiosam cognitionis ipsius. Hæc enim una de stellis, quæ sicut dicitur, Judicum, v, 20, contra Sisaram pugnaverunt, qui Pharisæos commovit in blasphemiam, hoc est, contra diabolum. Hæc, inquam, est Stella, quæ illuxit in medio nebulæ[2], quæ Christum circumdederat. Hæc, inquam, est Stella, de qua dicitur, Baruch, III, 34 et 35 : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt...: et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui*

[1] Psal. LXII, 12.

[2] Cf. Eccli. L, 6.

ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

« Mulier. »

Et sicut dicit Ambrosius : « Quanto « infirmior sexus, quanto infirmius va- « sculum quod reportat ex hoste trium- « phum : tanto majori opprobrio diabo- « lus induitur, tanto dux militiæ nostræ « Christus jucundius in pugnantibus « suis delectatur. » Judith, XIV, 16 : *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.* Hæc est fortis mulier, cujus *procul et de ultimis finibus pretium ejus*[1], quæ causa est contra Scribas et Pharisæos vocem laudis extollere. Joan. IX, 22 : *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Hæc est mulier, quæ, sicut dicitur, II Machab. VII, 21, *fœmineæ cogitationi masculinum animum inseruit.* Ruth, III, 11 : *Scit omnis populus... mulierem te esse virtutis.* Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.*

Sic ergo dignitate singularis, illuminationis nomine præsignita, fortitudine et fide fulta, adversariorum virtute ornata, et Christi laude plenissima.

« De turba, »

Turbata clamoribus blasphemorum, quam clamore devotionis transcendit. Sicut enim Christus ex ore infantium et lactentium perfecit laudem, ut destrueret inimicum blasphemantem cum ascenderet Jerusalem[2] : et sicut suscitavit spiritum pueri junioris, ut confunderet et damnaret senes judices iniquitatis[3] : sic spiritum puellæ humilis conditionis hic suscitavit de turba laudem suam clamantis, ut confunderet altitudinem superbia præsumentem. I ad Corinth. I, 27 : *Quæ infirma sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

« Dixit illi, »

Hoc est, ad laudem ipsius. Cor enim ipsius intentum erat ad ipsum, et blasphemantes profanos reputabat, et qui indigni essent allocutione ipsius. Et ideo non eis, sed Christo dixit : audientibus tamen illis ut confunderentur. Psal. XXXIV, 26 : *Induantur confusione et reverentia, qui maligna loquuntur super me.* Mich. VII, 10 : *Adspiciet inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me : Ubi est Dominus Deus tuus?*

« Beatus venter qui te portavit. »

Hic hujus mulieris laus, quam de Christo dixit, describitur.

Dicuntur autem hic duo : laus enim præmittitur originis Christi secundum carnem, et per Christum respondetur laus originis ejusdem secundum spiritum in audientibus et custodientibus verbum ipsius, qui sunt matres Christi spirituales. Et primum horum est figura secundi. Secundum autem est causa primi : quia Christum beata Virgo corporaliter non genuisset, nisi prius Verbum aure cordis concepisset et custodivisset, quasi gestans ipsum in cordis utero.

In primo autem horum duo notantur, scilicet, laus ventris portantis, in quo Christus carnem induit : et laus uberum quæ suxit, quorum lac Christum ad incrementum aluit et perduxit.

In priori horum adhuc sunt duo : laus ventris, et causa, scilicet, quia portavit. A fructu enim est laus arboris fructificantis.

Laus autem ventris adhuc duo continet : laudem beatitudinis, et materiam laudis quæ est venter.

[1] Proverb. XXXI, 10.

[2] Cf. Matth. XXI, 15 et 16 ; Joan. XII, 13.

[3] Cf. Daniel XIII, 45.

Laus ipsa, sicut diximus, laus est beatitudinis, quæ major est omni laude. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima. Dicit enim Philosophus, quod felicitas, et beatitudo aliquid melius est omni bono, et laude laudabilior : quia qui laudatur, secundum aliquem virtutis habitum laudatur : beatitudo autem actum dicit perfectissimæ et in nullo deficientis virtutis, sicut alibi diximus.

Consideremus ergo quæ beatitudo sit ventris, quæ hic prædicatur.

Constat autem quod actus primus fœminei ventris fœcunditas est. Qui actus, secundum naturam primo institutam, concupiscentiæ et corruptionis non est : quia concupiscentia et corruptio per peccatum intraverunt. In miseria ergo est venter in concupiscentia et corruptione concipiens. Psal. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* In naturæ autem statu est venter ex virili semine concipiens. Genes. II, 18 : *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.* Quod dicit : *Non est bonum*, hoc est, non est secundum naturam utile. Quod autem dicit : *Faciamus ei adjutorium*, hoc est, adjutorium ad generationem : quia generatio secundum naturam est ex commixtione seminum.

Sed beatitudo ventris in virtute divina, est in ventris actu perfectissimo : ut nihil miseriæ patiens, naturalem etiam fœcunditatem transcendens, ex Deo accipiat fœcunditatem. Ut et florem vernantem habeat virginitatem, et fœcunditatem divinæ fœcunditati similem habeat in gaudio matris : et sic nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Iste est enim ventris proprius et perfectissimus actus, beatitudinem colligens ex septem : quorum primum est fœcunditatem afferens : secundum autem fœcunditatis miseriam abstergens : tertium flores pulchritudinis conservans : quartum mirabilem fœcunditatem exornans : quintum puritas fœcunditatis munditiam nutriens : sextum virtutem fœcunditatis augmentans : septimum et ultimum gloriosissimum exemplum æternam fœcunditatem ostendens, et omnem divinam fœcunditatem et in futurum præsignans. Quorum primum quidem est magnum, magnifica perficiens : secundum autem gratia plenum, maledictum omne abstergens : tertium omni flore virtutis fœcunditatem istam pulchrificans : quartum vero omni miraculo fidei obsequens : quintum autem per omnem genitricis munditiam totum natum alens : sextum, ne aliquid desit matri per virginitatem, et ne aliquid desit virgini per maternitatem, divina quadam potestatis plenitudine perficiens : septimum in doctrinam et exemplum nobis traditum, ad veritatis contemplationem et exemplum imitationis est propositum.

Primum autem quod est fœcunditatem istam afferens, et per consequens actum proprium ventris beatificans, est, quia venter ille fuit fabrica, triclinium virtutis summæ, quæ attribuitur Patri, quæ in ipsa Virgine se obumbravit : et sapientiæ, quæ attribuitur Filio, quæ in ipso ventre tantum opus et tam mirificum perficere studuit : et bonitatis altissimæ, quæ Sipiritui sancto datur, quæ tot bona in hoc opus congessit. Sic enim dicitur, Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi* : hoc est, sui quamdam in te producet imaginem ex se resultantem : per quam poteris in tantam fœcunditatem divinæ et cœlesti generationi similem, ut incorrupta producas prolem, sicut Pater Filium, et sicut sidus radium, et sicut gemma splendorem, et sicut virga florem. Isa. XI, 1 : *Flos de radice ejus ascendet.* Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilium virtute cœlesti crescens, fœcunditas est Virginis in candore castitatis : quod sola virtus Altissimi perficere potuit. Et ideo Christus fabri

dicitur esse filius [1]. Quod licet linguis blasphemantium dicatur, tamen (sicut per Caipham [2]) Spiritu sancto dictum est alio intellectu, quia summi Fabri est Filius. De quo, Psal. LXXIII, 16, dicit : *Tu fabricatus es auroram et solem.* Hoc ergo est magnum virtute.

In hoc etiam ventre Sapientia ædificavit sibi domum, et totum studium suæ artis adhibuit, unde columnas septem excidit [3], quæ septem columnæ fulcientes eam, fuerunt fides ab Angelo dictorum, spes promissorum, charitas exhibitorum, fortitudo in adversis deterrentibus, castitas in carnis illecebris, justitia in operibus, et prudentia in eligibilibus.

Hic etiam in eodem Spiritus sanctus omnem suæ bonitatis explevit sanctitatem. Unde, Luc. I, 35, dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te.* In hoc etiam quod dicitur, *superveniet*, ostenditur quod omni sanctitate superveniente replevit eam : ut virtus magna, sapientia mira, et Spiritus Sancti bonitas perficiat optima. Et hoc in arca Dei, sicut dicitur, Genes. VI, 16, tristega fiant, sive tricamerata.

Sic ergo magnitudine divinorum sacramentorum venter iste beatus est.

Secundo etiam beatus est venter gratia miseriam aliarum fœcundarum mulierum abstergente. Et ut de aliis taceamus, tres habent miserias in fœcunditate cæteræ mulieres, quæ a Patribus sunt notatæ. Concipiunt enim in concupiscentia, portant in gravitate, et pariunt in dolore. Primum est miseria libidinis, unde nascitur peccatum in concepto : secundum, miseria infirmitatis, ex qua nascitur miseria corruptionis : tertium, miseria sensibilis doloris, quam sequitur in partu vagitus præsentis calamitatis. Propter quæ tria, quæ ex tribus innascuntur, dicit Psalmus XXXVII, 11 : *Cor meum conturbatum est in me,* propter dolorem incolatus præsentis : *dereliquit me virtus mea,* propter pondus infirmitatis : *et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum,* propter caliginem originalis. Propter libidinem autem conceptus, dicitur, Job, XL, 11 : *Fortitudo Behemoth in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.* Quia viris libido est in lumbis, fœminis vero in umbilico. Propter secundum dicitur, Tob, IV, 4 : *Memor esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Propter tertium dicitur, Joan. XVI, 21 : *Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus.* Contra hæc tria, illa quæ invenit gratiam coram Deo, et gratia fuit plena, sincero concipiens utero Verbum incarnatum, nihil libidinis est experta, quæ Spiritu sancto concepit Verbum, quod spiritus est et veritas : nihil gravitatis in portatione, quæ gestabat omnia gestantem Dei virtutem : nihil doloris in partu, quæ peperit exeuntem intacto pudoris signaculo.

Propter primum dicitur, Cantic. VII, 2 : *Umbilicus tuus sicut crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Crater, inquam, Dei sapientiam concipiens : tornatilis, in omnem sancti Spiritus operationem volubilis : numquam et nusquam per libidinem impeditus : numquam poculis indigens ad fœcunditatem. Poculis, inquam, humani seminis, aut alicujus libidinosi amoris.

Propter secundum dicitur de Verbo concepto, ad Hebr. I, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Et de matre, Cantic. II, 2 : *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Acervus enim tritici conceptus ex granis purissimi sanguinis collectus erat : vallatus liliis divinorum florum et castitatis : ut undique sustentatus, nihil sentiret gravitatis in onere.

De tertio dicitur, Isa. LXVI, 7 et 8 : *Antequam parturiret peperit : antequam*

[1] Cf. Marc. VI, 3 ; Matth. XIII, 55.

[2] Joan. XI, 49 et XVIII, 14.

[3] Cf. Proverb. IX, 1.

veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile? Peperit enim ante omnem sensum doloris in parturitione: et ante tempus doloris edidit masculum, quæ nulla libidine maculata fuit in conceptione.

Ecce qualiter gratia plena, abstersa est impediens beatitudinem miseria.

Tertium autem est floribus quibusdam beatitudinem depingens. Et sunt in ea divini flores: fidei quidem in intellectu, humilitatis in sensu, ferventissimæ charitatis in affectu, devotionis in cordis desiderio, virginalis candoris illibati in corpore, sapientissimæ discretionis in ratione, fortitudinis in hostis tentatione, justitiæ in omni opere, et sedulitatis in omnis obsequii exhibitione: præter omnem aliam virtutem, qua vestita est regina cœlorum secundum Psalmum XLIV, 10, dicentem: *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* De fide quidem ejus dicitur, Luc. I, 45: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* De humilitate autem, Luc. I, 48: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* De charitatis fervore, Cantic. V, 8: *Nuntiate dilecto quia amore langueo.* De devotionis suæ incendio dicitur, Cantic. VIII, 6: *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* His enim lampadibus concaluit cor ejus intra eam: et in meditatione ejus exardescebat ignis devotionis [1]. De sapientissima discretione ejus procedebant sapientiæ responsa ad Angelum, et cogitationes qualis esset illa salutatio. Proverb. XXXI, 26: *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.* De fortitudine ejus contra insultus hostis, dicitur, Genes. III, 15: *Ipsa conteret caput tuum.* Proverb. XXXI, 17: *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* De justitia ejus in omni opere, Isa. XI, 1: *Egredietur virga de radice Jesse:* quæ rectitudine sua justitiam universalem præfiguravit in Virgine. Hæc est virga Aaron [2], quæ floruit virtute justitiæ, fronduit justitiæ sermone, fructificavit in omni virtutis opere. Ut vere dicatur de ipsa: Justa florebit ut palma in domo Domini, et florebit in æternum ante Dominum [3]. De sedulitate obsequii ejus dicitur, Luc. I, 39 et 40: *Exsurgens Maria in diebus illis abiit in montana..., et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth,* et juvencula obsecuta est vetulæ, manens apud eam usque post partum. Porro de castitatis ejus candore in corpore præsignatum est, III Reg. X, 18, ubi thronum sibi fecit rex Salomon de ebore grandem. Ebur enim significat candorem castitatis, in quo verus noster resedit pacificus, nullis libidinum stimulis inquietatus. Tob. III, 16: *Numquam cum ludentibus miscui me: et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.* Propter hæc et his similia, dicitur, Cantic. I, 15, *Lectulus noster floridus,* hoc est, thalamus uteri, in quo quievit Dei Filius.

Quartum est in hac beatitudine, quod omni miraculo in ea fidei est obsequens. Et ut alia taceantur, tria sunt quæ omnibus miris sunt mirabiliora. Parit virgo, creatur æternus [4], et ima summis per unionem indissolubilem sociantur [5]. De primo miramur matrem: de secundo obstupescimus ad natum: de tertio agoniam patimur ad modum nascentis.

Primum est quod, Isa. VII, 14, omni-

[1] Cf. Psal. XXXVIII, 4: *Concaluit cor meum intra me: et in meditatione mea exardescet ignis.*

[2] Cf. Numer. XVII, 8.

[3] Psal. XCI, 13 et 14: *Justus est palma florebit... Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.*

[4] Eccli. XXIV, 14: *Ab initio et ante sæcula creata sum,* etc.

[5] Eccli. XVII, 1: *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.*

bus piis pro signo prædixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium : et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Jerem. XXXI, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Fœmina, inquam, non mulier viro subacta, quia hoc novum non esset. Ezechiel. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit, non aperietur :... quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.*

De secundo dicitur, Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Isa. X, 23, secundum Septuaginta : « Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram [1] : » *Verbum* dico æternum, per quod facta sunt omnia, *abbreviatum* in creatione carnis, et temporalis nativitatis. Et hæc consummatio abbreviata inundabit justitiam, qua omnis homo justificatur.

De tertio dicitur, Joan. I, 27, quod Baptista non est dignus solvere corrigiam calceamenti, quo venit ad nos calceata divinitas. In qua corrigia colligantur ultima primis, quia humana divinis, nova antiquis, quia anima corpori : temporalia æternis, quia creatura Creatori. Jerem. XIII, 11 : *Agglutinavi mihi omnem domum Israel.*

In matre divinum cernimus miraculum : in nato ad nos contractum immensum Deum : in modo charitatis indissolubile vinculum. *Funiculus* enim *triplex difficile rumpitur* [2], in quo novum antiquo, et novum æterno, et antiquum æterno colligatum est. Anima enim corpori, et anima Deo, et corpus Deo sociatum est triplici unionis funiculo.

Vere igitur « *beatus venter,* » in quo hæc perfecta sunt. Sic enim completa sunt omnia quæ dicta sunt per Angelum de Virgine Maria.

Quintum hujus beatitudinis est puritas mirabilis et singularis, fœcunditatem virgineam nutriens. Et hoc est in sanguine, unde natus concipitur, formatur, et alitur. Sanguis enim in quo fit conceptio, a Spiritu sancto purificatur. Sanguis in quo figura membrorum Filii Dei figuratur a sapientia Dei, ipsi puritati Filii assimilatur. Sanguis autem (unde formatus intra uterum alitur) ab ipsa anima deitati unita Filio Dei incorporatur. Et sic omnia necessario primæ puritati assimilantur. Non enim Spiritus Filium, a quo ipse procedit, sanguini per conceptum imprimeret, nisi ad puritatem divinam purificaret. Nec Verbum sapientia Dei et virtus membra sua formaret, nisi in æque puro ei in quo conceptum erat. Nec sibi incorporaret aliquid, nisi ad eumdem munditiæ modum purificatum esset. Hoc autem significatum est, Exod. XXV, 10 et seq., ubi et arca testamenti, et urna continens manna, fieri præcipiuntur ex auro purissimo. Ideo etiam dicitur agnus *sine macula* [3]. Arca enim uterus est Virginis : urna autem corpus Salvatoris : manna vero dulcedo divinitatis. Et hæc est puritas in qua concipitur, organizatur, et alitur filius Dei in beatissimo ventre. Et ideo flores ejus sunt fructus honoris et honestatis [4].

Sextum hujus beatitudinis est privilegium, hujus fœcunditatis dignitatem adaugens.

Sunt autem quatuor hujus fœcunditatis privilegia. Primum in natura, secundum inter fœminarum gaudia, tertium inter hominum consortia, quartum ultra Angelorum agmina. Nam natura in ipsa supra morem refloruit, præ mulieribus benedictionem omnium fœminarum acquisivit, supra homines gratiam invenit, ultra vertices angelicos gloria et honore coronata refulsit.

[1] Vulgata habet, Isa. X, 28 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Et supra, ỳ. 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.*

[2] Eccle. IV, 12.

[3] Cf. Exod. XII, 5.

[4] Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.*

De primo dicitur, Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Nulla enim natura floruit nisi concupiscentiæ spinis compuncta : sed sola Virginis natura floruit castitatis flore, spinarum concupiscentiæ et peccati nescia. Sic enim vinea nostra floruit, Cantic. II, 13, quod vulpes parvulæ, hoc est, peccati motus, captæ per refræ-nationem, nihil penitus in ea demolitæ sunt.

Inter mulieres etiam florem habens virginei pudoris, gaudium adepta est matris : optimam partem eligens, quæ non auferetur ab ea [1]. Unde, Cantic. IV, 12, dicitur : *Hortus conclusus, fons signatus. Hortus* enim est in quo oritur flos : et sic est mater. *Conclusus* autem qui non foditur neque seminatur : et sic est Virgo. *Fons* etiam a fundendo dictus est, in quantum est mater filium profundens. *Signatus* autem est fons, qui a nullo haustus est : et sic est Virgo intacta et illibata.

Præ hominibus autem omnibus accepit gratiam, quæ omnibus invenit reparationis viam. Per ipsam enim accessum habemus ad Filium, per Filium autem ad Patrem. Unde sicut Rebecca Jacob filium introduxit ad patrem [2], sic ista quæ multum accepit, Filio Jacob nostro luctatori pelliculas hœdorum, hoc est, similitudinem carnis peccati circumponens, nos ad Patris reducit benedictionem. In hoc privilegiata, quod nobis hanc viam hæreditandæ benedictionis invenit per Filium.

Hæc etiam præ Angelis coronata refulsit in patria. Psal. VIII, 2 : *Quoniam elevata est magnificentia tua, super cælos*, Deus.

Hæc igitur hujus beatæ sunt privilegia. Super hujus dignitatem castitatis exclamat. Sapient. IV, 1 et 2 : *O quam pulchra est casta generatio, cum claritate ! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. Cum præsens est imitantur illam, et desiderant eam cum se eduxerit : et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.*

Septimum hujus beatitudinis est, quia est exemplum generationis æternæ, et figura generationis spiritualis futuræ. Æternæ quidem est quoddam signum et doctrina : futuræ autem speculum et disciplina.

In æterna enim unicus nascitur de unico Patre cum omni integritate substantiæ in similitudinem Patris et imaginem. In ista autem unicus ex unica matre cum substantiæ integritate, in similitudinem et imaginem matris. Et sicut dicit Gregorius : « Per incarnati « Verbi mysterium nova mentis nostræ « oculis lux tuæ claritatis infulsit : ut « dum visibiliter Deum agnoscimus, per « hunc in invisibilium amorem rapia-« mur. » Sic enim, ut dicitur, Sapient. VII, 26 : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.*

Sic etiam figura generationis spiritualis, in qua castis visceribus concipit Ecclesia : et castis affectibus format et alit Verbum Christum in novo partu. Ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sic, Apocal. XII, 1 et seq., est mulier amicta, sole, coronata stellis, *et luna sub pedibus ejus* prona : in cœlo parturit et parit continuo filium unicum, quem in omnibus format ad thronum Dei rapiendum.

Sic ergo « *beatus venter* » est, qui te, Christe, portavit.

Et hæ præter innumerabiles sunt partes beatitudinis ipsius.

Est autem beatus « *venter* » qui hujus beatitudinis est materia. Venter (in-

[1] Luc. X, 42 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

[2] Cf. Genes. XXVII, 5 et seq.

quam) locus, quo Verbum concipitur: pagina, in qua secundum carnis susceptionem inscribitur: mensura, cui Verbum breviandum commensuratur: forma, ad quam summi Patris imago figuratur: urna, in quam manna cœleste colligitur: theca, in quam thesaurus desiderabilis, reconditur: thalamus, in quo Dei et hominis connubium dignissime celebratur: aula regia, in qua Regi summo discubitus præparatur: vestibulum, in quo cœli Dominus nostris induviis induitur; hortus conclusus, ex quo aromata divinum spirantia odorem exoriuntur: terra, quæ ad germinandum Salvatorem aperitur: locus, quo purpura summi Regis principis tota contingitur et rubricatur.

Et quidem de *loco conceptionis* dicitur, Luc. I, 31: *Ecce concipies in utero, et paries filium. Concipies*, inquam, in te simul claudes Verbum divinum, tam sanctum divinum conceptum operans: et sanguinem tuum a te manu Spiritus sancti separatum, in conceptum formandum. Ut vere conceptus sit duorum captus: unius formantis, et alterius ab illo ad se formati. Sic enim operata est salutem nostram in medio terræ, hoc est, uteri virginalis summa Sapientia. Cantic. VII, 1: *Juncturæ femorum tuorum sicut monilia.* Monilia, inquam, a muniendo dicuntur: eo quod munita sint illa fœmina, quæ locus conceptus sunt Filii Dei, et perpetuæ addicta virginitati. Iste enim est rubus igne Dei plenus, et per libidinem incombustus [1]. Propter quod omnis fidelis dicit cum Moyse: *Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare* ardeat, et *non comburatur rubus. Vadam*, inquam, passibus devotionis appropinquando. *Videbo* fidei et admirationis oculis, *magnam* ingenti dignitate visionem istam: *quare rubus* virens virginitatis virore ardeat, divino plenus in loco conceptionis igne: et *non comburatur* aliqua castitatis consumptione. Genes. XXVIII, 16: *Vere Dominus est in loco isto: et ego nesciebam.* Exod. III, 5: *Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Calceamento enim pecorinæ pellis soluto de pedibus intellectus et affectus, nudo spiritu potest accedere vir spiritualis. Quia sicut dicitur, I ad Corinth. II, 14: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Sed spiritualis homo judicat omnia. Et sic accedit ad locum in quo stat homo qui per peccatum cecideratt: in quo terra sancta est, quæ stat in æternum. Eccle. I, 4: *Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.* Hæc (inquam) terra quæ fundat generationem prætereuntium morientium: et mundat generationem advenientium nascentium. Locus enim iste, ut dicit translatio Septuaginta. Genes. XXVII, 17, a Deo factus est inæstimabile sacramentum, irreprehensibilis est. Psal. LXVIII, 6: *Deus in loco sancto suo.* Locus enim, ut dicit Philosophus, generationis est principium, quemadmodum et pater. Et ideo uterus, locus dicitur conceptionis Verbi divini. Verbo enim concepit Verbum Virgo, virile ignorans consortium. Isa. LV, 11: *Verbum meum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum: sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Isa. IX, 8: *Verbum misit Dominus in Jacob.* Per Angelum quidem ad aurem: ad cor autem per Verbi divinam intentionem: et in uterum per carnis susceptionem. Sed, heu! cecidit in Israel per Judæorum excæcationem.

Sic ergo venter beatus, locus est conceptionis Verbi Dei.

Pagina est etiam in qua verbum Dei scribitur secundum carnis susceptionem. Sic enim verbum bonum quod cor summi Patris eructavit, calamo linguæ scribæ qui Spiritus sanctus est, paginæ nostræ

[1] Cf. Exod. III, 2 et 3.

susceptionis est inscriptum [1]. Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.* Verbum summi Patris est ad Spiritum sanctum. *Liber* autem dicitur pagina, candore castitatis dealbata, disciplina honestatis rasa, æqualitate et convenientia morum adæquata, omni virtute præparata. *Grandis* autem dicitur a sacramentorum captu et continentia. Talem ergo paginam *sume* per fidei consensum : et *scribe*, hoc est, inscribe *in eo stylo hominis,* hoc est, naturam hominis per incarnationem. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Isti sunt articuli scribentis in pariete ad dissipationem regni Babylonis, hoc est, diaboli : quod est regnum confusionis [2]. Paries enim est uterus Virginis, in quo scribitur : *Mane, Thecel, Phares,* hoc est, numeratum, appensum, divisum : numeratum numero plenitudinis temporum : appensum pondere Christi meritorum : divisum potestate redemptionis, in solutione pretii facta pro nobis : quia sic divisum est a diabolo regnum istud.

Sic ergo uterus est pagina, cui Verbum istud inscribitur.

Est etiam *mensura*, cui Verbum breviandum commensuratur. Cum enim, sicut dicitur, Isa. X, 23, Verbum abbreviatum Dominus facturus esset supra terram, prius invenit uterum Virginis, ad cujus brevitatem Verbum breviaret. Brevitas autem ista non tam molis est attendenda brevitate, quam sensu humilitatis, qua parva in oculis suis fuit Virgo beata. Unde, Cantic. VIII, 8 : *Soror nostra parva, et ubera non habet,* hoc est, se habere non reputat ubera doctrinæ et exhortationis, quibus fundat lac scientiæ per doctrinam, et lac consolationis per exhortationem : quibus Christum alat formatum in cordibus fidelium. Et ideo parvulam se reputat ad concipiendum. Sed ad hanc parvitatem commensuratur humilitate Verbum : de quo dicitur, Isa. IX, 6 : *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis.* I Reg. XV, 17 : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Sic enim breviatum verbum dicit de se, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Sic etiam jam prædicans et salutem hominum procurans, intravit ad eum qui decurtata fastus altitudine statura pusillus erat [3]. Sic dicitur, Eccli. XI, 3 : *Brevis in volatilibus est apis : et initium dulcoris habet fructus illius.* Apis enim nostra beata Virgo in omnibus volatilibus cœli limpidæ contemplationis oculo cœlum pervolantibus, brevissima fuit mensura suæ humilitatis. Et ideo principium et causam omnis dulcedinis Christum sine commixtione viri fructificavit. Ad hanc enim mensuram se contraxit Verbi immensitas. Et hoc significavit Virgo quando dixit, Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Sic ergo mensura fuit Verbi breviandi.

Fuit etiam *forma,* ad quam æterni Patris imago formatur. Est enim Filius imago Dei invisibilis. Unde, Sapient. VII, 26, dicitur, quod est *speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Hæc igitur imago figuranda in formam hominis, formaculum accepit uterum Virginis : sicut sigillum mundissimum in cera imprimitur mundissima. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Secundum imaginem suam fecit illum..., et secundum se vestivit illum virtute.* Quod licet de omnibus dicatur hominibus, tamen maxime intelligitur de Salvatore. Figura autem et forma in qua hæc imago formata est, uterus Virginis est. Et sic factus est *speciosus forma præ filiis hominum* [4].

[1] Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum... Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

[2] Cf. Daniel. V, 25.

[3] Cf. Luc. XXX, 3.

[4] Psal. XLIV, 3.

Cantic. I, 15 : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. Lectulus noster floridus.* Pulchritudune enim florum lectuli uteri virginis figuratus est natus pulchèr et decorus secundum hominem : sed retinet pulchritudinem Patris secundum Deum. Sic enim imago Patris facta est ad imaginem matris, et figura substantiæ Patris[1] configurata est imagini matris. Et nos quidem (sicut dicit Apostolus [2]) prius portavimus imaginem terreni, et deinde imaginem cœlestis : Christus autem Redemptor noster ab æterno habuit imaginem cœlestis : et posterius accepit imaginem terreni in utero Virginis, parentibus terrenis configuratus : ut sic educeret a terrena imagine ad cœlestem ipsius configurationem. Et hoc est quod dicitur, ad Roman. VIII, 19 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui :... hos et vocavit.* Sic ipse Dei Filius quasi unus ex nobis factus est. Ad Philip. II, 7 : *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Sic, Sapient. VII, 1, dicitur : *In ventre matris figuratus sum caro.* In forma uteri formam accipiens humanæ figurationis.

Hæc est *urna,* in quam manna cœleste colligitur. Urna, inquam, aurea splendore gratiæ, capax cœlestis panis : in quam grana sanguinis, et sata puræ similaginis sunt collecta, ad divini Sacramenti confectionem. Sic enim præcipitur in urna servari manna [3]. Sic, ad Hebr. IX, 4, dicitur, quod in arca est *urna aurea habens manna*, hoc est, in corpore Virginis est uterus continens dulcedinem cælestis panis : ut exinde prompte proferatur esurientibus. Psal. CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Proverb. III, 10 : *Implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Hæc enim sunt nostræ sufficientiæ horrea, omnem nostrum supplentia defectum. Torcularia vinum refundentia divinæ jucunditatis. Diversis enim proprietatibus uterus Virginis et urna est, horreum, et torcular, omnibus ministrans esculentum et poculentum divinum.

Hæc est *theca* thesauri pretiosissimi, qui absconditus est in Filio Dei. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, scilicet Dei, *absconditi.* Super quo admiratur Baruch, III, 15, et dicit : *Quis invenit locum ejus? et quis intravit in thesauros ejus?* Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi.* Hic autem non in corde tantum requievit, sed etiam in theca uteri virginalis. Et ideo, Proverb. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias : tu supergressa es universas.* Isa. XLV, 3 : *Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum : ut scias quia ego Dominus.* Si enim secundum dictum Domini, Matth. XII, 35, et Luc. VI, 45 : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum :* potest adverti quantum thesaurum bonum in se habuerit, quæ tantum bonum protulit toti mundo. Si enim regnum cœlorum *simile est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera* [4], quare non esset simile multo magis matrifamilias, quæ de thesauro suo protulit tam nova quam vetera : et æterna et humana et divina : pretium universitatis et Angelis et hominibus thesaurum tam pretiosum?

Hic uterus est *thalamus,* in quo connubium divinæ et humanæ naturæ dignissime celebratur : de quo cantat virgo Ecclesia, Cantic. VIII, 2 : Dilecte mi, *apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis*

[1] Cf. ad Hebr. I, 3.

[2] I ad Corinth. XV, 47 : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis.*

[3] Cf. Exod. XVI, 32 et 33.

[4] Matth. XIII, 52.

meæ. Apprehensus est filius per unionem carnis, introductus in domum matris per introitum conceptus virginalis : quia Virgo figura est matris Ecclesiæ, in qua concipimur. In cubile autem genitricis introductus est, quæ nos ut genitrix gratiæ et misericordiæ genuit : quando etiam nostram pœnalitatem in utero Virginis sibi conjungere est dignatus. Hoc cubiculum est thalamus, in quem Isaac Rebeccam introduxit. *Et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret*[1]. Isaac enim noster, Filius Dei est. Rebecca de Gentibus nata, natura est nostra. Thalamus, uterus virginalis.

Hic uterus est *lectulus* Salomonis, quem *sexaginta fortes ambiunt,... omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi*[2]. Decem videlicet illuminationes, decem speciales virtutes, decem præcepta, decem privilegia, decem gratiæ singulares, et decem fulgores gloriam cœlestem exprimentes.

Decem quidem illuminationes sunt illuminatio ex creaturis accepta : illuminatio per lectionem Scripturæ collecta : illuminatio studio rationis inventa : illuminatio contemplationis oculo percepta : illuminatio familiaribus apparitionibus Angelorum cordi Virginis invecta : illuminatio crebris Dei revelationibus clara : illuminatio per haustum divinæ dulcedinis, et gustum et experimentum certissimum infusa : quando *gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus*[3]. Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus*. Illuminatio per salutationem et doctrinam Gabrielis infusa : illuminatio specialiter super adventu Spiritus sancti et virtutis Altissimi supersplendide donata : et tandem illuminatio per inhabitationem totius divinitatis in eam corporaliter superimpleta, ut vere amicta sit sole et luna sub pedibus ejus, et juxta nomen suum *illuminatrix* appelletur.

Decem autem virtutes sunt fides, spes, charitas : et quatuor quæ cardinales vocantur : prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia : et his adjunctæ specieles ; humilitas, et pudicitia virginalis : et ea quam habuit sapientiam in divinis, ut merito dicatur de ea illud Ruth, III, 11 : *Scit omnis populus..., mulierem te esse virtutis.*

Decem autem præcepta sunt, quod sibi non est nisi unus Deus cui intendit : nec nomen in vanum habuit, quod semper invocavit : et quod quietem sabbati cordis numquam interrupit, sed continuo festo Deo celebravit, sanctificavit : quod parenti summo semper honorem exhibuit : quod nullum verbo vel exemplo occidit, quæ omnes vivificavit : quod super verum animæ sponsum adulterinam dilectionem non admisit : quod nulli nocuit aliquid, quæ larga misericordiæ manu sua omnibus indigentibus porrexit : quæ veritate sic linguam dicavit, quod omnibus dolis relegatis, diffusam gratiam in labiis protulit : quod nullius bona concupivit : quæ charitate perfecta quod suum erat non quæsivit. Juxta Apostolum, I ad Corinth. x, 33, non quærens quod sibi utile erat, sed quod multis, ut salvi fierent. Ad Philip. III, 7 et 8, quæ sibi erant lucra, hæc arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrificaret. Quod luxum carnis non concupivit : quæ dicere potest ut Sara, Tob. III, 16 et 17, quod numquam cum ludentibus se miscuit, et mundam se servavit ab omni concupiscentia.

Decem autem privilegia Virginis sunt virginitatis fœcunditas : Matris illibata virginitas : conceptus sine concupiscentia : gravidatio sine gravitate : parturitio sine dolore : nascentis novi æternitas : generationis ad divinam æterni-

[1] Genes. XXIV, 67.
[2] Cantic. III, 7 et 8.
[3] Proverb. XXXI, 18.

tatem assimilata proprietas. Ejusdem Filii cum Deo Patre communitas : qui sicut ex Deo Patre secundum deitatem, sic ex ipsa procedit secundum humanitatem. Inter mulieres hæreditata benedictio, et vitæ suæ sine macula sanctitas. Hæc enim sola habuit : ita quod neque in terris nec in cœlo primam similem visa est, nec habere sequentem.

Decem autem gratiæ singulares quibus Deo et homini et Angelo grata facta est, sunt gratia pudoris, gratia puritatis, gratia solitudinis qua mundi fugit consortia, gratia orationis, gratia quietis cordis. Et his quidem Deo et Angelo grata fuit. Homini autem gratia misericordiæ qua miseris compatitur : gratia benignitatis, qua miser ab ea benigne suscipitur : gratia auxiliationis, qua misero in necessitate subvenitur : gratia consolationis, qua desolatos consolatur : gratia reconciliationis, qua miseri et desperati sæpe per eam Filio reconciliantur.

Decem autem fulgores gloriæ sunt, quibus super omnem gloriam cœli præfulget : fulgor quidem decoris, fulgor virtutis sive potestatis, et fulgor operationis.

Fulgor quidem decoris in quatuor : fulget enim divino sole amicta super omnium Angelorum claritatem : fulget ardore affectus cum Seraphim ardens in Deum lata : fulget lumine intellectus super Cherubim ex veritate illustrata : fulget super Thronos cordis quiete, divino adventu, sibi insidente Deo repleta.

Potestatis autem fulgor et gloria est in tribus : in hoc videlicet, quod dominatus ejus super cœlestes Dominationes altis intendens, numquam scabellaribus et conculcandis inferioribus per desiderium appropinquat : virtus ejus super cœlestes Virtutes, nullius legibus coarctata superat omnia : potestas ejus super cœli Potestates, non tyrannide premens, sed rationibus æquissimis legum omne iniquum premit et superat.

Operatio etiam fulget super Principes quidem, quia non nisi justa et æqua et honesta facienda deliberat et decernit. Super Archangelos autem, quia omnia per consilium divinum perficit. Super Angelos vero, quia omnia operanda in Deum reducens, Dei gloriam semper intendit. Ut vere, Cantic. VI, 9, dicerctur, quia *progreditur quasi aurora consurgens*, in opere : *pulchra ut luna*, in virtutis suæ potestate : *electa ut sol*, in suæ claritatis decore.

Hæc est *aula* regia, in qua Regi summo discubitus præparatur. Aula, inquam, in qua Princeps totius Israel sedit cum principibus populi sui, et Regem se exhibuit. Ezechiel. XLIV, 3 : *Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino :* refectione gratiæ, qua gratificavit hominem saturatus. Joan. IV, 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me*, scilicet Patris, *ut perficiam opus ejus.* Iste est Joseph sedens in hac aula et comedens cum fratribus suis. Genes. XLV, 16 : *Auditum est, et celebri sermone vulgatum in aula regis : Venerunt fratres Joseph.* Fratres enim veri Joseph hic primo per naturæ conjunctionem ad Joseph Dei Filium venerunt.Hæc est aula in qua, IV Reg. VII, 9 et seq., nuntiatum est illud bonum nuntium, quod inimicus populi Dei, oppressor antiquus, potentia Dei fugatus sit, et liberatus Dei populus ab obsidione ipsius.

Hoc est *vestibulum* in quo cœli Dominus nostris induitur induviis. Ezechiel. XLIV, 3 : *Per viam portæ vestibuli ingredietur, et per viam ejus egredietur.* Quia nostris indutus ingreditur, et in eis ad nos egreditur ex utero virginali. Hoc est vestibulum quod, Ezechiel. XL, 8 et 9, juxta portam templi præcipitur præparari. Beata enim Virgo porta templi ecclesiastici est speciosa, juxta quam vestibulum est uteri, in quo summus Rex et Sacerdos sacris est indutus : in quibus pro nobis immolaturus ad Deum accedat. Hoc est vestibulum, inter quod et altare plorant Sacerdotes et Le-

vitæ [1], ad clementiam Dominum inclinantes. Quia inter insignia pietatis uteri virginalis, et crucis (in qua Dominus immolatus fuit) supplicantes, gratiam inveniunt divinæ miserationis.

Hic uterus est *hortus conclusus*, ex quo aromata divinum spirantia odorem exoriuntur. Cantic. IV, 13 : *Emissiones tuæ paradisus*. Quem enim odorem paradisi hic paradisus non emittit ? Vas enim odorem contentum spirat. Hæc autem et habitaculum est virtutis Altissimi, in qua se expressit umbra ipsius, et operatorium Spiritus sancti. Vas continens corporaliter plenitudinem deitatis in Filio Dei. Miraculum Angelorum. Hortus omnium aromatum virtutis. Ut merito dicatur, Cantic. IV, 12 : *Hortus conclusus*. Et, Cantic. VIII, 13 : *Quæ habitant in hortis, amici auscultant*. Sic enim vidimus eam plenam charitate et dilectione in cubilibus et in hortis aromatum, ut merito dicatur paradisus divinarum deliciarum. Hic est hortus quem plantavit Dominus in Eden, hoc est, in deliciis [2]. Hic est hortus arboribus virtutum consitus, in quem ingressus est rex Assuerus [3], hoc est, beatus noster Deus.

Hæc est *terra* quæ ad germinandum Salvatorem Spiritu sancto irroratur. Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem*. Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum*. Fructum, inquam, quo Angeli et homines perfruuntur. Hæc est terra in qua agricola Spiritus sanctus exspectat fructum pretiosum : *patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum* [4]. Temporaneum in conceptu, serotinum in crucis redemptione. Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra et plenitudo ejus*. Terra, inquam, cui benedixit Dominus. Terra quæ juxta Apostolum, ad Hebræos, VI, 7, *accepit benedictionem a Deo*.

Hic uterus est *coccus*, quo purpura summi Regis tota contingitur, in tantum quod etiam Angeli rubricatam istam purpuram mirantur, Isa. LXIII, 2, dicentes : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimentum tuum sicut calcantium in torculari ?* Hæc est purpura tincta in canalibus venarum mundissimi sanguinis beatæ Virginis : quæ coccus est mundissimus, in se gerens ruborem purificatum Spiritu sancto, et concipiens margaritam pretiosam Filium Dei. Unde, Exod. XXVII, 6, præcipitur in vestibus summi Pontificis color esse de cocco bis tincto. Quia sicut in serico vel lana unus color fundatur in alio, ita est in divinis purpureus color sanguinis : primum fundatur in perfecta munditia carnis, et consequenter in Spiritus sancti purificatione. Cantic. VII, 5 : *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*. Coma est Apostolicus cœtus et totius Ecclesiæ rubricatus sanguine Christi : dependens a capite rubricato, quod est Christus. Et ideo clamat sponsa in Canticis, V, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus : electus ex millibus*. Est enim, ut dicitur, Sapient. VII, 26, candor lucis æternæ. Rubricatus purpureo sanguine Virginis, quo *Verbum* æternum *caro factum est, et habitavit in nobis* [5].

Sic ergo est « *beatus venter* »

« Qui te portavit, »

O Christe. Portavit autem Virgo mater infantem. Portavit et Simeon senex, quando eum suscepit in ulnas. Portavit et crux morientem. Et (sicut dicunt aliqui) portavit et diabolus supra pinnaculum templi. Portavit et Joseph ab Arimathæa de cruce in sepulcrum. Portaverunt multi utriusque sexus parvulum Jesum, qui

[1] Cf. Joel, II, 17.
[2] Cf. Genes. II, 8.
[3] Cf. Esther, VII, 7.
[4] Jacob. V, 7.
[5] Joan. I, 14.

nutricum et gerularum fungebantur officio. Sed Virgo mater portavit conceptum, de suo sanguine formatum et vegetandum, nutriendum et augendum in utero. Simeon justus et senex præsentandum et offerendum in templo et sistendum Domino. Crux cruciandum et sacrificandum pro populo. Diabolus et membra ejus tentandum pro virtutis exercitio. Joseph ab Arimathæa pro sepulturæ officio. Alii autem vice nutricum et gerularum ad obsequendum infirmo parvulo.

In omnibus autem his portationum diversitatibus sola Virgo portatum suo infudit sanguine : et sola crux infusa est sanguine Crucifixi, sicut dicit Ambrosius :

> Quem sacer cruor perunxit
> Fusus Agni corpore.

Propter quod et sola Virgo portans, et sola crux pro sanctitate communicati sanguinis Christi venerantur : Virgo scilicet, sanguine Filium Dei infundens, et crux infusa Christi sanguine. Alii autem portantes vel vituperantur pro malitia voluntatis, vel laudantur pro obsequio pietatis.

Portavit ergo Virgo Christum sicut arbor fructum, succum ministrans ad fructus formationem, gemmata in fructus conceptionem, florens in fructus promissionem, frondens in fructus defensionem, ramos extendens in fructus portationem, soli de cœlo se exhibens in fructus formationem et maturationem. Sic enim unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur [1].

Virgo enim beata arbor est virens virtute : plantata secus decursus aquarum, hoc est, rivos uberrimos donorum Spiritus sancti, consolationum, et gratiarum. Jerem. XVII, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cum venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

Portat autem fructum dependentem a sanctis visceribus Virginis. Unde cantat Ecclesia, quod « beata est mater, cujus « viscera meruerunt portare Christum « Dominum. » Et pendenti a visceribus, sacro sancti sanguinis sui (ad formationem et nutrimentum et augmentum) subministravit succum. Psal. I, 3 : *Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.*

Hæc fuit gemmata conceptione, stans onerata nobili onere, utero tumente, et pomis mamillarum modico tumore prorumpentibus, et jam per modum gemmarum conceptum demonstrantibus pietatis humorem. In cujus figura, Numer. XVII, 8, dicitur : *Turgentibus quasi gemmis eruperant flores, qui, quasi foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.* Flores enim sunt sacri fructus, promissiones in quibusdam divinorum florum argumentis : in angelica salutatione, sancti Spiritus superventione, virtutis Altissimi obumbratione : in quibus salus nostra floruit, quando prope fuit salus nostra. Ezechiel. XXXVI, 8 : *Vos, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

Fronduit autem Virgo beata salutarium verborum emissione: de modi inquisitione, cum dixit : *Quomodo fiet istud* [2] *?* De sui consensus expressione, cum adjunxit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* [3]. De pacis eulogio, cum Elisabeth salutavit. De gratiarum actione, cum intulit : *Magnificat anima mea Dominum* [4]. Ut vere dicatur de ea illud Osee, X, 1 : *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei.* Hæc enim omnia folia fructum cooperiunt et defendunt ne inarescat. Quia

[1] Matth. XII, 33 : *Ex fructu arbor agnoscitur.*
[2] Luc I, 34.
[3] Ibidem, ℣. 38.
[4] Ibidem, ℣. 46.

omnia aut sunt ad instructionem prudentiæ : vel ad humilitatis et fidei expressionem : vel ad proximi benevolentiam : vel ad gratiarum actionem et laudem. Unde merito dicitur in Psalmo I, 3 : *Folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Et, Ezechiel. XLVII, 12 : *Folia ejus* proficiunt *ad medicinam.*

Hæc ramos expandit ad omnes, dilatata latitudine charitatis, fructum suum porrigens omnibus. Eccli. XXIV, 22 : *Rami mei honoris et gratiæ.* Daniel. IV, 9, volucres cœli requieverunt in ramis ejus, hoc est, animæ Sanctorum pennatæ virtutibus in ramis beatæ Virginis quibus fructum porrigit requiescunt.

Sic ergo : « *Beatus venter qui te,* » sic, Christe, « *portavit.* » Et hanc quidem singulariter habuit beatitudinem.

In cruce autem portatus, de Virgine cruorem acceptum refudit. Ut omnes cruci se exhibentes, et stigmata Crucifixi in corpore suo portantes, eodem cruore sanctificentur. Propter quod dicitur, ad Galat. VI, 14, in persona redemptorum : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Totum enim de mundo triumphavit, quod cruci est affixum. Mundus ergo per hoc quod de mundo est in nobis (quod, ut dicitur, I Canon. Joannis, II, 16, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*) cruci affixum est ut spiritus : et mortuum, vivens in cruce, Deo vivat : dicente Apostolo, ad Galat. II, 19 : *Ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci.* Ibi ergo cruore Christi infusi sanctificati, Apocal. VII, 14 : *Laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Sic ergo in visceribus portantes Christum humore pietatis infundunt. Portantes autem in cruce, cruore Christi infunduntur et sanctificantur.

Portantes autem Christum in debilibus membris ipsius Christi, Christo misericordiam impendunt. Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex meis minimis his fratribus, mihi fecistis.* Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.*

Portantes autem Jesum crucifixum ad sepulcrum, sunt qui Christum ad occultum divinæ quietis abscondunt. Ad Coloss. III, 3 : *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.* Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Portantes autem Christum ad illecebras tentationum cum Satana merentur in barathrum præcipitationem. Matth. IV, 7 : *Vade, Satana : non tentabis Dominum Deum tuum.* Psal. XCIV, 11 : *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Hic enim juravit tentantibus eum, et portantibus ad delectabilia tentationum. Non sic autem portavit Virgo beata.

Et ideo, « *Beatus venter qui te portavit,* »

« Et ubera quæ suxisti. »

Ecce secunda pars laudis hujus mulieris.

Laudat in matre membra quæ nutrimentum ministraverunt. Ubera autem ab ubertate dicta sunt : eo quod ubertim fundunt lac dulcedinis conceptæ. Ubera autem de cœlo plena laudat : et ideo indeficientem ministrantia ubertatem. Cantic. VIII, 8 : *Soror nostra parva est, et ubera non habet,* fracta libidine : sed habet ubera de cœlo, rorem pietatis et dulcedinis concipientia, et ubera profundentia liquorem ad Christi nutrimentum ministratum. Et quis crederet ubertatem esse in Virginis ubere nisi de cœlo ministratam ? Genes. XXI, 7 : *Quis auditurum crederet Abraham quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni ?* Sara, inquam, princeps Virgo Maria lactat filium magno Patriarchæ patri multarum Gentium, quem peperit ei ad virtutem ejus demonstrandam jam seni in fine

mundi. Non enim datur hoc naturæ quod uber arens, non infusum semine viri, lac ministret ubertim filio nascenti. Cantic. VII, 7 : *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris.* Palma enim dulcedinem habet in summo, de cœlo concipiens eam : et botrus ex solis respectu concipit, et fundit gaudii ubertatem. Tamen sicut dicitur, Cantic. I, 1 et 2 : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Nihil enim austeritate pungens, nihil per libidinem inebrians est in uberibus illis : sed unguentum fragrans, ex humore nutriens Christum unctum, et omnes sanans nostras infirmitates.

Hæc enim tria secundum naturam sunt in ubere, scilicet, conversio sanguinis in nutrimentum candens, nutrimenti abundantia, et medicamentum infirmitatis.

De primo dicitur, Exod. III, 8, quod promittitur nobis terra lacte manans et melle. Quæ terra (sicut jam diximus) præcipue beata Virgo est, habens in ubere suæ pietatis unde nutriat Christum in gremio et in cordibus fidelium mellito lacte cordis sui : a quo ubera sua dependent.

De secundo dicitur, Judicum, V, 24 : *In phiala principum obtulit butyrum.* Phiala enim ista uber Virginis est : quod propinavit pinguedinem lactis, quæ est butyrum, in Christi nutrimentum. Et Sisaræ, hoc est, diaboli in soporationem et interfectionem.

De tertio autem medicorum est scientia, quod papula uberis in os infantis immissa, contra omnem valet infirmitatem infantis : et ideo dicuntur *fragrantia unguentis optimis*, sicut jam ante est expositum. Ideo dicitur, Cant. VII, 12 : *Ibi dabo tibi ubera mea.* Et, Ibidem paulo ante, ℣. 3 : *Duo ubera tua sicut duo capreæ gemelli hinnuli.* Gemelli enim ex eodem conceptu sunt : sicut ubera Virginis sunt geminum habentia conceptum cœlestem. Sunt autem hinnuli absconditi capreæ, quæ acutum habet visum propter absconditum sacramentum Virginis : quod non nisi capreæ cœli, hoc est, videntes limpide divina videre poterunt.

Hæc igitur sunt ubera Virginis beatæ, o Christe, « *quæ suxisti,* » ad vegetationem et nutrimentum. Non enim lactis edulium perficitur masticatione, sed suctione. Hæc est enim hujus causa beatitudinis, quia *suxisti.* Quasi enim modo genitus infans rationabilis sine dolo lac concupivit virgineum, ut in eo cresceret secundum corpus et proficeret, qui secundum animæ perfectiones ab instanti conceptionis semper fuit perfectus.

Attendendum autem est, quod mulier hæc dixit : « *Suxisti,* » et non, comedisti. Quod enim comeditur, durum est, et solidum, dentibus divisum, et molaribus tritum, et humiditate salivali infusum, et liquore potus ad liquidum conversum : ut per membra et ad membra currere possit : et venis hepatis quæ *meseraicæ* vocantur suctum et tractum, ut postea per venas ad membra deducatur. Lac autem, sicut dicit Philosophus, solum est quod sufficienter naturam præparat ad nutrimentum. Et præcipue lac virgineum de virtute cœlesti uberibus infusum, Spiritu sancto purificatum : quod totum erat nutrimentum conveniens Dei Filio. Et ideo non comedendo, sed sugendo statim ad membra dirigitur ex Virgine suctum. Et ideo incorporandum ad nutrimentum corporis, quod divinitati est unitum. Unde, Isa. VII, 15 : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Butyrum enim adeps lactis lac est virgineum. Mel autem ros cœlestis est, linguis apum collectus : et signat nutrimenti hujus dulcedinem. Cum enim nihil nutriat nisi dulce secundum medicorum expertam rationem, pensandum est quantæ dulcedinis fuit lac virgineum, quod Dei membris conveniens exibuit nutrimentum. Hoc lac *ros* convenienter vocatur, quia de cœlo sicut ros ministratur. Isa. XXVI, 19 : *Ros lucis ros tuus.* Deuter. XXXIII, 28 : : *Cœli caliga-*

hunt rore. De cœlo ergo sic ministrata dulcedo lactis mellea, *ros* vocatur.

Hæc est dulcedo, quæ nos omnes infundit, ex Christo capite in nos distillans. Et hoc est quod dicitur, Isa. LXVI, 12 : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.* Adhuc enim mater Virgo Christum in multorum cordibus formatum, sua lactat dulcedine, et nisi lactaret periret recenter formatus. Unde, Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam sicut fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* Gloria enim omnium Gentium, dulcedo est consolationis beatæ Virginis, ubertim ex uberibus gratiæ ejus in nos infusa, quamdiu sumus parvuli ab uberibus ejus dependentes. Et hoc est quod in consolationem Ecclesiæ dicitur, Isa. LXVI, 10 et 11 : *Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam : ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.*

Sic igitur beata sunt ubera quæ suxisti, Domine Jesu.

« At ille dixit : Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. »

« *At ille dixit.* » Inter tot opprimentes os ejus adversarios, non omittens respondere mulieri vicaria prædicatione beatitudinis, quæ auditu conceperat verbum Dei et quasi in utero gestans custodivit illud.

Et tangit hic maternitatem, cujus ipsa mater Virgo est figura, dicens : « *Quinimo.* »

Duo tangens : assertionem dictorum mulieris, et confirmationem : et addens beatitudinis maternitatis spiritualis prædicationem.

Dicit ergo : « *Quinimo.* » Quasi dicat : Hoc verum dixisti. Sed non tantum ea quæ carnaliter portavit et lactavit beata est, sed etiam illi qui auditu me Verbum Dei concipiunt, et custodiendo fovent, et pariunt in opere, sunt beatitudinis illius participes qua ipsa mater carnalis beata est.

Et hoc est quod dicit : « *Quinimo.* » Quia et ipsa mater prius verbum auditum corde concepit et portavit, quam in utero corporaliter conciperet, et ex beatitudine conceptionis spiritualis causata est per modum congrui beatitudo maternitatis specialis. Matth. XII, 50 : *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est.* Unde, Luc. I, 45, Elisabeth dixit : *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* Et, Ibidem ante, ℣. 38, ipsa beata Virgo dixit : *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Quasi dicat : Sicut verbum a te auditum cordis devotione conceptum jam credo, ita concipiatur in utero.

« Beati qui audiunt verbum Dei. »

Duo dicit respondentia duobus quæ dixit mulier. Auditus enim est conceptio spiritualis, respondens portationi in utero : et custoditio est per modum lactationis, respondens suctioni uberum, sicut patebit in sequentibus.

Circa primum duo notantur : beatitudo audientium, et auditus.

Beatitudo autem (sicut in præhabitis diximus) est in proprio actu membri quod beatum prædicatur : quando ille actus est secundum naturam membri illius, secundum optimum et perfectum statum virtutis ejus in nullo impeditum. Beatitudo ergo auris est secundum perfectam auris virtutem non impeditam. Hæc autem virtus colligitur ex tribus. Uno quidem quod habet auris in quantum est organum sensus. Secundum autem quod habet auditus in quantum est sensus disciplinalis. Tertium autem quod habet auditus in quantum est discretivus sonorum. Primum est quod quærit interruptos, et non confusos recipiat sonos : et sic est auræ lenis secundum naturam.

Secundum autem quod causatur ex hoc, quod ad memoriam bene diriguntur audita. Et ideo versus posterius capitis natura disposuit aures in homine, quia in posteriori capitis disponitur cella memorialis. Tertium est quod habet auditus in quantum accipit sensibile per accidens, in comparatione ad virtutes conferentes de auditis : quarum una in homine est ratio, et hæc vocatur *auditus discretio*.

De primo dicitur, Job, IV, 16 : *Vocem quasi auræ lenis audivi.* III Reg. XIX, 12, ante Dominum sibilus auræ tenuis, ibi Dominus [1].

De secundo dicitur, Jacob. I, 25 : *Qui permanserit in lege perfecta libertatis, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

De tertio dicitur, Matth. XIII, 9 : *Qui habet aures audiendi, audiat,* hoc est, qui habet aures audita discernendi, audiat verba Dei. Sic discrevit qui dixit : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua* [2]. Sic beatas dixit aures et oculos Dominus, Luc. X, 23 et 24 : *Vestri autem beati oculi.* Et subintellexit etiam de auribus : quia subinfert, *quod multi et prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt.* Proverb. XX, 12 : *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* Fecit enim Dominus aurem (sicut dictum est) audientem. Et ideo beatus et perfectus est talis auditus : membrum, quo sicut in matrem ingreditur Dei Filius. Auditum ergo beatæ auris, est Verbum Dei.

Verbum autem (Angelus intelligentiæ Patris, ut dicit Damascenus) est notitia amata, sicut dicit Augustinus : est faciendorum ars et ratio, sicut dicit Hieronymus. Per primum manifestat Patrem, per secundum clarificat, et per tertium docet omne quod est faciendum ad Patris beneplacitum.

De primo dicitur, Joan. XVII, 6 : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* De secundo dicitur, Ibidem, ℣. 4 : *Ego te clarificavi super terram.* De tertio, Ibidem, ℣. 4 : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.*

Per primum, Verbum Dei *candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius* [3]. Per secundum, doctrinam et secretum Dei consilium manifestat, Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Per tertium, leges condit operum Dei, quæ beneplacita sunt illi. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.*

Per primum, purgat nos Verbum ab ingenito nobis dissimilitudinis habitu, informans nos luce divina, Ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus.* Per secundum, apud intellectum docet omnem pietatis veritatem, Eccli. XXIV, 44 et 45 : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque in longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ,... et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Per tertium, forma est virtutis et vitæ, Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

Per primum horum, facit nos Dei filios, formam Patris ingenerans nobis, Jacob. I, 18 : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ*

[1] III Reg. XIX, 11 et 12 : *Et ait* Dominus *ei,* scilicet Eliæ : *Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit. Et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum : non in spiritu Domi·us. Et post spiritum commotio : non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis : non in igne Dominus. Et post ignem sibilus auræ tenuis.*

[2] Psal. CXVIII, 85.

[3] Sapient. VII, 26.

ejus. I Joan. III, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est.* Per secundum illuminat ad veritatem credendorum, Joan. XVII, 8 : *Verba quæ dedisti mihi, dedi eis : et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi.* Per tertium, perficit affectum ad veram operandorum perfectionem, Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.*

Sic ergo per verbum Dei Christus formatur in nobis secundum Patris imaginem quoad Deum, secundum veritatis informationem quoad fidei sacramentum, secundum virtutis perfectionem quoad meritum. Et sic dicitur, Joan. I, 12, quod *dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.*

Sic ergo « *beati* sunt *qui audiunt verbum Dei.* »

« Et custodiunt illud. »

Custodire verbum perficitur ex tribus, scilicet, amotione contrariorum, adimpletione per verbum dictorum, tenaci memoria auditorum.

Contraria verbo, sunt facientia verbum a corde evanescere, et facientia verbum in corde non fructificare : de quibus dictum est quod sunt petra, via, spinæ, et coeli volucres, verbum ex corde auferentes : de quibus supra satis dictum est[1]. Conveniens autem verbo, terra optima, verbum in vigore retinens, et ad fructum multiplicem fovens, et hæc est terra verbum custodiens. Huic enim terræ secundum Psalmum LXXXIV, 13, *Dominus dabit benignitatem,* scilicet gratiæ : *et terra nostra dabit fructum suum,* id est, in virtutis meritorio opere. Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum : sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Joan. XV, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

De secundo dicitur, Joan. XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit,* hoc est, opere implebit. Matth. VII, 24: *Qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram.*

De tertio dicitur in Psalmo CXVIII, 47 : *Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi.* Thren. III, 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.*

Sic ergo beati sunt qui verbum Dei custodiunt. Psal. XVIII, 12 : *In custodiendis illis retributio multa.*

De aliis autem quibus verbum evanescit, miseria est et væ æternæ damnationis : in quibus verbum Dei per tentationem contrariis exponitur : a quibus verbum in opere non ponitur : a quibus Dei verbum oblivioni datur. Primi signantur in viris Ceilæ, qui David liberantem se, tradere voluerunt in manus Saul inimici sui[2]. Sic enim faciunt qui Filium et Verbum Dei redemptorem suum, quantum in se est tradunt in manus diaboli inimici sui. Secundi sunt (ut dicit Philosophus) similes curiosis, qui medicos quidem audiunt studiose, faciunt autem operandorum nihil. Et quemadmodum illi numquam bene habebunt corpus sic curati, sic nec illi bene habebunt animam sic philosophantes. Matth. VII, 26 et 27 : *Qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaveruut venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et facta est ruina illius magna.* De tertiis dicitur, Aggæi, I, 6 : *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

[1] Cf. in tomo præcedenti enarrationes B. Alberti in Lucam, VIII, 4 et seq. Cf etiam enarrationes in Matthæum, XIII, 4 et seq. Tom. XX novæ editionis nostræ.

[2] Cf. I Reg. XXIII, 11 et 12.

Sic ergo, « *Beati sunt qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* » Sicut enim lactatur homo in malo per blandimentum peccatorum, sic Christus natus in corde, lactatur in bono per consolationes spiritualium profectuum, et per exhortationes ad bonum. Et hoc significatum est, Genes. XXI, 7, secundum Hebraicam veritatem, ubi dicitur, quod Sara lactaret filios quos peperit Abrahæ jam seni. Uno enim edito filio, multos spiritualiter lactavit per consolationem ad meliorem profectum. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.*

29 « Turbis autem concurrentibus, cœpit dicere. »

Hic agitur de judicio condemnationis et Pharisæorum : quod est comparatione aliorum prædicantium sumptum, et eorum quibus prædicatum est, qui minus illuminati ad fidem existentes, crediderunt tamen his qui minoris fuerunt virtutis in opere et sermone et virtute signorum quam Christus.

Habet autem hæc pars particulas duas : in quarum prima judicium istarum comparationum proponit. In secunda, ostendit quod merito ingratitudinis et infidelitatis istorum, lux suæ prædicationis ad gentilitatem est convertenda.

In prima harum partium duo facit. Primo enim ostendit istis perversis viam pœnitentiæ, quæ sola restat. Secundo, demonstrat justam condemnationem his qui finaliter impœnitentes inventi fuerint.

In primo horum ponit tria. Primo enim dicendorum præmittit occasionem : secundo, subjungit malitiæ et præsumptionis eorum detestationem : tertio, bonitatis etiam ad malos ostensionem.

Dicit ergo : « *Turbis,* » quia confutatis Scribis et Pharisæis per sapientiam, putabat turba quod aliis qui signum de cœlo petebant, dare vellet signum ad suæ potestatis declarationem, ut sic magis confunderentur Scribæ et Pharisæi. Et ideo concurrebant turbæ : quia consuetum erat eis ad omnem sermonem signum quærere. I ad Corinth. I, 22 : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* Eccli. XXXVI, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.* Sed iste sermo in tantum fuit fultus et confirmatus ratione, quod signis non indiguit. Et ideo præsumptio eorum signum non meruit accipere.

Ex hac tamen causa, « *turbis,* » deceptis, « *concurrentibus,* » ad signa videnda. Ex hac enim causa maxime sequebatur eum turba. Joan. VI, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

Ex hoc igitur sumens occasionem « *cœpit dicere,* » causam dicti de ipsis turbis accipiens. Quoniam autem ante multa dixit, mirabile videtur qualiter hic dicitur quod *cœpit dicere.* Sed sciendum quod disputatione completa, cœpit modo nova dicere de condemnatione confutatorum.

« Generatio hæc, generatio nequam est : signum quærit. »

Hic incipit peccati eorum et infidelitatis objurgatio.

Dicit autem tria : primo, malitiam hæreditariam a parentibus conceptam : secundo, culpam nequitiæ in eis non diminutam sed auctam : et tertio, præsumptionem quod in tali culpa præsumere audent signa accipiendo.

De primo dicit : « *Generatio hæc.* » Hæc, inquam, quæ ex progenitoribus in se traductam habet malitiam. Luc. III, 7 : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ?* Matth. XXIII, 31 : *Testimonio estis vobismetipsis, quia estis filii eorum qui Prophetas occiderunt.* Act. VII, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ?* Chrysostomus : « Venenati venenatorum

« filii. » Sapient. XII, 10 et 11 : *Semen erat maledictum ab initio : et non potuerat mutari naturalis malitia eorum.*

« Generatio nequam est »,

Adinventæ malitiæ ad paternam malitiam additione. Psal. LXXX, 13 : *Ibunt in adinventionibus suis.* Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera* Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici,... semini nequam, filiis sceleratis.* Ezechiel. XVI, 3 et 4 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa : et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.* Quia scilicet omnem imitaris paternam malitiam, et adinvenisti novam. Ad Roman. I, 30 : *Inventores malorum.* Deuter. XXXII, 20 : *Generatio enim perversa est, et infideles filii.* Et, ibidem, ℣℣. 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa ! hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens ?* Job, XXX, 8 : *Filii stultorum et ignobilium.*

« Signum quærit. »

Ecce præsumptio. Signum enim non quærit generatio bona, mala vero quærere debet. Sed boni et devoti tempore necessitatis fidei petere et quærere possunt signa. Psal. LXXXV, 17 : *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur.* Sic etiam ad confortationem fidei apud infidelem regem a Propheta devoto dictum est, Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Sed isti ex præsumptione petiverunt, et gratia curiositatis. Unde supra dictum est, ℣. 16 : *Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.* Et ideo Dominus improperat ei, Joan. IV, 48 : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Hi ergo indigni signo, signum quærebant : quod magnæ fuit præsumptionis. Quia licet, I ad Corinth, XIV, 22, dicatur, quod signa data sunt non fidelibus, sed infidelibus [2] : tamen numquam signa expostulant infideles, sed fideles. A Deo enim petuntur et expostulantur signa. Et hoc oportet facere fideles. Sed infidelibus exhibentur signa ad videndum, ut per signa credant omnipotentiæ Dei, et ædificentur ad fidem. Hoc ergo est quod cum despectu et contemptu dicit Dominus : « *Generatio nequam signum quærit.* »

« Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. »

Hic ostendit etiam ad malos suam bonitatem.

Et dicit tria : scilicet, signi petiti negationem, signi non quæsiti exhibitionem, et signi exhibiti explanationem.

Signi petiti negationem tangit, cum dicit : « *Et signum non dabitur ei.* » Signum, inquam, potentiæ et majestatis ostensivum, quod causa curiositatis et tentationis expetebant : et ideo signum de cœlo tentantes petebant. Joan. VI, 30 : *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi ? Quid operaris ?* Non enim humilitatis petebant signum, quod ædificat ad mores : nec munditiæ quærebant signum, quod ædificat ad fidem : nec infirmitatis quærebant signum, quod ædificat ad virtutes. II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.*

Primum datur humilibus Christum quærentibus, Luc. II, 12 : *Hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Secundum datur devote Christum exspectantibus, Isa. VII, 14 : *Dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet et pariet filium : et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Tertium exhibetur cum Christo in passione certantibus, Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et*

[1] Supra, ℣. 16.

[2] I ad Corinth. XV, 22 : *Linguæ in signum data sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.*

resurrectionem multorum in Israel : et in signum cui contradicitur.

Isti ergo talia signa non petebant, sed curiositate tentantes, scilicet an vere esset Deus, de cœlo quærebat generatio hæc : non quærentium Dominum, sed generatio nequam « *signum.* »

Et ideo tale signum « *non dabitur ei.* » Marc. VIII, 12 : *Si dabitur generationi isti signum.* Quasi dicat : Non dabitur.

« Nisi signum Jonæ Prophetæ [1]. »

Ecce exhibitio signi convenientis ad luctum et pœnitentiam. Jonas enim postquam fuerat in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus, ad luctum et pœnitentiam invitavit Ninivitas, de loco mortis et putrefactionis, et profundo amaritudinis evadens, et hoc signo Ninivitas ad pœnitentiam vocans : ita etiam Christus de loco mortis et putrefactionis, et profundo inferni illæsus et incorruptus evadens, per Resurrectionem ad pœnitentiam vocavit Judæos. Et hoc est signum Jonæ quod præcessit in figura, et secutum est in veritate gratiæ exhibitæ per Passionem et Resurrectionem Christi. Unde Hieronymus in *Proœmio galeato* : « Jo« nas pulcherrima columba, passionem « Christi præfigurans, mundum ad pœ« nitentiam revocat, et sub nomine Ni« nive salutem gentibus nuntiat. » Matth. XII, 39 : *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Et ibi plurima de hac materia sunt notata [2]. Ideo omnino sub alia similitudine dicitur, Joan. II, 19, 20 et 21, ubi dixerunt Judæi : *Quod signum ostendis nobis quia hæc facis ? Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

30 « Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis : ita erit et Filius hominis generationi isti. »

Explanatio est signi exhibiti.

In explanatione autem ista duo facit : præmittit enim similitudinem in figura, et prosequitur adaptationem in gratia.

Dicit ergo : « *Nam sicut Jonas,* » exiens de loco corruptionis voraginis incorruptus et non detentus, sed liber, « *fuit signum* » pœnitentiæ « *Ninivitis.* » Stomachus enim piscis per hoc quod est locus digestionis, est locus putrefactionis et alterationis cibi. Jonas autem nec alteratus nec putrefactus est. Item, Stomachus per hoc quod separat subtile a grosso, et dirigit subtile ad membra, et grossum trahens per inferiora et abjicit, sic est locus solutionis continuitatis et compaginationis. Jonas autem solutionem continuitatis, et compaginationis membrorum suorum non est passus. Per hoc autem quod cetus locum habet abyssum, est locus captivitatis : ne devoratus redeat ad liberos actus vitæ. Evadens ergo Jonas de omnibus his, et liber in actibus vitæ existens, signum fuit virtutis divinæ, et veritatis sermonum Jonæ. Et ideo talibus inducti pœnitentiam egerunt Ninivitæ ad prædicationem Jonæ.

« Ita erit, etc. »

Adaptatio est figuræ ad veritatem.

« *Ita* ergo *erit,* » post Passionem et Resurrectionem. Et hoc est etiam ut Scriptura impleatur.

« *Filius hominis,* » in carne vera hominis quam de uno homine matre accepit, existens signum pœnitentiæ, « *generationi isti,* » quando videbunt quod de loco corruptionis surgens, incorruptus erit : et de loco solutionis continuitatis surgens, nullam patitur membrorum discontinuitatem. Psal. XV, 10 : *Non dabis*

[1] Cf. Jonæ, II, 1.

[2] Cf. Enarrationes B. Alberti in Matthæum, XII, 39. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ.

sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ. Et de inferno rediens secundum animam, abysso inferni non detentus, surget inter mortuos liber. Act. II, 24 : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile teneri illum ab eo.*

Dicitur autem, Matth. XII, 40, quod *sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Quod qualiter intelligitur super Matthæum est explanatum. Et ibi qui voluerit requirere potest [1]. Ea enim quæ diximus ad intellectum eorum quæ hic dicuntur sufficiunt. Unde ad signum istud multi post Passionem et Resurrectionem pœnitentiam egerunt. Et maxime post Resurrectionem et Ascensionem. Psal. XCII, 4 et 5 : *Mirabilis in altis Dominus : testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Hoc est signum sanguinis quod filii Israel in postibus cordium linientes, liberantur ab exterminatore [2]. Hoc etiam est signum quod signatum super frontes gementium et dolentium, liberat ab interfectore [3]. Hoc est item signum quod signat in numerum salvandorum, Apocal. VII, 3 : *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

« Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. »

Hic exsequitur judicium comparationis ad exaggerationem condemnationis istorum in speciali : et habet duos paragraphos.

Dicit ergo : « *Regina Austri,* » de qua legitur, III Reg. X, 1 et seq., et II Paral. IX, 1 et seq.

Dicitur autem : « *Regina,* » propter eminentiam sapientiæ et scientiæ, quibus suo tempore etiam viris sapientibus præfulgebat. Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina... in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Hæc est consors regni Assueri, hoc est, Regis beati, quod Assuerus interpretatur [4].

« *Austri,* » in qua plaga sunt sapientes : quia calore et lumine subtiliores habent humores. Habacuc, III, 3 : *Deus ab Austro veniet : et Sanctus de monte Pharan.* Quia divinæ sapientiæ et virtutis indicia in Austro præfulgent. Et ideo, Ezechiel XL, 2, civitas Dei dicitur vergere ad Austrum, et per oppositum tenebræ et obstinatio diaboli dicuntur venire ab Aquilone : quia congelatis humoribus, homines illius plagæ hebetes sunt, et grossi, et pigri. Et quia frigus exterius ambiens, interius fervere facit inordinate, sunt etiam feroces, et crudeles, et audaces. Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Jerem. I, 14 : *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Unde Chaldæi qui in Aquilone sunt, *feroces* interpretantur.

Hæc ergo « *Regina Austri* » habitu mentis bene constitutæ, et naturali callens ingenio, et ideo doctrina sapientiæ minus indigens,

« Surget, »

Ostensione suæ devotionis et studiosæ sollicitudinis ad quærendam doctrinam sapientiæ, « *in judicio,* » particulari post mortem uniuscujusque hominis, vel universali in fine mundi, vel etiam modo in judicio comparationis uniuscujusque sapientis hominis. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.*

[1] Cf. Enarrationes B. Alberti in Matthæum, XII, 40. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ.

[2] Cf. Exod. XII, 23.

[3] Cf. Ezechiel. IX, 4.

[4] Cf. Esther, II, 17.

Mich. VI, 1 : *Surge, contende judicio adversum montes*, hoc est, superbos : *et audiant colles vocem tuam.* Isa. V, 3 : *Judicate inter me, et vineam meam.*

« *Cum viris*, » quia devotiores, et sapientiores, et studiosiores esse deberent quam fœminæ. Job, XXXIV, 34 : *Viri intelligentes loquantur mihi, et vir sapiens audiat me.* Sed hoc est verum quod dicitur, Eccli. XXXVI, 23 : *Est filia melior filio* [1].

Et ideo subjungit : « *Cum viris generationis hujus*, » quæ pessima est. Matth. XII. 39 : *Generatio mala et adultera.* Proverb. XXX, 11 : *Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.* Quia Patrem Deum blasphemat, et matri Ecclesiæ maledicit.

« *Et* » ideo « *condemnabit eam*, » hoc est, comparatione sui condemnandam ostendet. Ezechiel. XVI, 48 : *Non fecit Sodoma soror tua ipsa, et filiæ ejus, sicut fecisti tu, et filiæ tuæ.* Isa. XXIII, 4 : *Erubesce, Sidon, ait mare, fortitudo maris, dicens.* Ad Roman. II, 27 : *Judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.*

Et subjungit causam hujus condemnationis, dicens :

« Quia venit, »

Zelo et studio sapientiæ ex fama Salomonis invitata. III Reg. X, 1 : *Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* II Paralip. IX, 1 : *Regina quoque Saba, cum audisset famam Salomonis, venit*, etc.

« *A finibus terræ* » habitabilis nostræ. Sunt autem duo fines hujus terræ nostræ habitabilis. Unus quidem finis secundum latitudinem : et ille a Meridie in primo climate, quod est sub æquinoctiali. Alter autem finis est secundum longitudinem in Oriente a mari Oceano. Veritas autem litteræ est, quod ab utroque fine venit : quia venit ab Oriente primi climatis. Et ideo dicitur hic : *Regina Austri*, quia venit ab æquinoctiali a meridionali plaga. Et aliquando dicitur venisse ab Oriente : quia venit a primo puncto Orientis ejusdem climatis. Unde, Matth. II, 1, dicitur etiam de Magis, quod venerunt ab Oriente. Hæc autem terra secundum Aristotelem et Avicennam et Ptolemæum Philosophos, omni alia terra melior est, et convenientior ad bonam habitudinem hominis. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum*, scilicet sapientiæ, *et thus*, scilicet devotionis, *deferentes, et laudem Domino annuntiantes.*

Talis igitur, et tam callens ingenio, et naturalibus prædita virtutibus, « *venit a finibus terræ*, » tantum viæ laborem suscipiens, cum fœmina esset, « *audire sapientiam Salomonis.* » II Paralip. IX, 4 : *Non erat præ stupore ultra in ea spiritus.* Cum tamen Salomon minor in sapientia esset Christo et discipulis ejus.

Et hoc est quod sequitur :

« Et ecce plus quam Salomon hic. »

Plus, inquam, scilicet sapientia Salomone est in me apparens in isto loco. Et ideo non oporteret fatigationem longi itineris assumere, quibus summa offertur sapientia sine labore. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, scilicet Dei, *absconditi.* Proverb. I, 20 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*, et ideo non longe oportet eam quærere. Act. XVII, 27 et 28 : *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

« Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt 32

[1] Vulgata habet, *filia.*

in prædicatione Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic. »

Secundum judicium comparationis secundum invitationem ad pœnitentiam sumptum.

« *Viri Ninivitæ,* » qui viriliter fecerunt in assumendo pœnitentiam ad prædicationem Prophetæ. Jonæ, III, 4 : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*

« *Surgent,* » comparatione melioris facti, et sanioris consilii ostendendo. Job, XXI, 29 : *Interrogate quemlibet de viatoribus, et hæc eadem illum intelligere cognoscetis.*

« *In judicio,* » comparationis. Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum.*

« *Cum generatione hac,* » cujus professionis sunt discipuli et Christus, cujus linguæ, cujus legis : cum Jonas nec ejusdem professionis, nec ejusdem dignitatis fuerit cum Christo. Ezechiel. III, 6 et 7 : *Non mitto te ad populos multos profundi sermonis, et ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones : et si ad illos mittereris, ipsi audient te : domus autem Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*

« *Quia pœnitentiam egerunt,* » sicut boni pueri de quibus supra dictum est, quod planxerunt prælamentante eis Jona [1]. Judæi autem neque saltaverunt ad præcentum Salomonis, nec planxerunt ad lamentum Jonæ [2]. Pœnitentia autem Ninivitarum scribitur, Jonæ, III, 8 et 9 : *Convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus.*

« *Et ideo condemnabunt eam,* » facti melioris comparatione : cum tamen essent gentiles, notitiam Dei per legem non habentes. Job, XII, 7 : *Nimirum interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi.*

« *Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ,* » qui ignotæ linguæ, et ignotæ fuit professionis, et signa non ostendit. Joan. XV, 24, 22 : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent :... nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

« Et ecce plus quam Jonas hic. »

Demonstratus per testimonium Prophetarum, vocis patris, et operum.

« *Plus,* » in efficacia facti, et sapientia verbi, « *quam Jonas hic,* » in hoc loco inter vos existens. Joan. I, 27 : *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est : cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Psal. XLIV, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Ad Philip. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Ad Hebr. I, 4 : *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.*

« Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. » 33

Ostendit hic Dominus quod merito malo blasphemiæ Judæorum, lumen doctrinæ suæ ad Gentes est derivandum.

Et in hac doctrina tangit duo . quorum unum est, quod lux notitiæ suæ sub unius gentis terminis non est cobibenda : sed ad fines orbis terræ in Gentes extendenda. Secundum autem est, quod docet

[1] Cf. Jonæ, III, 5 et seq.

[2] Matth. XI, 17 : *Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus, et non planxistis.*

cum quanta sinceritate verbum Dei a Presbyteris est prædicandum.

In primo horum tria facit. Dicit enim ubi lucerna non est ponenda : secundo, tangit ubi ponenda est : et tertio, determinat ad quem usum ponitur in loco candelabri.

In primo præmittit generale exemplum, sumptum ab usibus et consuetudine hominum, dicens : « *Nemo*, » hoc est, nullus rationabilis homo, « *accendit*, » hoc est, accendere consuevit, « *lucernam*, » scilicet ecclesiasticæ dignitatis in officio dignitatis Episcopalis vel Presbyteralis : quæ, inquam, lucerna pervia est, concava est, flamma lucente et ardente perfecta est. Pervia per castitatem, concava per humilitatem, ardens per charitatem, lucens per veritatem.

De primo dicitur, Matth. xxv, 7 : *Ornaverunt lampades suas.* Job, xxviii, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* Quia pretio debet esse castitas super aurum, et puritate debet excedere vitrum.

De secundo, Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

De his duobus simul dicitur, Eccli. xxvi, 22 : *Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei super ætatem stabilem.* Splendens enim lucerna, est lucerna pervia castitatis honestate : est speciosæ faciei ex gratia pudicitiæ. Sapient. iv, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate !* Est super ætatem stabilem morum maturitate, quia incontinentia instabilis est. Et hoc sanctum candelabrum, perfecta munditia mentis et corporis.

Ardens autem est cum charitate et luminosa veritate, sicut dicitur, Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Sic mulier sapiens, Luc. xv, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter donec inveniat*, scilicet drachmam perditam. Quia multi per tales Prælatos inveniuntur ad vitam. Sic, Sophoniæ, i, 12, dicit Dominus : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Nihil enim remanet tenebrosum ubi tales lucernæ accenduntur. Isa. lxii, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam : donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus velut lampas accendatur.*

Talem ergo lucernam nemo sapiens accendit ardore charitatis, et lumine scientiæ divinæ veritatis, et perpicuam facit claritate castitatis, et concavam sensu humilitatis, « *et*, » sic præparatam,

« In abscondito ponit. »

Est enim, sicut dicitur, Job. xii, 5, *parata ad tempus statutum :* quamvis derideatur et contemnatur apud cogitationes divitum. Est autem absconditum tenebrosum, vita opaca et intellectu nubiloso non videntium. Sic officium prædicationis non est committendum opacam vitam habentibus, quorum sunt tenebrosa opera, ut malis. Thren. iii, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Debet enim Prælatus confidenter dicere illud Joannis, viii, 12 : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Similiter non est committendum his, qui carnalem et tenebrosum habent intellectum, sicut Judæis : de quibus dicit Apostolus [1], quod *tenebris* habent *obscuratum intellectum*, ut non fulgeat in eis claritas Evangelii Chisti. Hæc enim duo sunt abscondita. Genes. iii, 10 : *Vocem tuam audivi in paradiso : et timui eo quod nudus essem, et abscondi me.*

« Neque sub modio. »

Modius est aridorum mensura. Modius etiam secundum usum est, quo solvitur census terrarum locatarum ad cultum. Et primo quidem modo secundum Hieronymum vult dicere, quod sub mensura legis unius gentis non est lux cohibenda sacræ

[1] Ad Ephes. iv, 18.

prædicationis. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ.* Et præmittit dicens : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas.* Quod enim intra fæces Israel cohibeatur gratia prædicationis parum est Deo : sed oportet ut lux usque ad ultimum terræ perveniat. Ad Roman. III, 29 et 30 : *An Judæorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Immo et gentium. Quoniam quidem unus est Deus qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.*

Modius etiam est, quo solvitur census: et secùndum hoc sensus est, quod prædicatio non est ponenda sub pretio. I ad Corinth. IX, 18 : *Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

Sic ergo neque *in abscondito neque sub modio* est ponenda lucerna.

« Sed super candelabrum, »

Hoc est, proprium ejus retinaculum. Candelabrum autem aureum cum lucernis septem, est homo ecclesiasticæ vitæ cum fulgore intellectus, in quo est virtutis conversatio charitate informata, auri fulgor et pretium. Pes, ecclesiastica dignitas. Lucernæ septem, fulgores intellectus : quos requirit potestas ecclesiastica ex quatuor sacræ Scripturæ intellectibus : Historiali, Allegorico, Morali et Anagogico, et intellectu aliarum scientiarum : quæ, ut dicit Hieronymus, sunt Physica, Ethica, et scientia loquendi congrue et ornate.

Vel melius dicatur, quod septem lucernæ sunt dona Spiritus sancti. Septem autem hastilia sunt septem virtutes : tres quæ dicuntur theologicæ, et quatuor quæ vocantur cardinales. Et tales Prælati septem, hoc est, Vicarius Christi, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, inferiorum dignitatum Prælati, et Presbyteri simplices, sunt septem candelabra, in quorum medio ambulat Dominus, Apocal. I, 16, habens septem stellas, quibus quodlibet illuminat candelabrum ad exsecutionem officii propriæ dignitatis.

Et hoc significatum est, Exod. XXV, 31, ubi tale candelabrum ex auro mundissimo fieri præcipitur. Et similiter, Zachar. IV, 2, ubi de simili loquitur candelabro.

« Ut qui ingrediuntur lumen videant. »

Tangit hic lucernæ proprium usum. Matth. V, 15, dicitur : *Ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Sensus ergo est : Ut qui *ingrediuntur* in domo, vel in domum, *videant lumen.*

Lumen autem videtur dupliciter : in se, et diffusum in rebus quas demonstrat, quando cadit super illas. Et sic dicitur se demonstrare Doctor Ecclesiasticus ingredientibus in domum Ecclesiæ, quod in ipso non appareat nisi lumen : et quod ab ipso omnia alia quæ sunt in domo illustrentur et ostendantur. Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Joan. XI, 9 : *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.*

« Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. » **34**

Hic tangit lucernæ de qua dixit, dispositionem et proprietatem.

Et ista est intentio istius partis, quod ostendat Doctorem de quo dixit, debere esse simplicem secundum intentionem.

Tangit autem tria : lucernæ determinationem, divisionem, et cautelæ doctrinam.

Determinationem tangit per hoc : « *Lucerna corporis tui*, etc. » Quasi dicat : Quamvis dixerit Doctorem et Sacerdotem lucernam, tamen ratione cujusdam quod est in ipso, *lucerna* vocatur : et hoc est oculus.

Et est hoc quod dicit :

« Lucerna corporis tui, est oculus tuus. »

Quamvis autem secundum Aristotelem et secundum rei veritatem oculus componatur ex aqua et tunicis perspicuis, tamen secundum formam eliciendi actum videndi, componitur ex lumine : et ideo dicit Plato, quod componitur ex igne claro. Et sic oculus hominis est intellectus ejus et ratio.

Et sunt duo oculi : unus agnitio veri, et alter agnitio boni operabilis : qui præcedere debent omnes vias hominis. Et intentio est quæ finem præfigit, quo per opera perveniatur. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Psal. XXXI, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

De talibus ergo dicit : « *Lucerna corporis.* »

Corpus dupliciter sumitur. Est enim corpus dictum a corporeitate communi : et hoc modo non sumitur hic corpus. Alio modo dicitur corpus organicum, quod est per membra instrumentum animæ ad opera exercenda. Sic congeries membrorum operantium dicitur corpus. Et sic duces totius corporis et omnium operum animæ et corporis sunt oculi. Et sic sumitur hic corpus. I ad Thessal. V, 23 : *Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus servetur.*

Sic, « *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* » Psal. XVII, 29 : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine : Deus meus, illumina tenebras meas.* Lumen autem in hac lucerna fides est, et scientia Scripturarum. De fide, Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* De scientia Scripturarum, II ad Corinth. IV, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.* Sic enim illuminatus intellectus, et intentio rationis scit quo pergere debeat. Et est lucerna lumen spargens per illuminationem verbi Dei in ipso. Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

« Si oculus, etc. »

Dat oculi divisionem penes bonum et malum oculum.

Et primo dicit dispositionem boni oculi, dicens : « *Si oculus tuus fuerit simplex,* » hoc est, adunatus ad unum verum finem omnium operum tuorum. Si enim vis oculi non sit adunata, numquam secundum naturam recte et bene videt oculus : sed dirigit in diversa, et confundit opera quod homo nescit quo pergat. Cantic. IV, 9 : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa,... in uno oculorum tuorum,* hoc est, in adunatione et simplicitate oculorum tuorum, ut supra. Matth. X, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Cantic. I, 14 : *Oculi tui columbarum.* Simplex autem est, quando non respicit ad modum temporalis retributionis : sed sine omni plica respicit ad æterna. Conversa enim est in lapidem uxor Loth respiciens retrosum [1]. Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

[1] Cf. Genes. XIX, 26.

Proverb. VI. 12 et 13, de homine apostata quod annuit oculis : et ideo vir est inutilis.

« Totum corpus tuum, »

In omni congerie operum suorum, « *lucidum erit* : » quia tunc opera a luce eliciuntur, et luce vestiuntur, et luce diriguntur, et ad lucem terminantur. Eliciuntur quidem a luce : quia lumem quod intellectus est veritatis et virtutis elicit ea. Vestiuntur autem a luce : quia formam induunt veritatis et virtutis. Diriguntur a luce : quia lumine intellectus et rationis ordinantur. Terminantur ad lucem : quia æternæ luci per intentionem conjunguntur. De primo horum dicitur, Job, XXXVIII, 18 et 24 : *Indica mihi. . per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.* Per viam enim lucis eliciuntur. De secundo dicitur, Apocal. XII, 1, quod mulier, quæ signum est Ecclesiasticorum bonorum, amicta est sole propter splendores operum suorum. Ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus.* De tertio dicitur, Sapient. XVIII, 1 : *Sanctis tuis maxima erat lux*, quia dirigebantur omnia opera eorum. De quarto dicitur in apocryphis Esdræ : « Lux perpetua luceat eis. »

Sic ergo totum corpus cum universitate operum suorum lucidum erit. Ut verum sit quod dicitur, Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates.*

« Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. »

Tangit dispositionem oculi mali.

Nequam enim vocatur qui nequit in malo plus, et plus vult mali quam potest : sicut oculus lividi semper respicit ad nocumentum. Eccli. XXXI, 14 et 15 : *Memento quoniam malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est?* Matth. XX, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Nequitia oculi istius est duplicitas : quod recte quidem docet, male autem appetendo agit. Et hæc nequitia dicitur oculi, quia mala nuntiat cordi. Genes. III, 6 : *Vidit igitur mulier quod esset lignum pulchrum oculis, adspectuque delectabile.* Ideo dicit Psalmista, Psal. CXVIII, 37 : *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Sapient. IV 12 : *Fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Fascinatio autem maxime fit per oculum. II Pet. II, 14 : *Oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti.* Adulter enim oculus contempto vero animæ sponso, sponsum respicit, strabonizando adulterum.

Si ergo sic nequam fuerit oculus,

« Etiam corpus tuum, »

Instrumentum operationum, cum congerie suorum operum, « *tenebrosum erit* : » quia illicitur opus tenebris, vestitur tenebris, et stat in tenebrosis, et dirigitur ad tenebras æternas. De primo, Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* De secundo, Ibidem, ℣℣. 6 et 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat, .. et non illustretur lumine.* Ista ab Apostolo, ad Roman. XIII, 12, vocantur opera tenebrarum. De tertio dicitur, Sapient. XVII, 20 : *Solis Ægyptiis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat.* De quarto dicitur, Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Ideo dicitur, Matth. XXII, 13 : *Mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.* Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.*

35 « Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. »

Ecce instructio ad cautelam ex præmissis assumpta.

Dicit autem duo : instructionem caventem a malo, et conclusionem de utilitate oculi boni.

Dicit ergo : « *Vide ergo,* » hoc est, cave ergo, « *ne lumen,* » intellectus et rationis, « *quod in te est,* » hoc est, quod in te debet esse. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* hoc est, ne industriam et sagacitatem et scientiam intellectus et rationis ad malum convertas : sicut diabolus qui tanto pejor est, quanto est ad agendum malum sagacior Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala : bene autem facere nescierunt.* Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras !* Quia si eliciens, et formans, et dirigens opera tenebrosum est, non egredietur nisi opus tenebrarum.

« Si ergo corpus tuum lucidum, etc. »

Ecce conclusio de utilitate oculi boni : quia si beneficio oculi clari totum corpus tuum cum omni congerie suorum operum « *lucidum fuerit,* » eritis vos sicut filii lucis. Ad Ephes. V, 8 : *Ut filii lucis ambulate.* Psal. LXXXVIII, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt : et in nomine tuo exsultabunt tota die,* hoc est, in plena luce.

« Non habens aliquam partem tenebrarum, »

Neque in eliciente, neque in informante, neque in dirigente, neque in terminante : tunc nihil habet commune cum tenebris. Judicum, V, 31 : *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendent, ita rutilent.* Cantic. VI, 9 : *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.*

« Erit lucidum totum. »

Non sicut luna menstruos capiens defectus lucis, sed totus coruscans lumine. Eccli. XXVII, 12 : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.*

« Et sicut lucerna fulgoris, »

Hoc est, quæ undique fulgorem emittit. Joan. V, 35 : *Erat lucerna ardens et lucens.* Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.*

« Illuminabit te, »

Et hic, et in futuro. Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Eccli. XLIII, 10 : *Mundum illuminans in excelsis Dominus.* Ista sunt vasa lucis : luminare majus, quod est verbi irradiatio : luminare minus, quod est serena conscientiæ ratio : quæ ab initio mundi fecit Dominus [1]. Luc. I, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

« Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. » 37

Hic incipit quod omnis virtus potestatis ecclesiasticæ ab interiori procedit. Et illa etiam quæ videtur esse in exteriori

[1] Cf. Genes. I, 16.

honestate, sic fundatur in interiori spiritus virtute.

Dividitur enim pars ista in duas : in quarum prima per quamdam historiam, veniendi ad hanc doctrinam accipit occasionem : in secunda autem ipsam ponit (alias, pœnitentiæ) doctrinam.

In prima harum tria dicuntur: vocatio ad prandium, et recubitus : secundo autem in recubitu, discipulorum illotis manibus ad mensam accessus : tertio, Pharisæi murmur de omissione traditionis seniorum.

Et hæc plana sunt in littera.

Dicit ergo : « *Et cum loqueretur* » adhuc de materia inductæ disputationis contra Pharisæos, et confutasset eos, « *rogavit illum,* » devotionem simulans, « *quidam Pharisæus,* » ut per hoc confusionem aliorum declinaret,sicut qui specialem devotionem haberet ad Christum. Simile aliquid fecerunt, Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo.* Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum : et cor tuum plenum est dolo et fallacia.*

Rogavit autem, « *ut pranderet apud se.* »

« Et ingressus »

In domum Pharisæi, « *recubuit.* » Volebat enim exteriori familiaritate hunc Pharisæum de pœnitentia convincere, qui jam exterius per verba se vidit confutatum. Apocal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Est enim convivatio causa familiaritatis, et mutuæ charitatis et confidentiæ. Psal. LIV, 14 et 15 : *Tu homo unanimis, dux meus, et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

« Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. »

Hic ostenditur dolus et observatio et insidiæ Pharisæi.

Dicit ergo : « *Pharisæus,* » de exteriori munditia carnali inflammatus et insidians. Psal. X sec. Hebr.,8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Psalmo eodem, ℣. 9 : *Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.*

« *Cœpit,* » cogitando, « *intra se reputans.* » Exterius ostendere non audebat : eo quod viderat qualiter alii fuerunt confutati. Matth. IX, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* I Reg. XVI, 7 : *Dominus intuetur cor.* Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini circumspiciunt omnes vias hominum.*

« *Dicere,* » in corde. Psal. XI, 3 : *Labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.* Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.*

« Quare non baptizatus esset, »

Hoc est, lotus, « *ante prandium.* » Matth. XV, 2 : *Quare discipuli tui transgrediuntur mandata seniorum ? Non enim lavant manus suas cum panem manducant.* Marc. VII, 3 et 4 : *Pharisæi et omnes Judæi nisi crebro laverint manus suas non munducant : ... et a foro,* scilicet venientes, *nisi baptizentur, non comedunt.* Traditionibus insidiabantur Christo, quia in mandatis Dei nullam reprehendendi invenerunt occasionem.Plus enim curabant de suis traditionibus quam de mandatis Dei. Matth. XV, 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Matth. XV, 29 : *Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.*

39 « Et ait Dominus ad illum : Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, et catini mundatis : quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.

40 Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit? »

Hic incipit secunda pars, in qua accepta occasione docet omnem virtutem de interiori munditia procedere, et nihil esse curandum de exteriori, nisi in quantum in interiori radicatur. Psal. XLIV, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

« Nunc vos Pharisæi. »

Hæc pars dividitur in duas : in quarum prima ostendit quid munditiam faciat interiorem : in secunda, occasione accepta, ostendit quantæ maledictionis sit exterior munditia absque interiori.

In prima harum tria facit : in quorum primo ostendit quantum Pharisæi exteriori studebant munditiæ : in secundo, ostendit quod hoc stultum est, deserta interiori munditia : in tertio, ostendit quid potissimum munditiam faciat interiorem.

In prima harum duo facit. Primo enim munditiæ exterioris ostendit studium : secundo, ostendit interioris munditiæ negligentiam et conceptum.

Dicit ergo : « *Nunc vos,* » in hoc tempore. Quia apud Patriarchas et Prophetas hoc non fuit : sed est adinventio eorum. Sumebant autem, Levit. XI, passim, occasionem : ubi dicitur, quod qui tetigerit aliquid immundum, lavetur aqua. Et, Numer. XIX, 15 : *Vas, quod non habuerit operculum,... immundum erit.*

« *Pharisæi,* » ab aliis per observantiam exterioris munditiæ divisi.

« Mundatis quod deforis est calicis, »

Hoc est, exteriora calicis, hoc est, vasis in quo bibitur, « *et catini.* » Magnum vas rotundum in quo cibi reponuntur *catinus* vocatur, quod aliquando dicitur *paropsis*, a paribus absidibus dictum. Et est sensus quod curant multum de exteriori munditia, neglecta interiori. Et ideo, Matth. XII, 44 et 45, dicuntur domus ad quam revertitur diabolus cum septem spiritibus nequioribus se : quam invenit scopis mundatam, et ornatam : vacantem, hoc est, ab interiori studio torpentem. Isti sunt de quibus dicitur, Matth. VII, 15, quod extrinsecus sunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Et hoc est quod dicit :

« Quod autem intus est vestrum, »

Hoc est, cor et studium cordis, « *plenum est rapina.* » Isa. III, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* Isti enim studebant quod sub specie pietatis præriperent pauperibus eleemosynas, et parentibus subventiones debitas et præceptas a Domino. Et ideo semper rapere conabantur. Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Dicentes cum filiis Heli, I Reg. II, 16 : *Nunc enim dabis : alioquin tollam vi,* et iniquitate. Quia ad iniquitatem inclinabant animas subditorum. Isa. V, 23 : *Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Osee, IV, 8 : *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.*

« Stulti. »

Ostendit stultum esse studere exteriori munditiæ, neglecta interiori.

Et hoc est quod dicit : « *Stulti,* » non considerantes quid primum et principale : et quid secundarium. Ad Roman. I, 22 : *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Isa. XIX, 11 : *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.*

« Nonne qui fecit quod deforis est, »

Hoc est, corpus quoad exteriorem hominem, « *fecit et quod deintus est,* » hoc est animam secundum hominem interiorem. Et quia unus utriusque naturæ auctor mundissimus est, utramque naturam mundari voluit : et illam magis quæ sibi similior est, hoc est, interiorem. Levit. XIX, 2 : *Sancti estote : quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester,* qui sanctifico vos. Jerem. IV, 14 : *Leva a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias.* Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis. »

Hic tangit qualiter exteriorum secundum veritatem sit emundatio. Non enim fit per baptismata et loturas aquarum, sed per immundantis abdicationem.

Duo autem sunt immundantia : injuste scilicet acquisitum, et superfluum. Injuste acceptum vel acquisitum oportet restitui. Tob. II, 21 : *Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere de furto aliquid, aut contingere.* Furtum autem hic dicitur omne quod fraude, vel dolo, vel mendacio est acquisitum, vel ablatum alicui, vel quocumque modo alicui illicite abstractum. Exod. XX, 15 : *Non furtum facies.* Luc. XIX, 8 : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

Superfluum est dupliciter dictum : est enim superfluum naturæ, et superfluum personæ. Superfluum naturæ est, quod est ultra sufficiens naturæ, et bonæ habitudini, et operi si est operarius : et quod est ultra continentiam naturæ in tali esse, et bona habitudine, et opere. Potest enim homo providere sibi facultates, quod se sic contineat continuo sine defectu : et ideo quod superfluum est diei, non superest vitæ sic continuandæ et continendæ. Superfluum autem personæ est, præter quod persona secundum suum gradum et familiam conservati potest. Et ideo plura necessaria sunt Episcopo quam clerico, et plura Regi quam militi, et plura patrifamilias quam privato homini. Superfluum igitur utroque istorum modorum dandum est in pios usus : et tunc exteriora munda fiunt. Luc. XIX, 8 : *Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.* Ille enim panem frangit qui superfluum a necessario dividit, et pauperi porrigit. Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi.*

« Date eleemosynam. »

Eleemosyna dicitur ab ἔλεος quod est *misericordia* : quia miseris est distribuenda. Job, XXXI, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Et ante, ℣. 17 : *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

« Et ecce omnia, »

Hoc est, residua ad usum, « *munda sunt vobis.* » Ad Titum, I, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.* Quando enim homo mundus mundat exteriora ad usum necessitatis concessa, omnia fiunt sibi munda. Et hæc munditia exterior ab interiori procedit munditia. Act. X, 15 : *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Pharisæi autem præsu-

mentes de sua justitia putabant interiorem munditiam ab exteriori causari et dependere : et ideo redarguuntur. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Sic enim a peccato fit omnis immunditia.

42 « Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium, et charitatem Dei : hæc autem oportuit facere, et illa non omittere. »

Dixerat qualiter omnia munda efficiuntur. Et per contrarium etiam illa quæ munda esse videbantur, immunda efficiuntur per malam avaritiam et ingluviem. Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua : usquequo et aggravat contra se densum lutum* ? Isa. V, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ ?*

Circa autem hoc tangit hic tria : maledictionem avaritiæ, et maledictionem superbiæ, et hypocrisis per quam et superbiam et avaritiam venabantur.

Circa avaritiam autem duo dicit : avaritiam, et mandatorum Dei omissionem quæ ex avaritia causatur. Et hoc est secundum Hieronymum et Glossarum expositionem. Secundum Chrysostomum autem in prima maledictione non condemnat avaritiam, sed superstitionem : et in secunda, superbiam : et in tertia, hypocrisim. Et hæc est expositio litteralis.

Et tunc aliter continuatur littera sic : Ita dixi, quod mundantur exteriora non per ablutionem aquæ, sed per superfluorum in eleemosynas erogationem. Sed hoc quidem vos Pharisæi non facitis, qui justificari quæritis coram hominibus. Et ideo, « *vobis, o Pharisæi, væ* » æternæ imminet maledictionis. Matth. XXIII, 5 : *Omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus.*

« *Quia decimatis,* » hoc est, decimas datis, ut dicit Chrysostomus, « *mentham, et rutam,* » et hujusmodi minuta, quæ non in magno erant damno, « *et omne olus,* » parvulum olusculum. Ut per hoc etiam alia viderentur decimasse : cum tamen majorum frugum decimas ubi poterant retinerent. Luc. XVIII, 12 : *Decimas do omnium quæ possideo.* Malach. III, 10 : *Inferte omnem decimam in horreum meum, et sit cibus in domo mea.* Numer. XVIII, 26, enim, præcepit Dominus ut Levitis decimæ darentur. Et in hoc justi volentes esse Pharisæi decimas minutorum solvebant : et in hoc non male faciebant. Hieronymus autem dicit, quod Pharisæi præcipue erant Clerici et Sacerdotes Judæorum. Et ideo aliter exponit « *decimatis,* » hoc est, decimas exigitis de mentha, et ruta, et quolibet parvo olusculo quod aliquod lucrum potest inferre. Sapient. XV, 12 : *Estimaverunt lusum esse vitam hominis, et conversationem vitæ compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.*

Et reliquistis quæ graviora sunt legis, dicit Matthæus [1]. Lucas autem,

« Et præteritis omne judicium, et charitatem Dei. »

Judicium quidem in reddenda justitia : de qua dicitur, Deuter. I, 17 : *Ita parvum audietis ut magnum,... quia Dei judicium est.* Isa. XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans et quærens judicium, et velociter reddens quod justum est.* Hæc enim graviora sunt : quia negligentibus ea gravius imputabuntur. Inter mandata enim quædam sunt ponderis gravioris, et quædam levioris. Unde, Matth. XXII, 35

[1] Matth. XXIII, 23.

et 36, quærebat tentans, quod esset magnum mandatum in lege ? Charitatem autem negligit qui misericordiam in pauperibus non facit. I Joan. III, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ?* Michææ, VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique diligere judicium, et facere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Deinde facit horum comparationem, dicens :

« Hæc autem oportuit facere, »

Scilicet judicium et charitatem. In causis quidem judicium : ad omnes autem charitatem, quia charitas Dei malum non operatur. *Qui enim diligit proximum, legem implevit* [1].

« *Et illa,* » decimarum dationem vel exactionem, « *non omittere.* » Et ideo sunt graviora præcepta legis, quæ oportet facere. Matth. V, 18 : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Hæc autem minima legis non omissa, sunt fimbriæ in veste sponsæ adhibitæ. Psal. XLIV, 14 et 15 : *Fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Has fimbrias tetigit mulier hæmorrhoissa, et sanata est : quia istæ bonæ sunt dummodo de majoribus major cura adhibeatur. I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia secundum ordinem fiant,* scilicet in vobis. Qui autem curam istam pervertunt, derisibiles et condemnandi sunt. Mali enim sunt rerum æstimatores qui magnam de minimis, et nullam vel parvam de maximis curam gerunt. Matth. XXIII, 24 : *Excolentes culicem, camelum autem glutientes.* Tales fuerunt Pharisæi, qui in die sabbati adaquabant pecora redimentes ea in necessitate sitis, et infirmos dicebant non debere solvi in die sabbati a necessitate infirmitatis [3]. Magna ergo principaliter oportet facere, et minora non omittere. Quia, sicut dicit Augustinus, « Qui minima negligit, paulatim defluit. »

« Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. **43**

Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes supra nesciunt. » **44**

Condemnatio est superbiæ, et ambitionis, et fastus.

Tangit autem hic duplicem ambitionem : scilicet, magistratus, et favoris popularis. Et pro utraque istarum dicit jam eos esse condemnatos : quia jam causam suæ condemnationis apud se perfecerunt : sicut dicitur, Joan. III, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* I ad Timoth. V, 24 : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium.*

Hoc est igitur quod dicitur : « *Væ vobis Pharisæis.* » II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus penitus abnegantes.* Apocal. III, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.*

« Quia diligitis. »

Non enim amor docendæ veritatis, et necessitas vos ad docendum invitat : sed amor dignitatis magistralis. Jacob. III, 1 : *Nolite plures magistri fieri, scientes quoniam judicium sumitis.* Ad Roman. II, 19 et 20 : *Confidis teipsum esse... eruditorem insipientium, magistrum infantium.* Qui enim diligit cathedram, hunc necessitas ad cathedram non vocat.

[1] Ad Roman. XIII, 8.
[2] Matth. IX, 20 et seq.
[3] Cf. Luc. XIII, 15.

« Primas cathedras, »

Propter dignitatem. Hæ autem sunt cathedræ quæ dicuntur catechizantium, hoc est, docentium ædes. Et est cathedra ædes, hoc est, solemnis sedes docentis, qui auctoritatem et officium docendi accepit. Et hanc sedem suscipere in doctrinam veritatis non debet nisi idoneus ex vita, et potens in opere et sermone. Tales enim sunt sedes Episcoporum et Magistrorum Theologiæ. Unde inidonei vita et scientia et eloquentia, idola quædam sunt Doctorum et magistri erroris. Isa. XXII, 15 et 16 : *Ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum : Quid tu hic ? aut quasi quis hic ?* Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem : gladius super brachium ejus, et super oculum dexterum ejus.* Isti sunt qui docent errores. Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.* Psal. I, 1, de sancto viro dicit quod *in cathedra pestilentiæ non sedit.*

Simile aliud faciunt sæculares, nihil religionis prætendentes, et bonos persequentes Christi discipulos : et tamen cathedras ascendere præsumentes. Psal. XLIX, 16 et 17 : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum. Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.*

« In synagogis, »

Hoc est, quo conveniunt hi qui verbum Dei discere et audire intendunt, ubi non debent incathedrari nisi digni. Psal. CVI, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.* Eccli. XV, 5 : *In medio ecclesiæ aperiet os ejus.* In locis ergo sanctorum Pontificum et Doctorum isti hostes omnis boni sedere cupiebant. Daniel. XI, 20 : *Stabit in loco ejus vilissimus, et indignus decore regio.*

« Et salutationes in foro. »

Ecce favor popularis. Quærebant enim applausum et acclamationem populi. Tunc enim consuetum fuit, sicut adhuc est in quibusdam terris, salutari præpotentes ab inferioribus. Contra quod dicit Psalmista, Psal. LII, 6 : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem,* hoc est, placere quærerem, *Christi servus non essem.* De talibus salutationibus dicitur, IV Reg. IV, 20 : *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.* Luc. X, 4 : *Neminem per viam salutaveritis.* Isti non attendunt quod dicitur, Act. XII, 22 et 23, quod cum populus acclamaret Herodi voces Dei et non hominum, *confestim percussit eum Angelus Domini,... et consumptus a vermibus, exspiravit.*

« *In foro* » autem dicit : quia in foris et theatris voces populorum extolluntur cum tumultu : et talis turba forensis magis ducitur tumultu erroris, quam attentione veritatis. Isa. III, 12 : *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.*

Dicit etiam : « *In foro,* » quia ibi sunt venales laudes. Matth. XXV, 9 : *Ite potius ad vendentes* oleum laudis vanæ, *et emite vobis.* Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

« Væ vobis, »

Pharisæis scilicet. Isa. III, 11 : *Væ impio in malum : retributio enim manuum ejus fiet ei.* Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis.*

Causam autem subjungit maledictionis esse hypocrisim, dicens :

« Quia estis ut monumenta. »

Matth. xxiii, 27 : *Similes estis sepulcris dealbatis.* Monumentum autem vocatur quasi monimentum, quia monet transeuntes de eo qui ibi sepultus est, ne a memoria pereat. Et ideo sepulcra ædificata et picta memoriis defunctorum, *monumenta* vocantur. Et illa, sicut dicitur, Matth. xxiii, 27, *a foris parent hominibus speciosa.* In qua parte pulchræ imagines et magna facta defunctorum, et qualiter in cœlum recipiantur ab Angelis : in eo autem quod occultum est, fœtor est, et corruptio, et horror ossium defunctorum.

Et hoc est quod dicit : « *Quia estis ut monumenta.* » Act. xxiii, 9 : *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

« *Quæ non apparent,* » extra secundum spurcitiam quam intus continent : quia exteriora videntur, quæ picta sunt. I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent.*

« *Et homines,* » adhuc vivi, « *ambulantes supra,* » prætereuntes sepulcra, nesciunt quid fœtoris intus concludatur. Sic est hypocrita extra pictus simulata et falsa pietate : et intus plenus fœtore peccatorum, quæ in occultis facit, vel facere concupiscit. Psal. xiii, 3 : *Sepulcrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum.* Isa. xiv, 19 : *Tu projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis,* sicut sanie *pollutus, et obvolutus.* Ideo dicitur, Ezechiel. xxxii, 27, de sepultis, quod iniquitates eorum sunt in ossibus eorum. Matth. xxiii, 28 : *Intus pleni estis hypocrisi et iniquitate.*

« Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. At ille ait. »

Hic incipit reprehensio Legisperitorum qui præsumebant de falsi nominis scientia, et cæteros simplices aspernabantur.

Dicuntur autem in ista parte duo : in quorum primo ponitur qualiter fastum cordis in zelo laudis prodidit Legisperitus : in secundo autem qualiter occasione accepta Dominus Legisperitis maledicit, et justam ostendit eorum maledictionem.

In prima dicit sic : « *Respondens autem,* » ad ea quæ ad alios dicebantur propter conscientiam similis delicti. Proverb. xviii, 13 : *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.*

« *Quidam,* » qui exceptos reputabat præ aliis promptulus ad loquendum. Proverb. xii, 16 : *Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam suam, callidus est.*

« *Ex Legisperitis,* » qui verum intellectum legis non habuit : sed apud Judæos, narratores mendaciorum impossibilium, Legisperiti vocantur. Matth. xxii, 29 : *Erratis nescientes Scripturam, neque virtutem Dei.* II ad Corinth. iii, 15 : *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

« *Ait illi,* » manifestans cordis sui stultitiam. Job, iv, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Matth. xii, 34 et 35 : *Ex abundantia cordis os loquitur... Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum.*

« Magister. »

Magistrum vocat, ut dicit Chrysostomus, cujus non vult esse discipulus. Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es,* etc.

« Hæc dicens. »

Tu qui videris authenticus, eo quod verba tua sunt sicut potestatem habentis : et ideo attendit tibi populus. Joan. *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.*

« *Etiam nobis.* » Quasi dicat : Laude sumus dignissimi, et principes populi. Exod. XXII, 28 : *Principi populi tui non maledices.* Quasi dicat : Tolerabile esset de aliis : sed cum etiam nobis facis contumeliam, amplius non est tolerandum.

« Contumeliam nobis facis. »

Talis enim est fastus magnorum, quod mala licenter facere volunt, et argui de malis dedignantur : dicentes ea quibus arguuntur in contumeliam honoris sui dici, et non ad emendationem delicti. Unde, Joan. XVIII, 22 : *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes Pontifici ?* Act. XXIII, 2 : *Princeps Sacerdotum Ananias præcepit adstantibus sibi percutere os Pauli.* Quasi dicat : Magnam meruisti pœnam, ex quo et nobis facis contumeliam. Tales enim valde parati sunt contumeliam bonis facere, sed increpationes nolunt sustinere : non attendentes quod in laudem Eliæ dicit Ecclesiasticus, XLVIII, 13 et 14 : *In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum : nec superavit illum verbum aliquod.*

Et ideo sequitur :

« *At ille,* » imperterritus, « *ait.* » Ezechiel. III, 8 : *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

« Et vobis legisperitis væ : quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. »

Hic incipit interminatio maledictionis.

Et dividitur in tres paragraphos, quorum primus continet maledictionem de duritia, quam habebant in commissos : secundus autem, maledictionem quam meruerunt, verbo quidem colentes Sanctos, et actu imitatores eorum qui Sanctos interfecerunt : tertius autem continet maledictionem, eo quod legis intellectum verum perverterunt.

In primo horum duo continentur, quorum primum est, quod aliis dura imponebant : secundum autem, quod sibi etiam parva non imponenda dixerunt.

Dicit igitur :

« Et vobis Legisperitis væ. »

Causa dicitur, Matth. XXIII, 3 : *Dicunt enim, et non faciunt.* Ad Roman. II, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces.*

« Quia oneratis homines, »

Graves pœnitentias et importabiles imponentes, et præcipue pœnas pecuniarias imponentes. Dicunt enim quod illa pœna infligenda est quæ magis timetur : et hanc dicunt esse pœnam pecuniariam : non corrigentes peccatum, sed implentes crumenas : dicentes cum Roboam, III Reg. XII, 1 : *Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Tales sunt, qui omnia dura Scripturarum interpretantur de Laicis, et de se nihil : dicentes Laicos pecora esse : nec judicant parcendum esse pecoribus. Contra quod dicitur, Proverb. XII, 10 : *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Matth. XXIII, 4 : *Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum.* Contra quod dicitur, Isa. LVIII, 6 : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe.* Isti autem omne onus legis imponebant humeris subditorum. Act. XV, 10 : *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.*

Et hoc est quod sequitur :

« Oneribus quæ portare non possunt. »

Parum enim portare possunt infirmi. Unde Dominus compatiens infirmis, et super afflictos pia gestans viscera, dicit, Joan. XVI, 12 : *Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo.*

« Et ipsi uno digito, »

Hoc est, adjutorio minimæ compassionis, vel demonstratione minimi adjutorii. Matth. XXIII, 4 : *Digito autem suo nolunt ea movere.* Contra quod dicitur, Isa. XL, 12 : *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, hoc est, tribus adjutoriis sublevat onera infirmorum adhuc terrenorum, hoc est, compassione cordis, consolatione oris, et supportatione operis. Isti autem aggravant quotidie et deprimunt.

« *Et ipsi,* » per vos ipsos, « *uno digito vestro,* » hoc est, unius adjutorii demonstratione, « *non tangitis,* » nedum dicam quod sublevatis, « *sarcinas.* » Contra quod dicit Apostolus, ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* De istis dicitur, Amos, VI, 6 : *Optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

« Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos.

Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra. »

Secunda maledictio est de hoc quod ore laudabant Sanctos, et opere cum interfectoribus Sanctorum conveniebant. Et ideo iterum reprehenduntur de crudelitate simul et avaritia. Sanctos enim laudabant propter oblationes et vota Sanctorum quæ accipiebant : cum tamen in persecutione Sanctorum vivorum convenirent cum occisoribus Sanctorum.

Dicit autem in hac maledictione duo. Primo enim ponit maledictionis interminationem, et secundo ponit causam.

De primo dicit sic : « *Væ vobis.* » Michææ, III, 9 et 10 : *Audite hoc, principes domus Jacob, et judices domus Israel : qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis : qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate.*

« Qui ædificatis monumenta Prophetarum, »

Solemni structura. Populus enim videns solemnitatem ædificationis, facilius inclinatur ad supplicationes, et ad vota, et oblationes. Accipiebant tamen auctoritatem hujus ædificationis, Isa. XI, 10, ubi dicitur : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* Et, I Machab. XIII, 27 et seq., ubi Simon supra sepulcra parentum et fratrum suorum structuram fecit solemnem. Et posuit in eis pyramides et naves, quæ longe a navigantibus mare videri possent. Nec reprehendit Dominus honestatem sepulturæ exhibitam Sanctis, sed intentionem : quia hoc causa avaritiæ fecerunt, et in vita occisoribus consenserunt. Genes. XXIII, 6 : *Domine, princeps Dei es apud nos : in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum.*

« Patres autem vestri. »

Unde non tantum hæreditatem terræ ad vos mittentes, sed etiam malitiæ. Exod. XX, 5 : *Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.*

Ezechiel. xvi, 3 et 4 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.*

« Occiderunt illos. »

Act. vii, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

Sed

« Profecto testificamini, »

Per hoc quod adhuc quæritis me interficere, et Apostolos, et eos qui testimonium de me perhibuerunt : sicut Joannes, et Zacharias, pater ejus. Sapient. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt malitiæ adversus parentes in interrogatione sua.* Testificantur enim per imitationem operum quod sunt filii homicidarum.

Et hoc est quod sequitur :

« Quod consentitis operibus patrum vestrorum. »

Joan. viii, 41 : *Vos facitis opera patris vestri.* Et, Infra, ℣. 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.*

Explanat autem quod dixerat :

« Quoniam quidem ipsi, »

Scilicet patres vestri, « *eos occiderunt.* » Et, ideo dicuntur, Matth. xxiii, 33, *serpentes, genimina viperarum* : quia sunt venenati venenatorum filii, ut dicit Chrysostomus.

« Vos autem ædificatis sepulcra eorum, »

Scilicet Prophetarum : dissimili quidem causa, sed pari malitia : quia avaritia est causa ædificationis : sed crudelitas causa interfectionis. Et ideo nec illi neque isti poterunt effugere a ventura ira. Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [1]. Et ita corde longe isti distabant a Prophetis. Isa. lxiii, 16 : *Abraham nescivit vos, et Israel ignoravit vos.* Job, v, 1 : *Voca si est qui tibi respondeat, et ad aliquem Sanctorum convertere.* Quasi dicat : Nullus te exaudit Sanctorum, quem non imitaris per effectum operum.

« Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident, et persequentur : 49

Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, 5

A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 5

Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. » 5

Hic confirmat quod dixit per auctoritatem Scripturarum.

Dicit ergo : « *Propterea,* » et sciatis vos maledictos, et condemnandos : « *et,* » hoc est, etiam « *sapientia Dei dixit.* » Sapientiam Dei dicere dicit, quod non in uno loco scriptum promulgat auctoritas.

Quod enim dicit : « *Mittam ad illos Prophetas,* » dicitur, Jerem. vii, 25 et 26 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens. Et non audierunt me, nec inclinaverunt aurem suam : sed induraverunt*

[1] Cf. Isa. xxix, 13.

cervicem suam, et pejus operati sunt quam patres eorum.

« *Et Apostolos,* » hoc est, nuntios. Jerem. VII, 13 : *Locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis : et vocavi vos, et non respondistis.* Hæc enim locutio facta est per Apostolos, hoc est, per nuntios.

« Et ex illis occident. »

Hoc dicitur, III Reg. XIX, 10 : *Domine, altaria tua suffoderunt, prophetas tuos occiderunt, et derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam.* Psal. LXXVIII, 3 : *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem : et non erat qui sepeliret.* In libro II Paralip. XXXIII, 1 et seq., dicitur quod Manasses replevit Jerusalem cruore innocentium usque ad os [1].

« *Et persequentur,* » sicut Eliam sunt persecuti. II ad Timoh. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*

« Ut inquiratur, etc. »

Ecce tangit pro tanto reatu condemnationem.

Quod autem dicit : « *Ut,* » non est causativum sed consecutivum : quia talis inquisitio sequitur tale peccatum, licet non faciant propter illud.

« *Inquiratur,* » hoc est, requiratur. Genes. IX, 5 : *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, et de manu hominis, de manu viri, et fratris ejus.* Bestias vocat quasi vastias dictas : viros autem ab animositate : et homines ab humo. Et ideo quocumque modo, sive in ira bestiali, sive pro humo, sive pro animositate sanguis Sanctorum effundatur, requiretur a Domino sanguis omnium Prophetarum. Apocal. VI, 19 : *Usquequo, Domine (sanctus et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra.*

« *Qui effusus est,* » tanquam profanus fuerit et immundus, « *a constitutione mundi,* » in quibus omnibus ipse Agnus Dei occisus est. Apocal. XIII, 8 : *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* Zachar. II, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

« *A generatione ista* » homicidarum, qui nequitias paternas hæreditate possederunt. Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens?* Et post, ℣. 20 : *Generatio enim perversa est, et infideles filii.* Psal. LXXVII, 8 : *Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.* Hæc est generatio viperarum. Luc. III, 7 : *Genimina viperarum.*

« A sanguine Abel, »

Quem primo hujus generationis pessimæ et viperæ occidit Cain, a quo generatio homicidarum incepit [2].

« *Usque ad sanguinem Zachariæ,* » qui fuit filius Joiadæ sacerdotis, quem Joas rex præcepit lapidari, II Paralip. XXIV, 20 et 21, ubi sic dicitur : *Spiritus Domini induit Zachariam, filium Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dicit eis : Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini.*

Et hoc est quod sequitur : « *Qui periit,* » lapidatus, « *inter altare* » holocaustorum, « *et ædem,* » hoc est, templum : quod inter ostium templi juxta vestibulum et altare lapidaverunt eum. Hic, Matth. XXIII, 35, dicitur fuisse *filius*

[1] Cf. IV Regum, XXIV, 4, de rege Joakim.

[2] Cf. Genes. IV, 8.

Barachiæ : licet Joiada vocaretur pater ejus vero nomine, tamen propter excellentem justitiam ejus vocatur Barachias, hoc est, *benedictus Domini.* Hos autem duos nominat : quia uterque causam sui martyrii non habuit nisi gratiam Domini. Abel quidem in signo, quia *respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus* [1]. Zacharias autem in verbo prophetiæ et prædicationis.

« Ita dico vobis. »

Assertio est. Quasi dicat : Vere dico vobis : cujus verba non excident. Marc. XIII, 31 : *Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt.*

« *Requirentur* » hæc omnia, « *ab hac* » pessimorum homicidarum « *generatione.* » Ezechiel. XVI, 3 : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan.* Isa. XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* Sapient. XII, 10 et 11 : *Naturalis est malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio.*

« Væ vobis Legisperitis. »

Isa. V, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Isa. XXIX, 15 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos, et quis novit nos ?*

Causam autem hujus maledictionis subjungit, dicens :

« Quia tulistis, »

Hoc est, de Scriptura abstulistis, « *clavem scientiæ,* » quæ est spiritualis intellectus : de qua dicitur, Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet et non erit qui aperiat.* Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Ibi Glossa : « Clavis una est, scientia judicandi. » Hanc clavem spiritualis intellectus abstulerunt Scribæ, dicentes Scripturam non nisi carnaliter esse intelligendam. II ad Corinth. III, 6 : *Littera occidit : spiritus autem vivificat,* hoc est, spiritualis intellectus.

« Ipsi non introistis »

In mysteria spiritualis intelligentiæ. Baruch, III, 14 : *Disce ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus.* Et post pauca, ℣. 15 : *Quis invenit locum ejus ? et quis intravit in thesauros ejus ?* Hac clave usus est Paulus, I ad Corinth. II, 10 : *Nobis autem relevavit Deus per Spiritum suum.* Et paulo post, ℣. 12 : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Et de hac eadem clave dicit, Ibidem, ℣. 15 : *Spiritualis homo judicat omnia : et ipse a nemine judicatur,* hoc est, intelligitur.

« *Ipsi non introistis,* » per spiritualem intellectum. Joan. V, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis et forsitan mihi : de me enim ille scripsit.* Ad Roman, X, 4 : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Et ad hunc finem isti non veniunt, quia per spiritum non intrant. Ostium enim est Christi veritas. Clavis autem, spiritualis intellectus. Ezechiel. I, 20 : Quocumque ibat spiritus impetus, illuc gradiebantur animalia sequentia spiritum. Et similiter rotæ duorum testamentorum : quia spiritus vitæ erat in rotis. Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Glossa, hoc est spiritualiter intellecta, vita sunt. Quod autem isti non intrant, significatum est, Genes. XXII, 5, ubi servi Abrahæ cum asino exspectabant, donec Patriarcha cum filio reverteretur ad eos.

[1] Genes. IV, 4.

Servi enim sunt serviliter in lege servientes : et asinus, sensus carnalis asininus. Sed filius, filialiter legem implens per spiritum : et hic non nisi in fine mundi revertetur ad istos.

« Et eos qui introibant, »

Hoc est, introire cœperant, per fidem spiritualis intellectus ad me venientes, « *prohibuistis.* » Hoc autem fecerunt, Joan. IX, 22 : *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur ipsum esse Christum, extra Synagogam fieret.*

Ista tria væ Dominus Legisperitis vel Scribis interminavit, juxta tria quæ sunt de officio Doctorum. Doctor enim aut consideratur ad hominem se habens : vel ad Deum cujus docet doctrinam. Si ad subditum quem docet : hoc est aut secundum facienda quæ docet, aut secundum intelligenda. Et secundum perversitatem primi actus accipitur primum væ : quia alligant onera gravia super humeros aliorum. Secundum autem perversitatem secundi actus accipitur væ tertium : quia docent et tollunt clavem veræ intelligentiæ : et sic destruunt ea quæ docere videbantur. Ad Galat. II, 18 : *Si hæc quæ destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.* In comparatione autem ad Deum, in docendo perverse accipitur væ secundum, quia pro pietate reverentiam debebant facere exhibere divinis, et ipsi fecerunt pro avaritia : nihil pietatis in se Deo, vel Sanctis exhibentes.

53 « Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et Legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis,

54 Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere ex ore ejus, ut accusarent eum. »

Ultima est clausula hujus doctrinæ, in qua ostenditur obstinatio Scribarum et Pharisæorum, qui neque rationibus instruebantur, neque instructionibus illuminabantur, neque promissionibus trahebantur, neque comminationibus terrebantur.

Et hoc est quod dicit : « *Cum hoc ad illos diceret* » convertendos. II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

« *Cœperunt,* » manifeste, ante enim fecerunt illud idem occulte, « *Pharisæi,* » de justitia suæ religionis præsumentes, « *et Scribæ,* » de falsi nominis scientia superbientes, « *graviter,* » cum clamore et tumultu, « *insistere,* » conclamando. Act. VII, 57 : *Impetum fecerunt unanimiter in eum.*

« *Et os ejus opprimere.* » Non manibus, sed interrumpentes verba ipsius, et non peraudientes eum. Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

« *De multis,* » quæ dicere volebat.

« Insidiantes ei, »

Ut perverterent verum verborum ejus intellectum. Psal. XCSEC. Hebr. 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Psal. XIII, 3 : *Linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum.* Venenum aspidum est, qui sicut surdus verba respondentis non audit, et tamen graviter insistit impugnando.

« *Et quærentes capere aliquid,* » ad reprehendendum, « *ex ore ejus.* » Job, VI, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id quod justum est, judicate.*

« Ut accusarent eum. »

Ecce mala intentio. Matth. XXII, 15 :

Consilium inierunt Pharisæi ut caperent Jesum in sermone. Matth. XII, 10 : *Interrogabant eum dicentes : Si licet sabbatis curare ? ut accusarent eum.* Unde etiam in Passione, Luc. XXIII, 10 : *Stabant autem Principes Sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum.*

Sic ergo terminatur pars in qua docet facienda.

CAPUT XII.

Cavendum docet a fermento Pharisæorum, et quod omne occultum detegetur : quis etiam timendus sit : de blasphemia in Spiritum sanctum : roborat Apostolos adversus persecutiones : non vult se immiscere in dividenda fratrum hæreditate : per parabolam divitis revocat ab avaritia, vetans sollicitum esse de victu et vestitu : hortaturque ut lumbi præcingantur : et quis sit fidelis aut infidelis dispensator : venit ut mittat ignem in terram et separationem : reprehendit quod tempus gratiæ non dijudicent : monet ut quisque conetur ab adversariis se liberare.

1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis .
2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur[2].
3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur : et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.
4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.
5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.
6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ?
7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos.
8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei[3] :
9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.
10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi[4] : ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.
11. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis.
12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.
13. Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem.
14. At ille dixit illi : Homo, quis me

[1] Matth. xvi, 6 ; Marc. viii, 15.
[2] Matth. x, 26 ; Marc. iv, 22.
[3] Matth. x, 32 ; Marc. viii, 38 ; II ad Timoth. ii, 12.
[4] Matth. xii, 32 ; Marc. iii, 29.

constituit judicem aut divisorem super vos?

15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.

16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit [1] :

17. Et cogitabat intra se, dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?

18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam : et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea.

19. Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt?

21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

22. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini [2].

23. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum.

24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum : et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis!

25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

27. Considerate lilia, quomodo crescunt : non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei!

29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis : et nolite in sublime tolli :

30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam [3]. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.

36. Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si

[1] Eccli. xi, 19.

[2] Psal. liv, 23; Matth. vi, 25; I Petr. v, 7.

[3] Matth. xix, 21; Matth. vi, 20.

sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam [1].

40. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet [2].

41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes?

42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet constituet illum.

45. Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire : et cœperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari :

46. Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis :

48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?

50. Baptismo autem habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur?

51. Putatis quia pacem veni dare in terram [3]? Non, dico vobis, sed separationem.

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres.

53. Dividentur : pater in filium et filius in patrem suum, mater in filiam et filia in matrem, socrus in nurum suam et nurus in socrum suam.

54. Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit : et ita fit.

55. Et cum austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit, et fit.

56. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare : hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est?

58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem [5], in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

[1] Matth. XXIV, 43.
[2] Apocal. XVI, 15.
[3] Matth. X, 34.
[4] Matth. XVI, 2.
[5] Matth. V, 25.

IN CAPUT XII LUCÆ

ENARRATIO.

« Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. »

Hic determinat a quibus cavendum est discipulis, qui sunt ordinis inferioris.

Tangit autem duo in capitulo isto : in quorum primo dicit a quibus vitiis præcipue est cavendum : in secundo autem ostendit qualiter quilibet sollicite parare se debeat ad Domini occursum.

In prima harum ostendit qualiter cavendum est a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis eorum cum avaritia : in secunda autem ostendit qualiter cavendum est ab omni avaritia.

Adhuc in prima harum duo facit : in quorum primo docet cavere fermentum Pharisæorum : in secundo autem nihil esse timendum, quamvis Pharisæi multa contra eos attentent minis et consiliis eos ad mortem quærentes.

Adhuc in prima harum facit duo : in quorum prima occasionem accipit veniendi ad hanc doctrinam : in secunda autem ipsam ponit doctrinam cavendi a fermento Pharisæorum.

In prima harum facit duo : primo enim ostendit qualiter causa curiositatis, audiendæ disputationis, et videndi signa circumquaque turba affluxit : secundo autem qualiter curiosis neglectis solos discipulos docuit.

Dicit igitur :

« Multis autem turbis, »

Quæ turbatæ fuerunt multitudines, « *circumstantibus,* » quia inquieta curiositas sedere nescit quiescendo, sed strepitum facit circumstando. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« *Ita ut se invicem conculcarent,* » eo quod quilibet volebat esse propinquior ad audiendum et videndum curiosa. Isti sunt de quibus dicitur, II ad Timoth. IV, 3 et 4 : *Ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent.*

Et hoc est quod sequitur :

« Cœpit dicere. »

Dicit autem : « *Cœpit,* » quia ante hoc talia non dixit : quia et ipsi malitiam suam non detexerant. Sed postquam dona gratiarum et virtutum Beelzebub attribuerant, tunc cavendum fuit discipulis. Et ideo dicit : « *Cœpit dicere ad discipulos suos,* » qui Doctores veritatis et pietatis esse debebant. Matth. V, 2, et Luc. VI, 20 : *Ipse elevatis oculis in discipulos,* docebat eos. Illi enim meruerunt qui vestigia ejus secuti sunt. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Isa. VIII, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.*

« Attendite. »

Hic cautelas docet discipulos, dicens : « *Attendite* » diligenter, et cavete. Proverb. I, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti autem scientia et intellectus.* Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Matth. X, 17 : *Cavete autem ab hominibus.*

Dicit autem duo : excitat enim attentionem discipulorum, et ostendit doctrinam.

Per hoc quod dicit : « *Attendite*, » excitat attentionem : quod non ideo facit, quod multum difficile sit quod docet : sed ideo quia est valde utile Doctoribus veritatis, qui verbo et exemplo fundare debebant Ecclesiam : quia illi debebant esse lucidæ veritatis et eminentis sanctitatis. Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

Doctrinam autem ponens, dicit :

« A fermento Pharisæorum. »

Et dicit duo : a quo in doctrina cavendum, et secundo dicit qualiter sincere est proponendum.

De primo dicit : « *A fermento Pharisæorum.* » Fermentum est quidem simile conspersioni, sive pastæ : et tamen est pastæ corruptio. Adhuc autem fermentum, ut dicit Philosophus, spiritualiter se diffundit per totum sibi conjunctum, et in suam corruptionem convertit. Et his duabus proprietatibus hæresis vocatur *fermentum*. Verba hæreticorum similia sunt verbis fidei, et sunt corruptio fidei. I ad Corinth. v, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* De secunda proprietate dicitur, I ad Corinth. v, 6, et ad Galat. v, 9 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Fermentum autem Pharisæorum est hæresis, eorum hypocrisi ad decipiendum conformata. I ad Timoth. I, 2 : *In hypocrisi loquentium mendacium.* Fuit autem ista hæresis, legem esse secundum litteram et non secundum spiritum intelligendam, traditiones antiquorum plusquam Dei esse venerandas, manum coram hominibus et non coram Deo esse cohibendam, beatificare Prophetas, et Dominum Prophetarum cum discipulis esse persequendum : et hujusmodi.

Super Matthæum, XVI, 6, notavimus etiam de fermento Sadducæorum, et de fermento Herodis quod ponitur in Marco, VIII, 15 [1]. Sed hic non facit mentionem nisi de fermento Pharisæorum, quod est hoc quod dictum est.

Hoc enim est in se corruptum, et alia corrumpens. I ad Timoth. VI, 21, homines corrupta mente *circa fidem exciderunt.* De secundo, Osee, VII, 4 : *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* II ad Timoth. II, 17 : *Sermo eorum ut cancer serpit.* Et ideo dicit Apostolus, I ad Corinth. v, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* Et post pauca, ℣. 8 : *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Et hæc est causa, quod tales omnes ab Ecclesia præcisi sunt per anathema conciliorum. Ad Titum, III, 10 et 11 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita : sciens quod subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

Explanat autem fermentum, dicens :

« Quod est hypocrisis. »

Quia omnis hæresis hypocrisi confirmatur. Est autem *hypocrisis* dupliciter : per simulationem veritatis in sermone, et per simulationem virtutis in opere. Unde simulat veritatem in sermone, cum dicat mendacium. Isa. IX, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Jerem. v, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis : et populus meus dilexit talia.*

De simulatione virtutis dicitur, Job, XXXIX, 13 : *Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris.* Struthio est hypocrita, cujus simulata virtus extra est similis pennis virtutum herodii, hoc est, contemplativi viri qui incircumscri-

[1] Cf. Enarrationes B. Alberti in Matth. XVI, 6. Tom. XX hujusce novæ editionis. Cf. etiam enarrationes in Marcum, VIII, 15. Tom. XXI ejusdem editionis.

pti lumen adspicit : et pennis virtutum accipitris, hoc est, boni activi, qui volantes aves vanitatum Domino capit. Et quamvis pennæ ejus similes sint pennis nobilium avium, tamen per eas nec in altum volat contemplandæ veritatis, sicut herodius : nec animas capit verbo prædicationis, sicut accipiter.

2 Nihil enim opertum est, quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur.

3 Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur : et quod in aurem loculi estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. »

Hic determinat qualiter sincere verbum Dei est proponendum.

De hoc autem dicit tres rationes : quarum prima sumitur ab ipsa verbi veritate et communitate : secunda autem est antipophora contra id quod posset objici, ex timore retrahente a manifesta prædicatione : tertia etiam est antipophora per hoc quod possit a simplicibus objici de ignorantia.

De primo dicit quatuor, quæ per ordinem in littera continentur : quorum primum est, quod Evangelium prædicandum non est opertum : secundum, quod non est absconditum : tertium autem, quod in lumine est prædicandum : quartum vero, quod est exaltandum et publicandum.

De primo dicit : « *Nihil enim est,* » de sacramentis, « *opertum,* » hoc est, de sacramentis meis, et fide, et verbo prædicationis « *nihil est,* » de natura sua, « *opertum,* » sub mensura aliqua cooperiendum : sicut turpia, vel quæ propter lucrum docentur. II ad Corinth. IV, 3 : Evangelium nostrum non est opertum, *quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum.*

Dicit autem duo circa Evangelium prædicandum : opertum,et absconditum. Quibus duo respondent per contrarium : revelatio videlicet, et scientia. Et utriusque subjungit causam : quia quæ dicta in tenebris, erunt in lumine : et audita in aure, prædicabuntur publice.

Est autem Evangelium opertum ex nobis, et absconditum ex causa suiipsius ad nos comparata.

Ex nobis autem est opertum tribus operimentis : operimento carnalis intellectus, operimento humani vel mundani timoris, et operimento excæcationis infidelitatis.

De primo operimento dicitur, II ad Corinth. III, 15 : *Velamen positum est super cor eorum.* Et hoc est velamen Moysi, quod posuit supra faciem suam, quando descendit ad filios Israel [1]. Hoc autem velamen et operimentum aufertur per spiritualem intellectum. II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est.* Et secundum hoc est sensus : Habete fiduciam prædicandæ veritatis : non enim semper erit opertum Evangelium a vobis, sed cognoscetis per Spiritum veritatem manifestam, et tunc prædicabitis. II ad Corinth. III, 18 : *Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

De operimento humani timoris dicitur, Genes. VII, 19 : *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes,* hoc est, timore persecutionis, *sub universo cœlo.* Hoc operimentum ita operuit Petrum, quod negavit cognitionem veritatis. Revelatur autem hoc operimentum per duo : per induitionem Spiritus ad robur, et per veritatis victoriam. De primo dicitur, Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* De se-

[1] Cf. Exod. XXXIV, 33.

cundo dicitur, III Esdræ, III, 12 : *Super omnia vincit veritas. Veritas vincit, et invalescit.* Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Et secundum hoc est sensus : Confidite prædicando : quia quamvis timor operiat in vobis Evangelium, dabitur vobis Spiritus ad robur. Et tunc, I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ut dicatis id Actuum, IV, 20 : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Et sic prædicatione vestra revelabitur omnibus Evangelium. II ad Corinth. IV, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu*, qui est imago Dei invisibilis. Et iste erit fructus vestræ prædicationis.

De tertio operimento dicitur in Psalmo CVIII, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua*, hoc est, sicut dupla veste confusione cæcitatis suæ : quia infideles sunt contra fidem, et mali contra virtutem. Hoc operimentum revelabitur, quando in die judicii, vel per signa ante judicium, convincetur infidelitatis peccatum. Joan. XVI, 8 et 9 : *Ille arguet mundum de peccato,... quia non crediderunt in me.* De revelatione autem judicii dicitur, I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Unde tunc dicent infideles, vel convicti per signa, vel convicti luce judicii, illud Sapientiæ, V, 4 : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam.* Et tunc est sensus : Nihil est modo opertum de Evangelio per infidelitatem Judæorum vel Gentium, quod non reveletur per attestationem signorum, et ostensionem veritatis in judicio. Et ideo confidenter prædicate : quia licet modo vobis fiat confusio ab infidelibus, tamen postea ista confusio convertetur in honorem. Psal. VIII, 6 et 7 : *Gloria et honore coronasti eum*, Domine, *et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Isa. IV, 4 : *Non confunderis, neque erubesces : non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris.*

Sic ergo dictum est, quod « *nihil opertum est, quod non reveletur.* »

« Neque absconditum, quod non sciatur. »

Est autem absconditum, quod sua luce nostrum excellit intellectum. Job, XXXVII, 19 : *Ostende nobis quid dicamus illi : nos quippe involvimur tenebris.* Istæ autem tenebræ, in quibus involvitur oculus nostri intellectus in convictione divini luminis, sicut involvitur oculus materialis in intuitu solis in rota. Et quia sic clara sunt divina, ideo necesse est quod nobis sint metaphoris et allegoriis velata. Et hæc vocantur *mystica*, sive occulta et abscondita. Matth. XIII, 35 : *Eructabo abscondita a constitutione mundi.* I ad Corinth. II, 7 et 8 : *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est,... quam nemo principum hujus sæculi cognovit.*

Est autem ista absconsio tribus modis, scilicet, excellentia suæ lucis, allegoria absconditæ veritatis, mysterio occultationis.

De primo dicitur, Eccli. XLIII, 3 et 4 : *In meridiano sol exurit terram :.... et refulgens radiis suis obcæcat oculos.* Sol liquidæ veritatis in meridiano suæ altitudinis et manifestationis, exurit calore suæ charitatis terram, hoc est, affectum terrenorum : refulgens claro lumine Trinitatis et unitatis obcæcat oculos mortalium, quia tenebris involvuntur ad luminis excussum. Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

De occulto allegoriarum dicitur, I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* In præsenti enim nostro intellectui, quia accipit cum continuo et tempore, ut dicit Dionysius, impossibile

est lucere divinum radium nisi velaminibus sacris circumvelatum.

Tertium autem mysterium sive occultum est in his quæ dicuntur proprie : sed de Deo non nisi secundum ablationem et eminentiam intelliguntur : ut vita, intellectus, substantia, et scientia, et hujusmodi : quæ de Deo magis proprie quam de inferioribus dicuntur. Cum enim Deus dicitur *substantia,* intelligitur quod non est substantia secundum quod apud nos substantia vocatur, sed super omnem substantiam. Est hoc est quod dicitur : *Qui sedes super Cherubim* [1], hoc est, omnem scientiæ plenitudinem.

Sic igitur tripliciter absconditum scitur.

Primum enim absconditum scitur per confortationem, et illuminationem intellectus. Psal. CXXXVIII, 12 : *Nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Michææ, VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Sic Moyses noster ingressus in caliginem [2], id est, intellectus illuminationem. Et secundum hoc sensus est : Non timeatis de prædicatione veritatis, quia quamvis excedat vires vestræ intelligentiæ, tamen confortabitur vobis intellectus, et tunc scientur a vobis quæ modo vos excedunt. Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.*

Secundo autem modo quod absconditum est scietur, quando tolletur dispensatio similitudinum, et proverbiorum, et nuda se manifestabit veritas. Et est sensus litteræ : Confidenter prædicate : quia aliquando sine metaphoris et similitudinibus veritas se vobis manifestabit. Joan. XVI, 29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.* Joan. XVI, 25 : *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.*

Tertium absconditum scietur, quando id quod nunc mysticum est, in luce clara videbitur. Et hoc maxime in patria. Per raptum etiam aliquando et quibusdam paucis in via. Psal. XXXV, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.* Psal. LXXXVIII, 16 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* Et tunc sensus est : Non vos terreat occultum veritatis quam jam dico prædicandam : quia quamvis modo abscondita sit, tamen aliquando in lumine apparebit vobis : et tunc scietis omnia quæ vobis modo occulta esse videntur. Job, XXVIII, 11 : *Profunda fluviorum scrutata est, et abscondita in lucem produxit.* I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Nec absconditum, quod non sciatur.* »

« Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. »

Hujus autem manifestationis subjungit causam, et tangit duo : unum quod est ex parte nostra, et alterum quod est ex parte Evangelii.

Ex parte nostra, sive discipulorum est quod dicit : « *Quoniam quæ in tenebris,* « hoc est, in tenebroso intellectu, « *dixistis,* » discendo, « *in lumine,* » hoc est, in illuminato, « *dicentur,* » intellectu prædicando et docendo. Eccli. XXIV, 44 et 45 : *Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum,... et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Michææ, VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Psal. CXXXVIII, 12 : *Nox sicut dies illuminabitur.* Et, ℣. 11 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis.*

Alterum autem ponit ex parte revelationis Evangelii. Hoc enim est in aure,

[1] Psal. LXXIX, 2.

[2] Cf. Exod. XIX, 18.

hoc est, in susurro occultæ contemplationis et revelationis audiri.

Et hoc est :

« Quod in aurem, »

Hoc est, in susurrum auris, « *locuti estis*, » mecum tractando. Job, IV, 12 : *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* III Reg. XIX, 12 : *Sibilus auræ tenuis, ibi Dominus.*

« *In cubiculis*, » hoc est, in conscientiarum secretis. Matth. VI, 6 : *Tu, cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Isa. XXVI, 20 : *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te.*

« *Prædicabitur*, » publice coram omnibus, « *in tectis.* » Loquitur ad modum Palæstinæ, in qua tecta plana sunt : et ibi propter aerem confluere homines consueverunt. In terris enim calidis propter radiorum reflexionem circa terram est combustio, et loca combusta et calefacta ad sedendum : et aer combustus et fœtore combustionis respersus, et ideo homines in eo manere non possunt. Sed in locis altioribus sincerior et temperatior est aer, sicut in tectis : et ideo tecta plana faciunt. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Matth. X, 27 : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Isa. XXII, 1 et 2 : *Quidnam tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta ? Clamoris plena, urbs frequens, civitas exsultans.* Hoc enim admirative dictum est, quando Isaias in spiritu vidit concursum omnium in publico ad prædicationem Apostolorum. In tecta enim Ecclesiæ ascendere, est ad publicum altæ prædicationis concurrere, ad serenum lumen scientiæ divinæ. Isa. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.*

« Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.

Ostendam autem vobis quem timeatis : timere eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. » 5

Antipophora est tacitæ objectionis. Quia possent dicere : Quid est quod dicis ? Si publice prædicaverimus, hostes tui occident nos. Et ideo ad hanc objectionem respondens excludit timorem.

Et ponit de hoc quatuor rationes quarum prima sumitur penes hoc, quod timor pœnæ hominum dimittendus est, propter timorem pœnarum quas infligit Deus. Secunda sumitur penes considerationem providentiæ : apud quam homo persecutor, etiam minimas partes tollere non potest quæ non restituantur. Tertia sumitur in comparatione honoris futuri, qui exhibebitur confitentibus. Quarta autem inducitur penes irremissibilitatem peccati et reatus, in quæ incidunt scienter blasphemantes.

In prima dicit duo : ponit enim persuasionem contra timorem humanum et mundanum : secundo, ostendit qualiter magnipendendus est timor divinus.

In primo autem adhuc duo dicit : persuadet enim homines non esse timendos : et secundo, adjungit rationem, quia parum nocere possunt.

In prima notantur tria, scilicet, quam fideliter persuadet quod dicit, et quid suadet, et nocumentum quod homo persecutor inferre poterit.

De primo dicit :

« Dico autem vobis »

Fiducialiter ego qui sum veritas. I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus, et rectus.*

« *Amicis meis*, » a quibus nihil abs-

condo. Joan. xv, 15 : *Vos autem dixi amicos : quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Unde si scirem vobis imminere periculum, ego vos præmunirem.

« Ne terreamini. »

Isa. li, 12 : *Quis tu ut timeres ab homine mortali?* I Machab. ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.*

« *Ab his qui occidunt,* » hoc est, occidere possunt, « *corpus,* » vita naturæ privantes.

Sed contra. Mortis periculum est, quod cadere potest in quemlibet constantem virum.

Sed ad hoc dicendum est, quod hoc verum est civiliter et respectu boni civilis. Sed in comparatione ad veritatem vitæ dimittendam, vel veritatem doctrinæ negandam : non est aliquod periculum quod cadat in constantem virum : quia, sicut dicit Philosophus, mors talis, est bono viro tali salute eligentior. Tales enim sunt de quibus dicitur, Job, iii, 21 et 22 : *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* Habent enim tales mortem in desiderio, et vitam in patientia. Ad Philip. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Isti enim Dei testes per quorum morte magnificatur Christus, sunt qui insultant morti. I ad Corinth. xv, 55 : *Ubi est mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* Ad Philip. i, 21 : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

« *Et,* » et hoc est, quia

« Post hæc non habent amplius quid faciant. »

Et est ratio ejus quod inductum est de morte non timenda : quia animæ nihil facere possunt : quia, Sapient. iii, 1 et seq., dicitur : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori :... illi autem sunt in pace.* Et, ibidem, ℣. 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Unde cantantes dicunt martyres in Psalmo cxxiii, 7 : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* II Machab. vii, 9 : *Tu quidem, scelestissime, in præsenti vita nos perdis : sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* In epistola Jeremiæ : *Ne ergo timueritis eos*[1].

« Ostendam autem vobis. »

Per comparationem persuadet Deum esse timendum.

Et hoc est quod dicit : « *Ostendam,* » per rationem et per signa, « *quem timeatis,* » cujus manum nec vivi nec mortui potestis effugere. Psal. cxxxviii, 7 : *Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Sapient. xvi, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.*

« *Timete eum,* » Deum scilicet. Psal. xxxiii, 10 : *Timete Dominum, omnes Sancti ejus.*

« *Qui postquam occiderit,* » supple, corpus, « *habet potestatem,* » etiam animam « *mittere in gehennam.* »

Hieronymus dicit quod hoc nomen *gehenna* non legitur in veteribus libris, sed a Domino est inventum et positum. Erat autem quædam vallis juxta Jerusalem, quæ dicebatur Topheth a suo possessore, qui Topheth appellabatur. Et hic fuit filius cujusdam, qui dicebatur Ennom. Jerem. xix, 6 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et non vocabitur amplius locus iste Topheth, neque Vallis*

[1] Baruch, vi, 22.

filii Emmom, sed vocabitur Vallis occisionis. Quia enim in valle illa sacrificabant filios suos et filias in igne, ideo per similitudinem ignis qui jugiter ibi erat, a nomine primi possessoris qui talem ignem ibi incendit, nomen inferni *gehennam* Dominus appellavit. Isa. xxx, 33, denominatur a filio, qui patrem in igne idololatriæ imitatus est : ubi sic dicitur : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Sed, Ezechiel. xxxix, 11, vocatur *poliandrum*, hoc est, sepulcrum multitudinis : quia propter peccatum idololatriæ, multi ibi occisi sunt, quos ignis inferni sicut carbones quosdam attraxit in voraginem inferni. Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram cum germine suo.* Hæc est igitur causa nominis.

« Ita dico vobis. »

Assertio est adhibita rationi. Ad Roman. iii, 5 : *Numquid iniquus est Deus qui infert iram?* Et, ante, ℣. 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.*

« Hunc timete. »

Tribus de causis : una quia habet potestatem, quæ semper est per justitiam ordinata. Ad Roman. xiii, 2 : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Qui enim justæ potestati resistit, non timendo eam, eo ipso damnationem acquirit, faciendo contra justitiam.

Secunda ratio est : quia cum potestatem habeat, indissimulatum statim exsequitur judicium. Isa. xvi, 5 : *Velociter reddens quod justum est.* Sapient. xviii, 16 : *Insimulatum imperium tuum portans.* Psal. ii, 9 : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.*

Tertia ratio est : quia implacabilis est et inflexibilis prece vel pretio. Psal. lxxiv, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Proverb. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ,... nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Hunc ergo timete. Psal. ii, 11 : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.*

« Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ?

Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. »

Secunda ratio est sumpta ab ordine providentiæ, quæ talis est, quod etiam minima sine rationis ordine perire non sinit.

Dicit autem tria : primum a minori præmittit, quod minima, et non sancta, non rationabilia non pereunt nisi per ordinem providentiæ. Secundo, quasi inferendo ostendit, quod apud providentiam eamdem, etiam minimæ partes corporum Sanctorum sunt multo magis ad consecutionem salutis numeratæ, et perire non sinuntur. Tertio autem, rationem hujus consecutionis subjungit, quæ est hæc, quod minima pars corporis cujuslibet Sancti, multis talibus pretiosior est apud Deum.

Et hoc est quod dicit : « *Nonne quinque passeres veneunt dipondio ?* Passer, et quælibet avis parvula, parvi valoris *passer* vocatur. Dipondius autem est pondus duorum assium. As autem primum est in ponderibus, quo nullum est minus : sicut pondus grani tritici, vel hordei.

Dicitur autem, Matth. x, 29 : *Nonne duo passeres asse veneunt.* Et sic dipondio deberet vendi quatuor passeres, et non quinque. Sed ad hoc dicendum, quod as plus valebat quam duo passeres.

Sed quia unus passer propter parvitatem dividi non poterat, ideo quando singulariter emebantur, duo asse venumdabantur. Quando autem plures emebantur simul, tunc quinque vendebantur duobus assibus. Et hoc est dipondius, sicut hic dicit, ex duobus primis ponderibus compositus. Vendebantur autem in cibum hujusmodi aves minutæ, et in sacrificium. Erat enim sacrificium pro leproso mundato passer [1].

Et hoc est quod dicit : « *Nonne quinque passeres veneunt*, » hoc est, venduntur, « *dipondio*, » quod est valde parvo pretio ? « *et* » tamen « *unus ex illis*, » parvi pretii volucribus, « *non est in oblivione apud Deum*. » Dicit autem *in oblivione* : quia constat, quod sui recordabatur quando fecit : et cujus tunc recordationem habuit ut faceret, non est oblitus adhibendo providentiæ curam, ut maneret, et salvaretur in esse.

Sed contra hoc videtur esse hoc quod dicitur, I ad Corinth. IX, 9 : *Numquid de bobus cura est Deo ?* Sed ad hoc dicit Augustinus, quod duplex est cura, scilicet, salutis in esse : et cura ordinis vitæ per legum positionem ad fructum vitæ æternæ. Et primam curam habet Deus de omnibus suis creaturis, Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona*, hoc est, ut dicit Glossa, quod oculo beneplaciti vidit ut faceret : oculo ejusdem beneplaciti vidit, et providit ut manerent. Secundam autem curam non habet nisi de homine, cui leges posuit ad capescendum fructum vitæ æternæ. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus*. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.*

« Sed et capilli, etc. »

Illatio est : quia si de minimis curam habet : quod minus videtur : ergo de magnis. Igitur non tantum caput, et manus, et nobilia membra vestra, sed etiam « *capilli capitis vestri*, » quæ minimæ partes sunt, et minus vitam animæ participantes, « *omnes*, » per singula, « *numerati sunt*, » ne subtrahi possint ab ordine providentiæ. Psal. CXLVI, 5 : *Sapientiæ ejus non est numerus.*

Attende autem, quod capilli capitis, sicut dicit Avicenna, sunt ad decorem dati a natura, et ad cerebri salvationem. Alii autem capilli sub ascellis et inguinibus, sunt solum ad evaporationem superfluitatis : et ideo illi qui sunt in capite, quantum sufficit decori humano, sunt de humanæ naturæ veritate. Et illi tantum conservantur de istis a cura providentiæ, quantum decori sufficit, ad demonstrationem sapientiæ ornantis opus suum. Immensitas abrasorum capillorum non conservatur. Et quia capilli capitis, ut diximus, sunt ad decorem et non alii, ideo dicit : *Capilli capitis vestri omnes sunt numerati.* Quidquid enim pertinet ad decorem et incorruptionem, erit in corporibus gloriosis. I ad Corinth. XV, 52 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, hoc est, quod Spiritus dedit Sanctis quod membra corruptibilia contemnerent, ut incorruptibilia possiderent. II Machab. VII, 10 et 11 : *Linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait : E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio : quoniam ab ipso me ea recepturum spero.*

« Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. »

Tertium est in quo dicit rationem consecutionis. Et ideo repetit : « *Nolite ergo timere*, » conjunctionem rationalem sive illativam interponens. Tales enim timeri non possunt, nisi timore mundano vel humano. Quia etiam tales

[1] Levit. XIV, 49.

quando mortem inferunt, transitoria mors est, et hæc lucratur vitam æternam : et est ostium vitæ. II ad Corinth. IV, 17 et 18 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

« Multis passeribus pluris estis vos. »

Pluris pretii : et ideo non est dubitandum, neque timendum de hujusmodi. Rationes multas similes ponit, Matth. VI, 30 : *Si fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicæ fidei?* Matth. XII, 12 : *Quanto magis melior est homo ove.*

« Dico autem, vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei :

Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. »

Tertia ratio est sumpta per comparationem honoris quem habebit confitens.

Et habet duo : comparationem ad honorem confitentis, et comparationem ad confusionem quam habebit is qui negaverit.

De primo dicit : « *Dico autem vobis,* » certitudinaliter asserendo. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.*

« *Omnis quicumque.* » Ad Roman. III, 22 : *Non enim est distinctio.* Job, III, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.*

« *Confessus fuerit me,* » confessione fidei et veritatis in judicio et prædicatione. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.*

« *Coram hominibus,* » indifferenter coram hominibus. Tob. XII, 6 : *Coram omnibus viventibus confitemini illi.* Psal. CVIII, 30 : *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum.* Eccli. LI, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.*

« *Confitebor et ego eum*[1], » confessione laudis, « *coram Patre meo,* » coram quo non laudatur nisi laude dignus, « *qui in cœlis est,* » ubi laus tuta est, et non marcescit, I ad Corinth. IV, 5 : *Tunc laus erit unicuiquique a Deo.* Psal. XCV, 6 : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.* Joan. XII, 26 : *Honorificabit eum Pater meus,* qui in cœlis est.

« Qui autem negaverit me coram hominibus. »

Per oppositum est comparatio ad oppositum. Negatur autem aliquando Christus timore : sicut Petrus eum negavit[2]. Aliquando autem negatur facto suo, sive opere ab eo qui illectus est concupiscentia. Isa. XIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me : cor autem ejus longe est a me.* Jerem. XXII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant : cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.*

[1] Hæc verba sunt Matthæi, X, 32 : *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Lucas vero habet, ut patet hic : *Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.*

[2] Cf. Matth. XXVI, 70 et seq.

« Negabitur coram Angelis Dei. »

Ubi denegatio, duplex est confusio : quia et a conscientia confundetur, et exterius ab Angelis confusio testificabitur. Psal. CVIII, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.* Matth. VII, 23 : *Confitebor illis : Quia numquam novi vos.* II ad Timoth. II, 12 : *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Luc. XI, 26 : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum,*

10 « Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. »

Hic incipit quarta ratio contra linguas blasphemantium : quia Christus sine blasphemia negari non poterit.

Dicit autem duo : primum quidem ostendit remissibile esse peccatum, dictum ex ignorantia contra Christum, ab his qui ex infirmitate carnis tegente deitatem, aliquid contra Christum dixerint. Secundo autem, ostendit hoc irremissibile, quod dicitur ex certa malitia contra Spiritum deitatis ejus ab his, quibus ipse Spiritus per signa jam innotuit.

De primo ergo dicit : « *Omnis* » igitur ignorans, « *qui dicit verbum* » blasphemiæ, « *in Filium hominis,* » quem propter nubem carnis Deum esse non credit. Unde etiam, Joan., I, 46 et seq., secundum Chrysostomum laudatur Nathanael quia non cito credidit, dicens : *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Qui enim non videt nisi Filium hominis, non potest statim scire esse Deum. Et ideo illi quibus non innotuit Christi divinitas per signa vel Scripturam (sicut simplicibus) forte ex ignorantia vel infirmitate in Christo apparente, dixerunt aliquid, et fecerunt contra Filium hominis. Et hoc peccatum pallium habuit excusationem. Et quoad hoc habuit causam facilioris veniæ : quæ dicitur remissibilitas in peccante, et circumstantia inclinans ad remissionem. Act. III, 15, 17, 19 : *Auctorem vitæ interfecistis... Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis... Pœnitemini igitur et convertimini, ut deleantur vobis peccata vestra.* Causa autem hujus est quod dicitur, Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* I ad Corinth. II, 8 : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* I ad Timoth. I, 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci.* Isti ergo dicunt aliquid contra Filium hominis : et ideo peccatum eorum habet aliquid excusationis a tanto, quamvis non a toto. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Act. VII, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum,* quia nesciunt quid faciunt.

« Ei autem, »

Scilicet malitioso, « *qui in Spiritum sanctum,* » hoc est, contra Spiritum sanctum, « *blasphemaverit.* »

Blasphemia enim est impositio falsi criminis in Deum. Blasphemat autem aliquis dupliciter : aut quando Deo aufert quod suum est, et attribuit alteri : aut quando imponit ei quod suum non est. Sicut agnoscens veritatem et potentiam (qui fieri non potest nisi a judicio Spiritus sancti) et attribuit illam diabolo : vel dicit eam Dei non esse, cum conscientia convincatur, quod non nisi Dei est. Dicit autem non cogente aliquo, sed ex certa malitia, illa Dei non esse : non tantum impugnat hominem, cujus hæc esse non possunt in quantum homo est : sed impugnat Spiritum sanctum, cujus illa esse cognoscit. Sicut Judæi Pharisæi, et Scribæ, quando expulsionem dæmonum attribuerunt principi dæmoniorum Beelzebub.

Et hoc modo dicit hic : *Qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur* » ei. Causam quare Deus inclinetur ad remissionem non habet. I Joan. v, 16 : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis :* quia non est dignus ut aliquis roget pro eo. I Reg. xvi, 1 : *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Jerem. xi, 14 : *Noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem et orationem : quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me.* II Mach. ix, 13 : *Orabat scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.*

Dicitur enim peccatum veniale sive remissibile tribus modis : ex genere scilicet, et ex causa, et ex eventu. *Ex genere* quidem, quando secundum totum genus suum veniale est, sive remissibile : sicut otiosum verbum, vel factum : quod caret quidem ratione justæ necessitatis, aut piæ utilitatis : et tamen fit sine nocumento, et contemptu, et libidine improba. *Ex causa* autem : sicut quando quidem in se est mortale : et tamen habet causam excusantem, et diminuentem reatum ipsius : sicut est id quod per ignorantiam fit, vel magnæ tentationis infirmitate. *Ex eventu* autem remissibile sive veniale est : quod fuit quidem mortale quando factum est : sed per eventum pœnitentiæ et confessionis sequentem, factum est venia dignum et remissibile. Et hoc modo omne peccatum est venia dignum, si sequatur ipsum confessio et pœnitentia.

Secundo autem modo peccatum in Spiritum sanctum, quod ex certa malitia fit, dicitur non remitti, hoc est, indignum remissione. Et hoc est quod hic dicitur : « *Non remittetur.* »

Quid autem sit peccare in Patrem, et quid peccare in Filium, et quot sint genere peccata in Spiritum sanctum, non est præsentis intentionis : sed hoc diximus quantum satis ad propositum videbatur super Matthæum, xii, 31 et seq. Et qui voluerit ibi requirat [1].

« Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 11

Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere. » 12

Istud est quintum quod dat fiduciam non timendi.

Dicit autem hic duo : interdicit enim confidere in humanis, quæ vana sunt : et docet confidere in Deo, qui non derelinquit de se præsumentes.

In primo dicit duo : causam quidem humani et naturalis timoris in idiotis, illitteratis, et simplicibus : et interdictum sollicitudinis.

De primo dicit : « *Cum autem inducent vos,* » captos, vel citatos, « *in synagogas,* » in quibus est multitudo convocata infidelium persequentium. Apoc. ii, 9 : *Se dicunt Judæos esse, et non sunt : sed sunt synagoga Satanæ.* Psal. xv, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« *Et ad magistratus* » principum, in quibus est consilium et regimen populi. I Esdræ, ix, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Jerem. v, 5 : *Optimates magis simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Daniel. xiii, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.*

« *Et potestates,* » qui in sublimibus sunt constituti. Synagoga enim vim

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangel. Matthæi, xii, 31 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis.

facit et fortitudinem ex multitudine : Magistratus ex consilio sapientiæ : Potestates autem ex assumpta auctoritate potestatis. Sapient. VI, 4 : *Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra.* Hoc impletum est, Act. V, 41, ubi *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

« Nolite solliciti esse. »

De duobus prohibet sollicitudinem, scilicet, de modo propositionis, et de materia dicendorum.

Modus notatur cum dicitur :

« Qualiter, »

Hoc est, quam ornate, aut quibus persuasionibus. I ad Corinth. II, 1 et 4 : *Veni ad vos non in sublimitate sermonis aut scientiæ, annuntians vobis testimonium Christi... Et sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus.* Isa. XXXIII, 19 : *Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis : ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.*

« Aut quid dicatis, »

Hoc est, de materia dicendorum. Psal. XCIII, 11 : *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Proverb. XII, 2 : *Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.* II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est.* Humanus enim animus in divinis nescit quid dicat.

« Spiritus enim sanctus. »

Causam dicit interdictæ sollicitudinis : quia Spiritus sanctus loquetur pro eis. Hic enim est de quo dicit, Joan. IX, 21 : *Ætatem habet, ipse de se loquatur.* Et ideo dicitur doctor *Paracletus*, hoc est, advocatus, quia et intus docet. Joan. XIV, 26 : *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Paracletus autem, quia et de simplicitate consolatur, et advocati fungitur officio pro eis apud alios. Joan. XIV, 16 : *Rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Hic autem accipitur dupliciter, scilicet, ad sanctificationem, Joan. XX, 22 et 23 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et accipitur ad robur, et ad doctrinam, et eloquentiam. Act. II, 3 et 4 : *Seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spirito sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Sic ergo Spiritum sanctum accepisse, didicisse est.

Et hoc est quod dicitur :

« *Spiritus enim sanctus docebit vos,* » per inspirationem internam. Ezechiel. XXXVI, 26 : *Spiritum novum ponam in medio vestri.* Job, XXXII, 8 : *Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Sicut enim spiritum litterati viri accipiens, scit quidquid scit ille vir litteratus : ita spiritum Dei in quo est omnis sapientia Dei accipiens, didicit quidquid est divinorum ad doctrinam quam docere vult pertinentium. I ad Corinth. II, 11 et seq. : *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso ? ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus : sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spi-*

ritualibus spiritualia comparantes. Et paulo ante, ℣. 10 : *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat.*

« In ipsa hora, »

Quia, sicut dicit Ambrosius in libro II in Lucam : « Nescit tarda rerum moli- « mina Spiritus sancti gratia. » Et ideo etiam cadens venit super eos quos imbuit. Act. X, 44 : *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.* Act. II, 2 : *Factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes.*

« Quid oporteat vos dicere. »

Non enim tantum dat notitiam, sed etiam modum propositionis : quia constanter, et spiritualiter, et in spiritus virtute ostendendo quod dicunt.

De primo horum, Act. IV, 13 : *Videntes Petri constantiam et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur.* II Paralip. XX, 17 : *Tantummodo confidenter state.* Ibi dicit translatio Septuaginta : « Constantes estote, *videbitis auxilium Domini super vos.*

De secundo, I ad Corinth. II, 13 : *In doctrina spiritus, spiritualia spiritualibus comparantes.*

De tertio dicitur, Luc. XXI, 15 : *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Unde, Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui qui loquebatur.*

« *Oporteat,* » hoc est, opem portet et profectum. Sic enim incitat Spiritus ad dicendum. Act. XVII, 16 : *Incitabatur spiritus Pauli in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.* Et ideo locutus est Atheniensibus. Job, XXXII, 18 et 20 : *Plenus sum sermonibus et coarctat me spiritus uteri mei :... loquar, et respirabo paululum.*

« *Vos dicere.* » Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiriritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* I ad Corinth. XIV, 2 : *Spiritus loquitur mysteria.* Ideo in figura linguarum ignearum apparuit super Apostolos [1],

Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.

« Ait autem ei quidam de turba. » **13**

Hic docet cavendum esse ab omni avaritia.

In hac autem parte facit tria : in quorum primo per similitudinem ab avaritia docet cavendum, rationem accipiens ab inutilitate divitiarum : in secundo, monet ad cavendam sollicitudinem rerum temporalium, accipiendo rationem a benignitate providentis : in tertio, ostendit iterum non debere sollicitum esse, eo quod præsentia contemnenda sunt ex magnitudine præmii promissi in futurum.

In primo horum duo facit : in quorum primo dicit factum, qualiter venit ad hanc doctrinam : in secundo autem ponit similitudinem pertinentem ad hanc admonitionem.

De primo horum dicit tria : in quorum primo dicit interpellationem cujusdam, ex avaritia interpellantis Christum pro divisione hæreditatis : secundo, dicit Christi responsionem avaritiam detestantis : tertio autem sumit doctrinæ hujus parabolam.

De primo dicit :

« *Ait ei quidam de turba.* » Turbatæ enim multitudinis iste fuit qui pro rebus temporalibus fecit Christo quæstionem, qui numquam nisi spiritualibus intendit, qui in omnibus spiritum intendere præ-

[1] Cf. Act. II, 3.

cepit. Joan. VI, 64 : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Ad Roman. VIII, 14 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Ad Galat. V, 16 : *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis.*

Post hanc quæstionem et non congruo tempore, cum de spiritualibus et contemptu temporalium ageretur, interserit. Eccli. XX, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.* Sed causa est, quam dicit Dominus, Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Iste enim quia in corde nihil habuit nisi divitias, ideo non putabat aliud esse quærendum : putans quod summum bonum essent divitiæ. Eccli. XXI, 29 : *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.*

« Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. »

Ecce hic ponitur interpellatio facta ad Christum pro hæreditate dividenda.

Dicit autem tria : professionem auctoritatis, scissionem fraternæ charitatis, et separationem communitatis.

De primo dicit : « *Magister.* » Non dicit, Domine, vel Rex : quia non volebat eum esse Dominum terrenorum, vel judicem : sed tantum Magistrum, hoc est, Jurisconsultum, qui ex consilio juris decerneret justum esse, quod hæreditas inter fratres esset dividenda. Et voluit quod sibi prodesset dictum Christi, si pro eo diceret : non autem obesse posset, si contra eum aliquid pronuntiaret. Sapient. XV, 12 : *Æstimaverunt... conversationem vitæ,* scilicet hominis, *compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Lucrari enim voluit iste in dicto Christi, et non perdere.

« Dic fratri meo, »

Cui me natura conjunxit, et ab illo separari debeo. Sicut autem ab uno fuerunt patre, et de una natura patris participaverunt ut essent, ita in communi jus hæreditatis possidere debuerunt. Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Eccle. IV, 9 : *Melius est esse duos simul quam unum : habent enim societatis suæ emolumentum.* Unde quos ex uno et in uno natura univit, non debebant petere divisionem. *Frater* enim communitatis et indivisionis nomen est : et scissuræ et divisionis (et maxime apud Christum) hanc interpellationem facere non debuit, qui venit ut faceret *utraque unum* [1]. Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.* I ad Corinth. X, 17 : *Unum corpus multi sumus,* scilicet in Christo. Potius debebat dicere cum Laban ad Jacob, Genes. XXIX, 14 : *Os meum es, et caro mea.* Et paulo post, ℣. 15 : *Num quia frater meus es, gratis servies mihi?* etc. Frater meus est : ego pascam eum. I ad Corinth. XIV, 33 : *Non est dissensionis Deus, sed pacis.*

« Ut dividat. »

Qui autem dividit, ab uno recedit, et alteritati et contrarietari appropinquat. Divisio enim ab uno semper est causa scissuræ. Joan. XIX, 24 : *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* I Reg. XV, 27 et 28, cum scidisset Saul oram pallii Samuelis, dixit Samuel : *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te.*

« Mecum hæreditatem. »

Hæreditas ab hærendo dicitur, quia ex uno hæret posteritati. Hanc communio-

[1] Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum,* etc.

nem omnibus dedit Deus indivisam. Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Hanc etiam Sancti in fraternitate spirituali communionem habuerunt. Actuum, IV, 32, 35 : *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat : sed erant illis omnia communia... Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Et ideo hæreditas non erat dividenda. Luc. XV, 12 et seq., ille etiam prodigus qui petebat portionem substantiæ quæ eum contingebat, et separari voluit a patre et fratre, non attendens naturalis communitatis et dilectionis vinculum, abiit in regionem longinquam, et consumpsit bona sua vivendo luxuriose cum meretricibus. Et ideo apud Dominum incongrua nimis erat ista interpellatio.

« At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos? »

Hæc est Christi, divisionem et temporalium dispositionem et avaritiam detestantis responsio.

Dicit autem duo : primo, notat hanc quæstionem ab humo et humi amore procedere : secundo, inducit se hoc per detestationem damnare.

De primo dicit :

« Homo. »

I ad Corinth. III, 3 : *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* Humum enim sapit, qui de terrenis sollicitatur. Psal. IV, 3 : *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* Seneca ad Lucilium : Quis divitiarum modus sit, quæritur? Responsio. Primo habere quod necesse est : secundo quod satis est. Nulli potest secura vita contingere, qui de providentia regiminis cogitat. Nullum bonum adjuvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Hic igitur qui ab unitate et communione recedere voluit, apud unitatis et communitatis auctorem hoc irrationabiliter proposuit : et ideo confutari meruit. Et hoc est quod dicitur : « *Homo,* »

« Quis me constituit, etc. »

Videtur Christus a Patre judex omnium esse constitutus. Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna.* Sed quia gratiæ intendit, ideo de temporalibus se non intromisit. I ad Corinth. VI, 4 : *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.*

« *Judicem* » temporalium, « *et divisorem,* » quid quemque contingat temporalis hæreditatis, « *super vos,* » qui spiritualibus intendo. I ad Corinth. IX, 25 : *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* I ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Unde etiam. Joan. VI, 15, cum quæreretur ad regnum, fugit et abscondit se. Et coram Pilato cum se regem profiteretur, statim intulit regnum suum de hoc mundo non esse [1]. Hoc est ergo quod dicit.

Pertinet tamen ad judicem spiritualem temporalium distributio, sed non in tempore quo spiritualibus est intendendum, et non nisi annexa sint spiritualibus, vel ad spiritualia sint ordinata. Sicut patet, Exod. XVIII, 14 et seq., in consilio Jethro. Et, Act. VI, 3 et 4, in decreto Petri. Ibi dicit : *Considerate, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero*

[1] Cf. Joan. XVIII, 36.

orationi et verbi ministerio instantes erimus.

15 « Dixitque ad illos : Videte, et cavere ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. »

Hoc est tertium, ubi ex dictis sumit doctrinæ occasionem de verbo, quo docet cavere ab omni avaritia : quia, sicut dicitur, Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.*

Et hoc est quod dicit : « *Videte.* »

Et tangit duo : admonitionem, et similitudinem, per quam probat admonitionem, esse convenientem.

Dicit autem circa primum duo, quorum primum est ipsa admonitio : secundum autem admonitionis causa.

Circa autem admonitionem duo dicit : ingeminat enim cautelam, et dicit de quo sit cavendum.

De cautela :

« Videte, et cavete. »

Dicit autem videndum et cavendum : et dicit videndum per experimentum, et cavendum per rationem. Matth. xxiv, 4 : *Videte ne quis vos seducat* ullo modo. De secundo dicitur, Matth. xvi, 6 : *Cavete a fermento Pharisæorum.* Cautela enim est per providentiam rationis evitatio et declinatio periculorum. Matth. x, 17 : *Cavete autem ab hominibus.* Proverb. i, 4 : *Ut detur parvulis astutia, adolescenti autem scientia et intellectus.*

« Ab omni avaritia. »

Quamvis enim avaritia sit in male acquirendo, et in male retinendo in genere : tamen multi sunt modi male acquirendi, et multi modi male retinendi.

Acquirendi autem male sunt duo modi, injuste acquisitum, et turpe lucrum.

Turpe autem lucrum est quando actio illicita est : et id quod acquiritur licitum : sicut lucrum ex meretricio, ex ludo, ex opere turpi sicut lenocinio, vel quando locatur domus meretricibus. Et in talibus quidem transfertur dominium : sed non potest inde fieri publice sacrificium, vel eleemosyna. In occulto tamen, ubi non est scandalum, opinor quod fieri potest. Genes. xxxviii, 23, dixit Judas de scorto, quæ tulerat armillam, et baculum pro arrhabone, et pretio coitus : *Habeat sibi, certe mendacii nos arguere non potest.* In ludo autem acquisitum retineri non potest : sed nec reddi est necessarium, sed in pios usus est erogandum.

Injuste autem acquisitum est fraudatum, furatum, raptum, mendacio vel deceptione acceptum. Nec dico ultra dimidium justi pretii : quia etiamsi centesimam vel millesimam fraudet, coram Deo restituere tenetur. Ezechiel. xviii, 8 : *Ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit.* Psal. xiv, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.* Qui enim furatur vel rapit invito Domino, contrectat rem alienam. Qui autem mutuat et præter sortem aliquid accipit ex pacto, usurarius est, et injusta lucra sectatur. Qui autem non ex pacto accipit munera, propter mutuum amplius accipit et munera, et hic etiam accipit lucrum illicitum. Eccli. x, 10 : *Hic enim*, scilicet avarus, *et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Isa. xxxiii, 15 : *Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere.*

In retinendo autem est avaritia, quando superfluum sibi retinet tempore necessitatis. Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munad sunt vobis.* I ad Joan. iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem ha-*

bere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ?

Hæc ergo et talis est omnis avaritia.

« Quia non in abundantia. »

Causam dicit quare non prodest avaritia : quia « *vita* » hominis perpetua « *non* » est « *in abundantia* » divitiarum « *cujusquam*, » sed potius vitæ æternæ impedimentum. Per divitias enim se redimere non potest. Proverb. VI, 35 : *Non suscipiet pro redemptione dona plurima.*

Et si objicitur contra hoc quod dicitur, Proverb. XIII, 8 : *Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* Dicendum, quod divitiæ non redimunt animam nisi temporaliter, hoc est, animalem vitam. Vel si redimunt animam, illæ non sunt male acquisitæ. Et ideo dicit, *divitiæ suæ*, sive propriæ, quæ expenduntur in eleemosynas. Daniel. IV, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

Sic ergo dicitur quod « *non est in abundantia cujusquam*, » qui confidit in abundantia, « *vita ejus est.* » Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Tempore ergo necessitatis divitiæ deficient. Psal. XXXIII, 11 : *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Sic ergo inutiles sunt ad redimendum, non durabiles ad permanendum, incertæ ad possidendum, mentientes ad sufficientiam promittendum.

« Ex his quæ possidet, »

Quæ tamen sunt certiora : quia possessio est pedum positio. Et si illa sunt incerta, nulla alia certa possunt esse. I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Quinimo sunt nocivæ. I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* Et ideo dicit Ambrosius, quod « rerum terrenarum facultates impedi- « verunt antiquos patres, quod non ex « toto converterent se ad Deum,» Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua, usquequo et aggravat contra se densum lutum ?*

Sicut autem abundantia divitiarum impedit, ita multos etiam impedit nimia paupertas. Proverb. XXX, 8 et 9 : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi :... ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.* Et ideo medium elegit Apostolus, I ad Timoth. VI, 7 et 8 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Et ideo etiam Dominus temperat locutionem, dicens : « *Quia non in abundantia est vita hominis.* » Abundantia enim impedit : sed facultates personæ congruentes et sufficientes conservant bonam vitam et nimia egestas contribulat eam, sicut dicit Philosophus : et nemo semper tribulatus potest bonam vitam ducere. Propter quod, ut dicit beatus Augustinus, « Dominus loculos secum habuit, « et secum provisores expensarum ire « fecit : ne semper sollicitudine in crasti- « num tribularentur discipuli. »

Hujus autem doctrinæ inducit parabolam. Et hoc est quod dicit :

« Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit : **16**

Et cogitabat intra se, dicens : Quid **17**

faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?

18 Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea.

19 Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. »

In hac autem similitudine exemplari ponit duo: similitudinem, et juxta similitudinem sumptam admonitionem.

In similitudine duo facit: abundantiam inutilem divitiarum exprimit, et ad vitam inutilitatem divitiarum ostendit.

In ostensione abundantiæ facit quatuor: ponit enim divitiarum abundantiam: secundo, ex hoc ostendit in divite multiplicatam angustiam: tertio, ponit consilium iniquitatis: et quarto, fructum voracitatis.

In primo horum duo sunt: primo enim præmittit Evangelista doctrinam istam esse exemplarem et similitudinariam, et secundo ponit doctrinam.

De primo dicit: « *Dixit autem similitudinem.* »

Utrum autem ita facta sit in re sicut dicitur, quærunt quidam. Et dicendum, quod in veritate sic factum est sicut dicitur: et puto quod tunc hoc famosum et notum fuit apud Judæos, et ideo in exemplum propositum. Proverb. I, 6: *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum.* Psal. LXXVII, 2: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Proverb. XXI, 11: *Mulctato pestilente sapientior erit parvulus.*

« *Ad illos,* » hoc est, ad utilitatem illorum. Ptolomæus Philosophus: « Qui « ad alium non corrigitur, alii corrigen- « tur ad ipsum. »

Et ideo ponitur hic in eorum exemplum.

« Hominis, »

Humum sapientis, qui vere de humo terræ factus fuit, nihil se esse cogitans nisi humum. I ad Corinth. XV, 48: *Qualis terrenus, tales et terreni.* Joan. III, 31: *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.* Job, IV, 19 et 20: *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea. Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.*

« Cujusdam. »

Qui nominatione dignus non erat: quia qui in terra nominari voluit, etiam in terra scribitur. Jerem. XVII, 13: *Recedentes a te in terra scribentur.* Psal. XLVIII, 12: *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Et ideo dicit Deus: *Non ero memor nominum eorum per labia mea.*

Ecce natura terrenus et actu, innominabilis erat.

« Divitis, »

Scilicet fortuna. IV Reg. V, 1: *Erat vir dives et fortis, sed leprosus.* Psal. LXI, 11: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Sapient. V, 8: *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?*

« Uberes fructus. »

Uberes, quia exuberabant. Psal. CXLIII, 13: *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Uberes* autem dicuntur, quia successivis et redivivis fructibus ultra sufficientiam omnem, reditus perpetuos exhibebant. Et hoc quidem terra non sibi facit, sed usibus colentium eam. Homo autem terrenus contra terræ intentionem, ista sibi soli vindicat. Psal. LXXXIV, 13: *Terra nostra dabit fructum suum.* Psal. CVI, 37: *Seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.*

« *Fructus* » autem dicitur a *fruor, eris*. Quia iste sicut pecus totam animam effudit ut his frueretur : et non adhibuit ea ad usum virtutis et meritorum, ut referret ex his vitam æternam. Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.*

« Ager. »

Ab *agendo* dicitur, quia actione in ipsum facta, semper redivivos producit fructus. Et ideo sollicitudinem a Domino ager tollit, quia semper sufficit : et liberalitatem docet, quia semper reddit beneficia. Sed homo irrationabilior insensibili elemento, hoc non recogitat quod terra liberalitate sua docet eum. Job, XII, 7 : *Interroga jumenta, et docebunt te : et volatilia cœli, et indicabunt tibi.*

« Attulit, »

Hoc est, ad usum vitæ obtulit. Genes. I, 28 : *Replete terram et subjicite eam.* Hic autem repleri a terra voluit, et subjici terræ quæsivit. Deuter. XXXIII, 28, de carnali populo dicitur : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.*

« Et cogitabat, etc. »

Ecce angustia suborta de divitiis, ut veræ spinæ dicantur[1].

Dicit autem duo : angustiam interiorem, et sollicitudinem.

Angustiam exprimit per signum, dicens.

« *Et cogitabat intra se,* » cogitare enim est coagitare, quando mens ex angustia fluctuat ignorans quid agat. Job, XX, 22 : *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.* Daniel. XIII, 22 : *Angustiæ sunt mihi undique*, et quid eligam ignoro.

« Dicens : Quid faciam ? »

Ecce sollicitudo. Vox enim miseri et in summa egestate et sollicitudine positi est : *Quid faciam ?* Luc. XVI, 3 : *Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem ?* Job, VII, 20 : *Quid faciam tibi, o custos hominum ?*

« Quia non habeo. »

Sufficientia receptacula, « *quo congregem fructus meos.* » Non cogitavit iste terram dare fructus nisi sibi : et ideo de pauperum ventribus non cogitavit : de quibus si cogitasset, sufficientia invenisset receptacula. Isa. XXIII, 18 : *Et erunt negotiationes ejus et mercedes ejus sanctificatæ Domino : non condentur neque reponentur, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducant in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Hoc autem non cogitabat iste. Et ideo est de illis de quibus dicitur, Jacob. V, 1 et seq. : *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum, et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.*

« Et dixit. »

Ecce consilium iniquitatis ab avaritia inventum. »

« *Hoc faciam,* » quod ab iniquitate docente inveni. Job, XV, 5 : *Docuit iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium.* Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent laboraverunt.*

[1] Cf. Matth. XIII, 22.

« Destruam horrea mea. »

Glossa : Hæc est ex sollicitudine istius deliberatio. Horrea parva vel magua proportionatorum receptaculorum ad divitias ducunt capacitatem : et ideo sufficientia fuerunt. Tob. v, 25 : *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus.* Iste autem qui non posuit finem divitiarum, non quanto majora horrea sufficiant dicit : sed majora et majora usque in infinitum facere intendit. Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Iste est infernus qui omnes absorbet, et numquam repletur. Isa. v, 14 : *Dilatavit infernus animam suam absque ullo termino.*

Et hoc est quod addit :

« Et majora horum faciam. »

Et non dicit quanto majora. Eccli. xiv, 9 : *Insatiabilis oculus cupidi.* Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.*

« Et illuc congregabo, »

Ut simul congesta potius putrefiant quam pauperibus erogentur.

« *Omnia quæ nata sunt mihi.* » Stultus est : quia si nata sunt, iterum renascentur, et ideo congregare non oportuit ei. Eccle. v, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ congregatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.*

« Et bona mea. »

Et hoc verum dixisti : quia hæc sola bona sunt quæ a Domino recipies. Luc. xvi, 25 : *Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Job, xxi, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Bona ergo tua congrega, quoniam vera bona nulla prorsus habebis. Congrega autem in malum tuum. Genes. xxv, 6 : *Filiis concubinarum largitus est munera.*

« Et dicam animæ meæ. »

Ecce ingluvies voracitatis gastrimargiæ, hoc est, ventris insaniæ.

Notantur autem hic tria : brutalitas ejus qui dixit, sufficientia abundantiæ in omne futurum, et resolutio carnalitatis.

Brutalitas notatur in hoc quod dicit : « *Dicam animæ meæ.* » Putabat enim iste animam corporalibus indigere, quia in brutum conversus erat : cum potius anima gratiis, virtutibus, et scientiis esset nutrienda. Daniel. iv, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.* Psal. xlviii, 21 : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Matth. vi, 25 : *Anima plus est quam esca.* Non enim animæ, sed ventri esca debetur. I ad Corinth. vi, 13 : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc, et has destruet.*

« Anima, habes multa bona. »

Ecce abundantia sufficiens in omne futurum. Et hoc est quod dicit : « *Posita in annos plnrimos.* » Ambrosius in Glossa : « Non sunt hominum bona, quæ secum auferre non possunt. Sola misericordia comes est defunctorum. Apocal. xiv, 13 : *Opera illorum sequuntur illos.* » Hic autem credebat omne bonum esse in abundantia temporalium. Non credidit iste quod dicitur in Psalmo xxxiii, 11 : *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Sed hoc est quod dicitur, I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.*

« Requiesce. »

Ecce resolutio : cum, sicut dicitur, Job, v, 7 : *Homo nascitur ad laborem*, quiescere resolutus cogitavit. Contra quod dicitur, Proverb. vi, 3 et 4 : *Discurre, festina...,ne dederis somnum oculis tuis.* Psal. cxxxi, 4 et 5 : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino.*

« Comede, et bibe. »

Deliciis carnalibus indulge. Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Sapient. ii, 7 : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis.*

« Epulare. »

Hoc sonat in delicias et abundantiam. Luc. xvi, 19 : *Epulabatur quotidie splendide.* Magnus enim apparatus est in epulis. II Petr. ii, 13 : *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis*, etc.

« Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? »

Ecce exitus miserabilis incerti divitiarum et deliciarum.

Et hoc est quod dicit : « *Deus dixit illi.* » De quo dicit Job, xiv, 5 : *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

« Stulte. »

Stultus est superbus, qui de contingentibus futuris nihil providet. Sicut et insipiens est, qui suiipsius nescit quantitatem : vel qui ignorat seipsum. Et ideo nisi stultus esset, de incerto futuro statu suo consideraret et ordinaret : et certum præponeret incerto. Certum enim est nos morituros, sed incerta est hora mortis, et locus, et modus. Et ideo sapiens hæc omnia præordinat, et semper eum mors paratum inveniet. Stultus autem est, qui nihil horum facit.

Stultus enim a stolido dictus est, qui nihil sentit nisi præsens. Contra quod dicitur, II ad Corinth. iv, 18 : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Job, v, 3 : *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Deuter. xxxii, 28 et 29 : *Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent.* Sicut enim dicit Glossa, « Iste gratias agere Deo debebat, quia non circuibat per ostia : et stultus putabat esse securus in omne futurum. » Deuter. xxxi, 6 : *Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens ?*

«Hac n »

Hoc est, hora tenebrosa et improvisa. Matth.xxv,6 : *Media nocte clamor factus est.* Matth. xxiv, 44 : *Qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* I ad Thessal. v, 3 : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

« Animam tuam, »

Quam putabas a bruto non differre, quia est immortalis anima. Psal. xxxviii, 7 : *Verumtamen in imagine pertransit homo.*

« Repetent a te, »

Scilicet tortores, ministri justitiæ divinæ sive exactores, ut dicit Glossa : quia exigunt quæcumque donata sunt ad rationem reddendam, et quæcumque fecit homo ad pœnam luendam. Job,xx, 18 : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur :*

juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit.

« Quæ autem parasti, »

In longum futurum, « *cujus erunt ?* » Quasi dicat : Ad te de cætero non pertinebunt, neque scis ad cujus manus devolventur. Psal. xxxvi, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat : quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Job, xx, 6 et 7 : *Si caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Eccli. v, 10 : *Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt in die obductionis et vindictæ.* Eccle. v, 15 et 16 : *Quid prodest ei quod laboravit in ventum ? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumna, atque tristitia.* Job, xxvii, 8 : *Quæ est spes hypocritæ,si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus ?* Et post modicum, ℣. 16 et 17 : *Si comportaverit quasi terram argentum, et sicut lutum præparaverit vestimenta : præparabit quidem, sed justus vestietur illis, et argentum innocens dividet.* Quia ille dum viveret, nec justum voluit vestire, nec cum innocentibus argentum dividere.

21 « Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. »

Hic incipit doctrina juxta similitudinem istam introducta.

Dicitur autem *sibi thesaurizans*,qui ad præsens hoc vitæ istius, thesauros suos et lucra congregat, et per eleemosynam in cœlo non reponit. Baruch, iii, 18 et 19 : *Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum. Qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum illorum. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Luc. xii, 22 : *Mortuus est autem et dives, et sepultus est inferno.*

« Et non est in Deum dives. »

Quia si divitias in pios usus erogaret, in Deum dives esset. II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Tunc enim aliæ divitiæ non proderunt. Psal. cxi, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Si autem non est in Deum dives, tunc fiet hoc quod dicitur, Job, xx, 15 : *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Ad tantam enim egestatem in inferno devenit dives epulo, quod guttam parvam aquæ petiit, et non obtinuit [1].

« Dixitque ad discipulos suos : Ideo 22
dico vobis : nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. »

Hæc est doctrina juxta similitudinem inductam accepta, de mundano timore et sollicitudine dimittendis.

Dicit autem duo : in quorum primo sollicitudinem removet : in secundo autem ostendit quid sollicite est requirendum, quia regnum Dei.

In primo horum sunt quinque paragraphi : in quorum primo dicit pro temporalibus non esse sollicitandum : quia ea ad quæ ista referuntur, hoc est, corpus et anima, majora sunt his : et ideo pro eis non sunt periculo committenda. In secundo autem dicit hoc idem a consideratione providentiæ divinæ, quæ providet corvis, et vilibus animalibus : cum major sit ei cura de Sanctis. In tertio, suadet hoc idem ab inutilitate sollicitudinis : quia nihil potest adjicere ad vitam super id quod Deus disposuit. In

[1] Cf. Luc. xvi, 24 et 25.

quarto, hoc idem suadet a consideratione pulchrorum florum agri, quos Deus vestit : cum minor sit ei cura de talibus quam de Sanctis. In quinto, suadet hoc idem : quia talis sollicitudo infidelium est, spem æternæ vitæ non habentium, a quibus debemus esse distincti : cum Pater noster cœlestis de talibus sit sollicitus pro nobis.

In primo horum tria dicit : præmittit enim quorum proprie est hæc doctrina, quia discipulorum : secundo, exprimit modum et speciem interdictæ sollicitudinis : et tertio, dicit rationem inhibitionis.

Dicit ergo :

« *Dixitque*, » ex similitudine inducta, « *ad discipulos suos*, » qui præcipue in sermonibus suis et exemplis manere debebant. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem.* Hi sunt quibus tanta cura debuit esse verbi Dei, ut temporalium obliviscerentur. Ad Philip. III, 7 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.* Et, ibidem. ℣℣. 13 et 14 : *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium*, etc.

His ergo talibus quibus tanta cura et instantia incumbebat prædicationis, quod sollicitudine temporalium revocari non debuerunt, dicit : « *Ideo dico vobis*, » quos in officio prædicationis constituo. Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

« Nolite solliciti esse, »

Ne propter sollicitudinem ab executione officii vobis injuncti retrahamini.

Sciendum quod est multiplex sollicitudo. Quædam enim est improba cura providentiæ acquirendi vel conservandi bona temporalia sive in corpore, sive in his quæ pertinent ad corpus. Et hæc vocatur a Sanctis *sollicitudo suffocans* : quia stringit vel exstinguit vitalem spiritum Dei, ne spiret ad Deum in cognitione et amore, et ne moveatur obediendo ut peragatur injunctum officium sicut spiritus suffocatus. Et de hoc dicitur, Matth. XIII, 22, quod a curis et sollicitudinibus suffocatur Dei verbum, et non refert fructum. Et hæc discipulis interdicitur : quia impedit verbi prædicandi officicium. Est enim mala talis sollicitudo.

Et quamvis sit multiplex ista sollicitudo, sicut omne peccatum in multitudine consistit, tamen in quinque modis frequentius invenitur. Retrahit enim a bono, et retinet in malo sollicitudo peccandi : maxime in venereis, quæ ligant et suffocant mentem. Daniel. XIII, 11 et 12 : *Volentes concumbere cum Susanna, observabant quotidie sollicitius videre eam.* Secundus modus est angustia improba occupationis circa amicos sæculares. Sapient. XIV, 17 : *Imaginem regis quem honorare volebant, fecerunt, ut illum qui aberat, tamquam præsentem colerent sua sollicitudine.* Per modum enim idololatriæ colit amicos qui eos Deo et divinis præponit. Tertius modus est improba et inquieta cura divitias conservandi : sicut dicitur, Matth. XIII, 22 : *Sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Quartus modus est improba cura et labor divitias acquirendi. Eccle. II, 26 : *Peccatori autem dedit Deus afflictionem et curam superfluam, ut addat, et congreget, et tradat ei qui placuit Deo : sed et hoc vanitas est et cassa sollicitudo mentis.* Quintus modus est improba cura curiositatum : impedientia officium vel præceptum verbi injunctum. Eccle. II, 21 : *Cum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit. Et hoc ergo vanitas et magnum malum.*

Istæ sollicitudines malæ sunt et inter-

dictæ : quia istæ sunt improbæ curæ suffocantes vitalem verbi Dei spiritum.

Est autem alia sollicitudo non improba, sed ordinata cura necessariorum ad vitam. Et hæc est tolerabilis et indulta : quia sine ista non subsistit præsens vita, quæ solatiis indiget necessariorum. Et hæc etiam habet, ut in pluribus, quinque modos. Est enim aliquando cura necessariæ dispensationis secundum ministerium domus. Luc. x, 41 et 42 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium.* Secundus modus est cura moderata, ordinata, de salute conjunctorum sanguine vel amicitia. Tob. x, 1 : *Cum moras faceret Tobias causa nuptiarum, sollicitus erat pater ejus, dicens : Putas quare moratur filius meus ?* Tertius modus est cura moderata cautelæ ab hominibus ignotis. Tob. v, 18 : *Ne sollicitum te reddam*, scilicet de filio tuo, *ego sum Ananias, Azariæ magni filius.* Quartus modus est cura moderata exigentiæ vinculi matrimonialis. I ad Corinth. vii, 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori.* Quintus modus est cura rationabilis rei familiaris ad usum vitæ concessæ. I Reg. ix, 20 : *De asinis quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt.*

Ista quintuplex sollicitudo indulta est. Sed non sic quod per eam impediri debeat officium verbi injunctum : quinimo si injuncto præponuntur officio, improbe efficiuntur.

Est autem adhuc miserabilis sollicitudo, sine qua hæc ærumnis plena vita esse non potest. Et hæc quamvis infinitos habeat modos, tamen tres modos frequentius habet. Primus modus est cura nimia laboris instantis. Eccle. ii, 18 et 19 : *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi et sollicitus fui : et est quidquam tam vanum ?* Secundus modus est passionis ultra vires affligentis. I Machab. vi, 10 et 11 : *Recessit somnus ab oculis meis, et concidi, et corrui corde præ sollicitudine, et dixi in corde meo : in quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ.* Tertius modus est cura multa diffidentiæ de malis insidiantibus nobis. Jerem. xxxviii, 19 : *Dixit rex Sedecias ad Jeremiam : Sollicitus sum propter Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos : ne forte tradar in manus eorum et illudant mihi.*

Isti modi sollicitudinum sunt huic vitæ annexi : sed non propter eos est dimittendum aliquid quod sit de obedientia vel veritate vitæ. Quia hic esset timor mundanus vel humanus, quem Dominus præcipit deponere.

Alia quædam est optima sollicitudo spiritum vitalem nec stringens, nec suffocans, sed dilatans, et auras sancti Spiritus ingerens. Et hæc est quæ est in præcepto. Et hæc etiam est multiplex : tamen ut frequentius est quatuor modis. Est enim sollicitudo providendi subditis, quæ incumbit Prælatis. Ad Roman. xii, 8 : *Qui præest in sollicitudine.* II ad Corinth. xi, 28 : *Mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Secundus modus est sollicitudo obediendi. Et hæc incumbit subditis. Josue, xxiii, 6 : *Estote solliciti ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* Tertius modus sollicitudinis est sollicitudo retinendi pacem cum omnibus quantum in nobis est. Ad Ephes. iv, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo paci.* Ad Roman. xii, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Quartus modus est sollicitudo sive cura et fervor proficiendi continuis incrementis ad meliora. Et hoc est dupliciter : per declinationem scilicet a malo, et per inclinantia ad bonum. De primo dicitur, Deuter. iv, 15 et 16 : *Custodite sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio*

ignis,ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem. Sollicitudo autem quæ est profectus ad bonum, illa est duplex secundum ordinem ad verum in intellectu, et secundum ordinem ad bonum in affectu. De primo dicitur, Deuter. IV, 9 : *Custodi teipsum et animam tuam sollicite. Ne obliviscaris verborum quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.* De secundo modo dicitur, ad Roman. XII, 11 : *Sollicitudine non pigri. Spiritu ferventes : Domino servientes.* De utroque modo simul dicitur, Michææ, VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: Utique facere justitiam, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

Ex hoc patet quæ, et qualiter, et propter quæ sollicitudo præcipiatur, quæ humanæ infirmitati indulgeatur, quæ dispensationi familiæ concedatur, et quæ interdicatur.

Et hoc est quod dicit : « *Nolite solliciti esse.*

Et determinat partes sollicitudinis, dicens :

« Animæ vestræ quid manducetis. »

Anima autem hic dicitur animalis vita quæ cibis est sustentanda. Et dicitur *anima* ab animalitate : quia hæc animalis vita talibus indiget solatiis. Et propter illam nutriendam aut sustentandam non debet homo retrahi ab officio prædicationis injuncto, maxime cum tanta est necessitas sicut fuit cum primum incepit Ecclesia. Taliter enim solliciti sunt de quibus dicitur, ad Roman. XVI, 18 : *Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Ad Philip. III, 19 : *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Et hoc est quod dixit supra, non esse portandam peram in via.

Dicit autem : « *Quid manducetis,* » nihil tangens de poculento. Quia potus non desideratur nisi propter cibum : eo quod potus est cibi vehiculum. Et ideo in esca intelligitur potus.

« Neque corpori vestro. »

Secunda pars est illius sollicitudinis : quia indumentum debetur corpori ad fovendum calorem naturalem ab impugnantibus extrinsecus. Et de his duobus dicitur, I ad Timoth. VI, 8 : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

Et hoc est quod dicit :

« Quid induamini. »

De his duobus piger volens fugere obedientiam prædicationis, sollicitus est.Isa. III, 7 : *In domo mea non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me principem populi.* Et præmisit quod non est medicus. Quasi dicat : Non sum medicus animarum, nec volo subire jugum obedientiæ prædicandi : sed volo esse sollicitus qualiter abundet panis in domo, et vestimentum ad tegumentum et ornatum corporis.

« Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. » 23

Hic elicit rationem. Quia enim anima plus est quam esca, patet quod esca quæritur propter animam : et eadem ratione corpus plus est quam vestimentum. Corpus autem et anima sunt ad Deo obediendum. Indignius autem propter dignius est semper postponendum. Ergo si sollicitudo cibi et vestimenti retrahant ab obedientia Dei, sollicitudo talis est abjicienda. Eccle. XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.* Et hoc est quod dicit in tali

casu Psalmista, Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

Et hoc est quod dicit : « *Et corpus,* » quod ad obediendum Deo ordinatur, « *plus* » est « *quam vestimentum.* » I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. XXXIX, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper*: *Dominus sollicitus est mei.*

24 « Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum : et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis!

25 Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?

26 Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis ? »

Ecce secunda consideratio persuadens non esse sollicitandum.

Ponit autem primo similitudinis considerationem, et secundo elicit persuasionis rationem.

In primo inducit duo : avem scilicet considerandam, et quid in ea considerandum sit.

De ave dicit :

« Considerate corvos. »

Corvus quidem nitentis nigredinis, et magnæ voracitatis, et (sicut dicunt fabulæ) magnæ gloriositatis : et cum ad omnia hæc sollicitudo exigatur, sua voce omnia differt in crastinum, et omnia sua procrastinat, et omnia quibus indiget Deo committit, et a Deo expostulat : et tamen cum hoc de sibi necessario aliis communicat, in torrentibus residet, damnatos lacerat, etc.

Per nigredinem quidem significat Prædicatorum humiliationem exteriorem. Cantic. I, 4 : *Nigra sum, sed formosa.* Nigra quidem tribulationis humiliatione, formosa autem virtutis nitore. Cantic. v, 11 : *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Comæ* capitis, Apostoli et discipuli Christo adhærentes. *Sicut elatæ palmarum,* late et fructuose et victoriose prædicantes ramum. *Nigræ* persecutionis humiliatione. *Quasi corvus* crocitatione sermonis. Et hæc est convenientia prima Prædicatoris ad corvum.

In secundo autem (quod est quia magnæ est voracitatis) convenit in proposito : quia cum multis indigeat, pauca vel nulla sollicitudine providet in futurum. Dei ergo ministri non multis indigentes sollicitudinem deponant. De hac voracitate dicitur, Genes. VIII, 7, quod corvus emissus de arca requievit in cadavere.

Magnæ autem est gloriæ. Propter quod dicit Æsopus quod cum in multis gloriari posset, quod scilicet Apollini erat consecratus, quod unguibus fortis, quod alis extensus : ne in gloria vocis deficere videretur, os ingens ad cantandum aperuit, et offam carnis amisit. Hujus signum est quod dicit Virgilius, quod serena diligit, ita quod etiam in tempestate ad proprium nidum et pullos non revertitur: quia gloriæ pulchritudinis suæ est nimis curiosus. Et hoc significat in Prædicatore quod pulchritudinem famæ et virtutis custodiat studiose. Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis,* sive prædicationis, *studium habentes.*

Quod autem sua voce omnia differt in crastinum, significat quod hoc præsens omne despicit et non attendit : sicut et Prædicator facere debet, respiciens ad crastinum vitæ futuræ. Sophon. II, 14 : *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari.*

Quod autem a Deo postulat corvus et Deo committat omnia, Prædicatori præcipue convenit per devotionem et respectum quem debet habere ad Deum et fi-

duciam. Job, XXXVIII, 41 : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quod non habeant cibos ?* Psal. CXLVI, 9 : *Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.*

In hoc autem quod de sibi necessario aliis communicat, significat ministrorum Dei largitatem : quibus dicitur, Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Et hujus signum est, quod corvi licet fortes sint, alias aves a cibis non prohibent. III Reg. XVII, 4 : *Corvis præcepi ut pascant te.* Et ideo dicitur ibidem, quod corvi paverunt Eliam : ferentes ei carnes et panes mane, et carnes et panes vespere.

Quod autem in torrentibus residet, ideo est, quia torrens frequenter trahit animalium cadavera. Et ita Prædicator in torrente tribulationis residere debet : quia ibi invenit escam spiritualem. Homo enim in tribulatione positus, sæpius cogitat de conversione. Psal. CIX, 7 : *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

Hic etiam corvus lacerat cadavera damnatorum : et hoc significat, quod Prædicator lacerat comminationibus et terroribus eos qui sunt damnandi. Proverb. XXX, 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Pater enim Deus subsannatur, quando Pater cœlestis per peccatum provocatur. Partus autem matris Ecclesiæ provocatur, quando proximo malum datur exemplum. Corvi autem sunt Prædicatores suffodientes per incussionem timoris. Et filii aquilæ sunt filii Christi, qui tales verbo Prædicationis sibi incorporant. Et quia sic lacerat cadavera corvus, ideo dicitur fœtidi esse anhelitus : quia auræ Prædicatoris horridæ sunt sæcularibus et carnalibus hominibus. Job, XIX, 17 : *Halitum meum exhorruit uxor mea.*

Dicitur etiam de corvo, quod oscu-

lando coeat, quod semen per os emittat et ova, quod si ova sua coquantur, quod lapidem inveniat quem inter ova ponat et ova in pristinum statum reducat. Sed experimento didici hæc esse falsa : et ideo de talibus non curo.

Istæ ergo sunt causæ quare inter aves accipit a corvis similitudinem. Ab avibus autem et non a natatilibus, vel gressibilibus, vel reptilibus sumit similitudinem : quia avium cibus longe lateque dispersus est : propter quod etiam natura dedit eis pennas ad volandum ut cito pergant ad omnem locum cibi sui. Et in pennis illis conveniunt cum Sanctis, qui pennati pennis virtutum, volant late ad cibum divinæ consolationis colligendum. Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ?* Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* Alia autem animalia de prope colligunt cibum : et tamen alia animalia magis sollicita sunt quam volatilia. Quia gressibilia congregant et reptilia : natatilia autem frigida sunt et diu abstinentia, et ideo congregatione non indigent. Volatilia autem respectu sui corporis et multi cibi sunt, et nullius sollicitudinis : et ideo sumit exemplum ab illis. Unde, Matth. VI, 26, dicitur : *Respicite volatilia cœli.*

Tangit autem partes sollicitudinis dupliciter : in laborando, et in reservando.

In laborando quidem dupliciter : seminando, et metendo.

Seminatio enim labor est ad nativitatis fructum excolendum : messio autem est ad eumdem fructum colligendum.

Dicit ergo :

« Quia non seminant, »

Ad multiplicandum nativitatis fructum qui sæpe fallit. Aggæi, I, 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum.* Habacuc, III, 17 : *Mentietur opus olivæ : et arva non afferent cibum.* De seminatione spirituali dicitur, II ad Corinth. IX, 6 : *Qui semi-*

nat in benedictionibus, de benedictionibus et metet, scilicet vitam æternam. Et ideo seminatione carnali non est multum curandum.

« *Neque metunt*, » ad colligendum. Matth. VI, 26 : *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cœlestis pascit ea.*

« Quibus non est cellarium neque horreum. »

Tangit partem sollicitudinis quæ ad reservandum est. Esculentum et poculentum præparatum usibus hominum reservatur in cellariis, hoc est, in cellis a celando dictis. Granum autem in aristis non paratum, sed tantum messum reservatur in horreis.

Neutram autem sollicitudinum istarum habent aves.

« Et Deus pascit illos. »

Deus Pater providens eis escas. Psal. CXLIV, 15 : *Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno.* Item, Psalmo eodem, ℣. 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Job, XXXVI, 31 : *Per hæc judicat populos, et dat escas multis mortalibus.*

Videte autem,

« Quanto magis vos, »

Qui præfertis imaginem Patris cœlestis,et ejus perficitis ut filii obedientiæ voluntatem et beneplacitum Patris, « *pluris* » pretii apud Patrem cœlestem, « *estis illis*, » scilicet corvis et volatilibus. Psal. LXXVII, 19 et 20 : *Male locuti sunt de Deo : dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?... Numquid et panem poterit dare aut parare mensam populo suo ?* Hujus signum est quod manna cibus cœlestis secutus est populum in deserto, et aquæ dulcissimæ ad potandum, et vestimentum non est inveteratum, et calceamenta non sunt attrita. Et non est minoris potentiæ vel minoris scientiæ in providendo, vel minoris voluntatis ad ministros Novi Testamenti quam ad Veteris Testamenti populum semper rebellem et incredulium. Isa. LIX, 1 : *Ecce non est abbreviata manus Domini,ut salvare nequeat:neque aggravata est auris ejus,ut non exaudiat.*

Videtur autem non esse completum quod dicit in discipulis : nam Apostolus, I ad Corinth. IV, 11 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Ad Hebr. XI, 37 et 38 : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus.*

Ad hoc dicendum, quod in veritate sollicitudo suffocans, sicut dictum est, inhibita est : sed labor providentiæ exercendus. Laborem autem voco opus militiæ Christianæ deserviens : sicut Augustinus dicit in libro de *Operibus Monachorum :* Opus autem militiæ Christianæ aut est spirituale, aut corporale. Spirituale quidem, sicut prædicatio fidei et fundatio Ecclesiæ et hujusmodi. Corporale autem, sicut arare, vineas plantare, et hujusmodi. Si autem est spirituale, est eorum qui missi sunt ad Evangelium prædicandum : et istis debetur sustentatio. Tamen tempore fundationis Ecclesiæ non dabatur aliquando, et tunc operabantur manibus suis ne impedimentum darent Evangelio. Si autem omnino deficiat in procurando omne consilium humanum, quod vix fieri potest : tunc pro certo habeo quod quocumque modo providebit Deus. Et si non faceret, esset hoc dandum dispositioni divinæ : quia tunc aut fame tali purgaret peccata, aut exerceret virtutem ad patientiam, aut forte juste condemnaret eos qui ministris Dei alimenta subtraherent : quod tamen non legimus accidisse. Quia et Eliam paverunt corvi [1],

[1] Cf. III Reg. XVII, 6.

et centum prophetas pavit Abdias in speeubus [1]. Et Angeli paverunt Magdalenam, et patres in Ægypto. Et cum esuriret Salvator, accesserunt Angeli, et ministrabant ei [2]. Et quod fecerunt in capite, parati sunt facere in membris, si sit necesse. Et per quadraginta annos pavit Deus Angelorum esca populum suum in deserto. Sapient. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Psal. XXXVI, 25 : *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Et si objicitur de illo verbo Jeremiæ, Thren. II, 12 : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ?... cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum ?* Et infra, ℣. 19 : *Qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Dicendum, quod hic fuit pœna infidelis populi et non servorum Dei. De hoc tamen multa dicta sunt, Matth. VI, 26 et seq. : et quando illa conjunguntur his quæ hic dicuntur, melius intelligitur locus iste .

« Quis autem vestrum cogitando, etc. »

Ecce tertia consideratio : quia talis etiam sollicitudo qua propter temporalia dimittuntur spiritualia, non prodest. Detur enim quod temporalia tali procurentur sollicitudine, tunc consequens est quod ad profectum corporis et incrementum procurantur. Sed profectus corporis et incrementum non proveniunt nisi virtute Patris cœlestis : sicut dicitur, I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.*

Et hoc est quod dicit : « *Quis autem vestrum cogitando,* » per sollicitudinem suæ cogitationis, « *potest,* » naturali vel animali potestate, « *adjicere,* » augendo, « *ad staturam suam,* » quam terminis suis limitavit Deus, « *cubitum unum,* » in latum, vel in longum, vel in profundum per quæcumque adminicula temporalium, ex sollicitudine acquisitorum propter corporis sui profectum. Quasi dicat : Nullus. Quia hoc non est in nobis, sed in virtute Patris cœlestis. II Machab. VII, 22 et 23 : *Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.*

« Si ergo neque quod minimum est, »

In potentia, « *potestis,* » quia unumquodque deberet plus nosse in naturaliter sibi unitis quam in extrinsecis, « *quid de cæteris,* » scilicet extrinsecis, « *solliciti estis ?* » Quia etiam, habitis eis, non proficiunt ad corporis incrementum sine cura et providentia et virtute Patris cœlestis. Et ideo dicit Jacob, Genes. XLVIII, 15 : *Deus qui pascit me ab adolescentia mea.* Psal. XXII, 1 et 2 : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.*

« Considerate lilia, quomodo crescunt : non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. » 27

Quarta est consideratio ad vestimentum pertinens : quia præcedens pertinebat ad nutrimentum.

Dicit autem tria : quid considerandum,

[1] Cf. III Reg. XVIII, 13.

[2] Cf. Matth. IV, 11.

[3] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrat. in Matthæum, VI, 26 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis.

et quid in consideratis advertendum, et tertio, ex his inducit suæ persuasionis argumentum.

De primo dicit : « *Considerate,* » per rationem, quia dicit Apostolus, ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius,* scilicet Dei, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque virtus ejus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles,* scilicet talia considerare non volentes.

« *Lilia agri,* » hoc est, non hortensia quæ coluntur, sed agrestia quibus nullus labor adhibetur : quia etiam hæc Sanctis appropriantur. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,* a me scilicet vestita et redimita. Psal. XLIX, 11 : *Pulchritudo agri mecum est.*

« *Quomodo crescunt* » pulcherrima sine sollicitudine hominum. « *Non laborant,* » sollicitudine postulantes providentia semina vel cultum, « *neque nent,* » quia jam elaboraverunt per cultum lanam et linum.

« Dico autem vobis »

Sine dolo. I Petr. II, 22 : *Nec inventus est dolus in ore ejus.*

« *Quia nec Salomon,* » qui tam gloriosus fuit in vestitu quod etiam gloriosissima regina Austri mirabatur vestitum servorum suorum [1] : et formositati pellium suarum sponsæ formositas comparatur [2].

Et hic talis « *in omni gloria sua,* » cui ultra modum studebat. II Paralip. IX, 22 et 23 : *Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis.*

« *Vestiebatur,* » ita vernante colore et pulchritudine, « *sicut unum ex istis* » liliis. Qualiter ergo posset omnibus comparari ? Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

« Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos pusillæ fidei ! » 28

Hic elicit rationem. Et vocat « *fœnum* » quamlibet herbam florentem : sicut et lilium vocat quemlibet florem.

« *Quod hodie est in agro* » florens. Psal. XCV, 18 : *Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.*

« *Et* » tam parvæ curæ est apud Deum et homines, quod « *cras,* » hoc est, statim post modicum, « *mittitur in clibanum,* « comburendum tamquam ad nihilum utile, « *Deus sic vestit,* » tam multis coloribus et vernantibus, « *quanto magis vos,* » de quibus major cura est apud Patrem. Quia et pro vobis Filium misit, et leges vobis posuit, et omnia propter vos quæ in mundo sunt, fecit. I ad Corinth. IX, 9 et 10 : *Numquid de bobus cura est Deo ? An propter nos utique hoc dicit ?* Isa. XLIII, 14 : *Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes.* Isa. LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit : et gentes solitudine vastabuntur.*

« Pusillæ fidei. »

Hæc est reprehensio. Signum enim parvæ fiduciæ est apud Patrem, qui non confidit a Patre dona accipere, quæ accipit insensibilis et vilis creatura. Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* Ad Roman. IV, 20 et 21 : *In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque*

[1] Cf. III Reg. X, 5.

[2] Cf. Cantic. I, 4.

promisit, scilicet Deus, *potens est et facere*.

« Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli :

Hæc enim omnia Gentes mundi quærunt. »

Quinta est hæc consideratio sumpta penes hoc quod in confidentia de Patre cœlesti, aliqua debet esse distantia, filii cognoscentis curam et dilectionem quam Pater habet de filiis, ad eos qui ignorant curam et dilectionem Patris. Sicut enim dicitur, Sapient. xvi, 21, Pater cœlestis semper substantiam tua et dulcedinem quam in filios habet, ostendit.

Et hoc est quod dicit : « *Et vos*, » dilectissimi filii Patris, « *nolite quærere*, » per sollicitudinem retrahentem vos a prædicatione, dicentes : « *Quid manducetis*, » hoc est, quis provideat cibum si dederitis vos Evangelio prædicando, « *aut quid bibatis*, » cum providere non possitis potum si estis in verbi ministerio occupati. Quia verificatur in vobis quod dicitur, Joan. xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

« *Et nolite*, » per sollicitudinem vestram, « *in sublime tolli* » superbiæ. Quia sicut dicitur, Jacob. iv, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Judith, ix, 16 : *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Pusillo enim gregi non est timendum : quia complacuit Patri cœlesti illi dare regnum [1].

« Hæc enim omnia, »

Quæ Deus præstat et ad delicias et gloriam pertinentia, « *Gentes mundi*, » hoc est, gentiliter et mundane viventes, « *inquirunt*, » et totam ad hoc sollicitudinem convertunt. Et ad Christi ministros hæc non pertinent. Psal. lii, 6 : *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Servi autem Christi non quærunt nisi Christum. Psal. lxxii, 25 : *Quid mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?* Psalmo eodem, ℣. 26 : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Thren. iii, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea ; propterea exspectabo illum.*

« Pater autem vester scit quoniam his indigetis. »

Hic arguit a cura Patris : quoniam sua benignitas movet eum ad providendum de talibus,

Et hoc est quod dicit : « *Pater autem vester* » cœlestis qui non errat, vel negligens est in providendo. Matth. vi, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.*

« *Scit*, » scientia curæ et providentiæ. Psal. cxxxviii, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Psal. ciii, 13 et 14 : *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.*

« *Quoniam his*, » sine quibus præsens vita non agitur, « *indigetis*, » et sine his servire sibi non potestis. Osee, ii, 21 et 22 : *Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos, et illi exaudient terram : et terra exaudiet triticum, et vinum, et oleum, et hæc exaudient Jezrahel*, hoc est, Dei semen.

« Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. » 31

Ostenso quod non est sollicitandum pro temporalibus : ne omnino intelligantur postponi, dicit pro quo sollicitandum

[1] Cf. Luc. xii, 32.

est primo et principaliter : et sic hæc præsentia adjicientur.

In hac autem parte tangit duo. Primo enim hoc dicit, secundo hoc idem persuadet per rationem.

Dicit ergo circa primum sic : « *Verumtamen.* » Quasi dicat : Dixi non esse sollicitandum pro temporalibus, « *verumtamen,* » ne in dubio de talium provisione relinquamini, « *primum quærite,* » orando et operando, « *regnum Dei,* » hoc est, quod vestro ministerio regnare Deus incipiat. Matth. VI, 10, et Luc. XI, 2 : *Adveniat regnum tuum.* Matth. etiam, VI, 33, additur : « *Et justitiam ejus,* » ut scilicet justitia illa in mundo convalescat quæ ad regnum Dei conducit. Et de hac dicitur, ad Roman. X, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.* Hæc est enim sapientia et sollicitudo Christianorum, quod et justitiam Deo placentem faciant, et per illam regnum Dei confortetur et convalescat. Sapient. VI, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

Si autem hoc regnum quæritur,

« Et hæc omnia, »

Scilicet necessaria vitæ etiam non petentibus, « *adjicientur vobis,* » tamquam accidentia et accedentia ad illud. Ecclesiastici, XXXIII, 25 : *Cibaria, et virga, et onus asino : panis, et disciplina, et opus servo.* Dummodo enim portet onus et jugum asinus, Dominus et non asinus cogitabit de cibo. Et dummodo vere sit servus serviens secundum actum servi, Dominus et non servus cogitabit de cibo. Tob. XII, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Sapient. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Luc. XV, 7 : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus :* solus ille qui extra domum patris exsulabat, ad nullum officium Patris deputatus, in exsilio fame laborabat.

« Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. » **32**

Hic ponit hujus persuasionis rationem,

Dicit autem duo : rationem, et subjungit persuasionem per rationem confirmatam.

Dicit igitur : « *Nolite* » ergo « *timere,* » de temporalium provisione, « *pusillus grex,* »numero, et humilitate. Numero quidem, Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Grex autem dicitur quia ad modum gregis cognoscit vocem pastoris. Ezechiel. XXXIV, 31 : *Vos autem, greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis : et ego Dominus Deus vester.* Psal. LXXXVIII, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* Joan. X, 14 : *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.*

Pusillus autem etiam est iste grex humilitate, I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die visitationis.*

« *Quia complacuit Patri vestro,* » qui semper sollicitus est pro vobis cura paterna, « *dare vobis regnum :* » et ideo illi et non temporalibus est intendendum. Ad Roman. VIII, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Luc. XV, 31 : *Omnia mea tua sunt.* Ex quo enim regnum dat, omnia cum illo nobis dabit, et adjiciet hæc quæ sunt vitæ necessaria. De regno autem isto dicitur, Matth. XXI, 42 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Luc. XXII, 29 : *Ego dispono vobis,sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Hoc autem regnum est potestas perfecta ecclesiasticæ justitiæ, sicut dictum sæpius est.

« Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non **33**

deficientem in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. »

Reiteratio est persuasionis. Quia enim primi Prædicatores ad infidelos mittebantur, oportebat esse stabiles et nihil possidere : quia aliter retracti fuissent a prædicationis officio.

Et hoc est quod dicit : « *Vendite quæ possidetis,* » ut nudi nudam possitis sequi veritatem. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* Hieronymus ad Paulinum : » Si habes « in potestate tua rem tuam, vende : si « non habes, projice. Credenti totus mun« dus divitiarum est : infidelis autem « etiam obolo indiget. » Hoc enim primis expediebat Ecclesiæ fundatoribus, quibus dictum est, Matth. V, 40, quod tollenti tunicam, etiam pallium dimittendum est.

« Et date eleemosynam, »

Scilicet pretium quod venditis possessionibus accipitis. Act. IV, 34 et 35 : *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Luc. XIX, 8 : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Daniel. IV, 24 : *Consilium meum placeat tibi : et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

« Facite vobis sacculos, »

Hoc est, reservatoria. Eccli. XVII, 18 : *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Hic est sacculus qui, quando conciditur, maxima exit lætitia in centupla mercede. Psal. XXIX, 12 : *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

« *Qui non veterascunt,* » quia sicut dicitur, ad Hebr. VIII, 13 : *Quod antiquatur, et senescit, prope interitum est.* Eleemosyna autem numquam veterascet, sed omnia innovat in æternum.

« *Thesaurum.* » Matth. VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Deuter. XXXIII, 19 : *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Tob. XII, 8 et 9 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna a morte liberat.* Genes. XLIII, 23 : *Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.*

« *Indeficientem,* » quia neque deficit umquam. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

« *In cœlis,* » in domo æternitatis. Job, III, 15 : *Qui possident aurum, et replent domos suas argento.* Et, Isa. XLV, 3 : *Dabo tibi thesauros absconditos.* Isti sunt autem thesauri splendoris et divitiarum Dei. Matth. XXIV, 47 : *Super omnia bona sua constituet eum.* Hoc est quod dicitur, I Petr. I, 4 : *In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis.*

« Quo fur non appropiat. »

Fur a furno dictus (quod significat nigrum) est diabolus occulte insidians. Abdiæ, ℣. 5 : *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Joan. X, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Genes. XXXI, 39 : *Quidquid furto peribat, a me exigebas.* Ibi autem in tuto est, quia fur illuc non appropiat.

« Neque tinea corrumpit. »

Tinea quæ de vestimento nascitur, significat concupiscentiæ peccatum quod de carne oritur. Et illud in cœlis, corpore glorificato, non erit. E contra de malis dicitur, Isa. XIV, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Jacob, V, 2 et 3. *Vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium erit vobis, et manducabit carnes vestras sicut ignis.* Sed non sic in regno cœlorum ubi omnia sunt in tuto. II ad Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

« Ubi enim thesaurus vester est. »

Quasi dicat : Ideo dico ista reponenda esse in cœlis : quia si ea quæ diligitis in cœlo sunt, consequens est ut etiam cor sit in cœlis.

Et hoc est : « *Ubi thesaurus vester est,* » hoc est, divitiæ meritorum vestrorum. II ad Corinth. IV, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* Idem continetur, Matth. V, 21.

« Ibi et cor vestrum erit. »

Quia ubicumque homo longos et multos reposuit labores, ibi etiam est cor ejus. Cœlum autem est locus divitiarum et deliciarum. Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Unde, Tob. XIII, 22, dicitur, quod omnes plateæ Jerusalem *ex lapide candido et mundo sternentur, et per vicos ejus Alleluia cantabitur.* Hinc est quod, Apocal. XXI, 18 et seq., dicitur : Ex lapidibus pretiosis fiunt portæ, et muri ejus. Tot enim divitias illuc congerunt Sancti, quod omnia sunt aurum fulgoris divini, et lapides pretiosi virtutum.

« Sint lumbi vestri præcincti. » 35

Ista est secunda pars hujus doctrinæ, in qua præmonet ministros esse cautos de adventu Domini, qui venit ad audiendam rationem obsequii injuncti et doni commissi.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima monet nos de adventu sive reditu suo esse sollicitos : in secunda, arguit eos qui signa reditus ejus non cognoscunt, et advertunt.

Adhuc, In prima duæ sunt partes : in quarum prima dicit nos debere ad reditum esse sollicitos et suspensos. Quia autem aliquis posset quærere, quid interim donec veniat sit agendum : ideo in secunda ostendit quid suæ sit intentionis quod fiat : quod scilicet ignis accendatur, baptisma perficiatur, et bellum inter domesticos concitetur.

Adhuc, In priori harum partium duo sunt. Vult enim esse suspensos nos ad reditum. Et hoc persuadet. Quia hoc vero facit sub similitudine quadam, ideo in secunda, inducitur quæstio Petri de similitudine illa, et responsio Domini ad quæstionem Petri.

In prima harum duo facit : in quorum primo docet qualiter solliciti simus de adventu judicis : in secundo, per rationes probat hoc idem.

Adhuc, In priori horum sunt duo : in quorum primo dicit modum sollicitorum : et in secundo, determinat circa quid maxime sit sollicitandum.

Primum horum consistit in tribus, scilicet, in vitiorum carnalium cohibitione et restrictione, in bonorum meritorum perfectione, et in sollicitudinis de adventu exspectato attentione.

Dicit igitur de primo : « *Sint lumbi vestri præcincti.* »

Quatuor autem in hoc ipso notantur : præceptum auctoritatis, radix et principium concupiscentiæ carnalis, subjectio ejusdem sub facultate nostræ potestatis, et modus restrictionis.

Primum notatur cum dicit :

« Sint. »

Hoc enim est imperium auctoritatis, cui debetur obedientia promptæ devotionis. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.*

Sunt autem quinque causæ quibus Dominus restringi præcipit carnales illecebras, quarum prima est, quia in se sunt immundæ : secunda, quia spiritui sunt contrariæ : tertia, quia proveniunt ab humanæ naturæ perversitate : quarta, quia sapientiæ bonorum studiorum voluptates sunt impeditivæ : quinta autem, quia in seipsis sunt malæ, Deo et regno ejus contrariæ.

De immunditia illecebrarum carnalium dicitur, Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*, scilicet ab omnibus prætereuntibus. Stercus autem valde est immundum. Idcirco, Ezechiel. XXIII, 3 et 4 : Oolla et Ooliba dicuntur mulieres nefariæ. Oolla enim *tabernaculum* interpretatur. Ooliba vero interpretatur *tabernaculum meum :* quia in concupiscentia carnali, tabernaculum est eorum qui contubernia diligunt carnalium libidinum.

De contrarietate autem carnalis concupiscentiæ ad spiritum dicitur, ad Galat. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim sibi adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Ideo, Genes. XVI, 1, Agar quæ significat carnem, et Sara spiritum. Ad Galat. IV, 29 : *Is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum : ita et nunc.*

Hæc etiam proveniunt a naturæ perversitate. In ordinata enim natura ratio imperat, et caro obedit : in perversa autem natura caro imperat, et ratio obedit. Et tunc fiunt omnia, quæ sunt concupiscentiæ carnalis. Habacuc, I, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Hoc est, sensualitate carnis prævalente adversus rationem spiritus, omnia fiunt perversa. Numer. XXII, 32 : *Perversa est via tua, mihique contraria.*

Quod autem bonis sapientiæ et virtutis studiis contrarietur, dicitur, Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo dicit Aristoteles in III *Ethicorum*, quod hoc quod sapientes plebis passi sunt ad Helenam, hoc oportet nos pati ad delectationem libidinis. Ut scilicet studentes virtuti dicamus : Fuge, fuge. Sicut sapientes plebis dixerunt fugiendam Helenam, ne sua pulchritudine caperentur. Ideo Propheta dicit, Psal. CXVIII, 37 : *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Job, XXVIII, 13 : *Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium*, hoc est, in delectabilibus carnis conservantium.

Quod autem in seipsis sint malæ, et Deo et regno ejus contrariæ, dicitur, I ad Corinth. XV, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit.* Joan. I, 13 : *Non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

His ergo de causis fit præceptum de voluptate carnis abdicanda.

Hoc est ergo quod dicit :

« Sint lumbi. »

Lumbi sunt instrumenta et loca carnalium passionum et concupiscentiarum, infernus respectu luminum cœlestium, receptacula venereorum, juncturæ superiorum et inferiorum, vasa illusionum, loca corruptionum et infectionum serpentinarum.

Quod autem sint instrumenta et loca passionum et concupiscentiarum patet, Job, XL, 11, ubi de diabolo in membris ejus Dominus ad beatum Job loquitur, dicens : *Fortitudo ejus*, hoc est, diaboli, *in lumbis ejus : et virtus illius in um-*

bilico ventris ejus. Ostendit enim per hoc quod virtus concupiscentiarum per quas diabolus decipit homines, in viris quidem sit in lumbis, in fœminis autem in umbilico : in quibus membris concupiscentia principaliter dominatur.

Quod autem infernus sint respectu luminum cœlestium, dicit expresse Plato, qui dicit in lumbis quasi inferno concupiscentiam esse demersam : et ideo tantæ esse perversitatis, quod corrigi non potest : quia procul a lumine rationis et mentis relegata. Et ideo significatur, Proverb. VII, 10 et seq. [1], per mulierem vagam, garrulam, quietis impatientem, quæ non valet in domo consistere pedibus suis : nunc foris, nunc in plateis. Quia tot humoribus diffluit, tot caloribus exagitatur, tot fumis excæcatur, tot incitationibus impellitur, tot stimulis libidinum urgetur, quod nihil constantiæ, nihil modestiæ, nihil serenitatis, nihil castitatis in se prævalet exhibere. Hæc est mulier stulta quæ Job alloquitur, stultum reputans quidquid ille de Deo sentit sapienter, Job, II, 10 : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Hic est infernus de quo dicitur, Proverb. XXX, 15 et 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit : Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Infernus quidem propter concupiscentiæ profunditatem. Os autem vulvæ quod a volvendo dicitur propter insatiabilem libidinem. Terra autem propter terrenæ concupiscentiæ tenebrositatem. Ignis autem propter æstum libidinum. Quia, sicut dicit Hieronymus : « Non Ætnæi montes, « non Vulcanei ignes ita æstuant ut « juveniles medullæ vino et dapibus in- « flammatæ. » Proverb. XXII, 14 : *Fovea profunda, os alienæ : cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Os alienæ dicitur os concupiscentiæ sive vulvæ. Et est profundum, quia in inferno sepultum. Ideo Plato dicit rationem esse extra omnia, concupiscentiis non immersam : irascentiam autem in media regione : concupiscentiam autem in infimo sepultam.

Lumbi etiam sunt receptacula venereorum, quoniam ibi totum est regnum Veneris. Unde, Eccli. XLVII, 21 et 22, improperatur Salomoni : *Inclinasti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanasti semen tuum.* Femur enim et lumbus idem est : nisi quod unum dicitur ad latus, alterum autem ad dorsum : et unum ad extra, et alterum ad intus. Hæc igitur inclinare mulieribus, est ista venereis exhibere. Potestatem autem in corpore habere cum enervatione mentis, est Veneris sequi concupiscentias. Quia sicut Homerus in versu græco dicit : « Veneris corrigia stringens in concupiscentia, furatur mentem valde sapientum. » Hæc sunt unguenta meretricia in quibus mortuus est Asa [2].

Lumbi etiam sunt juncturæ inferiorum et superiorum in ansis. Et ideo superioribus, in quibus vigent spiritualia, cavendum est ne ad infima per delectationes deprimantur, et in imis ligata et inviscata permaneant. Sicut corde conqueritur Manasses in Oratione, ad medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo,... et non est respiratio mihi.* Sicut enim ferro domante omnia ligatus est, quem ligat gravitas voluptatis lumborum. Erectio enim tota superiorum consistit in lumbis, et his ligatis totum corpus deprimitur. Iste spiritus infirmitatis qui incurvavit mulierem annis decem et octo, quam a vinculo illo solvit Dominus [3]. Ideo dicitur, ad Coloss. III, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo,*

[1] Proverb. VII, 10 et seq. : *Et ecce occurrit mihi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas : garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis : nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.*

[2] Cf. II Paralip. XVI, 10 et seq.

[3] Cf. Luc. XIII, 11 et seq.

quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Hæc sunt vasa illusionum diabolicarum. Psal. xxxvii, 8 : *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea.* In lumbis enim congregata materia delectationis, statim illudit diabolus : in vigilia per cogitationes et concupiscentias, et in somnis per multas phantasias. Unde etiam lasciviens uxor Putipharis, eunuchi Pharaonis, dixit : *En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis*[1]. Eccli. xxxiv, 6 : *Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur.* Parturiens dicitur hic prægnans : quia mulier prægnans (eo quod semen conceptum in intimis tangit nervos in lumbis) plus alio tempore somniat coitum, et delectatur in illusionibus. Et ita facit qui illusionis materiam in lumbis concipit, quia ille dat causam illusionibus.

Lumbi etiam sunt loca corruptionum et infectionum serpentinarum. Venenum enim primi serpentis nusquam ita profunde corrupit et infecit corpus hominis sicut in lumbis. Et ideo ibi locus veneni est suæ infectionis : et exinde fumat in totum corpus. Et hoc significatum est, Numer. v, 27, ubi dicitur quod aquæ in quas maledicta congesta sunt, putrescere fecerunt femur mulieris adulteræ. Hac putredine corrupti erant de quibus dicitur, Daniel. xiii, 56 : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum.* Concupiscentia enim lumborum tanta est, quod etiam cor ad se corrumpit et trahit. Et hoc est quod dicitur, Osee, iv, 19 : *Ligavit eum spiritus in alis suis.* Quod Glossa, ibidem, de spiritu fornicationis exponit : qui alis, involantis in cor concupiscentiæ infectæ et corruptæ multos ligat et inficit.

Sunt autem secundum dicta Patrum lumbi quidem mentis, et lumbi corporis. Lumbi quidem corporis sunt de quibus dictum est. Lumbi autem mentis sunt duo : vis scilicet concipiendi delectationem per cogitationem illicitam, et vis delectandi in eadem per voluntatem, sive effectum illecebrosum. Et de his lumbis dicitur, I Petr. i, 13 : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Unde etiam Joannes, Apocal. i, 13, vidit præcinctum ad mammillas zona aurea, ut lumbos mentis restringeret, et ut esset mundus in spiritu et in corpore. Sicut dicitur, I ad Corinth. vii, 34 : *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.*

Isti ergo sunt lumbi

« Vestri. »

Nostri dicuntur hi lumbi : non quia partes sunt corporis, sed quia passio lumborum in nostra est potestate : sicut dicitur, Genes. iv, 7 : *Sub te erit appetitus ejus*, hoc est, peccati. Peccati enim appetitus sub nobis est, quando facultas ejus est in nostra potestate. Et hoc significatum est, Genes. xvi, 9, ubi dictum est Agar (quæ carnis petulantiam significat) : *Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius*, hoc est, ad dominium rationis, in cujus dominio petulantia est carnis. Sic ergo nostri sunt lumbi.

Si autem sic *nostri* dicantur, objicitur id quod Aristoteles disputat in libro VII *Ethicorum*, ubi determinat Philosophus, quod tales operationes tractæ passionibus concupiscentiæ, non omnino sunt in nostra potestate, sed sunt mixtæ : partim tractæ per concupiscentias, et partim voluntariæ. Sic videtur quod non bene dicitur : *Lumbi vestri.*

Sed ad hoc dicendum, quod Aristoteles ibi loquitur de proprietate incontinentis in quantum incontinens est.

[1] Genes. xxxix, 14.

Incontinens autem est qui rationem quidem in faciendis et eligendis habet sanam, sed concupiscentiam habet passionibus attractam. Et in quantum est in tali statu ille incontinens, non habet actiones et electiones suæ rationis liberas omnino, quia immersus est concupiscentiæ passionibus. Non tamen habet coactas, sed potius coactione habet liberas, quamvis non habeat eas liberas ab infectione.

Et hoc est quod dicit: « *Lumbi vestri,* » quia in nostra sunt potestate quantum ad coactionem.

Possumus igitur dicere, quod lumbi *nostri* sunt quadrupliciter. Nostri enim sunt secundum statum hominis damnati per libertatem a coactione. Nostri sunt secundum statum hominis incipientis per restrictionem a mala actione. Nostri sunt secundum statum hominis in virtute proficientis per libertatem a vitii infectione. Nostri sunt secundum statum virtutis perfectæ per libertatem a tentatione. Et ideo talibus ut discipulis specialiter dicit : « *Sint lumbi vestri præcincti.* »

Status enim hominis damnati est, quia passione camali sine gratia mens trahitur et vincitur, sed non cogitur : de quo dicitur, ad Roman. VII, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Istud significatum est, Judicum. XVI, 19 et seq., ubi Dalila (quæ *fomitem lumborum* significat) raso capite Samsonis, ligavit eum restibus et tradidit in manus Philistinorum. Caput enim hominis mens est. Septem crines hujus capitis sunt septem mentis illuminationes ad bonum: quæ sunt sapientia quæ est cognitio divinorum, intellectus qui est acceptio verorum, consilium quod est directio dubiorum, scientia quæ est lumen conversationum humanarum, prudentia quæ est habitus perfectus eligendorum ad vitam pertinentium, fides quæ est cognitio cum assensu credendorum, et revelatio Spiritus quæ est acceptio secretorum. His enim rasis a mente per illecebram concupiscentiæ, Samson (sol fortis) est in manibus Philistinorum : in quorum manus se sponte tradidit, quando Dalilæ gremio se immersit. Ideo dicit Apostolus, I ad Corinth. VI, 18 : *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quia vulnus concupiscentiæ inflictum corpori, sauciam facit animæ rationem.

Status autem hominis incipientis secundum concupiscentiam lumborum exprimitur, Eccli. XXX, 20 et 21 : *Mercedes iniquitatis, videns oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem, et suspirans.* Spado enim qui seipsum castravit ab actu concupiscentiæ, adhuc in voluntatis concupiscentia secum portat mercedes iniquitatis in delectabilibus concupitis : et ideo complectitur virginem ut materiam libidinis in concupiscentia, et ingemiscit in eam, sed non eam cognoscit. Iste est spado de quo dicitur, Sapient. III, 14 : *Spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem.* Quamvis enim in concupiscentia sit, tamen iste talis ab actu continet. Et in hoc ostendit lumbos se habere in potestate.

Status proficientium est secundum libertatem a vitio inficiente, in quo virtus jam convalescit et proficit ad vitii expurgationem. Sed remanent adhuc fumi quidam evaporantium concupiscentiarum. Et hic est status hominis qui loquitur in Psalmo CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui : et in libro tuo omnes scribentur,* supple, qui faciunt id quod possunt. Iste est de quo dicitur in Sapientia, VIII, 21 : *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum : adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis,* etc.

Status autem quartus est perfectorum, qui liberi sunt a tentatione, et adepti sunt libertatem gratiæ, qui lumbos car-

nis penitus habent in potestate : de quibus dicit Psalmista, Psal. LXXXIII, 3 : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Psal. LXII, 2 : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Sic ergo lumbi sunt nostri plus et minus in nostra existentes potestate.

Et hoc est quod dicit : « *Sint lumbi vestri.* »

« Præcincti. »

Et tangitur hic quartum quod est modus restrictionis. Restrictionis autem modus est sex modis. Fortitudine enim præcinguntur contra emollitionem, justitiæ disciplina contra luxum, meditatione divina contra motum surgentem, castigatione carnis contra mali radicem, continentia contra passionem vim mentis enervantem, virilitate animi contra oblectamentorum tentationem.

De restrictione fortitudinis contra emollitionem dicitur, Proverb. XXXI, 17 : *Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum.* Fortitudine restrinxit emollitionem delectationis ne diffluerent, fortiter se in virtute tenens, et confortata roboravit brachium ad opera meritorum. Sic dicitur, Exod. XII, 11, comedentibus carnes agni, quod renes accingant. Renes autem et lumbi idem sunt, sicut ante diximus, hoc est, locus delectationis : nisi quod renes ad intra dicuntur posterius, et lumbi in eodem situ dicuntur respectu exterioris partis, femur autem ad latus. Omnia enim hæc eamdem nominant partem corporis. E contra de non accinctis fortitudine dicitur, Psal. LXXII, 21 et 22 : *Renes mei commutati sunt : et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.*

De præcinctione per justitiæ disciplinam contra luxum carnalem dicitur, Isa. XI, 5 : *Erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus*, hoc est, justitiæ disciplina. Non enim restringitur luxus sæculi nisi disciplinæ severitas carni adhibeatur. Hoc præcepit Angelus Petro, Act. XII, 8, dicens : *Præcingere, et calcea te caligas tuas.* Præcingitur enim quis ne luxus defluat vestimentorum. Et calceatur caligis qui mortem cogitando a deliciis restringit affectum. Isa. XXXII, 11 et 12 : *Accingite lumbos vestros. Super ubera plangite.* In uberibus enim titillatio est libidinis ad lumbos colliminata : et ideo lumbi accingendi sunt justitiæ disciplina, ne libido lumborum ad ubera pertingens, lactetur fomento malarum cogitationum.

De præcinctione meditationis contra motum surgentem dicitur, Apocal. I, 13 : *Præcinctum ad mamillas zona aurea.* Zona enim aurea, restrictorium meditationis Scripturarum ad mamillas cordium. Unde Petrus ad Clementem in *Itinerario Clementis* : « Incessanter debet quisque quæ Dei sunt cogitare et loqui. Quia si in his bonis mens occupata fuerit, diabolus non invenit locum ad mentem. » Hieronymus : « Ama studia litterarum, et carnis vitia non amabis. »

Castigatione autem carnis fit restrictio contra mali radicem et fomitem. Judith, VIII, 6 : *Habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel.* Cilicium enim est castigatio lumborum. I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Jerem. XXXI, 19 : *Percussi femur meum : confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.*

De continentia contra passionem vim mentis enervantem dicit Gregorius : « Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. » Continentia enim est tenentia infra metas mentis, ne vis mentis per passionem et violentiam passionis enervetur, et homo extra metas mentis extrudatur. Eccli. XV, 1 et 2 : *Qui continens est ju-*

stitiæ, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata. Job, XII, 18: *Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.* Soluta enim lascivia vanitatis, fune renes præcingit: quando continentia motus restringit illicitos, et frænat passiones.

De virilitate contra oblectamentorum tentationem dicitur, Job, XXXVIII, 3: *Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, et responde mihi.* Non enim Deo respondere poterit qui oblectamenta tentationum et vanitatum non restringit. Jerem. I, 17: *Tu ergo accinge lumbos tuos, et surge, et loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi.* Oportet enim viriliter oblectamenta mundi restringere, et surgere per erectionem intentionis, et tunc loqui de divinis.

Est autem notandum, quod idem est præcingi, et accingi, et succingi secundum rationes diversas. Omnia enim hæc virtutis significant actum, et vitiorum restrictionem. Sed quia virtus est ad ambulandum, et proficiendum, ideo ea *præcingimur.* Et hoc est ministrare Deo et proximo. Et quia armat contra diabolum, ideo *accingimur.* Et quia amputat defluentiam fluxus concupiscentiæ, ideo *succingimur* virtute. Cum tamen in substantia idem sit. Unde Dominus præcinget se, et transiens ministrabit illis[1]. Et Petrus succinxit se, et misit se in mare[2]. Et Paulus præcipit: Accingamur armis virtutum contra diabolum[3].

Sequitur:

« Et lucernæ ardentes in manibus vestris. »

Hic secundo determinat de bonorum operum perfectione ad quæ præcipue Prælati tenentur.

Dicit autem tria per metaphoram: quorum primum est illuminationis, secundum quod est incensionis, tertium autem quod est perfectæ operationis: et hæc tria sumuntur penes tria quæ sunt de officio Hierarcharum, ut dicit Dionysius. Hierarchæ autem sunt potestatem sacram per actiones et officia administrantes, sicut Episcopi et Prælati. Horum enim est lucere ad ignorantes, et errantes, et ad eos qui in tenebris conversantur: per doctrinam quidem ad ignorantes, per correctiones autem et consilium et disputationem ad errantes, et per lumen virtutis et gratiæ ad eos qui in peccatorum tenebris conversantur.

De primo horum, ad Ephes. III, 8 et 9: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo.*

De secundo dicitur, ad Roman. II, 19 et 20: *Confidis teipsum esse ducem cæcorum,... eruditorem insipientium, magistrum infantium.* Ad Titum, I, 9: *Amplectantem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

De tertio dicitur, Luc. I, 79: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Joan. VIII, 12: *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

Primum notatur per hoc quod dicit: « *Lucernæ.* » Secundum per ardorem, cum dicit: « *Ardentes.* » Tertium autem per hoc quod dicit lucernas debere esse in manibus cum dicit: « *In manibus vestris.* » Per hoc enim significat operis perfectionem.

[1] Cf. Luc. XII, 37.

[2] Cf. Joan. XXII, 5.

[3] Ad Ephes. VI, 11: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Et infra, ℣. 13: *Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare.*

« Et lucernæ. »

Est autem lucerna prædicationis, lucerna directæ intentionis, et lucerna honestæ conversationis.

De lucerna prædicationis, Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* In hac lucerna vitrum est claritas vocis in eloquentia quæ nulla infamia sit obscurata : sicut Joannes fuit vox, Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.* Lumen autem est verbum. Lychnus cui lumen adhæret, est intellectus sapientia verbi inflammatus. Et de vitro quidem dicitur, Job, XXVIII, 17 : *Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum.* Vitrum enim pervium est, et lumen non abscondit, sed traducit ad illuminationem ambulantium. Job, XXIX, 3: *Splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* De lumine autem verbi dicitur, Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* De intellectu cui quasi lychno adhæret lumen dicitur, Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.* Quia intellectus talis spargens lumen in nocte adversitatis et dubiorum non exstinguitur, sed semper sibi adhærens spargit lumen.

Oleum autem quod est hujus luminis fomentum, est oleum pietatis et liquescentis ad Deum, et ad proximum benignitas affectus. Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat.* Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi.* Sic lucerna Doctoris in verbo prædicationis est parata. Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo*, hoc est, a me uncto in officium Prælationis et prædicationis. Sic impletur quod, Isa. LXII, 1, dicitur : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.* Iste enim vere justus est congruens officio, et vere Salvator, a perditione salvans sibi commissos.

De lucerna autem bonæ et directæ intentionis dicitur, Luc. XI, 34 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Idem dicitur, Matth. VI, 22. Et ibi dicit Glossa, quod oculus est intentio dirigens operationem. Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Quia secundum intentiones operibus conjunctas, singuli judicabuntur. Et de hac lucerna jam in antehabitis dictum est [1]. Hæc autem lucerna necessaria est Prædicatori et Prælato : ut non intentione potestatis, vel laudis, vel honoris, vel lucri, vel commodi alicujus, candelabrum Ecclesiasticæ potestatis accendat : sed potius purum lumen in intentione exhibeat. Sic enim lucernæ ardentes sunt in conspectu Domini : sicut dicitur, Exod. XXV, 37. Per contrarium hujus Heli malus sacerdos non poterat videre affectu carnali obumbratus lucernam Dei antequam exstingueretur [2]. Exstinguitur enim intentio ad Deum, quando affectus totus dirigitur ad carnalem affectum.

De lucerna autem honestæ conversationis dicitur, Matth. XXV, 7 : *Surrexerunt omnes virgines*, scilicet sapientes, *et ornaverunt lampades suas.* Lampas enim est lucerna. Ornatus autem ejus est ornatus honestæ conversationis.

« Ardentes. »

Hoc est, incensionis. Et hæc incensio est per triplicem ignem.

Et primus est incendens ad Deum : et hic est ignis charitatis. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

Secundus est ignis zeli animarum. Eccli. XLVIII, 1 : *Surrexit Elias pro-*

[1] Cf. in tom. præcedenti, Luc. VIII, 16 ; et supra, XI, 36.

[2] Cf. I Reg. III, 2 et 3.

pheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Elias etiam zelator. Unde dixit, III Reg. XIX, 10 : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.*

Tertius ignis est compassionis ad consolationem proximorum. Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Sic ignitus fuit qui dixit, II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Uritur enim interius in compassione proximi, qui ad proximum habet ignem dilectionis.

Primus ignis est divinus. Secundus amore virtutis, et odio vitii excitatur. Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Tertius autem ex sarmentis proximi est collectus : et hoc significatur, Isa. VI, 6 et 7, per ignem calculi, quo ignita et purgata fuerunt labia Prophetæ. Calculi enim in sacrificio sunt tribulationes, et afflictiones, et desolationes proximorum. Sapient. III, 6, 5 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos,... et invenit illos dignos se.*

Isto triplici igne incensa debet esse lucerna. Tunc verificatur de eo, Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Sic enim dicit Psalmus CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* In hoc enim igne a summo cœlo fuit egressio Filii Dei, nec fuit qui se absconderet a calore ejus [1]. Sic dicitur, Deuter. IV, 24 : *Dominus Deus tuus ignis consumens est.* Sic etiam, Judicum, XIII, 20, Angelus Domini (qui Prælatum et Prædicatorem significat) in flamma ignis ascendit in cœlum.

Sic ergo « *lucernæ* sunt *ardentes.* »

Sequitur :

« In manibus vestris. »

Per quod signficatur perfectio bonæ operationis. Lucere enim tantum in scientia et verbo vanum est : lucere et ardere per zelum inordinatum, furioso aliquid simile : sed lucere, et ardere, et perficere quod ostendit lumen, et ad quod incitat ardor, perfectissimum est. Et in his tribus perficitur omnis sacræ potestatis administratio. Ut videlicet igne malitiam in aliis consumat, Psal. XCVI, 3 : *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Et per lumen verbi illuminationem infundat, Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Per tertium autem ad virtutis perfectionem informet, ad Philip. III, 17 : *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Exod. XXV, 40 : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Et hoc etiam dicitur, ad Hebr. VIII, 5. Sic enim sacer Hierarcha et Sacerdos purgat, illuminat, et perficit omnes sibi commissos : quemadmodum per Angelos Deus facit in cœlis.

« *In manibus* » ergo, hoc est, in operibus lucernæ sunt, quando omnia quæ ostendit lucerna, per manus perficiuntur Sacerdotum et Clericorum. Ad Roman. XV, 18 : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Sic viri Gedeonis manibus sinistris, hoc est, in adversitate tenuerunt lampades : et dextris, hoc est, intentione æternorum, tubas, et confregerunt lagunculas corporum per carnis mortificationem, et fugaverunt castra Madian [2]. Sic Dominus *Jesus cœpit facere et docere* [3]. Sic impletur quod præcipitur, Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

[1] Psal. XVIII, 7.
[2] Cf. Judicum, VII, 19 et seq.
[3] Act. I, 1.

Attende autem, quod *manus* est intellectus organum, et significat opus rationabile : et est distinctum digitis organum, et sic significat diligentiam in opere : et est organum organorum, et sic in operibus vult esse universalis.

De primo dicitur, ad Roman. XII, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum.*

De secundo dicitur, Cantic. V, 14 : *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Tornatiles enim sunt in diligentia digitorum, aureæ in sapientia discretionis, plenæ autem hyacinthis in intentione cœlestis puritatis, quia hyacinthus cœlestis est coloris.

De universitate autem operis notandum, quod manus parat pedem ad ambulandum per calceationem, purgat oculum ad videndum, aperit aurem ad audiendum per auricularem removens obstaculum, emungit nasum ad olfaciendum, scalpit linguam ad gustandum, armat hominem ad pugnandum : et sic omnia parat organa ad agendum, et omnia exhibet arma ad impugnandum et defendendum : et ideo universale est instrumentum ad operandum. Et hoc est quod dicitur, Cantic. V, 5 : *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Myrrha enim est quæ mortuis adhibetur corporibus contra putredinem : et significat universalem virtutem ordinatam contra putredinem omnium vitiorum, quæ myrrha per manus et digitos significatur.

Sic ergo « *lucernæ ardentes* sunt *in manibus.* »

« Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum. »

Ecce modus sollicitudinis.

Dicit autem hic quatuor : qui videlicet, quibus, qualiter, et in quo debeant esse similes.

Qui scilicet, quia « *vos,* » quibus spiritualis sollicitudo indicta est propter tria. Quia scilicet aliorum vigiles, quia speculatores, quia pastores et custodes sunt aliorum : et ideo magis debent esse solliciti.

Vigiles enim sunt, qui vigilias hujus temporis quasi cujusdam noctis in custodia aliorum observant. Psal. CI, 8 : *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Ludos enim hominum, et occupationes terrenorum, et societates vanorum fugiens, factus est sicut passer solitarius. *In tecto* autem, hoc est, in tectis ruinarum et casibus hujus mundi ruinæ et desolationis, per considerationem mentis inhabitans. Vigilans autem per sollicitudinem commissorum. Genes. XXXI, 40 : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* De die prædicans, et nocte orans pro animabus commissorum. Et fugiebat somnus ab oculis per sollicitudinem.

Vos ergo vigiles similes estis, etc.

Vos et speculatores, quia præcavere debetis hostium insidias. Ezechiel. III, 17 : *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel,* hoc est, omnium insidiarum hostis prænuntiatorem. Talis fuit speculator qui, II ad Corinth. II, 11, dixit : *Ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.* Isa. XXI, 6 : *Pone speculatorem, et quodcumque viderit, annuntiet.* Talem igitur qui tam occulta, tam multiformia de insidiis hostium prænuntiare multum debet, oportet esse sollicitum.

Vos ergo *similes hominibus,* etc.

Vos etiam qui pastores estis Ecclesiarum, qui et pascua debetis discernere, et quæ quibus utilia prævidere, et pestilentias ovium præcavere. Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ideo etiam vocatur *pastoralis cura,* quia hoc officium curam quærit, et vigilantiæ sollicitudinem. Luc. II, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.*

Vos ergo quos pono pastores, similes sitis hominibus, etc.

Similes autem sitis

« Hominibus, »

Non irrationalibus, quæ nullam habent providentiam futurorum. In hoc enim homo factus est in honore, quod signatum est lumen providentiæ vultus Domini super eum [1]. Et qui non habet providentiam, similis factus est jumentis insipientibus et comparatus est illis [2]. Hominibus ergo similes sitis qui cognoverunt per providentiam judicium futurum : ne improperando dicatur vobis : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit* [3].

Estote ergo *similes hominibus*

« Exspectantibus dominum suum. »

Ecce qualiter hominibus similes esse debeant.

Et dicit duo : unum ex parte exspectantium, alterum autem ex parte ejus qui exspectatur.

Ex parte exspectantium est, quod exspectans immobilis est secundum locum condictum in quo exspectat : secundum, quod sperat ad eum quem exspectat : tertium autem, quod continuo protenditur desiderio et animo ad adventum ejus quem sperat.

De immobilitate loci est, quod in fide et vita et proposito cœpto permaneat is qui exspectat. Eccle. x, 4 : *Locum tuum ne dimiseris.* Sic etiam intelligitur quod dicit Psalmus LXVII, 6 et 7 : *Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

De spe autem dicitur, ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habeamus animæ tutam ac firmam.* Ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit.* Ideo consolatur quosdam exspectantes Apostolus, ad Hebr. X, 37 : *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit.*

De tertio autem, hoc est, de desiderii protensione dicit, Cantic. VIII, 1 : *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* Et illud Canticorum, V, 8 : *Nuntiate dilecto meo quia amore langueo.* Et illud Apostoli, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.*

De omnibus his tribus conficitur exspectatio, de qua dicitur, Psal. XXXIX, 2 : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.* Et illud Psalmi XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Et illud Habacuc, II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet, et non tardabit.* De hac exspectatione gloriatur Paulus, ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

Id autem quod est ex parte honoris ejus qui exspectatur, est notatum per hoc quod dicit : « *Dominum suum.* » Dominus enim exspectatur cum timore, et reverentia. De timore enim dicitur, Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* De reverentia autem dicitur et honore quem debemus Domino, I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

« Quando revertatur a nuptiis. »

Ecce in quo proponitur similitudo exspectantium Dominum. Et duo notantur in verbo proposito. Unum est, quæ sint nuptiæ a quibus ad nos reversurus ex-

[1] Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus sui, Domine.*

[2] Psal. XLVIII, 13.

[3] Isa. I, 3.

spectatur Dominus : secundum autem, in quo similitudo ista attenditur.

Nuptiæ quidem sunt triplices : in natura, in gratia, in gloria.

In natura quidem, quando sibi Filius Dei naturam nostram in individuam vitæ consuetudinem in unitate personæ in utero Virginis copulavit, habens tria bona conjugii : prolem quidem, filios Dei quos redemit : fidem, quia numquam naturam assumptam deseruit : sacramentum, quia eam deitati indissolubiliter conjunxit, unam uni copulando. Hæ *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias* [1]. Cana enim *zelus* interpretatur : quia sicut dicitur, Isa. IX, 7 : *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* In Galilæa autem factæ sunt, quia in transmigratione Filii Dei ad nos : quando, sicut dicitur, Baruch, III, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ibi autem mater Jesu fuit, per fidem et consensum in corde, per administrationem materiæ in corpore, per obsequium in opere. Ipse autem Jesus per præsentiam in carne se ibi exhibuit, et quotquot erant discipuli ejus, Prophetæ et Patriarchæ ab initio, per exsultationem visionis in Spiritu. Joan. VIII, 56 : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.* Omnes enim quotquot spirituales erant, suspirantes in Spiritu dixerunt illud Ecclesiastici, XXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.*

Secundæ nuptiæ sunt in gratia, quæ sunt copulatio Filii Dei cum fideli anima, unius conformis voluntatis in præceptis et consiliis, quasi individuæ vitæ consuetudinem retinens. Hoc matrimonium tria bona habet conjugii : bonum quidem prolis, in bonis propositis : conceptum, et in bono consensu habet partum : et in bono opere habet prolem. Fidem autem habet in hoc, quod fideliter in Dei perseverat dilectione : et bonum sacramenti, in animæ et Filii Dei amplexu dilectionis et unione. Hæ sunt nuptiæ quas homo rex fecit filio suo [2], hoc est, ille humanus et humana (hoc est, benigna) de bonis cogitans Deus. In istis nuptiis præcessit figura in Isaac et Rebecca, hoc est, in Filio Dei et Ecclesia, mortua matre Synagoga quam Filius Dei verus Isaac in tabernaculum suæ matris induxit, hoc est, in divitias et secretum Scripturarum. *Et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus,* Synagogæ scilicet, *acciderat, temperaret* [3]. Et hoc maxime in devotione primitivæ Ecclesiæ. Sed, heu ! nunc tanta lascivia fidem violat et Ecclesiam de gentibus, quod et ipsam fastidire incipit sponsus Ecclesiæ Christus.

Tertiæ nuptiæ sunt Filii Dei in gloria cum anima beata et cum Angelis : in quibus individuæ vitæ consensu fit perfectus voluntatum consensus. Quia omnimodam facit vitæ individuitatem et consuetudinem, quando nihil a beatis divisum habet Deus. Quia suos super omnia bona sua constituit, sicut dicitur, Matth. XXV, 14 et seq., quando reginam animam in thalamum absconditi suæ deitatis introducit. Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Hoc matrimonium habet bonum prolis, in partu multorum gaudiorum continuo novorum : bonum fidei, quod numquam violabitur impossibilitate admissionis contrariorum : bonum autem sacramenti, indissolubilem unionem spirituum creati et increati in lumine. Et hoc est matrimonium Assueri et Esther absconditæ in consortium regni. Esther enim *abscondita*, et Assuerus interpretatur *beatus.*

Ad primas autem nuptias Filius Dei

[1] Joan. II, 1 et 2.

[2] Cf. Matth. XXII, 2 et seq.

[3] Genes. XXIV, 67.

semel venit, neque umquam recessit, neque umquam redibit.

Ad secundas multoties venit, quoties per gratiam fideli conjungitur animæ. Recedit autem per peccatum, et redit per pœnitentiam quando reconciliatur, dicens illud Jeremiæ, III, 1 : *Vulgo dicitur : Si dimiserit quis uxorem suam, et recedens duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eum ultra ? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa ? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.*

Ad tertias autem nuptias secundum corporalem præsentiam ivit Dominus in die Ascensionis, qui tamen semper præsens fuit secundum exhibitionem suæ divinitatis. Et redit continuo reditu revelationis, et apparitionis, et consolationis quam facit Sanctis : ostendens hoc quod dixit, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Redit tamen præcipue in die mortis, quando traducere venit sponsam. Et redibit in die judicii, traducens universalem Ecclesiam. Et tunc verificabitur illud Matthæi, XXIV, 10 : *Venit sponsus, et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.*

Istæ sunt ergo nuptiæ, et talis exspectatur reditus sponsi.

Similitudo autem exspectantium sic revertentem sponsum est in sex. Exspectantes enim sponsum ex deliciis venientem vestitu novo fulgent, cantibus novis sonant, musicis instrumentis concrepant, luminibus solemnibus illuminantur, donis et muneribus effluunt, dapibus et epulis delicatissimis epulantur : et in talibus se sponsi deliciis conformant.

Et vestitus quidem, est varietas honestæ conversationis, omni colore virtutis adornata : de qua dicitur, Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento lætitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Indecorum enim est sponsum et sponsam regio fulgere habitu, et sodales et amicos utriusque vilibus esse pannosos. Unde, Matth. XXII, 11-13, ejectus est qui intravit ad nuptias, non habens vestem nuptialem.

Cantus autem est, ut dicit Cassiodorus, exsultatio mentis in vocem modulationis prorumpens. Ad Ephes. V, 19 : *In psalmis, et hymnis exsultantes, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Judicum, V, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam : psallam Domino Deo Israel.*

Musica autem instrumenta sive organa, sunt tympanum quidem in corporis castigatione et maceratione. Chorus autem, consonantia dilectionis proximorum. Chordæ autem in jubilo cordis ad Deum. Organum autem in modulatione laudis divinæ, et Psalterium in operis perfectione. Psal. CL, 4 : *Laudate eum in tympano, et choro : laudate eum in chordis, et organo.*

Lumina autem solemnia quæ triplicibus composita sunt : lumen verbi in prædicatione, lumen exempli in exempli ostensione, et claritatis famæ in omnium ore. Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus.* Ad Philip. II, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

Dona autem quibus effluunt, sunt dona eleemosynarum et omnium bonorum quæ ad communicationem veniunt. Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Dapes autem et epulæ, sunt interiores in sancto Spiritu refectiones. I ad Corinth. V, 8 : *Epulemur... in azymis sinceritatis, et veritatis.* Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis, et confessionis, sonus epulantis.* Luc. XV, 32 : *Epulari et gaudere*

oportebat : quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

Sic ergo *similes* sitis *hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.*

Sequitur :

« Ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. »

Tria hic dicit propter quæ paratos oportet nos esse : unum est adventus, qui est ex parte Dei : secundum est pulsatio, quæ etiam ex parte sua est : tertium est ex parte nostra, quod est apertio. Adventus enim debet esse gratus, pulsatio desiderata, apertio autem festinata.

Venit autem Dominus dupliciter : visitando per bonum propositum in gratia, et vocando per infirmitates in fine vitæ. Similiter pulsat dupliciter : pulsat enim incitando ad perfectionem boni concepti per impulsationem Spiritus, et pulsat per symptomata mortis in finem exitus.

De primo adventu, I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* Cum enim Dominus per gratiæ devotionem mentem intravit, statim cor illuminatur ad bonum concipiendum propositum, et manifestat consilia perfectionis ad salutem. Psal. XCV, 12 et 13 : *Exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit.* Omnia enim in anima quasi virentia tunc exsultant. Viret enim mens virtute, floret boni propositi conceptione, frondet verbis salutis in Dei confessione.

De pulsatione autem illi adventui respondente dicitur, Cantic. v, 2 : *Vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea : quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Sic enim dicit pulsans, per incitationem Spiritus ad boni propositi perfectionem. Sororem autem vocat, propter castitatem amoris : amicam, propter teneritudinem dilectionis : columbam, propter innocentiam simplicitatis : immaculatam, propter immunitatem peccati in honestate conversationis : promittens quod caput divinitatis ejus plenum est rore gratiæ ad fœcunditatem spiritualis germinis. Et cincinni (per quos evaporantia a capite divinitatis in humanitatem signantur) sunt pleni guttis noctium, hoc est, humore consolationis, æstum tribulationis refrigerantibus in noctibus adversitatum hujus sæculi. Apocal. III, 20 : *Ecce ego sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Quia interiores in gratia præparabo refectiones.

De adventu autem secundo, qui est per immissionem infirmitatis, dicit Isaias, v, 26 et 27 : *Ecce festinus velociter veniet. Non est deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit, neque dormiet.* Quia per infirmitatem mors appropinquare non cessat : et non deficit, quia continuo plus et plus aggravatur.

De pulsatione illi adventui respondente dicitur, Proverb. XVI, 14 : *Indignatio regis nuntii mortis.* Isa. XXV, 4 : *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* Hoc enim fit, quando mors pulsat ad intrandum.

« Confestim aperiant ei. »

Diligens enim advenientem Dominum sive ad gratiæ augmentum, sive ad remunerandum venientem, statim aperit venienti. Aperit autem primo adventui per devotionem : secundo autem per exitus ad eum congratulationem.

De primo dicit cum sponsa, Cantic. v, 5 : *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Quia nisi cito aperiatur ei per occursum

devotionis, timendum est quod transeat : sicut, Ibidem, ℣. 6, sequitur : *At ille declinaverat, atque transierat.*

De apertione respondente secundo adventui et pulsationi, quando per desiderium moriendi desiderat anima transire cum judice desiderato ad requiem, dicitur in Psalmo CXVII, 19 et 20 : *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Qui enim scit se ad requiem transiturum, quod mors sua introitus est vitæ, iste statim dicit cum Paulo, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.*

37 « Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes. »

Hic post admonitionem, tangit hujus sollicitudinis rationem.

Tangit autem duas rationes. Unam quidem sumptam a ratione mercedis : aliam autem a ratione periculi furis, quod imminet ei qui non vigilat sollicite.

Illa autem quæ sumitur a ratione mercedis tres habet paragraphos. Unus quidem sumitur a ratione beatitudinis in genere : alius autem sumitur a quadam illius beatitudinis in specie : tertius autem est quasi conclusio istorum duorum. Et explicat vigilandi modum, secundum distinctiones vigiliarum.

De primo autem exprimit tria : rationem mercedis et laudis, conditionem et debitum vigilantis, et vigilantis meritum laboris.

De primo dicit : « *Beati.* » Jamdudum dictum est quod beatitudo sonat aliquid perfectum : unde beatus in vigilando est, perfectionem attingens vigiliæ. Vigiliæ autem beatitudo est, sobrietatem sensuum ab ineunte ætate ad Dominum et sapientiam extendere, et omnem modum observantiæ ostendere ad studium sapientiæ. Eccli. XXXIX, 6 : *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.* Vigilia enim, sicut dicit Philosophus, est expansio caloris et spiritus ad exteriora organa sensuum. Et summum ejus est, quod ad Deum et sapientiam extendatur. Iste enim semper vigilat, qui spiritum totum ad Domini adventum extendit. Et ille talis est beatus qui semper corde ad Deum vigilat. Cantic. V, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Si enim semper homo sit vigil, et quando dormit pro necessitate corporis, quod etiam somniat Domini adventum, ille vigilia sua beatus est. Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Psal. LXII, 2 : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* Somnus enim pigri est. Piger autem omnia negligit. Proverb. VI, 9, 10 et 11 : *Usquequo, piger, dormies ? Quando consurges e somno tuo ? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias : et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.* Est ergo beatitudo ista in hoc quod homo corde vigilet, et sollicitudine continua, sensus et spiritum extendat ad ea quæ Dei sunt, quæ sunt sibi commissa de cura proximorum.

Conditionem autem tangit, quando dicit : « *Servi illi,* » in domo nati, pretio sanguinis comparati, et in bello acquisiti et reservati. Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Servus, inquam, in bello acquisitus et reservatus, et iterum servus pretio sanguinis emptus, et filius ancillæ, hoc est, Ecclesiæ in domo natus, ejus a sacramentis nutritus.

Causam autem beatitudinis istorum enumerat, quando dicit :

« Quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. »

Venit enim Dominus sicut fur, I ad

Thessal. v, 2 : *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Apocal. III, 3 : *Veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Hoc enim in bonis magis est laudabile, quod fit ex habitu plusquam ex præmeditatione, sicut dicit Philosophus. Et ideo si non prævisos, invenire paratos, signum est quod ex habitu vigilent. Et illi non vigilant nisi propter bonum, et ideo præ omnibus sunt laudabiles. Matth. XXVI, 41 : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* I Petr. v, 8 et 9 : *Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

Summa enim sollicitudine vigilandum est, tum propter adventus Domini incertitudinem, tum propter studium adipiscendæ sapientiæ et laborem, tum propter commissorum provisionem, tum propter ipsius vigiliæ utilitatem. De adventus quidem incertitudine dicitur, Matth. XXIV, 42 : *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* De studio autem sapientiæ, cui semper attendendum, Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* De vigilia commissorum, Luc. II, 8 : *Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* De utilitate vigiliæ et sobrietate, Eccli. XXXI, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes,* hoc est, carnalem concupiscentiam, *et cogitatus illius auferet somnum,* hoc est, pigritiam dormitantem. Vigil enim præparat seipsum : somnolentus autem præoccupatur a periculo. II Reg. IV, 6 et seq., Baana et Rechab interfecerunt Isboseth (vir confusionis) dormientem in ferventi die, dormientem super lectum, cum ostiaria purgans triticum obdormivisset. Baana *respondens* significat pœnam peccato respondentem. Rechab autem *mollis pater* signat carnis mollitiem. Hi intrant in domum viri confusionis interne dormientis in fervore diei, hoc est, in domum concupiscentiæ carnali servientis et lascivientis in strato suo : ostiaria ancilla, hoc est, ratione (quæ purgare deberet triticum, hoc est, animi in verbo Dei refectionem) dormiente. Et percusserunt eum in inguine, per appetitum fornicationis. Et mortuus est, et regnum et honor regni ablata sunt ab ipso. Hæc omnia effugit qui sobrietatem et vigilias diligit. Et ideo dicit etiam Cato :

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.

Ideo etiam dixit Dominus Petro : *Simon, dormis ? non potuisti una hora vigilare* [1].

Et hoc est quod dicit : « *Quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes.* »

« Amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. »

Hic ponit retributionis promissionem, præmittens promissionis confirmationem, cum dicit : « *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis. Quamvis immobile sit Dei verbum simplicis promissionis, tamen humano modo nobis et infirmitati nostræ condescendens ad promissionem ponit assertionis et juramenti confirmationis. Ad Hebr. VI, 17 et seq. : *Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum habeamus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

[1] Marc. XIV, 37.

« Quod præcinget se. »

Ecce promissio retributionis.

Et tangit tria : gloriosam scilicet retribuentis præparationem, nostri commodam dispositionem, ad suscipiendum retributionem, et honorificam nimis in retribuente remunerationem.

De primo dicit quod « *præcinget se,* » hoc est, gloriose se ad retribuendum per seipsum præparabit. Præcinxit enim se humiliter in obsequio, Joan. XIII, 4 et 5, quando adhuc mortalis, *surgit a cœna, et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum suorum, et extergere linteo quo erat præcinctus.* Et quod tunc fecit ad humilitatis obsequium, in gloria immortali exhibet ad decoris præmium. Sicut autem dicit Augustinus super illud Psalmi XCII, 1 : *Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est fortitudinem, et præcinxit se,* scilicet virtute. « Nos cingimur ad operandum, succingimur ad ambulandum, accingimur ad pugnandum, præcingimur autem ad ministrandum. »

Et de cinctione quidem dicitur, Isa. XI, 5 : *Erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* Quia non bene operatur cujus lumbi per fluxum defluunt : nec bene accepta est Deo operatio in qua delectamenta carnalia fides non restringit.

De accinctione autem dicit Psalmus XLIV, 4 : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.* Gladius enim verbi Dei peccatores transverberans, femur premit, quando in nobis illecebras occidit. Et tunc dicere possumus illud Apostoli, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

De succinctione autem dicitur, I Petr. I, 13 : *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Ad Ephes. VI, 14 : *State ergo succincti lumbos vestros in veritate,* præparati ad iter cœptum in profectu meritorum.

De præcinctione autem dicitur, Job, XII, 18 : *Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum,* hoc est, in ministris suis, sæculari pompa deposita, in asperitate et humilitate facit eos sibi ministrare. Sicut et ipse Dominus sæcularibus pompis dimissis, asperitate et humilitate præcinctus, discipulis ministravit. In gloria autem jam indutus decore gloriæ corporis, præcinget se quando decorem omnium Angelorum et beatorum anterius sibi adhibebit. Hoc enim est præcingi, anterius sibi aliquid adhibere. Adhibebit igitur sibi anterius illum pretiosum decorem beatorum, quos omnes in gloriam Sanctorum convertet, et sic se ad obsequendum præparabit. Sic enim etiam verum est quod dicitur, ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Job, XL, 5 : *Circumda tibi decorem, et in sublime erigere, et esto gloriosus.*

« Et faciet illos discumbere. »

Ecce commoda multum nostra dispositio. Sicut enim dicit Glossa : « Nostrum discumbere est in regno quiescere. » Discubitus enim est commoda corporis positio, composita ex jacendo et sedendo, quando dorsum molli recipitur reclinatorio, et inferiora molli culcitra recipiuntur. Matth. VIII, 11 : *Recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* Recubitus autem iste sive discubitus est secundum sedes, et loca, et mansiones paratas in gloriosa : de quibus dicitur, Joan. XIV, 2 et 3 : *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum.* Et, ante, ℣. 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* In his gloriæ sempiternæ receptaculis faciet illos discumbere : sicut,

Genes. XLIII, 33, fratres Joseph sederunt, et discubuerunt coram eo in gloria sua, remoto omni incommodo corporis et animæ. Apocal. XXI, 4 : *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

« Et transiens ministrabit illis. »

Transibit qui numquam transibit, qui stabilis manens dat cuncta moveri. Psal. CI, 28 : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

Transibit tamen triplici transitu in gloria ministrando : corporali videlicet, mentali, et corporali simul et mentali. Corporali quidem transibit in seipso, quando post judicium de aere in quo occurrent ei Sancti cum eis movebitur. I ad Thessal. IV, 17 : *Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Mentali autem transitu non transibit in se, sed in Sanctis : quando novis illuminationibus et consolationibus reficiet Sanctos. Eccli. XXIV, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Simul autem corporali et mentali transibit in Sanctis, quando sensibus corporis exhibebit gloriam corporis, et menti exhibebit gloriam deitatis. Joan. X, 9 : *Per me si qui introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Glossa Augustini : « Foris egrediens pascetur in Salvatoris humanitate. Intus egrediens pascetur in Salvatoris divinitate. Et sic utrobique pascua inveniet. » Ezechiel. XXXIV, 15 : *Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam.*

Sic igitur « *transiens ministrabit illis.* »

« Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. »

Hic ponit sub distinctione vigiliarum, beatitudines vigilantium.

Tangit autem duas vigilias, in quibus magis laudabile est vigilare.

Ad hoc autem intelligendum notandum est, quod quatuor sunt vigiliæ noctis, quæ distinctæ sunt a Sanctis, et in quibus nox nihil de lumine diei habet admixtum.

Quarum prima vocatur *intempestum*, quæ est quasi primus somnus in primis tribus horis noctis, et tunc somnus est valde profundus, et obscurus : et ideo paucissima somnia sunt illius horæ sive vigiliæ : quia spissus fumus resolutus a loco digestionis ita obscurat organa sensuum et oppilat organa, quod phantasmata et motus a sensibilibus facti in eis apparere non possunt. De hac vigilia mentio fit, III Reg. III, 20 : *Consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu meo.* Quasi dicat : Quando gravissimus sopor erat, non potui percipere ablationem filii mei vivi, et repositionem filii sui mortui in sinum meum.

Secunda autem vocatur *conticinium*, quæ est quasi secundus somnus : quando jam spissitudo fumorum et cibi aliquantulum sunt attenuati, et membra corporis conquiescunt jam suaviori somno, membra reficiente et nutrimentum separante tam in stomacho quam in hepate : ita quod humor cibalis jam infundi incipit et trahi versus venas, et gravat eas. Et quia tunc motus inordinati caloris residere incipiunt, ideo *conticinium* vocatur. Et de hac vigilia mentio fit, Sapient. XVIII, 14 et 15 : *Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus venit.* Hæc enim vigilia extenditur usque ad medium noctis, et habet etiam tres horas particulares.

Tertia autem vigilia vocatur *gallicinium*, quando jam ab angulo mediæ noctis sub terra sol incipit ascendere. Et de hac vigilia mentionem facit Dominus, Matth. XXVI, 34 : *Hac nocte, antequam*

gallus cantet, ter me negabis. Tunc enim propter solis ascensum moveri incipit nutrimentum ad exteriora organa sensuum. Et ideo somniare incipiunt paulatim animalia, et moveri. Et ideo quædam garriunt, et galli cantant.

Quarta autem vigilia vocatur *antelucanum*, quando sol versus horizontem appropinquare incipit : et ideo tunc nutrimentum ab interiori motu in tertia vigilia incipit superfundi organis sensuum, et somnus incipit attenuari et dulcescere, et somnia incipiunt multiplicari ex suavi motu organorum a nutrimento. Et ideo animalia tunc sunt multi garritus, et gallorum cantus crebrescunt. Et de hac vigilia mentio fit, Exod. XIV, 24 et 25 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Matth. XIV, 25 : *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans supra mare.*

De omnibus his quatuor vigiliis simul dicitur, Marc. XIII, 35 : *Nescitis quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*

Quælibet autem istarum vigiliarum secundum Astronomos in tres horas distribuitur : et sic nox habet duodecim horas, sicut et dies. Joan. XI, 9 : *Nonne duodecim sunt horæ dici ?* Sed tunc prima hora noctis vocatur *crepusculum*, et ultima vocatur *diluculum :* quia prima hora noctis lucem solis habet vergentem in tenebras, et ultima habet eamdem emersam de tenebris ad lucem diei. Sed illæ duæ partes horarum non vocantur vigiliæ : quia in illis excubiæ non solent poni, eo quod in illis communiter homines vigilant.

Hæ quatuor vigiliæ solent a Sanctis attribui quatuor ætatibus hominum : ita quod prima sit pueritia et juventus, habens ante se quasi unam partem horæ infantiam. Secunda autem sit virilis ætas, quando vita naturæ stat in robore. Tertia autem sit senectus, quando jam declinante virtute, stat adhuc substantia, et corporum et membrorum habitudo. Quarta autem sit senium, quando defecta jam virtute etiam corpus incipit rugari, et incurvari, et deformari. Et secundum hoc de prima vigilia non facit Dominus mentionem : quia illa mersa est in ætate humida, et nullam habet experientiam : et ideo in illa dormitare habet per ignoscentiam et misericordiam. De ultima etiam non facit mentionem : quia illa et virtute et corpore deficit et defecta est, et ideo a labore sollicitudinis excusata, quia quasi enervata est : sed de secunda quæ est in robore, et virtutis, et corporis : et de tertia, quæ licet jam virtute declinet, non tamen est notabilis defectus, et habet jam experientiam faciendorum. Et ideo illis duabus major indicitur sollicitudo, et fures et latrones illis magis insidiantur : quia in illis horis magis quietus est somnus.

Hoc est ergo quod dicit :

« Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, »

Quando fures solent insidiari. I ad Thessal. V, 2 : *Ipsi diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Apocal. III, 3 : *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Fur enim, ut Labeo dicit, a furno dicitur, quod est nigrum . quia in nigro, hoc est, in obscuro venit. Voluit enim Dominus incertam et ignoratam nobis esse horam mortis, ut semper simus parati. Matth. XXIV, 44 : *Et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.* Et ideo dicitur, Amos, IV, 12 : *Præparare occursum Dei tui, Israel.* Exod. XIX, 15 : *Estote parati in diem tertium*, hoc est, in quodlibet futurum. Genes. XXX, 33 : *Respondebit mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit.*

Et hoc est quod sequitur :

« Et ita invenerit, »

Vigilantes scilicet et sollicitos : quia tales numquam præveniuntur a morte et a veniente Domino, sed semper præveniunt, et mortem, et Dominum. Unde, Sapient. IV, 7 : *Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* : quia licet tempore præoccupetur, tamen præparatione semper prævenit mortem Job, XIV, 15, dixit Job præparatus : *Vocabis me, et ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram.*

« Beati sunt servi illi, »

Beatitudine actus perfecti secundum vigiliarum sollicitudinem. Proverb. VIII, 34 et 35 : *Beatus homo qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Et sic, ideo vigilantes sunt beati.

« Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. »

Ecce secunda ratio a præcautela periculi

Duo autem facit in hac ratione, quorum primum est similitudo præmissa humana in cautela periculi : secundum autem admonitio cautelæ sumpta a dicta similitudine.

De primo dicit duo. Præmittit enim assertionem, et secundo supponit similitudinem.

De assertione dicit sic : « *Hoc autem scitote.* » Quasi dicat : Ex verbis meis, et humana ratione « *scitote,* » quia quidquid scitur est verum, et fallere non potest. Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.*

« *Quoniam si sciret paterfamilias,* » qui habet curam gubernandæ domus et familiæ. Et hunc debet esse similis Doctor et gubernator Ecclesiarum. Matth. XIII, 52 : *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.*

« *Qua hora fur veniret,* » qui in nigro, hoc est, in obscuro aufert : quia ille est diabolus qui aufert. Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Qui autem improvisus venit, non ut perdat, sed ut secundum merita retribuat, nec est fur, sed in adventu habet furis similitudinem, ille est judex Filius hominis : quia ille sicut fur venit improvisus. Matth. XXV, 6 : *Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit.* Eccle. IX, 12 : *Nescit homo finem suum : sed sicut capiuntur pisces hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint : Pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

« Vigilaret utique, »

Hoc est, oculos et sensus ad lumen aperiret. Et ita vigilat homo de salute sua sollicitus, oculos et sensus ad æternum lumen aperiendo, et cavendo ne domus corporis sui improvisa morte suffodiatur, et thesaurus animæ perdatur. Domus enim corporis, domus lutea est, et de facili suffoditur. Job, IV, 19 : *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.* II ad Corinth. V, 1 : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.*

Et hoc est quod sequitur :

« Et non sineret perfodi domum suam, »

Supple, improvise : quia fundavit eam supra petram, ubi suffodi non potest. Matth. VII, 25 : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat supra petram.* Thesaurum etiam reponeret in cœlo, et tunc insidias a furibus non pateretur. Matth. VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Ideo, I Petr. I, 4, dicitur : *In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis.*

40 « Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. »

Conclusio est a simili. « *Et,* » conjunctio quæ videtur copulativa, illativa est : et est sensus : ergo « *et vos estote parati,* » quia ad similitudinem furis continuo perfoditur domus inhabitationis vestræ. Psal. CXVIII, 60 : *Paratus sum, et non sum turbatus.* II ad Corinth. IX, 2 : *Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos.* Æmulando parati esse debemus ut alios ad similem præparationem provocemus.

« *Quia qua hora non putatis,* » eo quod eam prævidere non potestis. Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Sicut enim nihil certius est morte, ita nihil incertius est hora mortis.

« Filius hominis veniet. »

Hoc dicit, quia in humana natura in qua judicatus est, alios judicabit. Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Primo in judicio particulari uniuscujusque, et deinde in judicio universali omnium. Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.* Joan. V, 22 : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Et, ibidem, ℣. 27 et 28 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc.*

Sic ergo per rationes ad vigilandum inducit.

« Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? »

Hic incipit pars illa de quæstione et responsione Petri. Multa enim dixerat Dominus : quædam communiter pertinentia ad omnes : quædam autem specialiter ad discipulos : quædam figurative dicta : quædam aperte. Et ideo quærit Petrus dicens : « *Domine, ad nos dicis.* »

Et dividitur in partes duas, in quarum prima ponitur quæstio Petri : et in secunda, responsio Domini.

Dicit ergo : « *Domine, ad nos,* » ne tangat discipulos et Apostolos tantum, « *dicis,* » præmonendo nos, « *hanc parabolam,* » hoc est, similitudinarium sermonem.

« *An ad omnes* ? » scilicet Prælatos et subditos, Apostolos, sive discipulos : an et ad alios omnes indifferentes homines ?

Parabolam autem vocat similitudinarium sermonem : sicut de lumborum præcinctione, et adventu furis, et hujusmodi. Sublimia enim instituta sunt, quæ oportet observare exspectantes Dominum. Et ideo quærit Petrus, Si hæc tantum pertineant ad Apostolos, et successores eorum : an etiam ad alios omnes exspectantes Domini judicium ? Ad Titum, II, 12 et 13 : *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei.* Malach. III, 1 et 2 : *Ecce venit... et*

quis poterit cogitare diem adventus ejus? et quis stabit ad videndum eum? Et ideo non est mirum, si dubitat Petrus de his, quæ pertinent ad tanti adventus præparationem.

Ex quibusdam enim verbis, adventus ad judicium videtur pertinere ad Apostolos solum, et eorum successores: sicut ex illo, Matth. XIX, 28: *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Ex quibusdam autem videtur pertinere ad omnes electos, Matth. XXIV, 28: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.* Sed quoad judiciariam potestatem pertinet ad Apostolos et successores Apostolorum, qui judicabunt cum Christo. Quoad benedictionem autem et possesionem beatitudinis, pertinet ad omnes electos hoc quod in ante habitis dictum est. Et ideo licet principaliter hujusmodi sollicitudo indicatur Prælatis, qui sunt successores Apostolorum, tamen secundum modum uniuscujusque pertinet ad omnes. Unde hæc fuit causa dubitationis Petri.

41 « Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens. »

Hic incipit responsio Domini de solutione quæstionis inductæ.

In hac autem responsione tria continentur: in quorum primo beatitudine magna extollitur vigilans, et se ad adventum Domini præparans, et ostenditur esse rarus: in secundo, mali servi ostenduntur stipendia malorum meritorum: in tertio, per modum supradictum dissolvitur Petri quæstio. Dicitur, quod ad unum plus pertinet cui plus commissum est, et ad alterum minus cui minus committitur.

In primo horum tria continentur: ejus scilicet, qui dicta observat raritas, et observantis beatitudo, et ejusdem beati remuneratio.

Horum autem primum rursus sex continet, quorum primum est hæc observantis raritas, secundum in dispensando utilitas, tertium in commisso fidelitas, quartum prudentiæ et circumspectionis ejus sagacitas, quintum vocationis ejusdem puritas, sextum est finis vocationis ejus, ostensa sinceritas.

De primo horum dicit:

« Quis, putas, est, etc. »

Quasi dicat: Tu quæris, Petre, an ad omnes dicam præparationis inductæ et sollicitudinis parabolam. Sed, « *quis, putas, est,* » qui teneat ea quæ dicta sunt? Heu! rara enim avis est in terris tantæ perfectionis homo, qui sollicitudinem illam exhibeat, et illam fidem ad me ostendat. Luc. XVIII, 8: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Eccle. VII, 29: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* I ad Corinth. IV, 2: *Jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.* Psal. XIII, 3: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Ad Philip. II, 21: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* II Reg. XIX, 10: *Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam.*

« *Quis* ergo, *putas, est* » talis? et quis tam

« Fidelis »

In commisso sibi grege? vel talento donorum Domini sui? Fides enim, ut dicit Augustinus, componitur a *fiant*, et *dicta*. Et dicitur fides quando dictis facta compensantur. In commisso enim grege, et commisso talento donorum magna promittuntur: et si compensantur factis, tunc est fidelis in commisso qui hæc facit. Si autem non fit vel minus fit, ille non est fidelis. Proverb. XX, 6: *Multi*

homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet? Sic fidelis in commisso fuit de quo dicitur, I Reg. III, 20 : *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.* Et ideo ipse summus sacerdos, bona pro tam fideli dispensatore imprecatus est, dicens : *Reddat tibi Dominus... pro fœnore quod commodasti Domino*[1]. Ille enim fidelis fuit, quia omnia quæ promisit, exhibuit in facto.

Est autem et alter fidelis in commisso præcepto, qui omnia sibi imposita et imperata ad honorem Domini sui fideliter peragit. I Reg. XXII, 14 : *Quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tuo?*

Est tertio modo fidelis in obsequio, non serviens ad oculum vel pro mercede, sed ex fide quam habet ad Dominum. Eccli. XXXIII, 31 : *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.*

Quarto modo adhuc fidelis est, qui omnes divitias et gloriam Domini in potestate accipiens, nihil de omnibus sibi attribuit. Bernardus : « Fidelis profecto « minister eris : si de universa gloria « Domini tui, etsi transeunte per te, ni« hil manibus tuis adhærere contingat. » Et sic fidelis fuit Joseph, Genes. XXXIX, 8 et 9 : *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es : quomodo ergo possum hoc malum facere,* infidelitatis scilicet, *et peccare in Deum meum?*

Est quinto modo fidelis, qui omnia ad Deum refert, fidei Domini omnia committens, et propter solam spem quam in Deum habet serviens. Eccli. XLV, 4 : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* Et sic fidelis fuit Abraham, ad Roman, IV, 20 et 21 : *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere.*

Sexto modo fidelis est, qui omnia quæ credit operibus ostendit, sola dilectione omnia complens, ad quæ fides illuminat. Ad Galat. V,6 : *Fides quæ per charitatem operatur.* Jacob. II, 26 : *Fides sine operibus mortua est.* Et, ibidem, ℣. 18 : *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

Omnibus ergo his modis, « *quis, putas, est fidelis?* » Si enim aliquis istorum modorum deficiat, non potest dici fidelis : aut enim promissa non complet, aut præcepta non implet, aut fraudat obsequium, aut bona subtrahit, aut ea quæ facit infideliter ad Dominum non refert, aut fide mortua, sicut dæmones credunt, et in rem creditam apud Deum non habens spem, non tendit : et ideo fidelis non reputatur.

« Dispensator. »

Hic notatur in dispensando utilitas. Dicitur enim *dispensator*, qui pro diversitate personarum, et temporum, et locorum, et bonorum sibi commissorum utiliter distribuit distribuenda, et utiliter reservat reservanda. Talis ergo proprie est dispensator. Talis fuit dispensator domus Joseph[2].

Oportet autem dispensatorem tria habere : primum quidem ut sit idoneus sine crimine existens : secundum autem ut gratiam, quam accepit in bonis interioribus vel exterioribus, libenter administret ex dilectione quam habet ad familiam, supra quam constituitur : tertium ut ex timore Dei, postposito timore hominum, familiæ Dei nihil subtrahat bonorum Domini sui.

Et de primo quidem horum dicitur, I ad Timoth III, 2 : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse,* scilicet sicut Dei

[1] I Reg. II, 20.

[2] Cf. Genes. XLIII, 19 et seq.

dispensatorem. De secundo autem dicitur, I Petr. IV, 10 : *Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes : sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* De tertio autem dicitur, III Reg. XVIII, 3 et 4 : *Vocavit Achab Abdiam dispensatorem domus suæ : Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret, Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua.* Iste ergo bonus fuit dispensator, qui licet mali hominis fuerit dispensator et malæ mulieris, non veritus est malitiam regis et reginæ, quominus pabula servis Dei etiam de propriis sumptibus dispensaret. Hæc igitur tria ad bonum exiguntur dispensatorem.

Quidam autem quartum his apponunt, quod est bona opinio sive fama. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed hæc necessaria est propter alios, et non propter seipsum.

His igitur tribus vel quatuor habitis, bonus erit dispensator eorum quæ sibi committuntur.

Hoc ergo est quod dicit : *Quis, putas, est fidelis dispensator ?* »

« Et prudens. »

Prudentia est (ut dicit Philosophus) cum ratione activus habitus. Est autem prudens in dispensando, qui pecuniam domini et alia bona prudenter multiplicat, et caute damna domini sui excludit : sicut sapientiam per doctrinam multiplicans, et per cautelam serpentinam excludit nequitiam, ne virus in subditos effundat. De primo horum dicitur, Proverb. XIV, 33 : *In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.* Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* De secundo autem dicitur, Matth. X, 16 : *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Quia excludunt astutia boni serpentis, venenum serpentis mali : bonus enim serpens curat a mali serpentis morsu. Numer. XXI, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo, et qui percussus adspexerit eum, vivet.* Joan. III, 14 et 15 : *Sicut Moyses exaltavit, serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic ergo prudens bonum bene dispensat. Et taliter prudens debet esse dispensator Ecclesiæ Dei.

E contra autem insipiens in dispensando, et fraudulentus in retinendo, non debet Ecclesiæ Dei præponi. Isa. XXXII, 5 et 7 : *Non vocabitur ultra is qui insipiens est princeps, neque fraudulentus appellabitur major... Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

« Quem constituit dominus supra familiam suam. »

Ecce puritas vocationis.

Et notantur hic duo : stabilitas et auctoritas.

Stabilitas notatur in hoc quod dicit : « *Quem constituit,* » hoc est, stabiliter et immobiliter posuit : ut nec terrore, nec pretio moveatur. Sed potius principibus exhibeat se Eliam, populis Joannem. De Elia enim dicitur, Eccli. XLVIII, 13 : *In diebus suis non pertimuit principem.* Et hoc implevit, III Reg. XVIII, 17 et seq., ubi Achab et Jezabel non extimuit. Joannes autem nec ad favorem populi, nec ad terrorem movebatur. Matth. XI, 7 : *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?* Quasi dicat : Non. Ergo constitutus est a Deo immobiliter. Isa. XXII, 23 : *Figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solium gloriæ domui patris ejus.* Psal. XLIV, 17 : *Constitues*

eos principes super omnem terram. Psal. II, 6 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.*

Auctoritas autem notatur per hoc quod dicit :

« Dominus. »

Non enim debet intrudi per potentiam sæcularem, sicut Alcimus : nec pretio sæcularis potentiæ, sicut Jason : nec emere debet, sicut Simon : nec amore pecuniæ sacramenta dispensare, sicut Giezi : nec sine signis evidentis sanctitatis et idoneitatis constitui, sicut idiotæ : sed cum signis divinis sicut Aaron, cujus virga vitæ rectitudinis gemmata est, conceptione virtutis floruit, pulchritudine bonæ opinionis fronduit, eloquentia sacræ prædicationis protulit divini fructus amygdalum, dulcissimum fructum virtutis et honestatis. Ad Hebr. v, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Unde et Dominus, Numer. XVII, 10, præcepit ut virga Aaron referretur in tabernaculum testimonii fœderis, ut esset ibi in signum contra rebelles Domino ex ambitione potestatis ministrorum. Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna.*

« Supra familiam suam. »

Et ideo sollicite dispensandum. Quia et bona Domini sunt quæ committuntur ad dispensandum, et familia Domini cui eroganda sunt commissa. Act. XX, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Exod. XVIII, 21 : *Constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos.* Non enim parvi æstimanda est familia, quam tam caro pretio sui sanguinis emit Dei Filius. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine agni immaculati Christi.* I ad Corinth. VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno : glorificate, et portate Deum in corpore vestro.* Qui ergo super tales ponitur, multum debet esse sollicitus : et ut commissa talenta utiliter impendat, et familiam prudenter conservet, et fideliter custodiat.

« Ut det illis in tempore tritici mensuram ? »

Ecce finis : sinceritas in prælatione, qui non præest nisi ut prosit, et nihil in potestate delectetur.

Tangit autem quinque : gratam videlicet (quæ gratis impenditur) donorum domini sui donationem : eorum quibus talis debetur donatio discretionem : temporis opportuni considerationem : eorum quæ donanda et distribuenda sunt nobilitatem : et distributionis ad unumquemque congruentem proportionem.

De primo dicit : « *Ut det,* » non vendat, nec ingratis ingerat, nec coactam et exactam violentiam exspectet vel timeat : sed gratis « *det.* » Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Sacramenta enim Dei non vendenda, sed gratis sunt exhibenda. Unde etiam Petrus princeps Apostolorum dixit Simoni, Act. VIII, 20 et 21 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem :... non est tibi pars, neque sors in sermone isto.*

Sed, heu ! hodie sapientes facti sunt Archimandritæ. Unde qui dicunt omnia esse sua : et ideo licere sibi non pro sacramentis, sed de suo accipere. Sed attendant quod universorum Dominus, Matth. XXI, 12 et 13, nummulariorum effudit æs : et his qui columbas vendebant (qui etiam Principes erant Sacerdotum) dixit : *Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* [1] : cum tamen omnia sua essent,

[1] Joan. II, 16.

nec sibi offerri poterat nisi suum pro suo.

Si autem forte dicant, quod Christo non offerebatur, sed Sacerdotibus. Responsio, quod illi Sacerdotes tunc erant, quibus a tempore Machabæorum summa rerum commissa fuit. Et habebant regnum et sacerdotium sicut illi, vel plus quam isti : et ideo illis non potuit offerri quod suum non esset, secundum quod nostri temporis Sacerdotes interpretantur : et tamen Christus dicit, quod hæc commercia domus Patris sui, domus sit negotiationis : ergo nec isti ea facere possunt quæ faciunt.

Adhuc autem, Quid dicent de Petro, qui fundamentum est Ecclesiæ,et vertex, et Cephas, hoc est, *caput* interpretatur ? Hic enim tantæ ut isti (si Deo placet) fuit auctoritatis, etsi non tantæ fuerit possessionis : et tamen dixit Simoni : *Pecunia tua tecum sit in perditionem* [1] : ergo vel isti contemnant pecuniam, et salventur : vel accipiant perditionis præmium, et condemnentur. Sacramenta enim Christi vendere, est Christum vendere, et cum Juda iniquitatis mercedem possidere.

Omnia ergo hæc excludens dicit : « *Ut det,* » non vendat, vel extortam exhibeat. Sic fecit Christus, ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.* Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

Hoc ergo est quod dicit : « *Ut det.* »

« *Illis,* » Non extraneis. Suis enim, hoc est, sibi commissis principaliter quilibet debet intendere. I ad Timoth. V, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Hinc est quod dicit Dominus, Joan. X, 3 et 4 : *Proprias oves vocat nominatim,... ante eas vadit, et oves illum sequuntur.* Hinc est etiam quod Paulus dicit, Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quasi dicat : Illis specialiter tenemini, qui regimini vestro sunt commissi.

« In tempore. »

Ecce temporis opportuni consideratio : quia non vilificanda sunt sacramenta, nec iterum tempore necessitatis retinenda : sed pro congruitate temporis exhibenda, maxime in confessione, et communione Eucharistiæ. Quidam stulti omni tempore confiteri, et communicare volunt : quidam autem pro libitu suo in tempus longum differre. Ideo præcipitur, ut pro temporis congruitate sacramenta exhibeant. Non quidem pro stultitia cujuslibet petentis, ne vilescant : nec etiam pro malitia et indevotione cujuslibet differantur, ne populus dilabatur : sed pro congruitate temporis et exhibeantur, et subtrahantur. Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa.* Eccli. XX, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.* Psal. CIII, 27 : *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore,* scilicet opportuno.

« Tritici. »

Adeps gratiæ sacramentalis vocatur hic triticum. Est tamen triplex triticum : sacramenti, spiritualis edulii, et temporalis subsidii.

De tritico sacramenti dicitur in Psalmo CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Psal. LXXX, 17 : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* Adeps frumenti, gratia est Eucharistialis : et mel de petra, est dulcedo sanguinis de corpore Christi : frumentum autem edulii spiritualis, est refectio verbi Dei : quia sicut dicitur, Deuter. VIII, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur ore Dei.* Hoc conqueritur subtractum Jeremias in Threnis, II, 12, di-

[1] Act. VIII, 20.

cens : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum,... cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum*, a facie tempestatum famis. Sic, heu ! est hodie : quia Pastores litigantes in causarum cavillationibus, nec unum iota sciunt de eo quod est vere triticum animarum, quod est scientia verbi Dei. Sed non dicitur : Ut det illis in tempore litis materiam, sed, ut det illis in tempore « *tritici.* »

« Mensuram. »

Triticum subsidii temporalis est : de quo dicitur, Nehem. seu II Esdræ,v, 10 : *Ego, et fratres mei, et pueri mei, commodavimus plurimis pecuniam et frumentum : non repetamus in commune istud.* Ideo Petro dictum est ter : Pasce, pasce [1]. Pasce pane sacramenti, pasce pane verbi et exempli, et pasce pane temporalis subsidii.

Sic ergo, « *Quis, putas,* » vitæ idoneitate, « *est fidelis,* » in intentione, « *dispensator,* » officii officiosa humilitate, « *et prudens,* » in officii exsecutione, « *quem constituit dominus,* » in officii susceptione, « *super familiam suam,* » in gubernationis mansuetudine. Esther, XIII, 2 : *Cum plurimis gentibus imperarem, et universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos.*

« *Ut det illis in tempore tritici mensuram,* » unicuique pro modulo suæ capacitatis, triticum sacramenti, spiritualis alimenti, et temporalis subsidii.

Dicit autem : « *Mensuram,* » quia quod competit uni, non competit aliis : præcipue in subsidio spirituali. Parvulorum enim est lac, et non solida doctrina. Perfectorum autem doctrina est solida. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Ad Hebr. v, 14 : *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Ideo est quod præcipit Dominus, Exod. XVI, 16, quod manna colligerent ad mensuram gomor per singulos dies, secundum quod sufficere poterat unicuique.

« Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit ita facientem. » 43

Hic incipit pars illa, in qua talis servi ponit beatitudinem et remunerationem.

Et habet duas partes : in quarum prima ponit beatitudinis laudem : in secunda autem ponit remunerationem.

Tangit autem tria : in quorum primo tangit talis servi beatitudinem : in secundo, tangit illius beatitudinis ex tempore designationem : in tertio autem ex opere ejusdem beatitudinis tangit causalitatem.

In primo horum tangit tria : beatitudinem, significantiæ discretionem, et tam humilis dispensatoris conditionem.

Beatitudinem tangit, cum dicit : « *Beatus.* » Significantiæ discretionem tangit, cum dicit : « *Ille.* » Conditionem autem tangit, cum dicit : « *Servus.* » Sicut enim sæpe diximus, beatitudo semper aliquid vult sonare perfectum. Unde beatus, et in bono divinissimo, quod non ad se solum sed ad totam derivatur Christi familiam, est quod in gubernatione familiæ sit perfectus. Propter quod, Matth. XVI, 17, cum Petrum super Eccesiam vellet constituere, dixit : *Beatus es, Simon Barjona.* Beatitudo enim semper est in abundanti bono, quod profunditur ad alios. Sicut in Actibus Apostolorum, XX, 35, Dominus dixisse perhibetur, quoniam *beatius est magis dare quam accipere :* quia accipere, videtur esse indigentis et imper-

[1] Joan. XXI, 15 et seq.

fecti : dare autem, superabundantis et beati est.

« *Ille.* » Signanter dicens, et discretionem notat, quia designabilis est, et rarus qui hæc quæ dicta sunt perficiat.

« *Servus,* » conditione. Cum enim servus sit, qui impeditis in se viribus animæ, ad suum regimen non sufficiens, alienum quærit rectorem. Ille *servus* Dei specialiter vocatur, qui in humano sensu non confidens, nec de viribus suis præsumens, ad Dei omnia refert gubernationem et adjutorium, dicens illud Psalmi CXXVI, 1 : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Sic enim sensus et vires ad Deum referre, et nihil de se præsumere, Deo regnare est.

« *Beatus* ergo *ille servus,* »

« Quem cum venerit dominus, »

Scilicet improvisus, sicut superius dictum est : quia improvisum paratum invenire, signum est quod semper et ex habitu virtutis paratus sit, et non ex studio deliberationis, vel necessitate timoris coactus. Psal. CXVIII, 60 : *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata sua.*

« Invenerit, »

Scilicet improvisum. Sic enim servum suum fidelem invenit esse David. Psal. LXXXVIII, 21 et 22 : *Inveni David servum meum,* hoc est, inveni quod David ex habitu virtutis est servus meus, et non ex coactione necessitatis : et ideo *oleo sancto meo unxi eum,* et ideo etiam *manus mea auxiliabitur ei.*

« Sic facientem. »

Ecce causalitas beatitudinis ex opere. *Sic* autem *facientem,* refertur ad omnia quæ de perfectione fidelis dispensatoris dicta sunt. Unde etiam, Apocal. III, 11, Dominus movet quemdam dicens : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Matth. X, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ad Galat. VI, 9 : *Bonum facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus,* scilicet vitam æternam, *non deficientes.*

« Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet constituet illum. » 44

Tangit hic istius beati remunerationem.

Et dicit duo : confirmationem cum dicit : « *Vere dico vobis,* » non enim dicit, nisi vere dicat is qui dicit, Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Joan. XVI, 7 : *Ego veritatem dico vobis,* quam audivi a Patre meo.

« Quia super omnia quæ possidet, etc. »

Remuneratio est : et tanguntur duo : remunerationis magnitudo, et altitudo.

In primo tanguntur duo : perfectio potestatis, et sufficientia remunerationis.

Perfectio potestatis tangitur in hoc cum dicit : « *Super omnia* » constituendus. Sufficientia autem remunerationis intelligitur in collatione universalis possessionis.

De primo est quod dicit Petro, Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* In tali enim pote-

state servi fideles constituti, sunt principes super omnem terram, et super omne cœlum. Est sic dicitur, I ad Corinth. III, 22 et 23 : *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Sic dicitur, ad Roman. VIII, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Psal. VIII, 8 et 9 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus : oves, et boves universas, insuper et pecora campi*, etc. Sic dictum est Adæ, Genes. I, 28 : *Replete terram, et subjicite eam.* Sic enim fidelis servus, potestatem accipit in omnibus bonis Domini : dummodo idoneitate vitæ, et humilitatis habitu, et dispensationis prudentia et fidelitate Dominum imitetur : quia sic vere Apostolus, et Apostolicus vocatur. Si autem potestate abutitur, tunc certe potestatem non recte habet, dicente Apostolo, II ad Corinth. XIII, 10 : *Secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.*

Sufficientia vero remunerationis est in omnibus quæ possidet Dominus. Omnibus enim his potest uti : spiritualibus quidem ad indulgentiam, et communicandum, et excommunicandum : temporalibus autem ad usus vitæ et ministerii expletionem accipiendum : dummodo omnia illa servet quæ dicta sunt, et non aliter. Si enim Domino infidelis est etiam in obolo, non habet potestatem. Sed fideli dispensatori omnia dispensanda traduntur ad honorem, et ad utilitatem Domini. Sicut enim expresse dicitur, Numer XII, 7 : *Servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* De tali servo et dispensatore dicitur in Psalmo VIII, 6 et seq. : *Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum : omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Qui autem aliis de causis et non a Deo, sed ab errore hominum dispensatores constituuntur, secundum rei veritatem non habent potestatem in bonis Domini tam spiritualibus quam temporalibus : sed potius tyrannorum more lupi rapaces sunt, ab aliis lupis super oves Domini ad devorandum constituti.

Etiam de his intelligitur id quod sequitur :

« Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire. » 15

Hic enim tanguntur mali servi dispendia.

Et tanguntur duo : quorum primum est corruptio mali servi : secundum autem damnatio respondens corruptioni.

Corruptio autem attenditur secundum tria, in quibus perfecta et ad fidem devoluta est corruptio. Tangit enim primo corruptionem secundum rationem, in qua est vitæ regimen : secundo, corruptionem secundum irascibilem : tertio, corruptionem secundum concupiscibilem. Sicut dicit Dionysius, quod « malum dæmonis est phantasia proterva contra veritatem : furor irascibilis contra bonitatem virtutis : et demens concupiscentia circa delectabile brutalitatis contra sobrietatem temperantiæ et castitatis. » Psal. XIII. 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.*

De corruptione rationis dicit : « *Quod si,* » vanis spebus deceptus. Sapient V, 15 : *Spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur.* Job, XL, 28 : *Ecce spes ejus frustrabitur eum.*

« *Dixerit,* » in corde decepto. Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

« *Servus ille.* » Bene servus, qui nihil iberum, nihil habet dominii super seipsum. Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Ad Galat. IV, 23 : *Qui de ancilla secundum carnem natus est.*

« *In corde suo,* » corrupta ratione. Psal. XXXV, 2 : *Dixit injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei*

ante oculos ejus. Hæc enim in corde suo non diceret, nisi absorptam vitiis rationem haberet. Osee, VII, 11 : *Ephraim quasi columba seducta non habens cor.*

« Moram facit dominus meus venire, »

Et ideo non erit judicium. Quasi dicat : Casu, vel fato, et naturæ necessitate movetur mundus, et non regitur providentia. Et ideo Dominus non veniet ad judicium. I Petr. III, 4 : *Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant.* Sapient. II, 1 et 2 : *Non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus*, etc. Et infra, ℣℣. 21 et 22 : *Hæc cogitaverunt impii, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei : neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Contra quod dicitur, II Machab. VII, 34, 35 : *Noli frustra extolli vanis spebus, nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti.*

Dicit etiam aliquando malus servus quod « *moram facit dominus meus venire,* » non quidem discredens judicium, sed sibi longam vitam promittens. Matth. XXV, 5 : *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.* Hic enim putat judicium esse differendum, dicens illud Isaiæ, XXVIII, 13 : *Exspecta, reexspecta : exspecta, reexspecta : modicum ibi, modicum ibi.* Hoc enim dicunt *viri illusores*, quorum vincula constringentur, ut ibidem, ℣ 14, dicitur. Et sicut dicit Augustinus in *Confessionibus* de se, cum Dominus invitaret eum ad conversionem, sic dicens : « Non « erat quod responderem tibi dicenti mi- « hi : *Surge qui dormis, et exsurge a « mortuis* [1] : nisi verba lenta et somno- « lenta : Sine paupulum, et ecce paulu- « lum : sine modo, et ecce modo, sine- « que modo, et modo non habebat mo- « dum, et paululum ibat in longum. » Hic enim servus recognoscit Dominum suum esse suum dominum, et videtur credere adventum ad judicium : sed tantum fiduciam ponit in mora. Eccli. XVIII, 10 : *Vidit præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum quoniam nequam est.* Hæc enim magna præsumptio, et magna subversio rationis et cordis humani, quod in incerto et fallaci confidens, negligit servitium Domini sui, infideliter agit in bonis Domini. Jacob. IV, 15 : *Quæ est enim vita vestra ? Vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur.*

« Et cœperit percutere servos et ancillas. »

Ecce corruptio secundum irascibilem. Tangit autem corruptionem et percussorum infirmitatem, quibus potius erat miserendum et ignoscendum, quam quod percuterentur.

De primo dicit : « *Cœpit percutere* » tripliciter, verbo, verbere, et malo exemplo. De percussione verbi dicitur, Ezechiel. XXXIV, 4 et 5 : *Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia : et dispersæ sunt oves meæ.* De verbere in corpore et in rebus, Isa. III, 15, 14 : *Quare facies pauperum commolitis,... et rapina pauperis est in domo vestra ?* De verbere mali exempli, I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

« Servos. »

Seu propter puritatem innocentiæ honorandi erant, et propter teneritatem ætatis erant miserandi ut parceretur eis. Ad Roman. XV, 1 et 2 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,*

[1] Ad Ephes. V, 14.

et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. Et ideo Paulus bonus dispensator dixit, II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* Ideo etiam, Matth. XXIV, 37, gallinæ comparatur, quæ infirmatur ad affectum et misericordiam pullorum : *Quoties volui congregare filios tuos, quemamodum gallina congregat pullos suos sub alas ?* Hos ergo percutit malus servus.

« Et ancillas. »

Quibus parcendum est, et propter fragilem sexum : et fovendæ sunt propter obsequium, quod in nomine *ancillæ* importatur. Unde, Eccli. IV, 35 : *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.* E contra sicut fortis mulier tales deberet honorare et pascere, Proverb. XXXI, 15 : *Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.*

« Et edere, et bibere, et inebriari. »

Tangit hic corruptionem concupiscibilis secundum duo, scilicet, secundum qualitatem, et secundum quantitatem.

Secundum qualitatem quidem in duobus desideriis, quæ sunt appetitus calidi et sicci, et appetitus frigidi et humidi.

De priori dicit : « *Edere.* » Intelligitur profusio in delectabilibus gulæ. Isa. XXII, 12 et 13 : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum... : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus, et bibamus.* Sapient. II, 9 : *Hæc est pars nostra, et hæc est sors.* Eccle. II, 25 : *Quis ita devoravit... ut ego.*

« Et bibere. »

Ecce secundum desiderium : et intelligitur de delectantibus in potu. Sapient. II, 7 : *Vino pretioso, et unguentis nos impleamus.* Isa. V, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum !* De utroque istorum simul dicitur, Amos, VI, 4 et 6 : *Væ qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti,.... bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.* Ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Hi *gastrimargi* dicuntur pro ventre infamentes. Γαστήρ enim venter est : et μαργάω, ᾷς, est idem quod *insanio, insanis.* Daniel. XIV, 5 : *Non videtur tibi esse Bel vivens deus ? An non vides quanta comedat et bibat quotidie ?*

« Et inebriari. »

Ecce de quantitate. Bria enim, ut dicit Augustinus, est mensura sufficiens naturæ. Ebrius ergo est, hanc mensuram excedens. Isa. XXVIII, 7 et 8 : *Sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate : absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus.* Eccle. X, 16 : *Væ tibi terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt ad ebrietatem.* Eccli. XXXVII, 34 : *Propter crapulam multi obierunt.* Proverb. XX, 1 : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens.*

« Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua nescit. » 46

Hic tangit talis servi condemnationem.

Tangit autem tria, scilicet, adventum potentis judicis, improvisionem adventus, et pœnam condemnationis.

In primo horum tria dicuntur : judicii

certitudo, potentia judicis, et justitia judicii.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Veniet* » Certissimum enim, Job, XIX, 29 : *Scitote esse judicium.* Et ideo dicitur, Habacuc, II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet, et non tardabit.* Et si consideratur tempus brevitatis vitæ hominis, dicit Jacobus, V, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.* Sophon. I, 7 : *Silete a facie Domini Dei, quia juxta est dies Domini.* Apocal. II, 16 : *Veniam tibi cito.* Certum est igitur judicium jam advenientis Domini.

« Dominus. »

Ecce potentia : quia dicit Ambrosius, quod Dominus est nomen potestatis. Sic etiam, Exod. VI, 2 et 3, dicitur, quod nomen suum Adonai, quod non ostendit patribus, ostendit duritiæ Pharaonis : quia Dominus est nomen timoris, et potestatis prementis. Jerem. XXIII, 6 : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

« Servi illius. »

Ecce justitiam habeo judicare de ipso, quia servus meus est. Ad Roman. XIV, 4 : *Servus domino suo stat, aut cadit.* Servus enim habet judicari a domino suo : nec judicium domini debet, vel potest effugere servus. Unde, Matth. XXV, 19, dicitur, quod post multum temporis, venit dominus rationem ponere cum eis.

« In die qua non sperat. »

Quia adhuc sperat diutius : et ideo præoccupatur. Supra, in eodem, ℣. 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam reperunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt?* Daniel. IV, 10 et 11 : *Ecce vigil et sanctus de cœlo descendit : clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem.*

Dicitur autem : « *In die,* » quia adhuc in luce prosperitatis hujus mundi sperat se victurum, quando vocatur ad tenebras. Psal. LV, 4 : *Ab altitudine diei timebo.* Job, III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Dum enim est in die prosperitatis, non sperat Dominum esse venturum.

« Et hora qua nescit, »

Quia incerta est hora mortis, sicut in antehabitis dictum est. Quod valde est periculosum : quia tunc et imparatus rapitur ad judicium, et rationes excusationum ordinare non potest, nec emendare potest delictum. Apocal. XVIII, 10 : *Una hora venit judicium tuum.* Job, XXI, 13 : *In puncto ad inferna descendunt.* Eccle. IX, 12 : *Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Habacuc, I, 14 : *Facies hominis quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.*

« Et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. »

Ecce pœna.

Tang t tria : pœnam separationis, pœnam sortis, et pœnam societatis.

De pœna separationis dicit : « *Dividet eum.* » Divisio autem ista tripliciter intelligitur. Una est divisio separationis a consortio Beatorum. Matth. XXV, 33 : *Statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.* Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.*

Secunda divisio est separata ponderatio et numeratio culpæ cujuslibet, ut sit mensura pœnæ contra mensuram culpæ : et separetur omnis concupiscentia eorum a suis delectabilibus, et pœnæ conjungatur. Daniel. V, 25, scripserunt articuli scribentis in pariete : *Mane,*

Thecel, *Phares*, hoc est, numeratum, appensum, divisum. Numeratum, ut tot sint pœnæ quot sunt culpæ : appensum, ut secundum pondus circumstantiarum sit etiam pondus pœnarum : divisum autem, ut in hoc etiam habeat tristitiam, quia ab omnibus peccati delectabilibus separatur. Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Deuter. xxv, 2 : *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Apocal. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.*

Tertia divisio est corporis, et animæ, et facultatum. Corpus enim vermibus, anima dæmonibus, et facultates mundi amicis dabuntur. Eccli. x, 13 : *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.* Serpentes sunt carnales amici qui modo serpentium serpunt, occulte mordentes, ut bona temporalia diripiant. Bestiæ dictæ quasi vastiæ, sunt dæmones qui crudeliter invadunt animam. Vermes sunt, qui cadaver corporis invadunt. Ecce qualiter divisus est iste. Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

« Partemque ejus, »

Sortis scilicet suæ damnationis. Job, xxiv, 18 : *Maledicta pars ejus in terra.* Jerem. xiii, 24 et 25 : *Dissemінabo eos quasi stipulam quæ vento raptatur in deserto. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ.* Isa. xvii, 13 et 14 : *Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate... Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos.* Job, xx, 26, 28 : *Devorabit eum ignis qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo,... detrahetur in die furoris Domini.* Hæc est pars hominis impii, Psal. x, 7 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

« Cum infidelibus ponet. »

Ecce societas malorum. Dicit autem quod *ponet cum infidelibus*, quia constat de illorum damnatione. Marc. xvi, 16 : *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* Est autem justitiæ ratio, quod pars mali dispensatoris sit cum infidelibus, quia infideliter egit contra dominum suum et proditiose. Et similiter infideliter egit contra familiam : et ideo justum est, ut partem infidelium sortiatur : et pejor est, in eo quod videtur fidelis extra, et infidelis est intra. Unde, Matth. xxiv, 51 : *Dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Luc. xvi, 10 : *Qui in modico iniquus est, etiam in majori iniquus est.* Isa. xxxii, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.* Et ille directe est malus dispensator.

« Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis : **47**

Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. » **48**

In hoc loco Petri quæstio tota solvitur. Ostenditur enim ad unum plus et ad alterum minus pertinere quod inductum est.

Dividitur autem hæc pars in duas partes : in quarum prima solvit quæstionem : et in secunda, rationem inducit solutionis.

In prima autem harum sunt duo paragraphi : in quorum primo ostendit quod scientia aggravat peccatum : in secundo autem ostendit quia ignorantia simplex, non crassa, nec affectata peccatum diminuit.

Dicit ergo de primo. « *Ille autem servus,* » qui debitor est domini sui ex

ipsa servitute. Psal. CXXII, 2 : *Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.*

« Qui cognovit voluntatem domini sui. »

Hic *cognoscere* dicitur, vel qui cognovit, vel qui ex officio cognoscere debuit : sicut Clerici, et Prælati. Baruch, IV, 5, 4 : *Animæquior esto, populus Dei*, hoc est, Clerici :... *quia quæ Deo placent, manifesta sunt vobis.* Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Sapient. XV, 3 : *Nosse te, consummata justitia est : et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Præcepta enim, et judicia, et consilia sunt signa voluntatis Domini : et litterati sunt in lege, qui hæc sciunt.

« *Et non præparavit*, » vigilando et dispensando, ut dictum est. Quia licet homo sine gratia gratum faciente non possit illa perficere, tamen ad talia potest se præparare, et tunc Dominus apponet gratiam. Proverb. XVI, 1 : *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* Ideo dixit Samuel, I Reg. VII, 3 : *Præparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos.* Quidam autem sunt qui nec Domino adhærent, nec mundo. Et de illis dicitur, III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum.* Tales enim non se præparant.

Subjungit autem in quo se ad adventum domini non præpavarit :

« Et non fecit secundum voluntatem ejus, »

Hoc est, non fecit quæ præcepit, et voluit dominus suus. Quinimo, quæ noluit dominus, fecit : et contra voluntatem domini, secundum propriam vixit voluntatem. Psal. LI, 9 : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum,... et prævaluit in vanitate sua*, hoc est, in vanitate propriæ voluntatis. Isa. III, 8 : *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.* Illi enim qui vel sciunt Scripturam, vel ex officio suscepto debent scire, et non faciunt, duas deformitates habent in peccando : quia scilicet in actu vitii deformiter agunt, et quia contra id quod docent, vel docere debent, faciunt : et turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum. Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Si autem non facit secundum intellectum quem habet, vel debet habere, dicitur ei illud Jacobi, IV, 17 : *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Ideo, Sapient. VI, 6, dicitur : *Quoniam judicium durissimum his qui præsunt, fiet.*

« Vapulabit multis. »

Eccle. I, 18 : *Eo quod in multa scientia multa sit indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.* Ideo profundior fuit casus Luciferi : quia sicut præ aliis eminebat scientia, ita gravior fuit ejus contemptus, et profundior casus. I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Nec tamen propter hoc, ut dicit Glossa Augustini, fugiendum est ad latebras ignorantiæ : quia ignorantia eorum qui scire debuerunt et potuerunt, neminem excusat. Ex officio autem dispensator Domini scire tenetur voluntatem Domini sui dispensando. I ad Corinth. XIV, 38 : *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ambrosius super Epistolam ad Romanos, II, 4 : « Gravissime peccas, si ignoras, hoc est,

« periculosissime, quia non redit ad « pœnitentiam qui ignorat. » Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* I Reg. II, 12 et 13 : *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum.* Quasi dicat : Ideo filii Belial fuerunt, quia nec scientiam Dei, nec scientiam officii sacerdotalis habuerunt.

De his autem qui simpliciter ignorant, nec ex officio tenentur scire, subjungit :

« Qui autem non cognovit, »

Nec cognoscere tenebatur, sicut simplex idiota, « *et fecit digna plagis,* » peccata aliqua ex ignorantia, « *vapulabit* » quidem, sed « *paucis,* » respectu ejus qui scienter peccavit. Osee, IV, 14 : *Populus non intelligens vapulabit.* Jerem. V, 4 et 5 : *Pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : ipsi enim cognoverunt viam Domini, et judicium Dei sui : et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Et ideo, dicit Dominus, Luc. XI, 52 : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis,* quia malo exemplo prohibetis.

« Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. »

Hic ponitur ratio solutionis inductæ. Uterque enim vapulabit, et sciens, et non sciens qui se non præparavit : sed sciens multis, et non sciens paucis. Hujus autem ratio est et causa, quia ei cui multum donatum est, multum tenetur : et cui parum donatum est, parum tenetur.

Dicit ergo duo, scilicet, exigentiam rationis de donato, et exigentiam rationis de commisso.

De donato quidem dicit : « *Omni autem,* » hoc est, quia. Intellectus enim conjunctionis (sicut dicit Prascianus) accipitur ex conjunctis. Quia « *cui multum,* » in donis gratiarum interiorum et exteriorum, « *datum est,* » ut scientia, sapientia, et gubernationis consilium et prudentia, et hujusmodi. I ad Corinth. I, 5, 6 et 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil vobis desit in nulla gratia.* Matth. XXV, 14 et 15 : *Tradidit illis bona sua,... unicuique secundum propriam virtutem.* Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.*

« Multum quæretur ab eo, »

In ratione usus gratiæ donatæ. II ad Corinth. VI, 1 : *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Matth. XXV, 19 : *Venit dominus servorum, et posuit rationem cum illis.* Luc. XVI, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.*

« Et cui commendaverunt multum, »

In commissione subjectorum, sicut Papæ et Episcopis, « *plus petent ab eo,* » quia de omnibus reddent rationem. Et ideo dicitur, Sapient. VI, 7 : *Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.* III Reg. XX, 39 : *Custodi virum istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.*

« Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? »

Hic dicit ea quibus homo se præparat ad adventum Domini, quod est aliquid de solutione quæstionis Petri, sicut dicit Beda. Ad omnes enim pertinet, quod totam terram succendere habet : quamvis specialiter pertineat ad succendentes.

Dicit autem tria : ad omnes generaliter, et specialiter ad quosdam pertinere charitatis accensionem, baptismatis purificationem, et bonornm contra malos in gladio verbi concertationem.

De primo dicit duo : ignis charitatis immissionem, et ejusdem accensionem.

De immissione istius ignis dicit tria : quorum primum est, quod hoc est adventus sui finis : secundum, quod charitas est, per eum immissus ignis : tertium est, quod terra est istius ignis proprium cremabile.

De primo dicit :

« Ignem veni, »

Quia ad hoc venit, ut ignem istum succenderet. Et hujus signum est, quia et ipse in igne isto venisse dicitur, et ignem istum injecit in sui adventus perfectione. Quod enim in igne isto venerit dicitur, Malach. III, 2 et 3 : *Ipse quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum : et sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi.* Ad Hebræos, XII, 29, et Deuter. IV, 24 : *Deus noster ignis consumens est.* Hujus signum est quod mons in quo descendit (qui dignitatem humanæ naturæ significat, quam sibi univit) totus fumabat inflammatus ex igne [1], ostendens quod ex tunc egrediebatur de sinu Patris ut splendor Justus noster, et Salvator noster ut lampas accensus est [2]. Quod autem seipso ignem istum injecit in Apostolos, dicitur, Act. II, 3 et 4 : *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum : et repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

In igne igitur Deus venit, et ad hoc quod ignem injiceret in omnes.

Ignis autem quem injecit est charitas, sex de causis *ignis* appellata. Quarum prima est, quod ignis præ omnibus purificat : secunda, quod inflammat : tertia, quod illuminat : quarta, quod elevat : quinta, quod liquefacit : sexta, quod liquefactum dulcissime afficit, subtilissime penetrando et uniendo cum ignito per amorem.

Hæc enim facit charitas, quæ tantæ est violentiæ in amatum, quod omne contrarium amato consumit, et sic puritatem affectionis inducit. Psal. XCVI, 3 : *Ignis in conspectu ejus præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Isa. XXXIII, 12 : *Spinæ congregatæ igni comburentur,* hoc est, compunctiones peccatorum, vel tentationum.

Quod autem inflammet ad accensionem, dicitur, Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Chrysostomus : « Magnum amor, et igne ve« hementius, et non aliquid quod ejus « proprium impetum valeat sustinere. »

Quod autem illuminet sicut ignis, dicitur, Isa. L, 11 : *Accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.* Hinc est quod, II Machab. XII, 9, dicitur, quod ignis quem succendit Judas Machabæus, lumine suo resplenduit usque Jerusalem. Charitas enim intus, in cœlestem naturam convertendo, lumen infundit, ut totum cor quasi luminare quoddam ardens et lucens afficiatur : et sic Sancti sol vocantur, Eccli. XLIII, 3 : *Sol fornacem custodiens in operibus ardoris.*

Quod autem id quod inflammat et illuminat sursum elevet, et emoveat de

[1] Cf. Exod. XIX, 18.

[2] Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.*

infimis ad superna transponendo, et sic quamdam exstasim faciat, dicitur, Job, XXXVI, 32 et 33, et XXXVII, 1 : *In manibus abscondit lucem.... Annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et quod ad eam possit ascendere. Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.* Lucem enim charitatis veritatis manibus amicis charitate dilectis exhibet, dans per charitatem ad eam ascendendi vires. Et ideo cor ad magnitudinem admiratione pavens de loco suo emovetur : et totum exstasim passum, in dilectum transponitur. Et hic est languor quo charitas destituit diligentem, et reducit in exstasim : quia cor in aliud transpositum languet, se et suis viribus destitutum. Unde Dionysius in libro de *Divinis nominibus* : « Est autem et ex-« stasim patiens divinus amor, non si-« nens ut amantes seipsos ament, sed « transponens in eos quos amant. » Cantic. v, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo.* Hujus etiam signum est, quia tacto pulsu amantis, velocius movetur pulsus, quando nominatur is qui amatur. Et hoc totum facit charitas per hoc, quod elevat et emovet cor quasi ignis ascendens de infimis in dilectum Deum.

Quinto etiam liquefacit ut ignis. Cor enim diligens, pingue est, adipe devotionis impinguatum : et charitas intrans in illud, resolvit ipsum et liquefacit, et liquefaciendo replet præcordia : ita quod quasi angustias patitur in præcordiis. Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.* Tali affectu dictum est, Cantic. v, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est,* scilicet dilectus meus. Non sustinens enim vocem dilecti de dilectione loquentis, resoluta a seipsa præ teneritudine loquentis, quasi concidit ad amorem. Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.* Et ideo interius non liquefieri non potuit.

Sexto, dulcissime afficit vivendo cum amato. Cum enim quasi spiritualis ignis omnibus quæ in amico invenit superfervet, cuilibet quod in ipso est unita, suaviter superfervens ardet. Et ideo est, quod in Canticis [1], omnia membra ejus singulariter describendo suaviter afficitur : dum de singulis meditando, dulcedines amici imaginatur. Sic enim dicitur, I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Psal. LXII, 9 : *Adhæsit anima eam post te : me suscepit dextera tua.* Et ibidem, paulo supra, ỳ. 2 : *Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea.*

Sic enim amor in quantum est ignis operatur.

Hunc ergo ignem venit

« Mittere in terram, »

Ad omnem terram succendendam, et ad omnem terreneitatem comburendam. Sophon. I, 18 : *In igne zeli devorabitur omnis terra ejus, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Omnis enim terreneitas consumpta est per ignem sancti Spiritus. Et hoc fit cum festinatione, quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Desiderio enim Spiritus sancti nihil satis festinum est.

Sic igitur Dominus ignem venit « *mittere in terram.* »

« Et quid volo nisi ut accendatur? »

Hic ostendit quod semper hunc ignem magis ac magis in cordibus hominum accendi vult, et plus et plus exardescere. In cœlo enim viciniores sibi spiritus, nomine ardoris Seraphim vocavit, qui super thronos superexaltati, viciniores sibi existunt. Isa. VI, 2 : *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Sex enim alæ uni significant perfecte altivolum in veritate : et sex alæ

[1] Cf. Cantic. passim, et præcipue, IV, 1 et seq.

alteri significant perfecte altivolum in charitate. Sex enim in veritate sunt intuitus : ala una et summa, perceptio theophaniæ : ala secunda sub illa, revelatio : ala tertia, cognitio sacramentorum Ecclesiæ : ala quarta (quia, sicut dicit Hieronymus, multa per Ecclesiam Angeli didicerunt) acceptio per tempora : ala quinta, secundum quod ex tempore consilia Dei manifestantur : ala sexta, acceptio per subtilitatem intelligentiæ. Sic etiam alæ charitatis sunt : adhæsio per spiritus unionem, ala summa et prima : mutua permistio consensuum amicitiæ, ala secunda. Joan. xv, 15 : *Vos dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Experta notitia per receptionem impressionis consolationis, ala tertia : revelatio secretorum quæ fit amicis, ala quarta : conjectura cordis amici, per signa dilectionis, ala quinta : odor dulcedinis amici per quædam quæ sunt circa dilectum, ala sexta. Cantic. iv, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* In his ergo spiritibus quasi in igne est in cœlo.

Per hos succendit ignem in terra. Psal. ciii, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.* Hic est Deus, qui semper exaudit in succensione hujus ignis, III Reg. xviii, 24 : *Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* Hinc est quod viri illi qui, Ezechiel. x, 2, de templo egressi sunt, carbones acceperunt de medio quatuor animalium, et projecerunt super civitatem ad accendendam civitatem. Hinc est quod tota visio Domini est in igne. Ezechiel. i, 4 et seq., hæc visio gloriæ Domini est in igne, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Ignis enim est fervor charitatis in corde. Splendor autem ignis ardens ut facula, est opus in virtutis exemplo. Fulgur autem cum tonitruo egrediens, est ignitum eloquium in prædicationis sono.

Sic ergo vult ut fortiter ille ignis charitatis accendatur.

Ex modo autem significandi videtur innuere, quod nihil aliud vult nisi ut accendatur : quia accenso isto igne nullum malum poterit fieri, et omne bonum fieri potest : quia charitas, ut dicitur, I ad Corinth. xiii, 5, *malum non operatur.* Et charitas omne bonum operatur, quia dicitur, ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Sicut enim in naturis dicit Philosophus, quia omnia alia materia sunt et erunt igni, ita etiam in divinis : quod quidquid est in bonis moribus, igne charitatis inflammatur et informatur, et omne malum consumitur. Unde super omne sacrificium respicit Dominus per ignem [1]. Quod autem omne malum igne isto consumitur, dicitur, I ad Corinth. iii, 13 : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Quod una Glossa de igne sancti Spiritus exponit.

Et ideo taliter loquitur : « *Et quid volo nisi ut accendatur?* » Ac si dicat : Nihil aliud volo : quia illo habito, et omne bonum perficitur, et omne malum flamma istius ignis absorbetur. Sicut enim dicitur, Isa. lxvi, 15 : *Dominus in igne veniet,* et sic succendet omnem terram. Hoc est quod petit Isaias, lxiv, 1 et 2 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes : a facie tua montes defluerent. Sicut exustio ignis tabescerent,* etc. Psal. lxvii, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Hoc est ergo quod dicit. Ignis enim charitatis intrans in hominem, non cessat, sed semper consumit ardore : ut dictum est. Semper erudit illuminatione, Thren. i, 13 : *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Semper ad bonum urget sui zeli incitatione, II ad Corinth. v, 14 : *Charitas Christi urget nos.* Semper fervet devotione, I ad Thessal. v, 19 : *Spiritum nolite exstinguere.* Semper ebullit nova opera, sua perfectione, Gregorius : « Charitas magna operatur

[1] Cf. Levit. i, passim, et III Reg. xviii, 24.

« si est : si autem cessat operari, charitas « non est. » I ad Corinth. XIII, 7 : *Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat.* Semper cum Christo dilecto animæ esse desiderat sua perfectione, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* In hoc enim verum est quod dicitur, Proverb. XXX, 16, quod *ignis numquam dicit : Sufficit* : quia ignis charitatis numquam stat, sed semper in bonis ebullit. Sic etiam Dominus vult, ut iste ignis semper plus et plus accendatur.

50 « Baptismo autem habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? »

Tangit hic de purificatione.

Dicit autem tria, debitum purificationis ordinem, angustiatam voluntatem ad hoc, et purificationis perfectionem.

De primo dicit : « *Baptismo,* » hoc est, purificatione, « *habeo* » ego in membris meis, ut totus sim mundatus et purificatus. « *Baptizari,* » hoc est, purificari quatenus sicut purum est caput, ita consona purificatione membra purificentur. Hæc autem purificatio, ut dicit Chrysostomus, ex quinque perficitur : verbo scilicet prædicationis, Joan. XV, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Joan. XVII, 17 : *Pater, sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* Et de hoc purificante forma baptismi accipitur. Baptismus etiam, ut dicit Hugo de sancto Victore, ex verbo Domini habet sanctificationis purificationem, et sanat a culpa impuritatis. Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.*

Secundum ex quo conficitur est aqua, quæ est baptismi materia. Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam : et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Hoc significatum est, IV Reg. V, 14, ubi cum Naaman Syrus lotus esset in Jordane, mundatus est a lepra, et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundata est.

Tertium est Spiritus, qui in sacramento operatur per modum ignis purificantis. Act. I, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Hoc significatum est, Genes. I, 2, ubi *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* et fovebat eas, ut dicit Ambrosius, ad novos fructus producendos [1]. Psal. CIII, 30 : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.*

Quartum autem quod operatur, est sanguis Christi. Apocal. VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Hoc significatum est, Exod. XIV, 27 et 28, ubi in Mari rubro submersi sunt Ægyptii, hoc est, in aqua sanguine Christi rubricata, exstinguuntur peccata. Mich. VII, 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet ad profundum maris omnia peccata nostra.*

Quintum est quod operatur in baptismo contra obicem ad gratiam baptismalem consequendam, devotio pœnitentiæ, quæ vim habet ex passione Christi. Act. III, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur vobis peccata.*

Hæc autem omnia, præter aquam solam, semper suas virtutes retinent operandi contra malum : et ideo in talibus semper remanet vis purificativa.

Quod igitur dicit Dominus : « *Baptismo habeo baptizari,* » de se dicit cum membris. Isa. IV, 4 : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion... in spiritu judicii, et spiritu ardoris.* Istæ sunt aquæ Salvatoris, de quibus dicitur, Isa. XII, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Fons enim verbi, os est. Fons sanguinis, latus et vulnera sunt. Fons spiritus, divinitas est. Fons devotionis, anima Christi. Daniel. III,

[1] S. AMBROSIUS, Lib. I Hexameron.

77 : *Benedicite, fontes aquarum, Domino.* Et quamvis tinctio in aqua facta non iteretur, tamen tinctio in verbo veritatis, et spiritu sanctificationis, et in sanguine redemptionis, et in devotione pœnitentiæ, semper iteranda est et frequentanda.

Videns igitur Dominus se, in se capite esse purum et clarum : et in membris nondum esse purificatum, dicit : « *Baptismo habeo baptizari.* » Sicut etiam, Joan. XVII, 5, dicit loquens ad Patrem : *Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum :* qui tamen in seipso semper clarus fuit, sicut et Pater testimonium perhibuit. Joan. XII, 28 : *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Quasi dicat : Quem in seipso clarificavi, dum clarum nasci feci de Virgine, iterum clarificabo membrorum claritate.

« Et quomodo coarctor ? »

Ecce angustia spiritus ex charitate, quam secundum humanitatem sustinuit, ut purificatio ista dilataretur. Job, XXXII, 18 : *Coarctat me spiritus uteri mei.* Hæc coarctatio ingentem significabat charitatem nostræ salutis, et ingentem devotionem ad nostram purificationem, quibus nihil anteposuit : ita quod etiam lucta crucis et confusio gaudiosa esset propter hominum amorem. Ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Et ideo hac charitate coarctatus clamat ad nos : et amoris intensione inclamat, dicens illud Canticorum, VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Quomodo coarctor ?* »

Loquens autem per infinitum nomen « *quo,* » significat coarctationem esse inexplicabilem, nec aliquo modo esse explicabilem. Hæc enim coarctatio est quam oculus non vidit antea, neque auris audivit, nec in cor hominis ascendit ante ipsum. Isa. V, 4 : *Quid est quod debui ultra facere tibi, et non feci ?*

Hoc igitur est quod dicit : « *Quo modo coarctor* »

« Usque dum perficiatur ? »

De sacramentorum quidem perfectione, perfecta est purificatio in Passione et Resurrectione. Quia sicut dicitur, ad Roman. IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter nostram justificationem.* Effectus autem hujus purificationis quotidie plus et plus proficit, et perficietur in die judicii : cum, sicut dicitur, I ad Corinth. XV, 24, totum regnum simul tradiderit Deo et Patri. Et quia secundum perfectionem sacramentorum in Christo perfecta fuit in Passione et Resurrectione, ideo dixit in cruce, Joan. XIX, 30 : *Consummatum est.* De perfectione autem quæ quotidie fit in membris dicitur, ad Ephes. IV, 13 : *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Sic ergo dupliciter perficitur ista purificatio.

« Putatis quia pacem veni dare in terram ? Non, dico vobis, sed separationem. » **51**

Tangit expugnationem et ejectionem regni diaboli, futuram per se et suos.

Et dicit tria : primo enim corrigit suorum intellectum per sermonum suorum veram intelligentiam : secundo, suam explanat intentionem : tertio autem ponit modi, per quem impleri habet, explicationem.

De primo autem dicit : « *Putatis,* » hoc est, putatisne « *quia pacem veni dare in terram ?* » hoc est, quod regnum diaboli in pace sine disturbatione remaneat.

Et corrigendo hunc errorem dicit : « *Non.* »

Deinde aperit circa hoc suam intentionem, dicens : « *Sed separationem.* » Separatio autem est effectus pugnæ et litis : sicut dicit Empedocles. Et hoc est quod hic intendit.

Et hoc est quod dicit : « *Putatis,* » ne propter hoc quod dicitur, Isa. IX, 7 : *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis.* Isa. XXVI, 12 : *Dabis pacem nobis.* Et, ibidem, supra, ℣. 3 : *Servabis pacem : pacem, quia in te speravimus.* Et quia hoc ego dico : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* [1]. Et quia Angeli dixerunt : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [2], et hujusmodi. « *Putatis,* » inquam, « *quia pacem veni dare in terram,* » hoc est omnimodam concordiam? « *Non* », quia, Isa. XXXVIII, 17 : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Pax enim, quæ est concordia peccatorum in malo, amara est mihi. Psal. LXXII, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Sapient. XIV, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Hanc igitur pacem, quæ est quies impietatis, detestor : quia in illa fortis armatus diabolus custodit atrium suum, et in pace sunt ea quæ possidet [3]. Cum quo ego fortior in hunc mundum veniens congredi veni : servos meos, hoc est, vos mitto, qui pugnetis cum eo, et suscitetis eum ad bellum. Job, III, 8 : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.*

« *In terram* » enim, hoc est, in terrenis affectibus nolo pacem. Quinimo volo complere quod dicitur, Judicum V, 8 : *Nova bella elegit Dominus.* Isa. XXX, 32 : *In bellis præcipuis expugnabit eos.*

« *Non.* » Quia licet, sicut dicitur, ad Ephes. II, 14, et pax hominum faciens utraque unum, et medium parietem materiæ, solvens inimicitias in carne mea, tamen non sum pax impiorum, sed piorum : ut mecum et cum Patre, et secum securitatem conscientiæ, et tranquillitatem sine omni disturbatione habeant. Sed impiis non est pax, sicut dicitur, Isa. LVII, 21, quia et in se dissident, et inter se discordant. Et omnes mei dissentient ab eis, et continuo eos gladio spiritus impugnant.

Non ergo veni mittere pacem,

« Sed separationem. »

Non locorum, sed affectuum : ut mei numquam concordent cum ipsis : sed ut illi expugnentur et trahantur ad concordandum cum servis meis. Jerem. XV, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* Malum enim, ut dicit Philosophus, si omnifariam malum sit, etiam seipsum destruit. Et dicit Dionysius, quod malum bono innititur, ut stare possit. Et Augustinus, quod malum non coalescit nisi in bono.

Veni ergo « *separationem* » facere boni et mali : ut malum a bono separatum, cadat : et bonum non fœdetur et deturpetur a malo. Farina enim non deturpat lutum, sed e converso lutum deturpat farinam. Neque mel amaricat fel, sed converso modo amaricatur a felle. Separetur ergo pulchrum a fœdo, ut turpitudo fœdi appareat. Separetur dulce ab amaro, ut fellitum displiceat. Separetur lumen a tenebris, ut tenebræ odiosæ fiant. Genes. I, 4 : *Divisit Deus lucem a tenebris.* Genes. XI, 7, 8, divisit malos in universam terram, ut non posset quilibet intelligere labium proximi sui. Et sic adhuc : sicut Pater meus, veni facere separationem. Sic etiam, Matth. XXV, 32, in judicio separabo oves ab hœdis. Et, Matth. XIII, 30, zizania a tritico.

[1] Joan. XIV, 27.
[2] Luc. II, 14.
[3] Cf. Luc. XI, 21.

Et explanat modum, dicens :

« Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi : tres in duos, et duo in tres dividéntur :

Pater in filium et filius in patrem suum, mater in filiam et filia in matrem, socrus in nurum suam et nurus in socrum suam. »

Dicit autem duo : primo enim hanc separationem ostendit in communi, et secundo eamdem exponit in speciali.

In communi quidem dicens, subdit : « *Erunt enim ex hoc,* » hoc est, ex tempore prædicatæ fidei, quo bellum istud incipit. Apocal. VI, 4 : *Datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut homines invicem se interficiant.* Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, et maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine!* Sic Moyses eos qui erant Domini, junctos sibi transire fecit de porta ad portam, et interficere parentes, et fratres, et omnes inimicos Domini[1].

« *Quinque,* » secundum numerum personarum, « *in una domo,* » hoc est, in una familia, « *divisi,* » quia familiæ inter se invicem dividentur. Ut impleatur illud. Matthæi, X, 22 : *Eritis odio omnibus propter nomen meum.*

Inter illos autem quinque, « *tres* » scilicet personæ, « *in duos,* » hoc est, contra duas personas dividentur : « *et duæ* » personæ « *dividentur in tres,* » hoc est, contra tres. Cantic. I, 5 : *Fili matris meæ pugnaverunt contra me.* Psal. LIV, 13 et 14 : *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique... Tu vero, homo unanimis, dux meus, et notus meus.* Mich. VII, 5 : *Nolite credere amico, et nolite confidere in duce : ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Jerem. IX, 4 et 5 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur.* Daniel. XI, 27 : *Ad unam mensam mendacium loquentur.*

« Pater in filium. »

Hic dicit specialiter quod dixerat in communi.

« *Pater in filium,* » hoc est, pater fidelis contra filium infidelem : vel e converso, volens non nisi in contumeliam Creatoris commovere.

« *Et mater in filiam,* » hoc est, mater fidelis vel infidelis, contra filiam fidelem vel infidelem. « *Et socrus* « fidelis vel infidelis « *contra nurum* » fidelem vel infidelem. Mich. VII, 6 : *Filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, et nurus adversus socrum suam, et inimici hominis domestici ejus.* Quamvis enim honorandi sunt parentes, sicut præcipitur, Exod. XX, 12, tamen non sunt honorandi in contumeliam Creatoris.

Sed cum Dominus dicat *tres in duos, et duo in tres* dividendos, sex videtur enumerare, scilicet, patrem, filium, matrem, filiam, socrum, et nurum. Sed ad hoc dicit Glossa, quod quando isti sunt in una domo, hoc est, in una familia : tunc eadem quæ mater est filii et filiæ, est socrus et nurus, hoc est, uxoris filii. Aliter enim si esset alia socrus et mater, non erunt in una domo sive familia, sed duas familias efficerent. Et sic quinque quidem sunt numero personarum : sed sex conditionibus respectuum ad se invicem distantibus. Sed duæ conditiones, seu respectus conveniunt uni personæ, quæ est mater filii et filiæ : et socrus et nurus, quæ est uxor filii. Hoc ergo est quod dicit. Si enim tres sunt fideles per

[1] Cf. Exod. XXXII, 27.

fidem Trinitatis, et per fidem, spem, et charitatem separantur a duobus, vitia spiritualia et carnalia persequentur. Sic enim tres viri, Noe, Daniel, et Job suas salvabunt animas : et alii perdentur. Si autem duo sunt fideles, gemina dilectione salvantur : et tres, qui concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ diligunt, perduntur. Eccli. xxxiii, 15 : *Intuere in omnia opera Altissimi. Duo et duo, et unum contra unum.* Hoc enim bellum insedabile, quo veritas contra errorem unum pugnat : dum se (sicut dicit Augustinus) et veritas tenet, et iniquitatis error obnititur. Hinc est quod Dominus præcepit filiis Israel, quod non inirent fœdus cum Amorrhæis, sed semper pugnarent adversus eos.

54 « Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit : et ita fit.

55 Et cum Austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit, et fit.

56 Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare : hoc autem tempus quomodo non probatis ?

57 Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? »

Hic incipit arguere eos, qui signa adventus sui non considerant, et ideo non se præparant : et ostendit eos esse inexcusabiles.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima, non cognoscentium adventus sui tempus ostendit inexcusabilitatem, sicut jam dictum est : in secunda autem, documenta dat evadendi judicium advenientis, scilicet, quod quis consentiat cum adversario, qui habet accusare eum in judicio. Tunc enim tacente adversario non condemnabitur in adventu judicis.

Prima harum partium duos habet paragraphos : in quorum primo quasi præmittens, ostendit facultatem præcognoscendi adventus ad judicium, esse apud rationem hominum. In secundo quasi concludens, ostendit inexcusabiles esse, qui neglecta consideratione temporis, non se præparant ut evadant futurum judicium.

In primo horum duo dicit : in quorum primo per eos quibus loquitur, ostendit hoc esse commune omni homini habenti judicium rationis, quod a signis potest conjecturare de futuro judicio : et secundo, ostendit in ratione esse facultatem futura percipiendi.

Dicit ergo de primo horum sic :

« Dicebat autem et ad turbas, »

Communiter sapientes et insipientes : quia omnibus inest ista judicandi facultas. Exod. xx, 18 : *Cunctus populus videbat voces.* Quando enim Deus per naturalia signa docens loquitur, omnibus in communi loquitur. Et istæ sunt voces creaturarum, de quibus dicit Psalmus xviii, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Hoc enim de creaturarum verbis litteraliter dicit Psalmus. Unde et Apostolus, ad Roman. x, 18, ostendens inexcusabiles eos, qui se judicio parare nolunt, dicit : *Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem*, supple, audierunt, quia *in omnem terram exivit sonus eorum.* Sic ergo ista communia, quæ naturalis dictat ratio, dicit turbis.

« Cum videritis, etc. »

Tangit hic signa naturalia, ex quibus circa quædam futura, naturali ratione prognosticantur.

Et tangit duo signa, scilicet, signum nimbi tempestuosi, et signum æstus.

De primo dicit : « *Cum videritis nubem* » nigram spissam cum vento occidentali, « *ab occasu* » elevatam, « *sta-*

tim, » hoc signo naturali edocti, sine magna deliberatione, « *statim dicitis,* » per rationem prognosticando : « *Nimbus venit,* » hoc est, vehemens et tempestuosa pluvia. « *Et ita fit,* » sicut dicitis : quia frequenter fiunt, quæ naturalibus signis prognosticantur. Et hæc signa naturalia vocat Ptolomæus in *Centilogio* suo, stellas secundas. Unde dicit ibidem, quod prognosticator, qui prognosticatur a stellis secundis, verius prognosticatur.

Attendendum autem, quod nubes elevata ab occasu semper est tempestuosa, et cum impetu descendit, et cum vento vehementi : quia ventus ille fortioris est exsufflationis. Et hujus causa est, quia in occasu per præsentiam sol non est nisi cadens, et ille sol est debilis, et oblique terram respiciens, et radiis suis super hemisphærium non facit angulos nisi hebetes valde, et anguli illi continuo distrahuntur per casum solis, in lineas horizontem non nisi contingentes. Tales autem radii elevant quidem multum, et nihil consumunt : et ideo vapor inspissatus continuo generat nimbos tempestuosos. In oriente autem sol ascendens continuo super vaporem ascendit, et angulos radiorum continuo acuit, et ideo plus consumit quam acuit : et ideo signum est serenitatis. Matth. autem, XVI, 2 et 3, alia signa ponit. Et ibi aliæ causæ sunt notatæ [1]. Job, XXXVI, 27 et 28 : *Qui aufert stillas pluviæ, et effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt.* Et, ibidem, ℣. 29 et seq. : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim judicat populos, et dat escas multis mortalibus.*

Glossa tamen allegorice loquens dicit, quod nubes est caro Christi ascendens ad gloriam Resurrectionis, ab occasu Passionis. Isa. XIX, 1 : *Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* Psal. LXVII, 5 : *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Hic ascensus causavit effusionem imbrium evangelicæ prædicationis. III Reg. XVIII, 44 et 41 : *Nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Et dixit Elias : *Sonus multæ pluviæ est.* A mari enim Passionis caro Christi ad gloriam beatitudinis ascendens, pluviam effudit prædicationis. Isa. XLV, 8 : *Nubes pluant justum.* Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ.* Osee, VI, 3 : *Veniet imber nobis quasi temporaneus, et serotinus terræ.*

« Et cum Austrum stantem, etc. »

Secundum est signum, quo naturali ratione futura prognosticantur.

Et hoc est : « *Cum* » videritis « *Austrum,* » ventum calidum et humidum terras evocantem, « *stantem, dicitis quia æstus venit* : » quia cum calore suo terram aperit, et humiditate sua resolvit, educit de terra vapores ignitos, et illi respersi in hemisphærio æstum faciunt, et corpora resolvunt et destituunt : et ideo periculosus est ventus ille. Job, XXXVII, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro.*

Et ideo dicit Glossa allegorica, quod Auster significat æstum tribulationis ante judicium. Apocal. XVI, 8 et 9 : *Datum est illi æstu affligere homines et igni. Et æstuaverunt homines æstu magno.*

« *Et ita fit,* » sicut dicitis. Quia, sicut diximus, signa naturalia raro fallunt. Psal. CXXXIV, 7 : *Qui producit ventos de thesauris suis.* Et ideo in talibus vera prognosticantur : et maxime rustici et pastores sub dio et in aere libero agentes, talia signa sæpius considerant. Et sunt eis signa naturalia quasi quidam liber.

[1] Cf. Enarrat. B. Alberti in Matthæum, XVI, 2 et 3. Tom. XXI hujusce novæ editionis nostræ.

« Hypocritæ, faciem cœli, etc. »

Hypocrita hic vocatur, qui rationem naturalem dissimulat, et bestiæ larvam sibi circumponit. Psal. XLVIII, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Hic ergo hypocrita est extra bestia, cujus vultum sequitur : et intus homo, cujus vultum in se non agnoscit. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.*

« *Faciem cœli et terræ.* » Ratio est sumpta a minori : quia minus videtur quod futura incerta a signis naturalibus conjecturare possunt quam futura certa. Et si incerta conjecturant : ergo etiam certa possent conjecturare. Sapient. XIII, 5 : *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.*

Et hoc est quod dicit : « *Faciem cœli et terræ nostis probare,* » quantum ad futurorum conjecturas : « *hoc autem tempus,* » judicii futuri, « *quomodo non probatis* » multo magis futurum? Quia sicut dicit Glossa, et accipitur a Boetio in libro de *Consolatione Philosophiæ* : « Per rationem naturalem probatur, quod providentia regitur mundus. » Et si hoc est verum, oportet quod apud justum judicem recipiat unusquisque, quæ gessit in corpore, sive bonum sive malum. II ad Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Act. XVII, 26, 27 et 28 : *Definiens statuta tempora, et terminos habitationis hominum, quærere Deum si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.* Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Facilius igitur probare est tempus judicii, quam pluviam vel ardorem futurum.

Et ponit rationem secundam, sumptam ab ipsa naturali ratione, sine signis exterioribus juvantibus hominem. Quia etiam per rationem naturalem probatur, quod intellectus hominis incorruptibilis est, et ad virtutis perfectionem ordinatus : quam si perversis moribus amittit, justum judicium non effugiet.

Et hoc est quod dicit :

« Quid autem, »

Hoc est, quare « *etiam a vobis ipsis,* » hoc est, a propria ratione vestra, « *non judicatis,* » per rationem, « *quod justum est.* » Job, VI, 29 : *Loquentes id, quod justum est judicate.* Joan. IV, 16 : *Voca virum tuum,* hoc est, rationem, ut dicit Glossa. Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Idcirco de quibusdam ex naturali lege hoc præcognoscentibus, et sibi a judicio præcaventibus dicit Apostolus, ad Roman. II, 27 : *Judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es.*

« Cum autem vadis cum adversario **58**
tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

Dico tibi, non exies inde, donec **59**
etiam novissimum minutum reddas. »

Positis rationibus contra eos qui dicere possent se nescire de judicio futuro, ponit persuasiones, qualiter scientes futurum esse judicium, cavebunt judicium. Et hæc est una sola persuasio : ut scilicet caveant, quod nemo eos in judicio accuset. Quidam enim accusabuntur a conscientia, et illi componant cum conscientia. Et quidam accusabuntur a pro-

ximo, et illi componant cum proximo. Quidam autem a sermone divino, et illi componant et concordent cum sermone divino. Et a quocumque generaliter loquendo aliquis accusari poterit juste, cum illo componat satisfaciendo, et erit securus in judicio.

Et hoc est quod dicit : « *Cum autem vadis,* » quotidie continuatis diebus et passibus, « *cum adversario tuo,* » quocumque, qui aliquid juste quærere habet adversum te, præcipue tamen cum sermone divino, « *ad principem* » omnium Dominum. Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Apocal. XX, 12 : *Judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris,* hoc est, in sermone divino. De hoc principe dicitur, Isa. XXXII, 8 : *Princeps ea quæ sunt digna principe cogitabit, et ipse super duces stabit.*

« *In via,* » hoc est, dum adhuc es in via : quia confessio vel convictio in judicio præjudicat.

« *Da operam* » efficacem « *liberari ab illo,* » vel satisfaciendo, vel aliter concordando cum illo. Matth. V, 25 : *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo.* Tunc enim eris ante principem sine querela. Luc. I, 16 : *Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.*

« Ne forte tradat te ad judicem, »

Per justam querelam tradat te in potestatem judicis : de quo dicitur, ad Roman. XIII, 4 : *Vindex in iram est ei qui malum agit.* Hoc enim modo judex de te dabit sententiam.

« *Et judex* » omnium Deus, « *tradet te* » in potestatem « *exactori* » pœnarum. Apocal. XVIII, 6 : *Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis.* Exactor ille est diabolus. Job, XXXIX, 7 : *Clamorem exactoris non audit* Deus, qui scilicet cum adversario composuit.

« *Et exactor,* » diabolus, « *mittat te in carcerem,* » scilicet inferni foveam. Isa. XXIV, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere,* in purgatorium.

« Dico tibi, »

In veritate, quia ego sum veritas, cujus verba non præteribunt, « *non exies inde,* » hoc est, de carcere, « *donec etiam novissimum minutum reddas.* » Si in inferno est carcer, tunc, *donec,* est inclusivum : et est idem, quod numquam exibis inde. Si autem in purgatorio, tunc est exclusivum : ita quod cum reddideris, tunc exibis. Job, XX, 18 : *Luet quæ fecit omnia.*

Minutum autem novissimum est veniale, vel originale peccatum. Quod si cum aliis mortalibus in inferno erit, ratione adjuncti punietur in æternum : quia in inferno nulla est redemptio venialis vel mortalis. Matth. XVIII, 30 : *Misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* De hac autem materia multa notata sunt a nobis super Matthæum, V, 21 et seq., secundum ea quæ exigit illa materia[1]. Et hæc istis conjuncta meliora erunt : quia ibi loquitur in materia iræ : ibi etiam est expositio multiplex Glossarum, quarum nulla competit secundum hoc quod hic inducitur. Sed hic exposita sunt ista secundum materiam, quam modo habemus præ manibus.

Hoc est quod dicitur in littera.

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrat. in Matthæum, V, 21 et seq. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ.

CAPUT XIII.

Occasione Galilæorum in suis sacrificiis interemptorum, et eorum qui in Siloe corruerant, hortatur ad pœnitentiam, alioquin exterminandos instar ficus infructuosæ : Archisynagogum redarguit, indignantem quod sabbato curasset mulierem a spiritu infirmitatis : comparat regnum cœlorum grano sinapis et fermento : de angusta porta : et quod quidam clauso ostio frustra pulsabunt : Herodem dicit vulpem, et Jerusalem ob crudelitatem suam deserendum.

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.
2. Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?
3. Non, dico vobis : sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.
4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?
5. Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.
6. Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit.
7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat?
8. At ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora :
9. Et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam.
10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.
11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.
12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.
13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.
14. Respondens autem Archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.
15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, et ducit adaquare?
16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam

alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?

17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus : et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud?

19. Simile est grano sinapis [1], quod acceptum homo misit in hortum suum : et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento [2], quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Jerusalem.

23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos :

24. Contendite intrare per angustam portam [3] : quia multi, dico vobis, quærent intrare,et non poterunt.

25. Cum autem intraverit paterfamilias [4], et clauserit ostium, incipietis foris stare,et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis : et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis.

26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

27. Et dicet vobis? Nescio vos unde sitis [5] : discedite a me omnes operarii iniquitatis [6].

28. Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et accumbent in regno Dei.

30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi [7].

31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor.

33. Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti [8]!

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

[1] Matth. XIII, 31 ; Marc. IV, 31.
[2] Matth. XIII, 33.
[3] Matth. VII, 13.
Matth. XXV, 10.
[4] Matth. VII, 23.
[5] Psal. VI, 9; Matth. XXV, 41.
[6] Matth. XIX, 30 et XX, 16 ; Marc. X, 31.
[7] Matth. XXIII, 37.

IN CAPUT XIII LUCÆ

ENARRATIO.

« Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

Non, dico vobis : sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. »

Hic incipit capitulum decimum tertium, in quo diversis exemplis construit quod ante docuit.

Dividitur autem in duo. Primo enim exemplis docet, quantum est periculum se non præparantium ad judicium, et quantus profectus et utilitas se præparantium. In secundo autem sui exemplo ostendit, quod non est a tali præparatione abstinendum : sicut ipse propter metum Herodis, non abstinuit a nostra salute operanda. Quinimo cum sciret sibi in Jerusalem mortem esse præparatam, illuc venit intrepidus : ut nos adventui suo ad judicium præparet.

Anterior autem harum partium dividitur in duas : in quarum prima non præparantium se ostendit periculum : in secunda autem præparantium se ostendit profectum per similitudines seminis et fermenti, quas inducit.

Adhuc autem prior harum habet duas partes : in quarum prima est periculum se non præparantium : in secunda vero ostendit longanimitatem et patientiam judicis, ad præparationem hominis exspectantis, per arborem fici, et per mulierem curvam.

Primum autem horum ostendit per duo exempla : quorum unum factum est per malitiam hominis, quam Dominus ordinavit ad suum judicium exsequendum : secundum autem judicio Dei factum intelligitur esse contra eos, de quorum pœnitentia spes nulla fuit.

In prima horum tanguntur duo : opportunitas temporis quo exemplum inducitur, et ex exemplo accepta instructio, quo veritas dictorum comprobatur.

Dicit igitur :

« Aderant autem quidam. »

Notat circumstantia litteræ, quod præhabitam de adventu judicis instructionem fecit Dominus in Judæa, ad quam de Galilæa veniens transierat : et quod secuti sunt eum de Galilæa in Judæam, doctrina ejus instrui cupientes, et illi tunc aderant.

Et hoc est quod dicit : « *Aderant autem quidam.* » Luc. XXIII, 49 : *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.* Apostoli enim et discipuli præcipue Galilæi fuerunt. Et ad illos diversis temporibus, de Galilæa tamquam ad contribules et compatriotas multi venerunt.

« *Ipso in tempore* » istius prædicationis : ut sermo per effectum probaretur. Psal. CXL, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt,* hoc est, ad efficaciam voluerunt. Ad Roman. XV, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.*

« *Nuntiantes illi,* » Jesu, « *de Galilæis.* » Narrat Josephus, et historia Ecclesiastica, et Hegesippus, quod eo tempore in Galilæa quidam surrexerat, qui se Filium Dei prædicaret, et multos evertit post se, ducens eos in montem Garisim in desertum, in quo monte se in cœlum ascensurum prædixerat. In quo monte, cum sibi Galilæi in eum

credentes sacrificarent, supervenit Pilatus, et eum interfecit, et omnes sibi sacrificantes, et sic « *miscuit sanguinem* » sacrificantium cum sanguine sacrificiorum, et cum sanguine ejus cui sacrificabant. Et hanc esse causam dicunt, quod Herodes inimicus erat Pilati : de quibus inimicitiis in Passione Christi reconciliati sunt. Herodes enim tetrarchiam habuit Galilææ, et dicebat quod Pilatus in homines suæ tetrarchiæ non haberet aliquam potestatem. Unde, Act. v, 36, dixit Gamaliel : *Ante hos dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est, et omnes qui credebant ei dissipati sunt.* Item, ibidem, ℣. 37 : *Post hunc exstitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit : et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Tales quidam erant isti Galilæi hæretici, a quodam pseudopropheta subversi.

Vel forte, iidem erant « *quorum sanguinem,* » in monte Garisim, « *miscuit Pilatus,* » procurator Judææ. Miscuit autem sanguinem eorum « *cum sacrificiis eorum,* » ne sibi regnum usurparent si multiplicarentur. Deus autem fieri voluit propter meritum infidelitatis eorum. Matth. xxi, 41 : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.* Psal. lxvii, 31 : *Dissipa gentes quæ bella volunt.* Genes. vi, 12 : *Omnis caro corruperat viam suam.* Et sequitur, ℣. 13 : *Ego disperdam eos cum terra.*

« Et respondens dixit illis. »

Accepta opportunitate per exemplum nuntiatum.

« *Putatis* » ne « *quod hi Galilæi,* » attendentes mendacio et blasphemiis suorum seductorum, « *præ omnibus* » aliis « *Galilæis,* » qui doctrinam veritatis abjiciunt, et mendaciis credunt. II ad Timoth. iv, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

« *Peccatores* » soli « *fuerint, quia talia* » judicia Dei « *passi sunt ?* » ut peccatis suis in finem devolutis, ita in eos Dominus vindicasset per manus Pilati ? I Reg. xv, 2 et 3 : *Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade et percute Amalec, et demolire universa ejus.* Unde hic supponit Dominus, quod isti peccatores fuerunt, et merito suæ iniquitatis interempti. Sed non fuerunt soli peccatores, nec præ omnibus aliis.

Et hoc est quod subdit :

« Non, etc. » 3

Hoc est, non fuerunt peccatores præ omnibus aliis. Aliquando enim quosdam Deus punit peccatores ad exemplum et terrorem aliorum, sicut dicit Glossa. Proverb. xix, 25 : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.*

Et hoc est quod subdit : « *Dico vobis,* » qui sum veritas : « *Sed nisi pœnitentiam habueritis.* » Non solum de pœnitentia cogitetis, vel dicatis, sed agatis in opere pœnitentiam. Matth. iii, 2 : *Pœnitentiam agite.* Act. iii, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Job, xlii, 6 : *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.*

« *Omnes similiter,* » hoc est, ex simili causa, « *peribitis.* » Isa. xxx, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Ad Roman. ii, 4 : *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Et est ac si dicat : Si pœnitentiam egeritis, iram Dei avertetis : ita quod parcet vobis. Si autem tempus pœnitentiæ neglexeritis, justa est ira, quæ in vos judicabit. Ad Roman. ii, 5 : *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis*

justi judicii Dei. Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.*

Est autem hic quæstio : Cum de similibus sit simile judicium, ut dicit Boetius, quare Deus punit quosdam peccatores, et quosdam ad pœnitentiam reservat ? Si dicas quod prævidet istos pœnitentiam acturos, illos autem non, hoc nihil est : quia prævidit antequam nascerentur, et sic debuit non permisisse quod nascerentur, cum ipse dicat, Matth. XXVI, 24 : *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

Ideo dicendum, quod quamvis judicia Dei sint abyssus multa [1], super quæ in tali casu exclamat Apostolus, ad Roman. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* Tamen possumus dicere, quod nullum sic damnat, nisi peccatis suis in finem devolutis : et tunc condemnat eos, quos sic finaliter damnat, ad terrorem et exemplum aliorum, sicut dicit Glossa. Peccata autem in finem devolvuntur dupliciter, scilicet, ad summum malitiæ, et ad summum finem. Ad summum malitiæ non devolvuntur aliqua peccata in finem : quia nemo ita malus efficitur, quod non possit fieri pejor. Ad summum autem finem devolvitur, quando etiam secundum inferiores causas sic sententiam meretur, quod non est probabile quod revertatur ad pœnitentiam : sicut patet in his qui perierunt in diluvio, quorum tota intentio fuit ad malum toto tempore : et in his qui perierunt in Pentapoli, qui etiam Angelis quærebant abuti. Et revocans ad pœnitentiam, videbatur quasi ludens loqui, et deridebant Prophetas. Et tales puniuntur a Deo meritis suis, quando magis valet punitio eorum ad exemplum correctionis. Et hanc puto esse veram hujus quæstionis determinationem. Et ideo minus peccans, aliquando punitur : et magis peccans, aliquando differtur : ut in exemplo proposito. Tamen consuevit dici quod multis de causis aliquis punitur. Unde versus :

Ut probet, aut purget, aut puniat, aut tueatur,
Aut Christi pateat gloria, pœna datur :
Ut sit in exemplum, terror, vel pœna parentum,
Ut sit sobria mens, cauta, memorque Dei.

Ut probet quidem, sicut, Job, I, 8, et Job, II, 3 : *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Tob. XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Ut purget : sicut lepra percussit Mariam sororem Moysi, pro peccato murmuris purgando [2]. Malach. III, 3 : *Sedebit conflans, et emundans argentum, et purgabit filios Levi.*

Ut puniat, et punitionem continuet : ita ut æterna pœna continuetur præsenti. Et sic hic incipiat, ut in æternum pœna continuetur. Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Et sic punivit Herodem, qui sicut dicitur, Act. XII, 23, percussus est ab Angelo Domini, *et consumptus a vermibus, exspiravit.*

Ut tueatur hominem a peccatis : et maxime a peccato superbiæ aliquando puniri permittit. Et hoc idem est, quod punit ad humilitatis conservationem : sicut Paulum punivit stimulo carnis, II ad Corinth. XII, 7 : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet.*

Ut ex miraculo liberationis manifestetur gloria Domini, aliquando permittit hominem puniri : sicut dicitur, Joan. IX, 2 et 3, in cæco nato, de quo dicitur : *Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes*

[1] Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.*

[2] Cf. Numer. XII, 10.

ejus : *sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Et sic videtur mortuus fuisse Lazarus, Joan. xi, 40, de quo dixit Dominus : *Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei.*

Aliquando etiam Deus punit hominem, ut dicit Joannes Damascenus, ut aliis exemplum patientiæ proponatur. Jacob. v, 10 : *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, prophetas*, etc. *Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis.* Luc. xxiii, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?* Tobiæ, ii, 12 : *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job.*

Punit etiam Dominus aliquando unum ad terrorem alterius. Proverb. xix, 25 : *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Isa. i, 5 et 6 : *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem ? Omne caput languidum, et omne cor mœrens : a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Adhuc autem aliquis punitur, ut ostendatur pœna peccati parentum in pœna filiorum, qui parentes in peccatis sunt imitati. Exod. xx, 5 : *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me.*

Adhuc autem aliquando punit, ut hominem, post ebrietatem carnalis concupiscentiæ, sobrium reddat. Eccli. xxxi, 2 : *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Sic punitus fuit Antiochus, qui prosperitate terrena inebriatus, existimabat terram ad navigandam, et pelagus ad iter agendum se habiturum. Et cum rediret per pœnam in sensum, dixit : *justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire* [1]. Sic dicit Gregorius : « Oculos quos culpa claudit, « pœna aperit. » Sic, Daniel. iv, 30 et 31, Nabuchodonosor ab humano mutatus est, et cor feræ datum est ei, donec sobrius effectus, redivit in sensum : et tunc ad cor hominis, et ad honorem regni decoremque pervenit.

Adhuc autem quidam puniuntur innocenter, ut eisdem a majori pœna caveatur : sicut, Genes. vii, 21 et seq., pueri submersi in diluvio. Et, Genes. xix, 24 et 25, pueri concremati in Sodomis. Et, I Reg. xxx, 17, pueri occisi ab Amalecitis, qui si vixissent, majores peccatores fuissent, et ideo magis puniti. Sapient. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes.* Isa. xiv, 20 et 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum suorum : non consurgent*, etc.

Adhuc autem fit ad memoriam fidei verborum Dei habendam. Luc. i, 20 : *Eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.*

His igitur de causis judicio Dei punitur aliquis.

Glossa etiam moralis dicit, quod isti quorum sanguis mixtus est sacrificiis eorum, significat eos, qui quidem Deo sacrificant, sed cum hoc peccata a corruptione sanguinis procedentia, non evitant : quorum justa est condemnatio. Isti enim sunt socii Cain : de quo dicitur, Genes. iv, 7 : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ?* Bene enim obtulit, qui obtulit Creatori creaturam, quam sibi donavit. Male autem divisit, qui seipsum diabolo, substantiam autem obtulit Deo. Illi sanguinem miscent sacrificio, de quo dicitur, Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit :* et ideo merito condemnantur et puniuntur per Pilatum, qui *os malleatoris* interpretatur, hoc est, per diabolum, qui omnium talium est malleator. *Parata sunt* enim *derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus* [2].

[1] II Machab ix, 12.

[2] Proverb. xix, 29.

Sic igitur isti sunt puniti ad exemplum peccantium ut pœniteant.

4 « Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem ?

5 Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. »

Istud est secundum exemplum superborum, ut cessent a præsumptione superbiæ.

Qualiter autem istud acciderit, nescitur, nisi quod probabile est, quod turrim ædificaverint, et propter operis debilitatem turris super eos ceciderit. Potest autem esse, quod turris ante ædificata, super transeuntes decem et octo dispositione divina ceciderit. Quia sicut dictum est superius, XII,6, passeres quinque qui veneunt dipondio, sine dispositione divina non cadunt in terram. Per quod intelligitur quod multo minus homines puniuntur sine Dei judicio.

Et hoc est quod dicit : « *Sicut illi decem et octo,* » qui ambitione fastus humani, « *turrim* » ædificabant « *in Siloe.* » Ubi fuit habitatio humilis regis, signa fastus humani non erant ædificanda. Isa. VIII, 6 et 7 : *Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus,* hoc est, quia abjecit humilitatem, et elegit superbiæ fastum : sicut illi qui, Genes. XI, 3, turrim ædificaverunt.

Et hoc est quod dicit : « *Supra quos cecidit turris in Siloe,* » propter reatum superbiæ. Isa. XXX, 25 : *Erunt super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum,* hoc est, super omnem superbum inundationes tribulationum, in die interfectionis multorum : cum ceciderint turres, hoc est, altitudines superborum. Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus.* II ad Corinth. X, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Hæc enim altitudo est turris contra Deum ædificata, et cadit super ædificantem. Matth. XXI, 44 : *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et ocidit eos.* » Conteritur enim cum delinquente delictum. « *Putatis* » ne « *quia et ipsi debitores fuerint ?* » Peccatum enim debitorem facit pœnæ. Matth. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra.*

« *Præter omnes homines* » magnos, et forte majores ipsis peccatores, « *habitantes in Jerusalem,* » quæ multos continet peccatores. Unde, Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.*

« Non, etc. »

Responsio supponens quidem hos fuisse peccatores, sed non solos.

« *Dico vobis,* » qui non mentior, « *sed si pœnitentiam non egeritis,* » horum exemplo correcti, hoc est, pœnitentiam « *egeritis,* » in pœna tenenda pro peccatis, « *omnes similiter,* » hoc est, ex simili causa, « *peribitis.* » Ad Hebr. II, 2 et 3 : *Si omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem.* II Petr. II, 4 : *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Item, ibidem, ℣. 5 : *Si originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit,*

diluvium mundo impiorum inducens. Item, ibidem, ℣.6 : *Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens.* Item, ibidem, ℣. 9 : *Novit igitur pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* Dies autem judicii iniquorum est, quando datur sententia de eis. Job, XXI, 30 : *In diem perditionis servatur malus.*

Sic igitur per duo exempla probatur, quod et illi qui bonis suis mala miscent, et illi qui fastu cordis simpliciter mali sunt, altitudinem mundi quærentes, judicio Dei condemnantur : ut exemplo suo omnes ostendat condemnandos. Angelus enim propter fastum superbiæ, homo propter elationem cupiditatis scientiæ, mundus propter luxum concupiscentiæ, Pentapolis propter incendium infandi vitii contra naturam, sacrificantes Galilæi propter errorem oppressi in Siloe, propter fastum pœnas etiam temporales sustinuerunt. Et semper innocentes liberati sunt : ut ostendat quod nullus peccator evadet pœnas, sed innocentes et recti a Deo liberabuntur. Job, IV, 7, et seq. : *Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit ? aut quando recti deleti sunt ? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos.* Proverb. XI, 8 : *Justus de angustia liberatus est, et tradetur impius pro eo.* Finaliter Deus numquam condemnat justos : neque salvat, sed condemnat peccatores.

« Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua. »

In hac parte determinat longanimitatem judicis, per patientiam eos, qui se præparare debent, exspectantis.

Est autem hujusmodi longanimitas duplex : et secundum hæc duo, inducuntur hic duæ historiæ : in quantum prima per similitudinem ostenditur longanimitas circa subditos, per intercessionem sanctorum ministrorum Prælatorum Ecclesiæ impetrata : in secunda autem per sanationem mulieris incurvatæ ostenditur longanimitas, quæ in judice causatur ex bonitate propria.

Hæc autem prior historia dividitur in quatuor paragraphos : in quorum primo diligentiam dicit plantationis in loco convenienti : in secundo autem infructuositatem arboris : in tertio, cum allegatione causæ secundum causam demeritoriam, sententiam succisionis : in quarto, ab agricolis patientiam impetratam de succisione, longanimitatem exspectationis.

Præmittit autem modum inductionis hujus historiæ, dicens : « *Dicebat autem et hanc similitudinem,* » volens cautos et sollicitos esse de præparando se ante judicis sententiam. Ad Roman. XII, 11 : *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes.* Hoc autem adstruit per similitudinem : quia intellectus hominis imaginationi conjunctus, connaturales habet exemplares et similitudinarias instructiones. Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Osee, XII, 10 : *In manu prophetarum assimilatus sum.* Matth. XIII, 35 : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Et, ibidem, ℣.11, reddit rationem dicti : quia quamvis Apostolis et viris perfectis datum sit nosse mysterium regni Dei sine similitudinibus, tamem cæteris de turba non est datum aliquid intelligere de hoc, nisi in parabolicis similitudinibus.

Dicit igitur :

« Arborem fici. »

Genus dicit arboris inter plantas, quæ inter plantas utilior, in fructu multiplicior est quam herba, vel olus, vel frutex, vel fungus. Hæc enim sunt genera plan-

tarum. Est enim arbor statura procerior, stipitis robore fortior, ramositate latior, viriditate foliorum umbrosior, flore pulchrior, fructu suavior, et utilior plantis aliis. Daniel. IV, 7 et seq. : *Arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia, et magna arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum, adspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum erat in ea.* Et ideo homo inter cæteras creaturas dignior, huic arbori comparatur, qui in medio terræ est sicut dominus positus. Psal. VIII, 7 et 8 : *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus,* etc. Statura procera est attingens cœlum : quia imagine supercœlesti Dei similitudinis insignitus. Stipite fortis : quia in robore naturalium est creatus. Ramositate latus : quia sensuum et imaginationis et rationis considerationes per totam extendit triplicem mundi machinam, cœlestium, terrestrium, et infernorum. Foliis viridantibus umbrosus : quia umbra sapientiæ cunctis præstare potest refrigerium. Flore pulcherrimus : quia naturaliter insunt ei per creationem principia quædam virtutum et honestatis, quasi quædam promissiones futurorum profectuum. Fructu suavior et utilior : quia meritis omnium bonorum operum, omnibus utilis ad exemplum et refectionem virtutum. Et ideo vir sanctus in Psalmo I,3, arbori tali comparatur.

Hæc arbor est arbor

« *Fici* » secundum species, quæ præ cæteris dulcior invenitur, quando est utilis. Fatua autem, quando est inutilis. Sicut enim ficus cæteris est utilior arboribus, quando est fructifera, ita præ multis est inutilis, quando est infructuosa et infatuata : quia lignum est nodosum, curvum, et frangibile : et ideo non ad ædificia, sed ad ignem aptum, sicut et vitis. Jerem. XXIV, 3 : *Ficus, ficus bonas, bonas valde : et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.* Quia homo justus dulcissimus in fructu virtutis, bonus est in verbo, et bonus valde est in opere. Homo autem injustus, et præcipue clericus vel religiosus si malus sit, malus est in ore, et malus valde in opere : ita quod nullum reficit, sed omnibus generat abominationem.

Ficus etiam cum bona est, dulcedine sua purgat vulnera, de profundo educens virus et putredinem. Cum autem fatua est, et dulcedine destituta, in apostematibus quibus supponitur, generat exasperationem et contractionem. Ita gratia viri sancti in verborum et operum lenitate sanat, et lenit, et mundat peccatorum apostemata : et perversitas fatui exasperat, et contrahit, et dolorem induducit, et non emundat. Isa. XXXVIII, 21 : *Jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus.*

Ficus etiam propria dulcedine delectata, eam nullius spe promotionis in sæcularibus dignitatibus deserit. Et hujus secundum naturam causa est, quia tantum decoquit humorem in dulcedinem, et tantum desiderat dulcissimi fructus multiplicationem, quod parum de nutrimento ponit in altitudinem. Et quando ponit succum sibi ministratum in altitudinem, tunc statim efficitur fatua, et supergreditur cæteras arbores in altitudine. Propter quod etiam latine *celsa* vocatur. Et sic facit vir sanctus : delectatur in dulcedine spiritus, et multitudine spiritus, et multitudine consolationis divinæ. Non curat altitudinem sæculi. Et si curare per ambitionem incipit, infuatatur. Et exaltatur aliquando super alios in dignitate aliqua, quæ ad nihil utilis est, nisi quod statura pusilli, hoc est humiles et simplices, profectu meriti, scandunt super eam ad videndum Dominum. Luc. XIX, 3 et 4 : *Quærebat Zachæus videre Jesum, quis esset : et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et ascendit in arborem sycomorum,* etc. Quia unde infatuatus et elevatus est prælatus impius, inde proficit justus, simplex, et pius.

Bona autem ficus dulcedinem non deserit propter altitudinem sæculi, Judicum, IX, 11, dixit ficus : *Non possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire ut inter cætera ligna promovear.*

Habet etiam ficus florem et fructum, qui etiam major est cæteris fructibus suis et pretiosior, quamvis non sit adeo dulcis. Et sic vir sanctus statim a principio florem ætatis et mundi in fructum spiritus convertit : qui quamvis non sit adeo dulcis, sicut procedente tempore cum profecerit, fructum producit : tamen propter innocentiam in conspectu Dei gratus est et pretiosus. Mich. VII, 1 : *Præcoquas ficus desideravit anima mea.*

Habet etiam ficus, quod suis grossis indicium est æstatis, caloris, et luminis. Et ita vir sanctus, et præcipue prælatus, clericus, et religiosus, suo exemplo jam quasi gemmatus conceptæ dulcedinis exprimens et ostendens exspectationem, iræ tempestatis divinæ ponit finem, et gratiorem et clementiorem auram significat futuræ in cordibus serenitatis et tranquillitatis. Cantic. II, 11 et seq. : *Jam hiens transiit, imber abiit et recessit... Flores apparuerunt in terra nostra, ficus protulit grossos suos.*

Habet item ficus proprium, quod cum emergunt ficus ex ficulnea, linitæ omni die oleo olivæ ad porum anteriorem, citius maturescunt, et esibiles fiunt, et saporem olei aliquantulum prætendunt. Et hoc competit viro justo, prælato, clerico, et religioso, qui quantumlibet dulcem habeat spiritum : tamen si omni die ungatur et liniatur consideratione misericordiæ et bonitatis divinæ, citius maturescit ad perfectum, et odorem accipit divinæ bonitatis et misericordiæ apud proximum. Et ideo dicitur, Cantic. I, 1 et 2 : *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Quia ubera conceptæ talis dulcedinis nihil habent mordax et asperum, sed dulce fragrans Dei misericordiam et bonitatem. Sic dicitur, III Reg. IV, 25, quod quilibet de populo sedebat subter ficum suam, et de bonis terræ tractabant. Quia in umbra talis prælati quilibet subditus quiescit, tractans de bonis quæ fiunt per eum.

Habet etiam ficus ex spissitudine et latitudine foliorum, et humili dilatatione ramorum, umbram valde dulcem et desiderabilem, si non est infatuata. Si autem fatua est et celsa, habet umbram siccam et nocentem ex vapore foliorum. Et sic vir sanctus, prælatus, clericus, religiosus, in umbra protectionis subditorum est dulcis et desideratus. Et fatuus est arefaciens etiam id quod viride videtur, et opprimens per tyrannidem. Unde, Matth. XXI, 19, maledixit ficulneæ, ad quam venit causa fructus, cum non haberet nisi folia. Cantic. II,3 : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi : et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Habet etiam ficus quod non potest inseri in aliud lignum, quia nihil est in ea nisi dulce : et ideo alteri arbori, quæ est alicujus amaritudinis, inseri non potest. Et sic vir sanctus, prælatus, clericus, vel religiosus radicem suam dulcedinis divinæ deserendo, numquam amaritudini sæcularium rerum sociatur, vel inseritur. Math. VIII, 16 : *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus ?*

Habet etiam ficus, quod decorticata arescit, et fructum non facit. Ita vir sanctus, prælatus, clericus, vel religiosus bono exemplo spoliatus, intus dulcis esse non potest in spiritu. Joel, I, 7 : *Ficum meam decorticavit, nudans spoliavit eam et projecit, albi facti sunt rami ejus.*

Habet etiam ficus gratiam amabilitatis in quiete fructus ejus, propter quam frequentatur ab hominibus. Et hoc est in viro sancto, prælato, clerico, et religioso, qui dulcis est quod amatur et visitatur a Deo, et sanctis Angelis. Joan. I, 48 : *Cum esses sub ficu, vidi te.* Augustinus : « Quamvis utrumque sit necessarium, « tamen a vobis magis appetat amari « quam timeri, semper cogitans se pro « vobis redditurum esse rationem. »

Sic ergo « *arborem fici.* »

Ficus communiter secundum Grammaticum est fœminini generis, et quartæ declinationis. Tamen ab hac communitate Grammaticorum se excepit quidam Cæcilianus, antiquus Grammaticus, qui dixit quod ficus esset masculini generis, et secundæ declinationis. Sed de Grammaticorum rationibus alibi dictum est. Hic autem antiquam auctor sequitur Grammaticam, et dicit : « *Arborem fici,* » et non arborem ficus.

« Habebat quidam »

Singularis diligentiæ in cultura, qui nihil pertinens culturæ suæ ruribus suis denegavit. Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Sic Isaac, Genes. XXIV, 63, *egressus cum fuerat ad meditandum in agro*, ut videret si aliquid culturæ deesset. Sic, Genes. III, 8, Dominus deambulavit in paradiso ad auram post meridiem, culturam paradisi considerans. Sic, Genes. II, 15, posuit Dominus Adam in paradisum, ut operaretur et custodiret illum.

« Plantatam, »

Non silvestrem, sed per plantationem factam hortensem. Sicut plantantur fideles in Ecclesia, clerici in conventibus et præbendis Ecclesiarum, et religiosi in religionibus. Exod. XV, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ,* hoc est, in altitudine dignitatis et vitæ, *firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine*: quia contra diaboli impugnationem Ecclesiæ firmamentum Dominus ædificavit. Sic posuit Jemias, Jerem. I, 10, ut ædificaret et plantaret. I ad Corinth. III, 6 : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.*

« In vinea sua. »

Vinea enim in loco pingui esse solet, et in loco ubi altitudine montis contra Boream protegitur, et in loco ad meridiem ubi tota die soli est exposita. Et sic omnis bona Ecclesia est plantata in loco pingui per devotionem : in devexo montis contra Boream, per eminentem vitæ sanctitatem : contra flatum diaboli obumbrantem lucem veritatis, et infrigidantem scintillam charitatis. Quia sicut dicitur, Jerem, I, 14 : *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* De hoc monte dicitur, Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Isa. V, 1 : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Eumdem enim locum plantationis vult habere ficus et vinea : quia sicut vitis propter multum humorem indiget calore fortiter digerente, ita ficulnea propter spissitudinem et grossitiem humoris, indiget fervore solis eodem quo vinea. Spiritualiter hæc ficus plantatur in vinea, quando dulcedo spiritus in cœlestibus plantatur gaudiis. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.* Ecce ficus. Jerem. II, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Ecce gaudia cœlestia.

Sic igitur diligentia notatur culturæ.

Et venit quærens fructum in illa, et non invenit.

Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio. »

Tangitur hic infructuositas ficulneæ.

Et dicit tria : spem fructus inanem, diligentiam inquirentis, et frustrationem laboris.

De primo dicit : « *Venit,* » visitando sæpe per verbum admonitionis, per beneficia visitationis, per flagella eruditionis.

De primo dicit, Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos*, hoc est, sanandos prædixit. Isa. IX, 8 : *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel.* Quia ad fructum faciendum venire noluerunt Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.*

De beneficiorum visitatione dicitur, Isa. V, 2, quod sepivit eam, circumfodit, et maceriam circumdedit, et turrim ædificavit in medio ejus. Sepivit enim custodia Angelorum, circumfodit timore comminationis, maceriam circumdedit multitudine mandatorum, turrim erexit altitudine ministeriorum et præsidiorum, et multa alia adhibuit beneficia.

De eruditione per flagella, Isa. XXVI, 16 : *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.*

Sic ergo venit, « *quærens fructum* » virtutis « *in illa* » speratum. Isa. V, 2 : *Exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Matth. XXI, 19 : *Nihil invenit in ea*, scilicet ficulnea, *nisi folia tantum*, hoc est, verborum latitudinem. Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me : cor autem ejus longe est a me.*

« *Et non invenit.* » Judas in epistola sua, ℣. 12 : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ.* Mortuæ autem sunt in se, et in proximo fructum impediunt per mortis exemplum.

« Dixit autem ad cultorem vineæ. »

Ecce comminatio sententiæ : quia dixit per inspirationem « *ad cultorem vineæ*, » Christum, vel prælatum vineæ, Christi Vicarium : sicut fuerunt Apostoli et Apostolici viri. I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis.* Vineæ autem cultor, non solum vinum colit, sed in cœlestibus gaudiis colit virtutis et spiritus dulcedinem in Ecclesiis et in hominibus.

Ante sententiam autem comminatam, dicit sententiæ justæ rationem :

« Ecce anni tres sunt. »

Hi anni tres sunt legis naturalis tempus, et legis Moysi tempus, et tempus gratiæ legis in prædicatione Christi. Vel, tempus cultus circumcisionis in Patribus: tempus datæ legis in transitu de Ægypto: et tempus Prophetiæ in terra promissionis. In quibus nullum fructum fecerunt. Vel, moraliter : anni tres sunt, juventutis, virilis ætatis, et senectutis. Isa. XX, 3 : *Trium annorum signum et portentum erit super Ægyptum et super Æthiopiam.* Isa. XXXVII, 30 et 31 : *Comede hoc anno quæ sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere : in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum.* Naturale enim est in plantis arborum, quod in prima plantatione convalescunt in radice : et postea in ramis disposite disponunt se : tertio ad fructum parvum vel magnum.

Et hoc est quod dicit :

« Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac. »

Laborem et expensas ad cultum adhibens, quærebat pretium laboris fructum. Jacob. V, 7 : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum.*

« *In ficulnea hac*, » quæ infatuata et infœcunda non generat dulcedinem sed pruriginem in omnibus quibus apponitur. Genes. III, 7 : *Consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata.* Quod enim pruriginem excitat, perizoma facit protectionis : quia dum homo infœcundus intus prurit prurigine libidinis peccatorum, extra quærit excusationes et

velationes in peccatis : sicut dixit Adam, Genes. III, 10 : *Timui eo quod nudus essem, et abscondi me.*

« Et non invenio. »

Ecce tota allegatio comminationis sententiæ : quia adhibuit cultum, non subtraxit laborem, et non respondet ficulnea per fructus utilitatem. Jerem. XXII. 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* Jerem. XVII, 6 : *Erit quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum : sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili.* Non enim tales dant fructum utilem. Et si figura fructus aliquando in bonis quibusdam exterioribus appareat, non habet maturitatem charitatis, sed abominabiles sunt et acerbi. Sapient IV, 5 : *Fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum.* Nisi forte faciant fructum aptum porcis, hoc est, in concupiscentia carnali conversantibus : quia talibus competunt opera eorum. Luc. XV, 16 : *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant.* Ecce causa comminatæ sententiæ.

Et hoc est quod sequitur :

« Succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ? »

Duo dicit : comminationem succisionis, et (quod miserabile est) impedimentum occupationis quod præstat, ne alia planta in loco illo fructifi et.

De primo dicit : « *Succide illam,* » hoc est, de vita et Ecclesia amputa talem virum, qui et in se inutilis est, et aliis præstat impedimentum. Daniel. IV, 10 et 11 : *Et ecce vigil, et sanctus, de cœlo descendit, clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem.* Job, XXIV, 20 : *Obliviscatur ejus misericordia, dulcedo illius vermes : non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Matth. III, 10 : *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Securis autem est sententia mortis, quæ quotidie datur de inutilibus.

Et hoc est quod dicit : « *Succide ergo illam.* »

« Ut quid etiam terram occupat ? »

In cujus fundo, per succum loci ministratum radici, planta fructifera plantetur. Et sic in bonis a Deo datis alicui homini, vel in præbenda mali clerici staret alius utiliter isto decedente. Sicut et Ecclesia utiliter radicata est in sacramentis et doctrina Prophetarum, in quibus Synagoga inutiliter ante stetit. Baruch, III, 19 : *Ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt.* Unde Ambrosius : « Terram occupat, qui locum quem « tenet, bonis operibus non exercet, qui « exemplo suæ pravitatis impedimentum « cæteris præstat. » Unde etiam terra, talibus ministrans bonum nutrimentum, clamat adversus tales plantas. Job. XXXI, 38 : *Si adversum me terra mea clamat. Quasi dicat : Male mihi accidat.* Item, ibidem, ℣. 39 et 40 : *Si fructus ejus comedi absque pecunia,* hoc est, si dona Dei sumpsi, et nihil in merito, vel in doctrina Deo rependi pro commutatione, *pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Frumentum est pastus hominum in verbo Dei. Hordeum autem pabulum jumentorum in doctrina prædicationis, hoc est, laicorum : pro quo tribulus oritur, quando in peccatum dona Dei convertuntur, quo conscientia compungitur. Spina autem ad ignem apta est, quando dona a Deo accepta, sine fructu in materiam ignis æterni convertuntur. Sic enim dicitur, ad Hebr. VI, 7 et 8 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem,* scilicet ignis. Terra enim

non comburitur, nisi quia plantæ et stirpes in ea inutiles comburuntur.

Hoc est igitur quod judex, se non præparantibus ad adventum ejus comminatur.

« At ille respondens, dicit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora :

Et si quidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. »

Hic ponitur dilatio sententiæ ex patientia judicis, et intercessione sanctorum cultorum, et spe futuræ fructificationis.

Et hoc est quod dicit : « *At ille,* » cultor scilicet, bonus prælatus, vel quilibet sanctus in Ecclesia militante vel triumphante pro alio intercedens. Job, v, 1 : *Voca ergo si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere,* Genes. xxv, 21 : *Deprecabatur Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis : qui exaudivit eum, et dedit conceptum Rebeccæ.*

Et hoc est :

« Domine, dimitte illam et hoc anno. »

Quarto scilicet : quia aliquis usque in senium reservatur, jam inutiliter juventute, et ætate virili, et senectute expensis : et exspectatur in putrido senio, an fructum aliquem facere velit. Allegorice autem etiam sententia Synagogæ precibus Apostolorum suspensa est per totum tempus gratiæ, in annum futuræ persecutionis Antichristi, ut tunc saltem fructum dulcedinis afferat. Ad Roman. xi, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Isa. xxx, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Osee, iii, 3 : *Dies multos exspectabis me : non fornicaberis, et non eris viro : sed et ego exspectabo te.* Ac si dicat : Non fornicabetis ad inutilem fructum, et non eris cum viro alieno ad spuria vitulamina, quæ sunt adulterinæ plantationes : sed exspectabis me, donec ex me fructus tuus inveniatur : et ego ad pœnitentiam exspectabo te.

« Usque dum fodiam circa illam. »

Ecce promissio adhibendi cultus ad fructum producendum.

Et duplicem dat promissionem adhibendi cultus. Primum dicit : « *Usque dum fodiam circa illam.* » Foditur ad radices, ut duritia terræ distillationem humoris ad radicem non impediat. Et hoc est primum beneficium fossuræ. Secundum autem est, quod nova terra adjuta humore non exsucto, radicem tangat. Tertium autem est aliquando antiquata arbore (cujus radicis cortex induratus et inspissatus est) ut cultor radicem findat, ut inter fissuras per poros non occlusos sugat. Et ita facit agricola spiritualis. Fodit comminationibus timoris ut mollificetur, quod stillicidium gratiæ in cor possit descendere. Osee, iii, 2 : *Fodi eam mihi.* Sic enim fodit sarculo disciplinæ. Isa. v, 2, secundum translationem Septuaginta : « Maceriam circumdedit, et circumfodit. » Ubi nos : *Et sepivit eam, et elegit lapides ex ea.* Hoc autem fit disciplinæ sarculo, quando cultor bonus suadet fieri corporales disciplinas. Ad Hebr. xii, 11 : *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Per hoc etiam nova et non exsucta terra radici apponitur : quando nova, et salutaris, et humore gratiæ plena instructio perhibetur, per terrenas similitudines comprobata : ut ex similitudine terrena spiritualia intelligantur. Sic enim intelligitur istud Isaiæ, xlv, 8 : *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Sic intelligitur quod dicit Psalmus cxl,

6 et 7 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt*, hoc est, potentiam et valorem ad fructificandum in se habent. *Sicut crassitudo terra erupta est super terram*, quæ sua pinguedine novam administrat fœcunditatem. Tertium autem est quando durioribus duriores fiunt comminationes et ictus sententiarum per excommunicationes : ut scindantur qui molliri non possunt. Jerem. XXIII, 29 : *Verba mea sunt quasi malleus conterens petram.* Joel, II, 13: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum.*

Sic ergo fodit circa ficulneam bonus agricola.

« Et mittam stercora. »

Stercora mittere, est præterita peccata ad memoriam revocare, et ex hoc ad devotionem pœnitentiæ inclinare. Amos, IV, 10 : *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras, et non redistis ad me.* Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quia sic homo suam advertit putredinem jumentinam, et ex hoc disponitur ad fructum. Isaiæ, I, 25 : *Facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio platearum*, hoc est, morticina, quibus homo moritur in peccato, facta sunt in stercora ad fructificandum in medio platearum, hoc est, in vitæ latitudine. Job, II, 8 : *Job testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.*

« Et si quidem fecerit fructum. »

Aposiopesis est : tacet responsionem ad hoc pertinentem : quia vere et probabiliter constat, quod non faciet : aut quia constat Dominum per se ipsum libenter parcere, quando fructum facit. Et ideo hanc partem ellipticam dimittit : quia per se ex patientia Domini intelligitur, quia tunc non succidet. Sapient. I, 13 et 16 : *Deus mortem non fecit,... impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Ezechiel. XXXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.*

« Sin autem, »

Hoc est, si non autem faciet fructum exspectata et culta « *in futurum*, » quando justior est tua condemnatio, « *succides eam*, » per sententiam condemnationis : sicut succidisti Angelos et alios peccantes, qui finaliter voluerunt perdurare in peccatis. In Epistola Judæ, ℣. 5 : *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt, perdidit.*

Sic ergo demonstratum est, qualiter sententia misericordis judicis, aliquando per intercessionem bonorum suspenditur, quamvis non auferatur. Aliquando autem ex sola misericordia Dei, diu ad pœnitentiam exspectatus peccator liberatur.

Et hoc est quod consequenter inducitur :

« Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. » 10

Dividitur autem hæc historia in duas partes : in factum videlicet, et convictionem eorum qui factum calumniabantur.

Factum autem habet duos paragraphos : in quorum primo continetur tempus et locus, qualiter ad factum est deventum : in secundo autem continetur factum ipsum.

In primo ergo dicit, quod prædicta et alia de præparatione hominum ad judicium « *erat docens*, » sicut ipse docturus et illuminaturus omnes in mundum venerat. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans in via, qua ambulas.* Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

« In synagoga, »

Propter loci solemnitatem : ut pluri-

bus in synagoga convenientibus prodesset. Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Ideo etiam dixit, Lucæ, VIII, 17, et Matth. X, 26 : *Nihil occultum quod non reveletur.* Hæreticorum enim mendacia angulos quærunt, sed non plana veritas.

« Sabbatis. »

Ecce tempus in quo plures ad auditum verbi Dei vacabant. Ad Hebr. IV, 9 : *Relinquitur sabbatismus populo Dei,* quando opera servilia fieri non licebat, sed tantum vacabant verbo Dei et obsequio divino. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.*

« Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. »

Hic tangitur factum.

Habet autem partes duas : in quarum prima magnitudo infirmitatis exaggeratur : in secunda vero miraculum perficitur.

Adhuc autem in prima tanguntur quinque : demonstratio scilicet sexus fragilis : causa infirmitatis : longitudo ægritudinis : et magnitudo dejectionis et defectionis : et damnum dejectionis.

De primo dicit : « *Et ecce mulier,* » in qua fragilitas erat sexus : ideo magis miserabilis. Jonæ, IV, 2 : *Sciebam, quia tu Deus clemens et misericors es, patiens, et multæ miserationis, et ignoscens super malitia.* Hæc autem mulier carnem humanæ naturæ corruptam significat, allegorice autem synagogam. Ad Roman. VII, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.*

« Quæ habebat spiritum infirmitatis. »

Ecce quod causa hujus erat a spiritu et a peccato. Spiritus enim malus sibi fuit causa infirmitatis. Isti sunt spiritus immundi, de quibus dicitur, Zachar. XIII, 2 : *Etiam spiritum immundum auferam de terra.* Apocal. XVI, 14 : *Sunt spiritus dæmoniorum.* I ad Timoth. IV, 1 : *Attendentes spiritibus erroris.* Hic spiritus facit infirmitatem ad omne bonum : quia peccatum debilitat ad bonum. Unde clamat Propheta, Psal. VI, 3 : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.*

« Decem et octo annis, »

Quia etiam in decem mandatis decalogi, et in octo beatitudinum perfectionibus, quæ, Matth. V, 3-11, describuntur, infirmabatur. Vel quia ter sex sunt decem et octo : infirmabatur in fide Trinitatis, et in perfectione operum, quæ in senario significatur. Vel significat illos qui tribus temporibus ante legem scriptam, in lege naturali, et sub lege scripta, et sub gratia, longa detenti sunt infirmitate peccati. Eccli. X, 11 : *Languor prolixior gravat medicum.*

« Nec omnino poterat sursum respicere. »

Ecce damnum : quia sicut jumentum erectionem ad cœlum amiserat. Psal. XVI, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Oratio Manassæ : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, et non est respiratio mihi.* Isa. XXIX, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris :... et erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Psal. XXXVII, 7 : *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem : tota die contristatus*

ingrediebar. Isa. LI, 23 : *Dixerunt animæ tuæ : Incurvare, ut transeamus : et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.*

12 « Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.

13 Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. »

Hic tangitur perfectio miraculi.

Et tanguntur tria : causa, effectus, et finis.

Causa miraculi est in quatuor : in visione, vocatione, allocutione, et manus impositione. Primum est respectus misericordiæ : secundum vocatio gratiæ : tertium instructio cautelæ : quartum adjutorium divinæ potentiæ.

De primo dicit : « *Quam cum videret Jesus,* » Salvator in respectu salutis. Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei.* Luc, X, 33 : *Videns eum, misericordia motus est.*

« Vocavit ad se, »

Ut jam prope fieret quæ longe abierat. Ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit... et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit.* Vocatio enim hæc fit per gratiam electionis : et est segregatio a massa perditionis. Baruch, III, 35 : *Vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Per hoc enim stellæ lucentes factæ sunt, quia ab inclinatione ad terram vocatæ sunt ad cœlum, hoc est, « *ad se,* » ad cœlestia vocare.

« Et ait illi. »

Ecce allocutio de instructione sanitatis. Et facit hic primo mentionem mollitiei, quæ sibi infirmitatis causa fuerat, quando dicit : « *Mulier* » mollita et subacta : sicut ea quæ quinque viros (hoc est delectamenta quinque sensuum) passa est. Joan. IV, 18 : *Quinque viros habuisti,* hoc est, a quinque subacta et mollis effecta es. Jerem. II, 36 : *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.*

« *Dimissa es,* » per peccati remissionem, « *ab infirmitate tua.* » Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.* Dicit autem : « *Dimissa,* » ut notaret eam debitricem infirmitatis per peccatum. Matth. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

« Et imposuit illi manus, »

Ut per contactum corporis in corpore, nosceretur esse divinitas operans pro libitu voluntatis. Simile, Matth. VIII, 3 : *Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare.* Impositio tamen manus notat injunctionem pœnitentiæ in satisfactione operum. Psal. CXXXVIII, 5 : *Posuisti super me manum tuam.* Psal. LXXXIX, 17 : *Opera manuum nostrum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.* Sicut dicitur, Job, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti.* Sic Patriarcha Jacob manus filiis suis imposuit, et benedixit [1].

« Et confestim erecta est. »

Perfectio miraculi quoad effectum, hoc est, erectio ad staturam rectam, ad cœlum porrectam. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Job, XL, 5 : *In sublime erigere, et*

[1] Cf. Genes. XLVIII, 14 et 15.

esto gloriosus. Psal. CXLIV, 14 : *Dominus erigit elisos*, scilicet ad justitiæ rectitudinem, et cœlestium intentionem. Unde sequitur : *Dominus diligit* (alias, dirigit) *justos.*

« *Et glorificabat Deum,* » quem in effectu tanti cognovit miraculi. Et hic est finis istius miraculi. Luc. VII, 16 : *Magnificabant Deum, dicentes : Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.* Glorificabat autem maxime in hoc, quod in finem in bonis operibus perseveraverit. I ad Corinth. VI, 20 : *Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.*

14 « Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt, in quibus oportet operari : in his ergo venite et curamini, et non in die sabbati. »

Hic incipit confutatio calumniantis.

Et habet partes tres, quarum una est calumnia malitiose factum reprehendentis : secunda est confutatio falsitatis, facta per irrefragabilem rationem veritatis : tertia est ex parte devotorum, congratulatio turbæ fidelis.

In primo horum duo sunt : in quorum primo describitur persona calumniantis : in secundo, ponitur dictum calumniatoris.

Describitur autem persona calumniantis a tribus : a facilitate responsionis, a dignitate prælationis, a passione mentis.

A facilitate responsionis describitur, cum dicitur : « *Respondens autem,* » quia continere sermonem sicut stultus non potuit. Job, IV, 2 : *Conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Job, XXXII, 20 : *Loquar, et respirabo paululum.*

« *Archisynagogus,* » princeps Synagogæ, unus de illis, de quibus dicitur, Amos, VI, 1 : *Væ qui opulenti estis in Sion !.... optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Iste enim fuit unus de illis, qui fastu dignitatis inflati, bonis invidebant, justitia apparenti gloriantes. Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Describit autem hunc a passione animi, quæ eum exagitabat. Dicit : « *Indignans.* » « Falsa enim justitia, ut dicit Hieronymus, indignationem habet, non religionem. »

Indignabatur autem, « *quia sabbato curasset.* » Quod est de bono opere indignari. Joan. VII, 23 : *Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato.*

« Dicebat ergo turbæ. »

Domino enim nostro Jesu Christo dicere non audebat, quia audiverat qualiter alios confutaverat : sed simplici turbæ dicebat, quæ discretionem non habebat. Jerem. V, 4 : *Pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui.*

« Sex dies sunt in quibus oportet operari. »

Sicut præcipitur, Exod. XX, 8 : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Genes. II, 2 : *Requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Levit. XXIII, 3 : *Sex diebus facietis opus. Dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus : omne opus non facietis in eo.*

Et ideo dicit : « *Sex dies sunt in quibus oportet operari,* » secundum exemplum Domini, qui sex diebus sine intervallo est operatus. Et secundum legem quæ hoc concedit. Non enim necesse est operari in illis, sed « *oportet,* » hoc est, licitum est unicuique operari in illis : dummodo opus vere sit opus, hoc est, quod opem ferat secundum aliquam utilitatem : sicut in antehabitis dictum est.

Peccatum enim non est opus, sed potius deformitas operis.

Sic ergo in sex diebus oportet operari. Et ideo dicit :

« In his ergo venite, et curamini. »

Hoc est, in his sex diebus in quibus oportet operari, « *venite* » cum devotione, « *et curamini* » ab infirmitatibus mentis et corporis. Eccli. L, 4 : *Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.* Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es.*

« Et non in die sabbati. »

Intellexit iste magister erroris, quod nihil operis esset ad faciendum in die sabbati : cum tamen sentire, videre, et audire, et in exterioribus orare, hymnizare, laudare Deum, hostias offerre sint opera, quæ omnia fiebant in die sabbati. Similiter autem comedere, bibere, circumcidere, et hujusmodi. Similiter parere, nasci, mori. Omnia enim talia fiebant in die sabbati. Adhuc autem infirmari, convalescere, et hujusmodi, quorum nullum est quin sæpe factum sit in die sabbati. Nec Deus ista inhibuit, quæ vel per se, vel cum gratia, vel per naturam operatur. Joan. V, 17 : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Nec inhibuit, sed potius præcepit ea quæ ad laudem, vel ad cultum suum ipse ab homine instituit fieri [1]. Adhuc sine quibus vita non agitur, et sine quibus necessitas non ducitur, omnia hæc fiunt in die sabbati. Et ideo iste magister est erroris, qui legem non intellexit, quando voluit, quod homo ab infirmitate corporali sine omni opere medicinæ exterioris non curaretur in die sabbati. Et ideo confutatur a Domino.

« Respondens autem ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare? 15

Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? 16

Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus : et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo. » 17

Habet autem hæc responsio tria : confutationem, confutatorum confusionem, et devotorum glorificationem.

De primo dicit : « *Respondens autem,* » potius malitiæ cordis ejus quam verbis, quia verba parvi erant momenti.

« *Ad illum Dominus,* » quem nihil latebat de intenti ne cordis. Ad Hebr. IV, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*

« *Dixit.* » Psal. LI, 4 : *Sicut novacula acuta fecisti dolum.*

« Hypocritæ. »

Hic confutatio ponitur, et habet duas partes : convitium, et rationem confutationis.

Convitium est, cum dicit : « *Hypocritæ,* » quia exteriorem quærit justitiam, neglecta interiori. Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

« Unusquisque vestrum, etc. »

Ecce ratio confutationis, et sumpta a minori. Minus enim videtur, quod bos a necessitate curandus sit quam homo : et bos vestro judicio curandus est : ergo multo magis homo.

[1] Cf. Cf. Levit. XXV, 1 et seq.

Et hoc est quod dicit : « *Unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum.* » Bos, quod est ad duplicem utilitatem animal ordinatum : quia ad esum, et ad laborem. Sed utrumque horum est propter homines. Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas.*

« *Bovem suum,* » animal mundum, quod dividit ungulam et ruminat : « *aut asinum,* » quod est immundum animal, nec ungulam dividit aut ruminat, « *non solvit,* » hoc est, nonne solvit « *a præsepio,* » quando comesto pabulo potu indiget, « *et ducit adaquare ?* » Et sic necessitatem bruti attendentes, dicitis solvendum sabbatum : et necessitatem hominis considerantes, dicitis non esse solvendum, cum tamen homo sit dignior omnibus brutis animalibus. Ducere enim ad aquas brutum, est opus servile. I ad Corinth. IX, 9 : *Numquid de bobus cura est Deo ?*

« Hanc autem »

Fœminam ad imaginem Dei factam, et secundum religionem « *filiam Abrahæ,* » cum cujus semine est etiam propagatio religionis Abrahæ ad ipsam, « *quam alligavit Satanas* » vinculo infirmitatis. Ex quo etiam patet, quod infirmitas ejus a peccato causabatur.

« *Ecce decem et octo annis.* » Quod est miserabile, ita diu fœminam in infirmitate detentam esse, « *non,* » hoc est, nonne multo magis « *oportuit solvi,* » solo verbo sine omni opere servili, « *a vinculo isto,* » hoc est, infirmitatis istius, « *die sabbati ?* » Joan. VII,23 : *Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato ?*

Per bovem autem significantur litterati et clerici : per asinum, simplices et idiotæ Vel, Judæi et Gentiles a vinculis peccatorum absolvendi. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Isa. XXXII, 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini.* Filia autem Abrahæ significat quamlibet miserabilem personam, gratia Dei adjuvandam a Prælatis Ecclesiæ. Psal. CXV, 16 et 17 : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Isa. LII, 2 : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

« Et cum hæc diceret, »

Confutando malos erroris magistros. Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Psal. XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.*

« *Erubescebant omnes adversarii ejus,* » Luc. XXI, 15 : *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Mich. VII, 10 : *Adspiciet inimica mea, et operietur confusione.* Psal. XXXIV, 26 : *Induantur confusione et reverentia, qui maligna loquuntur super me.*

« Et omnis populus, »

Simplices fideles et devoti. Luc. XIX, 40 : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

« *Gaudebat,* » concepto bono quod fiebat per eum, « *in universis* » signis, et factis, et confutatationibus malignorum in verbis. Marc. VII, 37 : *Bene omnia fecit* Luc. XXIV, 19 : *Fuit vir propheta potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.*

« *Quæ gloriose.* » Tullius : « Gloria est late patens præconium : » vel, ore multorum prædicata laudatio.

« *Fiebant ab eo.* » Psal. XXXII, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Psal. CXIII, 3 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Exod. XV, 1 : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est.* Sic enim perfecit laudem ex ore populi simplicis, sicut ex ore infantium, hoc est, ex litteratura loqui

nescientium, propter inimicos suos calumniatores : ut destruat inimicum et ultorem.

18 « Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ? »

In parte ista ostendit profectum se præparantium ad judicium.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima sub similitudine præparantium se ostendit profectum. Quia autem profectus est difficilis, eo quod omne bonum virtutis est circa difficile : ideo in secunda parte sub quæstione, si pauci sunt qui salvantur, inducitur, quod præparantium est paucus numerus in circumcisione : sed loco eorum intrat plenitudo Gentium.

In prima harum duæ inducuntur similitudines : in quarum prima sub similitudine grani sinapis, ostenditur profectus humilitatis fidei in verbo Dei : in secunda, ostenditur profectus charitatis fidei sub similitudine fermenti.

Prima similitudo habet duos paragraphos. Ut enim nos reddat attentos circa mysterium, primo facit quæstionem. Et deinde volens nos instruere, inducit similitudinem.

Tria inducit circa primum : in quorum primo ostenditur, quod obstructo ore loquentium iniqua, adhuc ad docendum patet os ejus.

Et hoc est quod dicit Evangelista : « *Dicebat ergo.* » II ad Corinth VI, 11 : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii.* Nullus enim valet oppilare os veritatis. Sicut enim dicitur in apocrypho Esdræ, III Esdr. IV, 38 : *Veritas manet, et invalescit.*

Secundum autem est excitatio attentionis in universali, cum dicit :

« Cui simile est regnum Dei. »

Regnum autem Dei dicitur potestas perfecta justitiæ, per quam Deus regnat in nobis. Matth. XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Hoc regnum ab humilitate maxima incepit, et in altum profecit.

Et quoad hanc proprietatem dicit quærens :

« *Cui simile est regnum Dei,* » quia sicut in antehabitis patet, proprietas nostri intellectus est, ut per similitudines terrenas facilius capiat cœlestia et spiritualia.

Et ideo quærit propter nos, ut facilius instruamur quasi manuducti. « *Cui simile est,* » hoc est, quæ invenitur hujus rei congrua ad terrena, quæ nota sunt homini, comparatio ? Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra ?* hoc est, in similitudine terrena. Apocal. XXI, 2, civitas sancta Jerusalem cœlestis de cœlo descendit in terrenas similitudines. Sic in scala Jacob Angeli de cœlo ad terram descendunt [1]. Sic, Luc. II, 13 et 15, Angeli descendunt in terram super Filium hominis. Et quando resolvuntur similitudines terrenæ ad intellectum spiritualium, tunc transcendunt a Filio hominis in cœlum. Hoc est ergo quod dicit ut attentos reddat ad similitudines diligenter advertendas. Proverb. I,6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.*

« Et cui simile æstimabo illud ? »

Æstimabo dicit, quia comparationes terrenorum ad spiritualia, sunt magis in æstimatione quam in rei veritate. Et hoc est tertium, in quo modum aperit talium similitudinum. Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.* Est enim hic modus doctrinæ rudibus facilior, ut per similitudines manuducantur, sicut et

[1] Cf. Genes. XXVIII, 12.

Apostolis factum est. Quando autem perfectus est aliquis intellectu divinorum, tunc non indiget dispensatione similitudinum. Unde, Joan. XVI, 29 et 30 : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.*

« Simile est grano sinapis. »

Ecce similitudo inducta de profectu humilitatis fidei, in qua tria notantur, scilicet quid, cui, et in quo, et in quem effectum assimiletur.

Quid, cui assimiletur attenditur in hoc quod dicit : « *Simile est,* » scilicet regnum Dei ab humilitatem maxima incipiens, « *grano sinapis,* » minuto valde inter semina : quia nec a sapientia, nec a potentia incepit, nec a divitiis hujus mundi. Sed potius, sicut dicitur, I ad Corinth. I, 27 et seq. : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, hoc est, potestates mundi. *Et ea quæ non sunt* elegit Deus, hoc est, pauperrima, et in abjecta et mendica paupertate degentia, *ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Ecce qualiter minutum est semen fidei. De hoc semine dicitur, Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Super hoc exclamans Isaias, XXVII, 6, dicit : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob.* Quasi dicat : Humiles sunt natalibus scientia, et tamen faciunt magna. Unde sequitur : *Florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine*, hoc est, verbo Dei. Sic ergo semini simile est, quod nudum granum omnibus his destitutum, quæ postea apparent in eo. Nec enim nobile magnificentia natalium, nec coruscum flore sapientiæ et scientiarum, nec vestitum divitiis foliorum et herbarum, I ad Corinth. XV, 37 : *Non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum.*

Granum autem in specie determinat, quando dicit :

« Sinapis. »

Propter quod ipse Dominus, Matth. XVII, 19, fidem grano sinapis comparat, dicens : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* Sinapis enim in grano calidum est granum, vaporosum, subtilis substantiæ valde, et dissolutivum, et acutum, et penetrativum : et hoc habet quando teritur. Sic fides calida est per veritatis dilectionem, vaporativa sursum per cordis intentionem et devotionem, subtilis valde substantiæ per creditorum ab ipsa rationem, dissolutiva per veritatis revelationem, acuta per veritatis ad intima penetrationem, penetrativa autem est intimorum per veritatis divinæ ostensionem. Et secundum ista, verbum fidei sinapis grano comparatur.

De primo quidem horum dicitur, ad Galat. V, 6 : *Fides quæ per charitatem operatur.*

De secundo, Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ?* Tardum enim cor ad credendum, jam tunc in devotione fidei vaporare inceperat ad Jesum, quando verbum fidei audiebat.

De tertio autem, hoc est, de subtilitate, dicitur, Sapient. VII, 22, quod *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis.* Omne quod est subtilis substantiæ, multiplicabile est valde. Et quidquid est multiplicabile multum, est subtilis substantiæ secundum naturam. Et ideo dicitur multiplex in effectibus, et unicum in subjecti simplicitate : quia in omnibus creditis fidei, unicum subjectum est primæ veritatis. Et ista subtilitate fides est subtilis in articulis creditis, et est modesta in religione, et diserta in fidei defensionibus,

et mobilis ad omnium corda. Quia sicut dicitur, Deuter. xxx, 14, et ad Roman. x, 8, prope est verbum fidei ad corda hominum.

De quarto autem, quod est esse dissolutivum per revelationem, dicitur, Daniel. x, 16: *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Resolvit enim veritas fidei nos a nobisipsis: ut non nobis, vel rationibus nostris, sed veritati fidei innitamur. II ad Corinth. x, 5: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

De quinto, hoc est, quod acuta est per veritatis ad intima penetrationem, dicitur, ad Hebr. xi, 1, quod *fides est argumentum non apparentium*, hoc est, arguit et convincit mentem de his, quæ non apparent. Et hoc modo (sicut ibidem dicitur) est substantia, hoc est, fundamentum fundans in nobis omnes res sperandas. Ad illas enim non pertingimus, nisi acumine fidei. Et sic etiam fides compungit corda, sicut clavi quidam, et stimulat sicut stimuli. Eccle. xii, 11: *Verba sapientium sunt sicut stimuli, et quasi clavi in altum*, hoc est, in profundum, *defixi.*

De sexto, quod est esse penetrativum per veritatis ostensionem et probationem, dicitur, ad Hebr. iv, 12: *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Hoc enim dictum est de verbo fidei, quod ad omnia ista penetrat sicut gladius anceps, et homini ista in se ipso ostendit. Qualiter secundum corpus ab anima dividitur, et quæ compages sint membra corporis et vires animæ colligantes, et quid unicuique debeatur: et quæ sint medullæ in gratia Dei, ossa animæ (hoc est, virtutes ejus) irrigantes: et qualiter cogitationes a cogitationibus, et qualiter intentiones ab intentionibus discernantur. Hæc enim omnia sinapis facit in corpore, et verbum fidei in corde: et ideo verbum fidei grano sinapis comparatur.

Ostendit autem consequenter, in quo potissime ista attenditur comparatio:

« Quod acceptum homo misit in hortum suum. »

Et dicit quatuor, grani videlicet electionem, eligentis prudentiam et rationem, cultus adhibitionem, et loci cui committitur custodiam et feracitatem.

De primo dicit: « *Quod acceptum*, » hoc est, acceptabile granum. Non vanum: quia granum vanum non fructificat, nec effectum ostendit suæ virtutis. Et ideo ut acceptum sit, oportet quod eligatur, et sit electum, pretiosum in naturæ suæ vigore, de quo dictum est. Ideo verbum fidei, inventæ pretiosæ margaritæ sub alia similitudine comparatur: pro qua homo dat omnia sua, et comparat eam[1]. Ideo, Cantic. v, 10: *Dilectus meus electus ex millibus* dicitur, quia nisi sit valde in cordis devotione acceptum, sine fructu permanet, quia in terram bonam non cadit. Unde Glossa Ambrosii: « *Quod acceptum*, » hoc est, acceptabile habens, « *homo* » rationabilis et prudens: et non quod fatuus eligit. »

Et hoc est secundum: « *homo*, » qui scit quod eligit. Alii enim homines in similitudinem bestiarum sunt computati. Psal. xlviii, 13: *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

« Misit. »

Ecce cultus adhibitus. Non enim homo rationabilis misit semen in hortum, nisi prius hortum et fimaret, et foderet, et adæquaret. Foderet sarculo disciplinæ,

[1] Cf. Matth. xiii, 46.

limaret pinguedine devotionis in remissionem peccatorum, adæquaret satisfactione per justitiæ exercitium. De primo horum dicitur, Isa. II, 10 : *Abscondere in fossa humo.* De primo et secundo dicitur, Luc. XIII, 8 : *Usquedum fodiam circa illam, et mittam stercora.* De tertio, Isa. XXVIII, 25 : *Cum adæquaverit faciem terræ, seret.*

Sic ergo misit

« In hortum suum, »

Hoc est, in cor vel Ecclesiam suam. Et hoc est quartum. Qui hortus clausus est custodia mandatorum, ne pateat accessus diabolo. Cantic. IV, 12 : *Hortus conclusus.* Hortus etiam ab oriendo dictus, eo quod ferax est ad omnium stirpium bonarum plantationvm. Eccli. XXIV, 42 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.*

In talem ergo hortum mittit, et in hoc horto notabilem valde et mirabilem habet granum sinapis proprietatem. Missum enim in hortum, et convalescens in eo, per se ipsum suffocat omnes malas stirpes urticarum et veprium, et aliarum stirpium inutilium. Et hoc facit fides in corde, et in Ecclesia. Destruit enim hæreses, et schismata, et concupiscentias vitiorum spiritualium et carnalium, quando convalescit. Semen enim divinum potentius efficitur, et omnia destruit diaboli plantata adulterina. Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.*

« Et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cœli requieverunt in ramis ejus. »

Facit hic comparationem ad effectum.

Dicit autem tria, scilicet, quod crevit in profectu : perfectum autem magnum fuit : et in umbra et fructu factum est utile.

De primo dicit quod « *crevit,* » proficiens ex parvo. Genes. I, 28, et, IX, 1 : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Crescere enim est continuo in quantitate virtutis proficere. Sic enim crescit semen. Sic crescit Jesus, hoc est, fides Domini Jesu in corde. Luc. II, 52 : *Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Sic dicitur, I ad Corinth. III, 7, quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Perfectum autem,

« Factum est in arborem magnam. »

Ex sinapi quidem arbor ligneo stipite non fit, sed arboris similitudo. Stipite enim orto ex radice, emittit ramos multos ex stipite, et his induratis exprimit arboris similitudinem : cum tamen in veritate sit olus. Fidei autem verbum elevatur ut arbor in stipite, hoc est, in fide Christi : et dilatatur in ramis, hoc est, in membris Domini nostri Jesu Christi, et in Ecclesiis ejus quæ sibi adhærent. Psal. LXXIX, 12 : *Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Ideo, Joan. XV, 5, sub alia similitudine loquens, dixit : *Ego sum vitis, vos palmites.* Ezechiel. XXXVI, 8 : *Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.* Osee, XIV, 6 et 7 : *Erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus.* Magna ergo virtute, et proceritate sanctitatis, et umbra defensionis suæ est ista arbor.

« Et volucres cœli requieverunt in ramis ejus. »

Ecce utilitas. Volucres autem cœli, sunt Sancti pennati plumis virtutum. Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,* volantes altitudine contemplationis. Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* Isa. XL, 31 : *Ambulabunt, et non deficient.*

Hæc volucres sunt « *cœli*, » quia semper desiderio et intentione petunt cœlestia. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Sic in Apocalypsi, VIII, 13, vidit Joannes aquilam volantem per medium cœlum. Sic, Ezechiel. I, 5 et seq., vidit Propheta pennatis et altivolis capitibus cœlum tangere animalia.

Hæ igitur volucres « *requieverunt*, » omnes vias difficiles hujus mundi dimittentes, « *in ramis ejus*, » hoc est, in Ecclesiis, vel in modis vivendi, quibus alius sic, alius sic vivit in Ecclesia, sicut dicit Augustinus. Job, III, 17 : *Ibi requieverunt fessi robore.* Genes. XVIII, 4 : *Requiescite sub arbore.* Cantic. II, 3 : *Sub umbra illius quem desiraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.*

20 « Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei. »

« *Et iterum dixit*, » sicut profectum humilitatis, ita profectum charitatis fidei volens demonstrare. Et hæc est similitudo secunda : « *Cui simile æstimabo regnum Dei ?* » per quod Deus in nobis regnat profectu charitatis. Isa. XLV, 4 : *Assimilavi te, et non cognovisti me.* Hoc satis in antehabitis est expositum.

21 « Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. «

Hic tria dicit sicut in præcedenti similitudine, quid scilicet, cui, et in quo, et secundum quem effectum assimiletur. Quid, quia regnum Dei. Cui, quia fermento. Et hoc est quod dicit : Regnum Dei « *simile est fermento.* »

Attende, quod fermentum bonas proprietates habet quatuor, secundum quas hoc regno Dei comparatur. Est enim calidum, spiritualis virtutis, impletivum, et elevativum. Et sic est de charitate veritatis, quæ in verbo Dei est ignitæ caliditatis. Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud.* Jerem. XX, 9 : *Factus est sermo Dei in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens.* Sic ergo per caliditatem fermento (quod a fervore sic vocatur) comparatur.

Est etiam fermentum virtutis spiritualis : quia nisi spiritualiter diffunderetur, per totam massam diffundi non posset. Et ideo dicit Philisophus, quod sicut se habet semen masculi ad guttam fœminæ, ita se habet fermentum ad pastam, et coagulum ad lac. Sic autem se habet charitas ad cor hominis, et ad Ecclesiam, et ad cæteras virtutes : quod sicut spiritus diffunditur in eis, et capit omnes, et tenet eas, et format. Ad Roman. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Psal. L, 12 : *Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Sapient. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, et Prophetas constituit.* Sic ergo diffunditur, et comprehendit, et capit corda fidelium Spiritus charitatis.

Impletivum etiam est fermentum : quia totam pastam implet : ita quod nihil sui invenitur, quod pastam non impleverit. Et ideo nihil fermenti in aliqua parte panis invenitur. Et sic charitas spiritu suo replet, et extrudit receptibilitatem aliorum. Quia, sicut dicit beatus Bernardus : « Non est quo se ingerat vanitas, ubi « totum replevit charitas. » Actuum, II, 4 : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus.*

Sic etiam levat. Fermento enim levatur et allevatur pasta et panis : et sic facit charitas, quæ levat cor, et elevat in cœlum. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Ezechiel, VIII, 3 : *Elevavit me Spiritus.*

Ezechiel. I, 21, cum elevaretur Spiritus de terra, elevabantur simul et rotæ sequentes eum.

Sic ergo proprietatibus istis, regnum Dei in profectu charitatis, fermento assimilatur.

« Quod acceptum, etc. »

Quatuor dicit sicut supra, electionem, eligentis dispositionem, eligentis opus, et electi effectum.

De electione dicit: « *Quod acceptum*, » hoc est, acceptatum et acceptabile, ne sit evanidum. Non enim est acceptum, quod per Spiritum charitatis non efficitur acceptabile. Unde Dominus in lege, Exod. XXXVII, 16, fecit fieri acetabula, quibus probabatur, si sacrificium esset acceptum. Et hæc acetabula spiritum charitatis significant.

« *Mulier* » dicit dispositionem eligentis. Mulier enim est (quæ focaria et panifica est) sapientia, quæ hujusmodi fermentum scit eligere, quod sine corruptione inducat calorem et spiritum, et impleat, et elevet. Hæc enim mulier hujus artis summa est magistra. Hæc significatur per Saram, Genes. XVIII, 6, cui dixit Patriarcha : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes.* Eccli. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata.*

« Abscondit, »

Ne vana laude evanescat. Psal. XLIV, 14 : *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.*

« *In farinæ sata tria.* » Grana hæc sunt grana tritici, quæ sunt membra corporis mystici. Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Mola autem qua teritur, est spes, et timor. Timor, mola inferior de pœnis. Spes autem, mola superior de præmiis. Unde præcepit Dominus, Deuter. XXIV, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam* : quia sine timore, spes degenerat in præsumptionem : et sine spe, timor decidit in desperationem. Psal. LXXXV, 11 : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

Farina autem comminuta, est conscientia pura in omnibus hominibus : ex quibus conscientiis multi sumus unus panis in Christo : sicut dicitur, I ad Corinth. X, 17. Levit. VII, 13, præcepit Dominus, quod pro pacificis offerantur panes fermentati, qui sunt de farina similæ.

« *Sata.* » Satum est mensura capiens modium et dimidium : ut modius referatur ad spiritum, et dimidius referatur ad animalitatem, quæ secundum dimidium sui, in singulis viribus aliquid capit mensuræ divinæ, hoc est, secundum hoc quod persuasibilis est ratione, et obedibilis.

Hæc autem sunt « *tria sata,* » hoc est, tres vires animæ humanæ : ut in ratione possideamus prudentiam, in irascibili odium vitiorum, et in concupiscibili desiderium virtutum. Vel, mulier est Ecclesia. Tria sata sunt omnes homines a tribus filiis Noe, Sem, Cham, et Japhet, in tribus plagis mundi distributi, hoc est, Asia, Africa, et Europa. Vel etiam, charitas est fermentum in tribus satis (hoc est, mensuris) charitatis absconditum, Matth. XXII, 37 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Vel, tria sata sunt tres personæ, ex quibus accepta sunt subjecta omnium articulorum fidei. Vel etiam, tria sata sunt tres status hominum, qui liberant animas suas, Noe, Daniel, et Job, hoc est, prælati, continentes sive contemplativi, et pœnitentes qui per dolentem Job intelliguntur[1]. Quædam etiam Glossa vult, quod per tria sata intelligantur tria merita bonorum : quorum quidam trigesimum fructum, quidam sexagesimum, quidam autem habent centesimum[2]. Hi-

[1] Cf. Ezechiel. XIV, 20.

[2] Cf. Matth. XIII, 8.

larius autem dicit, quod fermentum est fides cum dilectione, quod absconditur a sapientia Dei in Scripturis Legis, et Prophetarum, et Evangelii. Ad quæ tria, omnis alia reducitur Scriptura : quia historiæ Patrum sunt quædam prophetia futurorum, et dicta Apostolorum sunt expositiones Evangeliorum. Et aliæ tales multæ diversitates fieri possunt : quia nihil habet gravitatis, tria tribus adaptare. Vel, tria sata sunt capacitates corporis, et animæ, et spiritus : ut corpus obediat, anima passiones ordinet, et spiritus cœlestibus intendat. I ad Thessal. v, 23 : *Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Vel, tria sata sunt tria quæ sunt de imagine similitudinis, in quibus Trinitatem increatam imitamur : ut veritas (quæ est fermentum) in intellectu sit claritas lucis, in voluntate plenitudo dilectionis, et in memoria notitia, nihil habens oblivionis.

Sic ergo mulier, Sapientia, vel Ecclesia fermentum abscondit sub farina sata tria.

« Donec fermentaretur totum. »

Ecce effectus. *Totum* enim quod est in massa pastæ, convertit ad se fermentum : sicut coagulum convertit lac. Et sic semen convertit conceptum, trahendo et formando. Et sic spiritus charitatis ad se convertere debet cor et Ecclesiam. Osee, VII, 4 : *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.* In his ergo proprietatibus, fermentum in bono accipitur. Est autem fermentum Pharisæorum et Sadducæorum, quod est corruptio fidei per hæresim. Et est fermentum Herodis, quod est corruptio unitatis Ecclesiæ per dolum. De quibus dicitur, Matth. XVI, 12. Et est fermentum corruptio bonorum morum, I ad Corinth. v, 6 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et sic de fermento non loquitur hic Dominus. Et ideo istæ proprietates fermenti dimittantur. Diximus autem quædam de hac materia super Matthæum, XIII, 23 [1].

« Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Jerusalem. 22

Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos. » 23

Hic ostensa difficultate præparationis ad judicium, surgit ex hoc quæstio de paucitate salvandorum.

Et habet hæc particula tres partes : in quarum prima ponitur instantia nostræ salutis, procuratæ per salutis auctorem : in secunda autem quæstio de numero salvandorum : in tertia autem ponitur responsio.

Dicit ergo : « *Et ibat,* » proficiendo in salute nostra. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Act. X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.*

« *Per civitates,* » ubi habitabant civiliter, ad virtutes civiles dispositi. Cantic. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.*

« *Et castella,* » ubi erat diabolici erroris præsidium. Ad Hebr. XI, 34 : *Castra verterunt exterorum.*

« *Docens* » ea quæ ratione probari poterant. Sicut quando similitudines induxit congruas rationi. Matth. VII, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens.* Job, IV, 3 et 4 : *Docuisti multos, et manus lassas roborasti : vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.*

« *Et iter faciens in Jerusalem,* » ubi complere voluit omnia, quæ ad salutem

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangel. Matthæi, XIII, 23. Tom. XX hujusce novæ editionis nostræ.

nostram spectabant. Luc. IX, 31 : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Luc. XVIII, 31 : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.* Et videtur secundum litteræ circumstantias, quod de Galilæa ascenderit, in quam descenderat postea quam nuntiatum fuerat ei de illis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum. Sic enim in mari amaritudinis propter nos fuit via ejus, et vestigia ejus in aquis multis, et vestigia non cognoscebantur ab ingratis.

« Ait autem illi quidam, »

Qui non nominatur : sed tamen sollicitus de sua salute fuisse præsumitur, qui quæsivit de numero salvandorum.

« *Domine, si pauci sunt qui salvantur ?* » Quærit autem iste secundum considerationem inferiorum causarum, quæ sumuntur ex consideratione difficultatis meritorum, quæ in præmissis est expressa. Sic ergo dum circuivit Jesus, undique quærens salvandos per civitates et castella, sicut dicit Chrysostomus, non personas discernens, sed salutem hominum inquirens. Et sic Rabanus : « Ut « doceat se doctorem, non personarum « acceptorem : tunc unus saltem inveni« tur, qui de salute propria curam agit, « et viam salutis quærit. »

« *Ipse autem dixit ad illos,* » quia unus pro omnibus quæsierat. Et hoc Dominus, qui cordis inspector est, considerabat. Ideo dicit Evangelista, quod omnibus in uno respondebat. Et ideo dicit : « *Ipse autem dixit ad illos* » Simile est, Matth. XXII, 36, ubi unus pro omnibus interrogabat : *Magister, quod est mandatum magnum in lege ?*

24 « Contendite intrare per angustam portam. »

Hæc responsio dividitur in duas partes : in quarum prima ponit admonitionem : in secunda vero admonitionis ponit rationem.

Admonitio quam dicit : « *Contendite intrare per angustam portam.* » Est porta Ecclesiæ, et est porta gratiæ, et est porta gloriæ.

Porta Ecclesiæ est per quam intratur in Ecclesiam : et hæc est duplex, Christus scilicet,ex quo sacramenta Ecclesiæ fluxerunt : et ipsa sacramenta, per quæ aliquis inducitur in Ecclesiam. De ostio, quod est Christus, dicitur, Joan. x, 9 : *Ego sum ostium : per me si quis introierit,salvabitur,et ingredietur,et egredietur, et pascua inveniet.* Psal. CXVII, 20 : *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Sic enim ostium est apertura lateris, ex quo fluxerunt ea, ex quibus Ecclesiæ sacramenta virtutem contraxerunt.

Et ideo ista est porta *angusta*, quia videmus, quod pauperrimus fuit, et abjectissimus, et in asperitate maxima Christus fuit in cruce : cum tamen non nisi per crucem pateat ingressus in Ecclesiam. De paupertate quidem dicitur, Matth. VIII, 20 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* De abjectione dicitur, Act. VIII, 33 : *In humilitate judicium ejus sublatum est.* De asperitate dicitur, Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus.* Hæc est ergo porta ex parte Christi intrandi in Ecclesiam. Et qui sic venit, sicut dicitur, Joan. x, 3, *huic ostiarius aperit.* Talibus vidit Joannes, Apocal. IV, 1, *ostium apertum in cælo*, hoc est, in cœlesti vita Ecclesiæ.

Ex parte autem Ecclesiæ, ostium est apertura sacramentorum. Psal. CXVII, 19 : *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* Portæ enim justitiæ sunt sacramenta ad justificationem introducentia. Et sic accipiens sacramenta, intrat per portas in Ecclesiam. Isa. XXVI,2 : *Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.* Psal. XCIX, 3 : *Introite portas ejus in*

confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi. Hæc porta etiam angusta est, quia licet in sacramentis conferatur gratis remissio peccatorum, tamen oportet quod homo paret se, ne fictus veniat ad sacramentorum perceptionem : sicut dicitur, Baruch, IV, 26 : *Delicati mei ambulaverunt vias asperas.*

Est autem porta ad viam gratiæ. Et hæc est porta virtutis angusta valde : eo quod omnis virtus est circa difficile et bonum, ut dicit Tullius. Sed tamen hoc habet, quod quanto plus homo ambulat in ea, tanto magis dilatatur per consuetudinem, et virtutis delectationem. Psal. XVII, 19 et 20 : *Prævenerunt me in die afflictionis meæ.* Ecce arcta et angusta porta. *Et factus est Dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinem.* Ecce quod ingredienti via est dilatata. Proverb. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Psal. XVII, 37 : *Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea.*

Est item porta gloriæ cœlestis, quæ strictissima est in angustia perseverantiæ. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.* Psal. LXXVII, 23 : *Januas cœli aperuit.* Hæc est porta, cujus clavem Dominus commisit Petro, adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Et de hac porta dicitur in Psalmo CXXVI, 5 : *Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Per omnes illas portas contendendum est intrare. Contendere enim intrare, sonat violentiam. Quia sicut dicitur, Matth. XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Unde, Act. XIV, 21, dicitur : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Matth. VII, 14 : *Angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam : et pauci sunt qui inveniunt eam.* In Apocrypho Esdræ, est civitas posita in sublimi, omnibus affluens bonis. Sed accessus difficilis, a dextris ignis, et a sinistris aqua submergens. Et ideo Sancti pervenientes, dicunt, Psal. LXV, 12 : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.*

« Quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.

Cum autem intraverit paterfamilias, 25
et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ad ostium, dicentes: Domine, aperi nobis : et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis. »

Hic incipit ponere rationes suæ admonitionis.

Et ponit quinque rationes per ordinem, quarum una est, quia multi excludentur, et pauci intrabunt : et ideo timendum est, ne nos simus de multis. Secunda est, quia a patrefamilias ostium claudetur, et illi qui foris stabunt non cognoscentur notitia beneplaciti ad intromissionem. Tertia est, quod non prodest tunc allegatio notitiæ, quam prius aliquis demeruit. Quarta autem est segregatio a parentibus bonis, quorum intercessio tunc nihil proderit. Quinta autem, quod tunc extranei boni, malis notis et propinquis præferuntur : et ideo difficile est negligere : sed propriis meritis contendendum intrare.

De prima ratione dicit : « *Quia multi,* » fide quidem confitentes, factis autem abnegantes. Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Matth. VII, 13 : *Lata porta et speciosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.*

« *Quærent intrare,* » vel errore decepti, sicut ignorantes, et hæretici : vel præsumptione misericordiæ Dei seducti, dum in mala via perdurant. « *Quærent* » autem, putantes se invenire refrigerium, et non inveniunt.

« *Et non poterunt.* » Matth. XIX, 24 :

Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem, etc.

Pauci enim inveniunt hanc viam, pauciores proficiunt in ea, paucissimi perficiunt eam perseverando. De invenientibus quidem dicitur, Matth. VII, 14 : *Pauci sunt qui inveniunt eam.* De proficientibus dicit Joannes, VI, 67 : *Multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant.* De perficientibus dicitur, Matth. X, 22 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

« Cum autem intraverit, etc. »

Secunda ratio. « *Cum intraverit,* » ad occultum beatitudinis, « *paterfamilias,* » Christus, successive colligens suos, et intrans cum eis in morte cujuslibet. Luc. XVI, 22 : *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

« Et clauserit ostium. »

Sicut supra diximus, ostium non clauditur simpliciter quoad omnes, nisi post diem judicii. Quoad illum autem qui propter demerita finalia excluditur, clauditur in morte cujuslibet. Luc. XI, 7 : *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili.* Matth. XXV, 10 : *Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.*

Dicunt etiam quidam, quod est ostium doctrinæ, quod est apertura ad corda hominum. II ad Corinth. II, 12 et 13 : *Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, nullam habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum, fratrem meum.* Et hoc claudetur in die judicii : quia dicitur, Jerem. XXXI, 34 : *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.* Sed de hoc non videtur hic loqui Scriptura.

Redeuntes ergo ad primam expositionem, dicemus :

« Incipietis foris stare. »

Inceptio dicit exclusionis novitatem, quæ ideo quod nova est et inconsueta, impatientius portatur. *Stare* autem dicit permanentiam illius exclusionis, quæ inducit introductionis desperationem : et ideo majorem tristitiam. Apocal. XXII, 15 : *Foris canes, et venefici, et impudici.* Sic dicitur, Joan. XII, 31 : *Tunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Princeps enim mundi diabolus cum omnibus suis membris sic excluditur. Matth. XIII, 41 : *Colligent de regno ejus omnia scandala.* Matth. XXII, 13 : *Ligatis manibus et pedibns ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* Tunc enim ad intima Dei, exclusus, amplius non admittetur.

« *Et pulsare ad ostium* » misericordiæ et remissionis : sicut dives in inferno, Luc. XVI, 24 : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Sicut enim dicit Chrysostomus, nihil proderit pulsationis diligentia, quam prodit timor et non fides.

« Dicentes : Domine, aperi nobis. »

Quia non perfecte dicunt. Si enim dicerent corde, ore, et opere, pro certo aperiretur. Sed quia ore tantum dicunt, et corde et opere contrarium clamant : ideo non aperitur. Luc. XIII, 25, et Matth. XXV, 11 : *Domine, Domine, aperi nobis.* Dicunt enim fide informi quidam : et quidam fide informi, et ore : et isti non exaudiuntur. Sed qui diceret cordis devotione, et oris confessione, et operis intentione, *Domine,* illi aperiretur. I ad Corinth. XII, 3 : *Nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Matth. VII, 21 : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntа-*

tem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

« Et respondens, dicet vobis, »

Potius conscientiæ, quam operi exteriori : « *Nescio vos.* » Notitia quidem simplicis visionis, vel notitiæ noscit omnes. Sed notitia beneplaciti, non novit nisi bonos, ad quos respicit oculo amoris. Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* De notitia autem beneplaciti, dicitur, Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine : et invenisti gratiam coram me.* II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Quod autem alios ignoret, dicitur, I ad Corinth. XIV, 38 : *Qui ignorat, ignorabitur.* Joan. X, 14 : *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.*

« *Unde sitis,* » hoc est, de qua secta, vel errore sitis : quia sicut non nosco vos, ita ignoro errores vestros. Matth. VII, 23, secundum veritatem litteræ : *Et tunc confitebor illis, quia numquam novi vos.* Omnes enim impii et impietates eorum ab ore gloriosi vultus sui sunt absconditi, de quo gaudent omnes Beati. Isa. XXVI, 10, secundum translationem Septuaginta : Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Nostra autem translatio habet : *Non videbit gloriam Domini* [1].

26 « Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

27 Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis, discedite a me omnes operarii iniquitatis.

28 Ibi erit fletus, et stridor dentium. »

Tertia ratio est allegatio notitiæ Dei et Sanctorum, quæ nihil proderit.

Et hoc est quod dicit : « *Tunc incipietis dicere.* » *Incipietis* quod numquam perficietis : quia inceptio notitiæ Sanctorum fuit secundum exteriorem hominem apud eos, et numquam fuit vera amicitia familiaritatis perfecta.

Et ideo dicit : « *Incipietis dicere.* » Non enim habent aliquid perfecti operis.

« Manducavimus coram te, et bibimus. »

Videtur in hoc tangere Judæos, qui tribus vicibus per annum coram Domino in pastophoriis templi manducaverunt, coram Domino et biberunt : sicut præcipitur, Levit. XXIV, 9. Manducant tamen etiam et bibunt coram Domino, qui de bonis ejus satiantur. Psal. LXXVII, 29 et 30 : *Manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis,* scilicet Dominus : *non sunt fraudati a desiderio suo.* Manducant etiam qui difficiles Scripturarum partes studio frangunt, et intellectu incorporant. Ad Hebr. V, 14 : *Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* Bibunt autem qui faciliora suaviter sine difficultate gluttiunt. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis.* Omnes enim isti sunt coram Domino in mensa sua, refectionem vel corporalem, vel spiritualem, vel utramque sumentes.

« Et in plateis nostris docuisti. »

Hic iterum tangit Judæos, in quorum plateis publice Christus docuit. Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.* Spiritualiter etiam, græce πλατύ, latine *latum*

[1] Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet justitiam : in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.*

sonat : quia doctrina Christi per discipulos suos late sonat. Proverb. I, 20 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.*

Tangit autem duo quæ consueta sunt : quia in magnis festis epulantur homines, gaudentes de festo : sicut dicitur, Nehemiæ, seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari.* Et tunc etiam intersunt laudibus et prædicationibus divinis. Sicut etiam præcipitur, Esther, XVI, 22. Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Et hæc jactant, et allegant se fecisse coram Domino. Sed sicut dicit Beda : « Non fe- « stivitatum epulatio ornat, quem fidei « pietas non commendat.» Et ideo sequitur :

« Et dicet vobis, »

Respondendo conscientiis vestris : « *Nescio vos,* » notitia amoris, « *unde sitis,* » quia vos non ex me, sed *ex patre diabolo estis* [1]. Ad Roman. XVI, 18 : *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Joan. VI, 26 : *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.* Ad Philip. III, 18 et 19 : *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis* (*nunc autem et flens dico*) *inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum.* Hi agunt dies solemnes ut comedant, et non in cordis devotione.

« Discedite a me. »

In quibus nihil de suo cognoscit, a se jubet discedere : ostendens quid inveniant recedentes in pœnis inferni. Discessus enim a summo bono, non solum patitur damnum boni amissi, sed etiam invenit præsentiam omnis mali.

Et hoc est quod dicit : « *Discedite a me.* » Discessus a summo bono ponit malum desperatum : quia non est medicina alicujus mali peccatoris, nisi per summum bonum. Jerem. XXX, 12 et 13 : *Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui judicet judicium tuum.* Quasi dicat : Omnia bona ad quæ creati estis, de cætero abjudicata sunt vobis. Sic ergo « *discedite a me.* » Genes. IV, 14 : *Ecce ejicis me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra : omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Omnia enim mala possunt in eum, quem Dominus ejicit a facie sua. Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur : quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

Sic ergo « *discedite a me.* »

Sed videtur, quod ab eo qui ubique præsens est, nullus discedere possit. Psal. CXXXVIII, 7 et 8 : *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.* Ad hoc dicit Augustinus in Confessionibus : « Qui a « te recedit, quo it, nisi a te placido ad « te iratum? Non effugiunt ergo Deum : « sed manum benefici evadentes, ma- « num irati judicis non evadunt. » Jerem. XXX, 14 : *Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua.* Oportet enim durari judicem, contra duritiam et obstinationem peccatorum.

Et hoc est quod sequitur :

« Omnes operarii iniquitatis,

Hoc est, qui adhuc in corde operantur iniquitatem. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit sem-*

[1] Joan. VIII, 44.

per. Psal. VI, 9 : *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Ezechiel. XXXII, 27 : *Iniquitates eorum in ossibus eorum.* Ita quod iniqua voluntas eorum converti non poterit. Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Psal. LI, 7 : *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.* Sic enim juxta dictum sapientis, Eccli. XXVII, 5 : *Conteretur cum delinquente delictum.*

« Ibi erit fletus, et stridor dentium. »

Ecce præsentia mali, quod inveniunt a summo bono recedentes. Dicitur autem *fletus*, propter fumum ignis. *Stridor* autem *dentium*, propter algorem frigoris congelantis. Et (quod miserabile est) numquam erunt in medio temperamenti frigoris et caloris. Sed de extremo caloris urentis, transeunt ad extremum frigoris congelantis. Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Et secundum quamdam Glossam, fletus pœna erit oculorum, propter evagationem in concupiscentia sæculi, ad divitiarum jactantiam et ad vanitates pertinentem. Stridor autem dentium pœna erit dentium, propter voracitatem, et eam quæ voracitati conjuncta est, venereorum delectationem. Matth. XXII, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.* Vel, quia fletus est ex causa interiori, stridor autem dentium ex causa exteriori : ut notetur dolor esse intus in anima, et afflictio extra in corpore.

Ideo dicit : « *Fletus et stridor dentium,* » quia et in libidine et cupiditate illicito igne arserunt, et in charitate algidi ad omne bonum fuerunt : et ideo flebunt, quia hoc non pœnituerunt. Et stridebunt sibi indignantes, quia talia sustinere meruerunt. Sapient. V, 3 : *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes.* Bis dicit *gementes* [1], propter duo quæ dicta sunt, Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

Sic ergo et his de causis, « *ibi erit fletus, et stridor dentium.* » Per quæ duo, etiam in malis, vera corporum resurrectio probatur. Amos, IV, 2 et 3 : *Levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. Et per aperturas exibitis, altera contra alteram, et projiciemini in Armon.* Contus est instrumentum, quo carnifices levant interfectorum et excoriatorum animalium corpora. Sic enim damnati levantur a dæmonibus. Reliquiæ autem sunt animæ in parte una, et corpus in parte altera in ollis adurenda, hoc est, in inferni mansionibus, et pœnarum receptaculis. Per aperturas autem exire alteram contra alteram, est animam in judicio de inferno exire contra corpus, et corpus de sepulcro exire contra animam, et unita per sententiam Domini in Armon projici, quod interpretatur *anathema mœroris*, quod est infernus. « *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* »

« Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. »

Ratio est quarta : quia tunc videbunt successionem carnalium (carnalem a Sanctis habitam nobilitatem) nihil prodesse penitus.

Dicit ergo : « *Cum videritis,* » et in effectu et in causa, « *Abraham,* » patrem potius fidei quam carnis, « *et Isaac,* » castitatis amatorem. Et, sicut dicitur, Sapient. IV, 3, multigenam im-

[1] Unum tantum *gementes* invenitur in Vulgata.

piorum multitudinem in carnis successione reputare inutilem. « *Et Jacob,* » Patriarcham justitiæ luctatorem, filios autem impios detestantem. Isa. LXIII, 16 : *Abraham nescivit nos, et Israel ignoravit nos.*

« *Et omnes Prophetas* » bonos qui pro vobis intercedere consueverunt, qui tunc testes erunt contra vos. Isa. LXIV, 7 : *Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te.* Jerem. XV, 1 et 2 : *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum : ejice illos a facie mea, et egrediantur. Quod si dixerint ad te : Quo egrediemur? dices ad eos : Hæc dicit Dominus : Qui ad mortem, ad mortem : et qui ad gladium ad gladium.* Sic ergo pro se non intercedentes videbunt omnes Prophetas.

« *In regno Dei,* » quod est consummata potestas in justitia gratiæ, et secundum justitiam gloriæ : ubi Patriarchæ et Prophetæ sicut senatores erunt. Psal. CXLIX, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

« *Vos autem,* » qui carnalem originem traxistis ab eis, sed electionis et promissionum non estis hæredes. Ad Roman. IX, 8 : *Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

« *Expelli foras,* » violentia incredulitatis et iniquitatis vestrarum. Psal. V, 11 : *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Isa. LXIV, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Psal. XXXIV, 5 : *Fiant tamquam pulvis ante faciem venti.*

Sic ergo expellentur « *foras,* » ab intima Dei contemplatione, quæ est omnis felicitas et beatitudo Sanctorum : *ubi non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur,* sicut dicitur, Eccle. I, 8.

« Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei. **29**

Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. » **30**

Quinta est ratio, quod verecundum est valde, quod vocati per legem et Prophetas, et vocatione Christi et Apostolorum, excludentur. Et non vocati in regno optime disponentur.

Dicit autem in hac ratione duo : unum quidem quo confunditur cæcitas perfidiæ Judæorum : secundum autem quo aliquantulum consolatur pœnitentia in fine convertendorum.

De primo autem circa vocationem Gentium dicit duo : latitudinem videlicet venientium, et dispositionem optimam recumbentium.

De primo dicit : « *Et venient,* » devotione fidei appropinquantes. Isa. LXV, 1 : *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, invenerunt qui non quæsierunt me.* Ad Roman. IX, 25 [et 26 : *Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit : in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* [1]. Sic ergo veniunt ad me invitati. Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini,* qui in tenebris ignorantiæ sedistis : *et facies vestræ non confundentur.*

« Ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, »

Hoc est, quatuor plagis cœli a toto mundo. Isa. XLIII, 4 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da : et*

[1] Cf. Osee, II, 24.

Austro, Noli prohibere : affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ. Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Et ideo Pater dicit ad Filium, quod parvus esset fructus in Judæis futurus : quia ipsi sunt fæx mundi facti per infidelitatem. Sed magnus est fructus in multitudine Gentium ad fidem conversorum. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Tamen ab Oriente ingrediuntur qui ab ipsa nativitate Domino serviunt, qui jugum Domini ab adolescentia portant. Thren. III, 27 : *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Zachar. VI, 12 : *Ecce vir Oriens nomen ejus, subter eum orietur.* Job, I, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* Potest etiam dici, quod ab Oriente veniunt nobiles, quos ipsa nobilitas ad bonum inducit, nec vituperium per peccatum suis natalibus inferunt. Proverb. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Luc. I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

Ab Occidente autem veniunt in ægritudine, vel senio finali conversi. Sic enim Dominus per effectum dicitur ascendere super occasum. Psal. LXVII,5 : *Iter facite ei qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi.* Ascendere enim fecit multos ab occasu, quos in finali ægritudine, vel senio convertit ultimo, hoc est, quod terræ sanctæ finalis terminus ad Occidentem,est ad mare Magnum : quia ibi non subvenit, nisi magna amaritudo pœnitentiæ et compunctionis. Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam : convertam in profundum maris.*

Ab Aquilone autem veniunt, qui veniunt a frigore, et a tenebris peccatorum. Jerem. I, 14 : *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Multi enim sunt frigidi, et gelidi, et tenebrosi, qui ad Dominum convertuntur : sicut Manasses[1], et Maria Magdalena[2].

Quidam autem veniunt ab Austro, calore Spiritus sancti calefacti, et inspirati, et illuminati : sicut dicitur, Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*

Sic ergo ab omnibus occasionibus peccatorum veniunt ad conversionem, Spiritu sancto perflati et conversi. Ezechiel. XXXVII, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Isa. XI, 12 : *Dispersos Juda, colliget a quatuor plagis terræ.* Hoc est, Deo confitentes, et Dominum glorificantes.

« Et accumbent in regno Dei. »

Ecce qualiter bene disponentur. Accubitus enim fit, quando quidem commodum quoddam ex duobus sitibus componitur, sessione scilicet, et jacere. Sapient. III, 5 : *In multis bene disponentur.* Sicut enim dicitur, Isa. XXXII, 18, populus Domini sedebit *in multitudine pacis*, quoad securitatem : *in tabernaculis fiduciæ*, quoad societatis jucunditatem : *et in requie opulenta*, quoad voluptatis abundantiam indeficientem. Sic ergo accumbent in regno Dei. Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus*

[1] Cf. II Paralip. XXXIII, 12, et in Oratione Manassæ.

[2] Cf. Luc. VII, 37.

regnum : ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.

« Et ecce sunt novissimi. »

Hoc est, Judæi novissimi sunt in introitu, « *qui erunt primi,* » in vocatione. « *Et sunt primi,* » in introitu Gentiles, « *qui erunt novissimi,* » in vocatione. Matth. xx, 16 : *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Luc. xiii, 30, Idem. Et hoc est, in gratia, et in gloria. Matth. xxi, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Deuter. xxviii, 43 : *Advena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior : tu autem descendes, et eris inferior.* Sic etiam multi sunt, qui in principio suæ conversionis sunt ferventes, et in fine remittuntur : et alii statim venientes, fervore illos transcendunt : et tunc iterum novissimi erunt primi, et primi novissimi. Matth. xx, 12 : *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti.* Adhuc autem, novissimi in mundo, primi erunt in judicio : et primi in mundo, novissimi erunt in judicio. Jacob. ii, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.* Matth. xix, 29 : *Omnis qui reliquerit domum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit,* etc. Et, ibidem, ℣. 28, dixit Jesus Apostolis : *Vos qui secuti estis me,... sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*[1].

31 « In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. »

Hæc est ultima pars capituli, in qua ostendit, quod propter metum corporis ab opere divino non est abstinendum.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima ostendit hoc quod dictum est suo exemplo : in secunda autem, plangit eos sub typo Jerusalem, qui veritatem odientes Prophetas occidunt.

In prima harum duo sunt : prænuntiatio eorum qui Christum præmuniunt, et responsio Christi, ostendens, quoniam propter metum corporis non oportet relinquere veritatem doctrinæ et vitæ.

In prima harum duo dicit : unum quidem, quia describit illos qui hæc Christo nuntiant, et secundo ponit nuntium illorum.

Dicit ergo : « *In ipsa die,* » quando in Galilæa hæc prædicavit Dominus, « *accesserunt,* » quasi compatientes, et ex amicitia sibi appropinquantes, « *quidam Pharisæorum,* » vel ex veritate compassionis : vel forte tentantes, utrum ex timore veritatem doctrinæ postponeret. Job, iv, 5 : *Nunc autem venit super te plaga, et defecisti : tetigit te, et conturbatus es.* Hoc enim explorare intendebant in eo. Unde etiam, Matth. xxii, 18, dicit : *Quid me tentatis, hypocritæ.*

« *Dicentes illi,* » quasi ex compassione eum præmunientes :

« Exi, et vade hinc. »

In Galilæa tunc prædicavit Dominus, ubi fuit tetrachia Herodis, qui a progenitoribus suis habuit, quod Christum persequeretur : quia pater suus pueros Christum quærendo occiderat, et ipse Joannem Christo testimonium perhibentem decollaverat, et Christum ad perdendum quærebat : sicut adhuc faciunt quidam, omne quod Christum confitetur quærentes occidere : et in hoc sunt Herodianæ participes malitiæ. Job, xxi, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Vel, si ex devotione Christum

[1] Cf. Marc. x, 28, et Luc. xviii. 28.

præmuniunt, tunc simile est. II ad Corinth. XI, 33 : *Per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.*

Dicunt autem : « *Vade hinc,* » hoc est, exeas de Herodis potestate. Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Zachar. II, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.*

« Quia Herodes vult te occidere. »

Quasi dicat : Jam in hoc habet malitiam confirmatam : quia (sicut Athalia) confirmatam habet malitiam, ut occidat omne semen regium [1].

32 « Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. »

Hæc est responsio Christi ad illos.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima ponit Herodis increpationem : et in secunda, ponit tentationis responsionem.

De primo dicit : « *Ite, et dicite vulpi illi.* »

Et dicit duo : quorum unum est, quod tales a se discedere præcipit, cum dicit : « *Ite,* » hoc est, quia tentatores, vel timidi estis, a me discedite, et illi appropinquate. Psal. CXVIII, 115 : *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.*

» Dicite vulpi illi. «

Ecce increpatio. Dicitur maute *vulpes* Herodes propter dolum, propter nomen, propter occultas insidias, propter latebras, et propter nocumenta quæ infert.

De dolis dicitur, Nehemiæ seu II Esdræ, IV, 3 : *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum.* Dolosus enim semper machinationibus suis omnia transgreditur, quæ alii ad muniendum se paraverunt. Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

De nomine, quia interpretatur *versipellis,* hoc est, astutus dictus. Cantic. II, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Astutiis suis Herodiana malitia in hæreticis et tyrannis semper demolitur Ecclesias.

De tertio, hoc est, de latebris insidiarum dicit Psalmus LXII, 10 et 11 : *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.* Psal. IX, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.*

De nocumentis autem, quæ quando potest infert, dicitur, Thren. V, 18 : *Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo,* plurima nocumenta inferentes. Est enim animal sua calliditate partes corporis incendens, et lepram inducens. Et ita faciunt dolosi, astuti, hypocritæ, tyranni, et hæretici : quia licet capita habeant diversa, tamen caudis nocumentorum sunt colligati, sicut dicitur, Judicum, XV, 5, de vulpibus Samsonis, quæ incenderunt segetes arearum.

« Ecce ejicio dæmonia, etc. »

In hac responsione Dominus dicit duo : in quorum primo determinat opus quod intendit, quod Herodes non intellexit : in secundo, respondet quæstioni.

Dicit ergo primo : « *Dicite illi* » opus propter quod veni, quod impedire non potest.

« *Ecce.* » Quasi dicat : In evidenti

[1] Cf. IV Regum, XI, 1.

est, quod « *ego ejicio dæmonia* » ab anima, et a corpore. Luc. IV, 41 : *Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei.* Luc. VIII, 2, inter quas erat Maria Magdalena, de quâ septem dæmonia exierant. Matth. VIII, 28, et Marc. 5, 9 : *Legio mihi nomen est : quia multi sumus.*

« *Et sanitates perficio.* » Perfectæ sanitates sunt in corpore et anima. Joan. VII, 23 : *Totum hominem sanum feci in sabbato.* Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Hæc est enim perfecta sanitas.

« *Hodie et cras,* » hoc est, modo et postea. *Hodie* enim cognominatur tempus præsens : *cras* autem vocatur tempus futurum. Psal. XCIV, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* De futuro autem dicitur, Genes. XXX, 33 : *Respondebit mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te.*

Hoc est ergo quod dicit. Ac si diceret : Tempus mortis meæ non est in potestate Herodis. Quia, sicut dicitur, Joan. X, 18 : *Nemo tollit eam,* scilicet animam meam, *a me : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Joan. VII, 6 : *Tempus meum nondum advenit.*

« Et tertia die consummor, »

Hoc est, consummabor. Hæc autem tertia dies, est dies glorificationis, quando consummatus est Dominus.

Prima enim dies fuit lux suæ præsentiæ in carne et prædicationis : quando, sicut dicitur, Malach. IV, 2 : *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Quia tunc ortus est sol oriens ex alto, *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* [1]. Isa. IX, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

Secunda autem dies, fuit dies Passionis et mortis : quando sol ad occasum tendens, illuminavit inferiores partes terræ. Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam... omnes sperantes in Domino.* Et sicut in prima die luxit lux veritatis in prædicatione, ita secunda die luxit lux gratiæ in sacramentorum perfectione. Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Mich. VII, 18 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.*

Tertia autem dies, est lux surgentis auroræ in luce Resurrectionis ad lucem gloriæ Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus, et lætemur in ea.* Omnes enim quos Christus luce veritatis per fidem illuminat, hos sacramentis ad justitiam regenerat, et regeneratos in gloria Resurrectionis beatificat. Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies. In die tertia suscitabit nos,... sequemurque, ut cognoscamus Dominum.* Sic dictum est de Christo, Sapient. IV, 13 : *Consummatus in brevi explevit tempora multa.*

« Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. » **33**

Hic respondet eis quod illi dixerunt.

Et nota quod ad litteram, de Galilæa tres dictæ sunt in Jerusalem.

Et hoc est quod secundum litteram dicit : « *Verumtamen* » sciat Herodes, quod « *oportet me,* » hoc est, opportu-

[1] Luc. I, 79.

num est me, « *hodie et cras et sequenti die,* » hoc est, per tres dies, « *ambulare* » usque ad locum Passionis. Et non dicit hoc, ideo quod triduum fuerit numerus temporis ad patiendum : sed quia triduo distabat locus Passionis.

Et hoc est quod sequitur : « *Quia non capit.* « Absolute ponitur verbum, hoc est, quia non est conveniens secundum rationem Prophetiæ, et præfinitionis Patris, « *Prophetam,* » hoc est, Dominum Prophetarum : de quo, Deuter. XVIII, 15, dicitur : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Luc. XXIV, 19 : *Fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.*

« *Perire extra Jerusalem,* » in quo loco passurus est, a Patre præfinitus, et a Prophetis prænuntiatus : ut in omnibus Scriptura impleatur.

Ambulat autem adhuc Dominus hodie, et cras, et sequenti cras, moraliter : quia die pœnitentiæ dæmonia ejicit, die autem justitiæ opera dirigit, et die glorificationis ad coronam vocat.

Vel, tres dies sunt compunctio, confessio, satisfactio. In compunctione enim dæmones ejicit, confessionis die sanitates perficit, et in satisfactione consummatio fit perfectionis. Exod. III, 18 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.*

Adhuc autem, Dies una, qua venit Dominus ad cor, est boni cogitatio et conceptio : dies secunda, qua vadit ad os, est verbi Dei et laudis divinæ locutio : et tertia, est operationis ad virtutem illustratio. Quia sicut dicitur, Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Jonæ, III, 4 : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* : quando subversa est civitas mundi, et constructa civitas Dei.

Adhuc autem, Prima dies est cogitatio veri : secunda, detestatio mali : et tertia, amor boni. Genes. XL, 12 et 13 : *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum.*

Adhuc autem, Prima dies, bona conversatio : secunda, quieta contemplatio : et tertia, veritatis prædicatio. Matth. XV, 32, et Marc. VIII, 2 : *Misereor super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.*

« Jerusalem, Jerusalem, quæ occi- 3
dis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti ! »

Hic incipit ex compassione plangere reatum, et pœnam Jerusalem.

Et habet duas partes, planctum peccati, et planctum pœnæ.

Reatum autem tangit duplicem : transgressionis, et ingratitudinis.

Transgressionis adhuc, duplicis homicidii ponit reatum.

In communi enim dicit : « *Jerusalem, Jerusalem.* » Geminat nomen propter affectum : vel ut notet confirmationem eorum quæ dicit : vel propter duplicem reatum eorum quæ ponit. Genes. XLI, 32 : *Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, et velocius impleatur.*

« Quæ occidis Prophetas. »

Matth. XXIII, 34 : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas : et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.* Act. VII, 52 : *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ?*

« *Et lapidas eos qui mittuntur ad te.* » Act. VII, 59 et 60 : *Lapidabant Stephanum, invocantem et dicentem : Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ad Hebr. XI, 37 : *Lapidati sunt, secti*

sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.

Vel etiam, moraliter, usque hodie lapidant : quando duro corde verbis increpationis servos Dei repellunt. Act. VII, 51, et Ezechiel. II, 4 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Aliquando etiam veritatem prædicantes, stercoribus temporalium lapidantur : ita quod conticescunt. Eccli. XXII, 1 : *In lapide luteo lapidatus est piger.* Quia piger est, qui propter hoc obmutescit.

« Quoties volui, etc. »

Ecce vitium ingratitudinis.

Et est sensus : « *Quoties,* » hoc est, quotiescumque ego « *volui congregare filios tuos,* » quos semine meo in lege et Prophetis genuisti : quos ego in unam fidem, et unum cor, et unum ovile congregare volui. Psal. CXLVI, 2 : *Dispersiones Israelis congregabit.* Ezechiel. XXXVI, 24 : *Congregabo vos de universis terris,* in quibus dispersi estis.

« *Quemadmodum avis nidum suum.* » Metonymia est, hoc est, ova vel pullos nidi sui congregat « *sub pennis,* » hoc est, sub alis, et vitali calore.

« *Et noluisti,* » hoc est, quotiescumque volui, tu noluisti : et quoscumque congregavi, te nolente congregavi. Attamen, Matth. XXIII, 37, ubi eadem series ponitur, specificatur avis ad gallinam, quæ magno affectu sibi connaturales, et alienos fovet pullos. Et ibi etiam plura de proprietatibus gallinæ dicta sunt[1].

Hic autem tangit avem propter volatum in alta conversatione, et contemplatione, et intentione. Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Unde, Psal. X, 2, veritas hebraica habet : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montem sicut passer.* Non enim uni avi assimilat se Dominus, sed multis. Psal. CI, 7 et 8 : *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio, vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Deuter. XXXII, 11 : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Est enim turtur, pro nobis gemendo : columba, nobis viam ad fenestram cœli indicando : aquila, alta nos petere docendo : gallina, pro nobis infirmando, et nostras infirmitates portando : pellicanus, solitudinem pro nobis petendo, et regna mundi, et omnia quæ mundi sunt nos fugere docendo, dicens cum Propheta, Psal. LIV, 8 : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Nycticorax, in oratione pro nobis solus pernoctando : passer solitarius, pro nobis solus habitando in parietinis, hoc est, in ruinis cum pauperibus habitando, et suos deserendo, propterea quod in malo sunt obstinati.

« Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini. » 34

Hic tangit pœnam, futurum excidium per Romanos, et futuram damnationem prædicens.

Domus ergo est civitas, vel Synagoga, quæ derelinquetur *deserta*, quando incendetur, et diripietur. Luc. XIX, 43 et 44 : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt.* Isa. I, 8 : *Derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur.* Hujus autem causa dicitur, Jerem. XII, 7 et 8 : *Dimisi hæreditatem meam... Facta est mihi hæredi-*

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matth. XXIII, 37. Tom. XXI novæ editionis nostræ.

tas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem.

« Dico autem vobis. »

Confirmatio est pœnæ. Ac si dicat : Vos derelinquemini a me, « *quia non videbitis* » me in præsentia carnis, vestræ studentem ædificationi, et caventem abjectioni, « *donec veniat* » hora in secundo adventu, « *cum dicetis :* » quia ante adventum illum reliquiæ convertuntur, et tunc videbunt eum. Matth. XXVI, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Zachar. XII, 10 : *Adspicient ad me, quem confixerunt.* Apocal. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

Et tunc

« Dicetis : Benedictus, »

In quo omnes Gentes benedicentur[1]. Isa. LXV, 16 : *In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen.*

« *Qui venit,* » et in primo, et in secundo adventu, « *in nomine,* » hoc est, notamine. Joan. XVII, 4 : *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.*

« *Domini,* » Patris. Hoc enim nomen ostendit, quod unicus Filius fuit Patris. Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me.* Hæc est expositio Chrysostomi. Non enim verum est, quod dicunt quidam, quod hoc impletum sit, quando pueri clamabant : *Benedictus qui venit in nomine Domini*[2] : quia sic exponendo, non probaret Dominus desolationem futuram accidisse propter peccatum ingratitudinis eorum. Sed in die judicii et ante, quando cognoscent se deceptos fuisse per Antichristum, tunc vere scient Dominum Jesum Christum fuisse Filium Dei, et tunc scient quod omnia quæ passi sunt, ideo passi sunt, quia ingrati fuerunt beneficiis et visitationi ejus : et tunc reliquiæ convertentur ad ipsum, clamantes : *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc autem etiam cum ad Passionem iret, clamabant pueri in signum futuri clamoris per omnes. Cum enim pueri clamabant, seniores contradicebant : sed in fine omnes in communi clamabunt, et ad ipsum convertentur. Et hoc est quod dicit secundum Chrysostomi expositionem.

[1] Cf. Genes. XXII, 18.

[2] Matth. XXI, 9 et Joan XII, 13.

CAPUT XIV.

In domo principis Pharisæorum hydropicum sabbato curat, ostendens Legisperitis ac Pharisæis hoc licere, et horum notans ambitionem, docet invitatum in novissimo loco recumbere : parabola de invitatis ad cœnam qui se excusarunt; sequens Christum debet omnibus renuntiare, sublata cruce sua, usque ad odium animæ propriæ : volens turrim ædificare computat primum sumptus : commendatio salis.

1. Et factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum.
2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.
3. Et respondens Jesus, dixit ad Legisperitos, et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare?
4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.
5. Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?
6. Et non poterant ad hæc respondere illi.
7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos :
8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo :
9. Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum : et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.
10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius[1]. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :
11. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur[2].
12. Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cum facis prandium[3], aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.
13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos.
14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.
15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei.
16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos[4].

[1] Proverb. xxv, 7.
[2] Matth. xxiii, 12; Infra, xviii, 14;
[3] Tob. iv, 7; Proverb. iii, 9.
[4] Matth. xxii, 2; Apocal. xix, 9.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.
18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum.
19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum.
20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.
21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis : et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.
22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est.
23. Et ait dominus servo : Exi in vias, et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea.
24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam.
25. Ibant autem turbæ multæ cum eo : et conversus dixit ad illos :
26. Si quis venit ad me[1], et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.
27. Et qui non bajulat crucem suam[2], et venit post me, non potest meus esse discipulus.
28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.
29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei,
30. Dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare?
31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?
32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.
33. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.
34. Bonum est sal[3]. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?
35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

[1] Matth. x, 37.
[2] Matth. x, 38 et xvi, 24; Marc. viii, 34.
[3] Matth. v, 13; Marc. ix, 49.

IN CAPUT XIV LUCÆ

ENARRATIO.

« Et factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. »

Hic incipit pars illa, in qua docet qualiter conversi et præparati ad judicium debent venire ad ipsum, et post ipsum.

Et dividitur hæc pars in duas partes, secundum documenta quibus venitur ad Christum. Hæc enim documenta, aut sunt secundum fidem spiritualis intelligentiæ : aut sunt secundum mores, hoc est, secundum opera virtutum. Et ideo in prima parte per sanationem hydropici in sabbato, docet legis spiritualem intellectum, et carnaliter legem implentem non posse sequi ipsum. In secunda autem, docet per exercitium virtutum vere homines converti ad ipsum, et sequi ipsum, et illos secundum rectam rationem ad regnum Dei esse præparatos.

Prima harum habet tres particulas : in quarum prima tanguntur insidiæ eorum, qui carnaliter legem observari dicebant : in secunda, ponitur beneficium quod spiritualiter legem implebat : in tertia, ratio Christi ab illorum operibus sumpta, ostendens, quod hoc contra legem secundum legis spiritualem intentionem non erat.

Adhuc, In prima harum sunt duo paragraphi : in quorum primo ponitur Domini cum insidiantibus invitatio : in secundo, dictum et factum, ex quo sumebatur insidiantium machinatio.

De primo dicit tria : istius facti divinam ordinationem, Domini ad principem Sacerdotum vocationem, et insidiantium machinationem.

De primo dicit :

« Et factum est, »

Divina ordinatione, quæ in factis Christi ponit ordinem, et non successionem temporis. Joan. XVII, 4 : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Et ideo facta ista aliter ordinantur a Luca, et aliter a Matthæo, secundum quod ad diversas intentiones eorum probandas inducuntur : sicut jam in ante habitis sæpius dictum est.

« Cum intraret in domum, »

Invitatus, et salutem eorum qui in domo erant procuraturus. Sic enim et non alia de causa intrabat principaliter. Luc. XIX, 9 : *Hodie salus domui huic facta est.* Hinc est quod, Matth. X, 12, præcipit discipulis : *Intrantes in domum, salutate eum* qui in ea dignus est, *dicentes : Pax huic domui.* Pax autem est salus Salvatoris, et reconciliatio peccatorum.

Describit autem patremfamilias domus, non a nomine : quia nomine insidiator non erat dignus. Psal. XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Sed describit a dignitate, dicens :

« Cujusdam principis Pharisæorum, »

Qui, Joan. XI, 53 : *Consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* Idem dicitur, Matth. XXVI, 4. I Esdræ, IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

« Sabbato. »

Fit mentio de tempore, ut habeat locum calumnia : quia maxime calumniantur facta Christi propter sabbatum, quod eum violare dicebant. Joan. IX, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.*

« Manducare panem. »

Hoc fuit quantum ad exterius causa invitationis : interius autem erant calumniatores pessimi, sub pallio honestatis quærentes mordere Dominum. Matth. VII, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et ipsi observabant eum,* » ut accusarent. Eccli. VIII, 14 : *Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo.* I Reg. XXII, 13 : *Consuluisti pro eo Deum ut consurgeret adversum me* servus meus, *insidiator usque hodie permanens.*

2 « Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. »

Hic incipit factum de quo insidiabantur.

Et dicit quinque, quorum primum est oblatio hydropici : secundum autem, interrogatio de observatione sabbati : tertium autem, curatio facta in die sabbati : quartum, confutatio de carnali observantia sabbati : quintum autem est erubescentia eorum, qui insidiabantur de operatione facta in die sabbati.

De primo dicit : « *Et ecce.* » Quatuor dicit. Primo enim ponit miseriæ demonstrabilitatem, cum dicit : « *Et ecce.* » Secundo, ponit miseri rationabilitatem, cum dicit : « *Homo quidam.* » Tertio, explanat magnam miseri infirmitatem, cum dicit : « *Hydropicus.* » Quarto, ponit misericordis a præsentia infirmi inexcusabilitatem, quando dicit : « *Erat ante illum.* »

De primo horum dicit : « *Et ecce.* » Isa. LXIV, 9 : *Ecce, Domine, respice, populus tuus omnes nos.* Psal. XXIV, 16 : *Respice, Domine, in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego.*

« *Homo quidam* » rationalis, cui miserendum est. Osee, VI, 6 : *Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plusquam holocausta.* Luc. XIII, 16 : *Hanc filiam Abrahæ... non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* Quasi dicat : Sic oportuit.

« Hydropicus erat ante illum. »

Ecce expositio infirmitatis et miseriæ. Dicit autem hic glossa Bedæ, quod hydropisis est morbus aquosus ab humore subcutaneo dictus, a vitio vesicæ natus, anhelitu fœtido, et corpore turgente. Et hic humor in principio quidem est subcutaneus, postea autem totam inflat carnem. Nec est a vitio vesicæ per vitium vesicæ : sed quia hepar humorem aqueum a carne non separat, ideo vesica humorem aquosum ad se non directum non attrahit, et ideo pellis et corpus turgent. Anhelitus autem fœtet propter spiritualium oppressionem, et corruptionem. Hic etiam habet proprietatem, quod quanto plus bibit, tanto plus sitit : quia membra interius non nutriuntur, et ideo semper desiderant, et patiuntur magnam spiritualium oppressionem. Et hæc sunt morbi istius accidentia, et miseria Christo præsentialiter exhibita.

Significat hic morbus avaritiam rerum hujus mundi, et accidentia. Avaritia enim humorem frigidarum consolationum hujus mundi appetit, quæ per aquam significantur. Unde, Proverb. XXX, 16 : *Terra non satiatur aqua.* Hæc anima avari aridam se replens, numquam satiatur appetitu terrenæ acquisitionis, et consolationis mundanorum. Psal. CXLII, 6 : *Anima mea sicut terra*

sine aqua tibi. Hæ sunt aquæ Tantali, de quibus dicit Poeta :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Ad Hebr. VI, 7 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem.* Isti sunt qui dicunt illud Judicum, I, 15 : *Terram arentem dedisti mihi.* Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Et quo plus habet, eo magis sitit. Job, XVIII, 9 : *Exardescet contra eum sitis.*

Sed attracto humore, pellis et corpus turgent : quia abundantia temporalium inflationem inducit superbiæ et ambitionis. Exod. IX, 10 et 11 : *Facta sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera quæ in illis erant.* Turgent enim homines et jumentini, et malefici ex jactantia divitiarum.

Fœtet etiam anhelitus hydropici propter spiritualium oppressionem : quia tales non nisi de fœtidis et corruptis rebus loquuntur. Psal. V, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Sic ergo et humorem attrahit, et sitit, et fœtet. Isa. XXXIV, 3 : *De cadaveribus eorum ascendet fœtor.*

Iste morbus etiam spiritualia opprimit : et ideo spirant anhelitu gravi. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Sultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Tales enim sunt de quibus dicitur, ad Coloss. II, 18 et 19 : *Inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus et conjunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei.* Sed sicut hydropico solvuntur juncturæ, ita ipse solutus a junctura Christi, nihil spiritualium intelligit.

Hic morbus etiam semper interius inanis remanet, quia cupit ea quæ non nutriunt, sed opprimunt. Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua : usquequo et aggravat contra se densum lutum ?*

Habet etiam hic morbus frequenter genitalium inflationem : quia frequenter abundantia temporalium luxuriam inducit. Eccli. XLVII, 21 et 22 : *Inclinasti femora tua mulieribus :... dedisti maculam in gloria tua.*

Pedes etiam hic morbus facit pigros, hoc est, affectus ad bonum pigrescentes. Sapient. XV, 15 : *Pedes eorum pigri sunt ad ambulandum.* Psal. CXIII, 7 : *Pedes habent, et non ambulabunt.*

Habet etiam hic morbus cutis infectionem per variolas, et vesicas, per morpheas. Quod significat exterioris conversationis deformitatem. Thren. IV, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?* Tales enim etsi quandoque quærant pulchritudines vestium, hoc faciunt ut pallient incompositionem interiorem. Unde Beatus Bernardus : « Hæc forma vestium, deformitatis « mentium et morum indicium est. »

Hæ sunt igitur proprietates istius morbi, quem Sacerdotes et Pharisæi magis interius in anima, quam iste exterius in corpore patiebatur. Et ideo etiam hoc factum est quod erubescerent, se interius Salvatori non ostendentes, cum ille exterius salutem expeteret. Sic enim hydropicus « *erat ante illum* » salutem expetens, et miseriam ostendens medico Salvatori.

« Et respondens Jesus dixit ad legis- 3
peritos, et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare ?

At illi tacuerunt. » 4

Hic ponitur spiritualis intelligentiæ de lege inquisitio.

Et dicit : « *Respondens.* » Non quod aliquid dixerint, sed quia cogitationibus observantium respondit. I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« *Dixit ad legisperitos,* » quorum erat intelligere legem. Matth. XXIII, 13 : *Væ*

vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia clauditis regnum cœlorum ante homines. Luc. XI, 52 : *Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ.*

« *Et Pharisæos,* » qui de religione singulariter gloriabantur. Ad Roman. II, 23 : *Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras ?*

De sacerdotibus tacet, propter honorem hospitis qui princeps Sacerdotum erat, ne eum videatur confundere.

« Si licet sabbato curare? »

Cum enim omnia ad curam hominis facta sint, et propter hominem : et eum curare non sit opus servile, sed spirituale : et non possit nisi virtute divina fieri, quando fit sine invocatione et sine sacramento, per solum imperium. Unde, Marc. III, 4 : *Licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere ?*

« At illi tacuerunt. »

Merito tacent, qui contra se esse vident quidquid dixerint. Oportuit enim alteram partem respondere contradictionis : et quamcumque responderint obligati sunt. Si enim dicant quod non licet, dicetur eis : Quare ipsi animalia curent? Si dixerint quod licet, dicetur eis : Quare Christum curantem observant? Et ideo tacuerunt. Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Sic, Daniel. XIV, 26, os draconis obstructum est, ne aliquid posset contra Danielem.

Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5 Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati?

Et non poterant ad hæc respondere illi. » 6

Hic ponitur miraculi et beneficii perfectio.

Dicit ergo : « *Ipse vero,* » Jesus salvator omnium miserorum, attendens quid Propheta dicit de eo, Psal. X sec. Hebr. 14 : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

« *Apprehensum* » autem charitate et misericordia. Jerem. XXXI, 3 : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans.* Apprehendit tamen etiam manu : ut ostenderet quod virtus deitatis exiret de carne propter nos assumpta. Matth. VIII, 3 : *Tetigit eum, dicens : Volo, mundare.*

« *Sanavit eum,* » hoc est, ab hydropisi curavit. Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis.* Iste est medicus, de quo dicitur, Eccli. XXXVIII, 1 : *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus.* Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor.*

« *Ac dimisit* » sic eum corporaliter sanatum. Dimisit liberum, quem obsequiis retinere poterat pro mercede sanationis : ut ipse opere doceret quod dixerat, Matth. X. 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Sic dimisit Eliseus Naaman sanatum [1]. Dimisit etiam liberum, ut libera mente confiteretur, et crederet, et gratias ageret Deo. Joan. V, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

« Et respondens ad illos, »

Scilicet insidiatores et observatores, potius attendens malitiam cordis quam verba : quia verbis nihil dixerant.

« *Dixit : Cujus vestrum,* » possessus a vobis, « *asinus aut bos,* » hoc est, mundum vel immundum jumentum,

[1] Cf. IV Reg. V, 10.

« *in puteum,* » hoc est, in foveam aliquam, « *cadet, et non continuo,* » ne moram trahat periculum læsionis, vel mortis, « *extrahet illum,* » quod tamen est opus servile, et pro servili jumento, « *die sabbati,* » in quo a servilibus præceptum est feriare? Hoc autem accipiebant ab illo quod dictum est, Exod. xxiii, 4 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Cum enim præcepta talia moralia ad utilitatem proximi sunt data, oportet quod si aliquis in sabbato errans animal inveniat, quod statim reducat : quia aliter perderetur animal. Et cum charitas sit ordinata, in suo animali multo potius est hoc observandum. Quia, Matth. xii, 12, dictum est, quod *magis melior est homo ove.* I ad Corinth. ix, 9 et 10 : *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?* Multo magis in omni hora subveniendum est homini in necessitatis articulo constituto.

Et quia hæc ratio incontradicibilis est, ideo sequitur :

« Et non poterant ad hæc respondere illi. »

Job, ix, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei unum pro mille.* Act. vi, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.*

Bos autem et asinus significant litteratum et idiotam, sive sapientem et stultum. Job, i, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos,* qui de fovea peccati et perditionis continuo sunt extrahendi. Proverb. xxiv, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem : et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.*

Sic ergo terminata est pars illa, in qua docet, quod spirituali intelligentia legis redeundum est ad ipsum.

« Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent. »

Hic autem tria instruit secundum tres virtutes, quæ nos Christo conformant, et faciunt ad suam invitationem devenire : quarum prima est humilitas, nos sibi subjiciens : secunda autem voluntaria paupertas, nos sibi conformans : tertia autem perseverantia, ab ipso coronam accipiens. Sic enim ad judicium præparati, intrabimus cum Domino.

Circa instructionem humilitatis duo dicuntur. Primo enim Evangelista ostendit occasionem, qualiter ad hanc instructionem venit Dominus : secundo, ponit instructionem.

In primo horum tria dicit : quibus videlicet dixit, modum dicendi, et causam.

De primo sumitur dicti congruentia : quia sermones secundum materiam inquirendi sunt. Audientes autem sunt materia prædicantis, ut dicit Gregorius. Ex secundo, sumitur intellectus dictorum. Et ex tertio, necessitas.

Dicit ergo :

« Dicebat autem. »

Et hoc est etiam non solum confutans Sacerdotes, Scribas, et Pharisæos : sed etiam docens devotos, et reprehendens superbos. Ad Roman. i, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum : ita quod in me promptum est.*

« Ad invitatos. »

Honorem enim volens facere Domino in die festo, multos secum invitavit. Tob. ii, 1 et 2 : *Cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo : Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum.* Isti autem propter epulas, et propter hoc quod ibi in honore viderentur honorati a principe, venerunt ad convivium. Ad hos ergo direxit sermonem. Esther, v, 11 et 12 : *Exposuit Aman amicis suis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et post hæc ait : Regina*

quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.

« Parabolam »

Istam, hoc est, sermonem similitudinis : quia parabola proprie vocatur, ubi negotium negotio comparatur. Quod non fit hic : quia hic plana ponitur instructio humilitatis. Sed quia per similitudinem vocatorum ad nuptias docet, ideo large sumpto vocabulo parabolam vocat. Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.* Ex hoc igitur modus accipitur istius doctrinæ.

« Intendens, »

Hoc est, intendere sive intelligere eos faciens. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam te contra faciem tuam.* Isti enim non videbant seipsos.

« *Quomodo,* » hoc est, quam indecenter, « *primos accubitus,* » hoc est, sine merito virtutis acciperent cathedras honoris et dignitatis, « *eligerent,* » propria voluntate, non vocati ad eas auctoritate superioris.Et hæc est discendi necessitas. Eccli. VII, 4 : *Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.* Eccli. X, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus.* Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede.* Est enim simile, ut simia in throno regni sedeat, quando idolum et non veritas ponitur in cathedra honoris. Eccle. X, 5 et 6 : *Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis : positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.*Hac ergo necessitate fuit.

« Dicens ad eos :

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo. »

Hic incipit instructio.

Et habet duas partes, scilicet, instructionem per similitudinem, et instructionis conclusionem.

Instructio ipsa habet partes duas, scilicet, cautelam contra humiliationis verecundiam : et instructionem ad humilitatis gloriam consequendam.

De primo dicit tria : honorem scilicet vocationis, cautelam ne incurratur verecundia confusionis, et modum qualiter frequenter incurritur verecundia confusionis.

De primo dicit :

« Cum invitatus fueris ad nuptias. »

In quo duo notantur, honor vocationis, et participatio gaudii vocantis.

Honor exprimitur cum dicit : « *Cum invitatus fueris.* » Est enim honor magnus, a magno ad festum vocari : et præcipue a Deo. Apocal. XIX, 9 : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Proverb. IX, 2 et 3 : *Proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.*

« *Ad nuptias,* » ut particeps gaudii te vocantis. Et præcipue si Deus Rex cœlestis ad hæc gaudia te vocat. Sicut enim dicitur, Matth. XXII, 2 : *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo,* hoc est, desponsationis humanæ naturæ cum divina, et fidelis animæ cum Filio Dei, et intellectus hominis cum sapientia, et cordis humani cum justitia, et boni Prælati cum Ecclesia.

De primis nuptiis dicitur, Apocal. XIX, 7 et 8 : *Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus,* hoc est, humana natura, *præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino.* Quia humana natura candore innocentiæ et gratiæ, et splendore divinitatis est perfusa, et operta in sanctitate justificationis. Apocal. XIX, 8 : *Byssi-*

num enim justificationes sunt Sanctorum.

De secundis nuptiis dicitur, Luc. XII, 36 : *Vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Hæ sunt nuptiæ Assueri regis, qui interpretatur *beatus*, et Esther, quæ *abscondita* propter humilitatem interpretatur.

De tertiis dicitur, Sapient. VIII, 2 : *Hanc amavi, et exquisivi a juvente mea, et quæsivi mihi eam sponsam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

De quartis dicitur, Malach. II, 14 : *Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.* Leges enim justitiæ cum corde tuo fœdus habere debent : quamvis hæc uxor ab isto viro frequenter despiciatur, et detur ei libellus repudii.

De quintis nuptiis dicitur, Tob. VI, 11 et 12 : *Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua : et hic habet filium nomine Saram, sed neque masculam, neque fœminam ullam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia ejus, et oportet eam te accipere conjugem.* Raguel interpretatur *pastor Dei*, et significat Christum, quem Deus Pater in mundum pro pastore destinavit. Hujus filia est Ecclesia unica, præter quam non habet prolem. Et ideo hanc Tobiæ (qui interpretatur *bonus Domini*) hoc est, fideli pastori conjungit, et illi omnis substantia ejus debetur : quia quidquid redituum est in Ecclesia debetur tali pastori.

Hæ sunt igitur nuptiæ ad quas vocat nos Rex summus. Est autem et generaliter cautum et bonum omnibus vocatis ad quascumque nuptias, hoc quod dicit Dominus.

Et hoc est quod dicit :

« Non discumbas in primo, »

Hoc est, honoratiori « *loco,* » tua propria auctoritate : innatum enim est hominibus vilibus concupiscere alta loca : et ideo si recumbas tua electione in magno loco, vilis es et vilis reputaberis : sicut Lucifer, Isa. XIV, 13, altum locum per seipsum concupivit, et ad imum dejectus est : *Sedebo* (inquit) *in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Item, ℣. 13 : *Super astra Dei exaltabo solium meum.* Et post modicum dictum est ei, ℣. 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* E contra dicitur de Filio Dei, ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Ad Galat. IV, 1 : *Nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

« Ne forte honoratior te sit invitatus. »

Ecce ratio cautelæ. Et hoc quilibet debet reputare in corde suo, quod scilicet quilibet invitatorum sit eo honoratior. Ad Roman. XII, 10 : *Honore invicem prævenientes.* Psal. CXXXVIII, 17 : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Omnes enim super se reputat esse, qui vere humilis est. Ad Ephes. III, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc.* I ad Corinth.XV, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* Ecce novissimus locus in quo recumbit summus Apostolorum Paulus.

« Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum : et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. » 9

Tangit hic urbanitatem inivtantis : quia intrat ut videat discumbentes, et ordinem ipsorum.

Et hoc est quod dicit : « *Et veniens is*

qui te et illum vocavit. » Matth. XXII, 11 : *Intravit autem rex ut videret discumbentes.* Hic est ordo de quo dicitur, III Reg. x, 5, quod regina Saba videns ordinem ministrantium, non habebat ultra spiritum. Nimis enim mirabile est, ut in oculis omnium superior existens, in solis tuis oculis in inferiori sede recumbas : aut quod in oculis omnium in inferiori sede recumbere debens, in solis tuis oculis superiorem sedem usurpes.

Et tunc is qui te invitavit, « *dicat tibi : Da huic locum.* » Superbiam enim pati non potest, qui humilis corde est. Job, XL, 6 et 7 : *Dispege superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo.*

« *Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.* » Hæc enim maxima est confusio, ut depositus a sede majestatis, ad ima projiciaris. Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.* Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.* Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.*

Dicit autem : « *Incipias,* » quia sic incipit, quod confusionem nunquam consummabit, sed in æternum in confusione erit.

Et dicit : « *Novissimum,* » quia sicut primum concupivit, et superbia ejus semper ascendit, ita semper descendit usque ad fundamenta laci. Isa. XIV, 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.*

10 « Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco : ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :

Quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. » 11

Documentum est humilitatis.

Omnes autem Deus vocat ad nuptias quinque supra dictas, habentes vestem nuptialem, hoc est, dignam suis nuptiis conversationem. I ad Timoth. I, 4 : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis,* etc.

« Vade et recumbe in novissimo loco. »

Tria dicit. Humilitatis profectum notat per hoc quod dicit : « *Vade.* » Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.*

Humilitatis affectum notat per hoc quod dicit : « *Recumbe.* » Ad commodum enim et ad affectum sedet, qui ex corde humiliari desiderat. II Reg. VI, 22 : *Ludam, et vilior fiam plusquam factus sum.* I Reg. XV, 17 : *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Psal. LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Tertio, dicit humilitatis locum, cum dicit : « *In novissimo loco.* » I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem.* In stercore enim est locus novissimus.

« Ut cum venerit qui te invitavit. »

Non dicit, qui te et illum invitavit : quia specialiter placet ei humilitas, et illum specialiter invitavit. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Judith, IX, 16 : *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

« Dicat tibi : Amice. »

Tangit humilitatis gratiam et præ-

mium. Gratiam quidem cum dicit : « *Amice.* » Superbus enim nullius amicus est : quia inter superbos semper jurgia sunt : sed humilis, amicus Dei est : quia amicitia similitudo quædam est : et Christus dicit, Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* Ideo etiam, Daniel. III, 39, dicitur : *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur.* Non autem aliquis suscipitur nisi tantum amicus.

« Ascende superius. »

Ecce humilitatis præmium. Luc. I, 52 : *Exaltavit humiles.* Psal. CXII, 6 et seq. : *Humilia respicit in cœlo et in terra : suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem : ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.*

« Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. »

Simul discumbentes in omnibus nuptiis, fideles sunt boni, coram quibus est gloria humili in novissimo loco discumbenti. Quia quanto se aliis inferiorem reputavit, tanto præfertur omnibus, exemplo ejus qui dixit, Joan. 13 et seq. : *Vos vocatis me : Magister, et Domine : et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego fêci vobis, ita et vos faciatis.* Luc. XXII, 26 : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.* Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

« Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. »

Ecce omnium inductorum conclusio. Quod enim exaltati humilientur, probatur per divitem purpuratum, Luc. XVI, 22, *qui sepultus est in inferno.* Per Luciferum, qui super astra cœli exaltare voluit solium suum, et ad infernum detractus est ad fundamenta laci [1]. Per regem Tyri, qui in medio lapidum ignitorum in paradiso posuit cor suum sicut cor Dei, et de monte Dei projectus est in terram [2].

« Et qui se humiliat, exaltabitur, »

Per contrarium : et hoc probatur per David, qui quoniam inter suos fratres minor fuit, in regno exaltatus est [3]. Psal. XXXIII, 19 : *Humiles spiritu salvabit.* Ideo dicitur de Christo, ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Et post modicum sequitur, ℣℣ 9 et seq. : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium,et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hæc est humilitas quæ specialiter ut Evangelica virtus prædicatur in Evangelio a Domino. Hanc laudat, hanc suadet, hanc de toto thesauro sapientiæ et scientiæ Dei in se absconditо, specialiter docet imitandam. Et ideo etiam Evangelica virtus vocatur : quia per illam, ut dicit Augustinus, tumor sanatur nostræ miseriæ. Hanc eligit in matre : quia sine humilitate nec castitas ejus placuisset. Hanc diligit in omnibus, nec aliquem suscipit sine humilitate. Judith, VIII, 16 et 17 : *Humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi, dicamus flen-*

[1] Cf. Isa. XIV, 13 et seq.
[2] Cf. Ezechiel. XXVIII, 16.
[3] Cf. I Reg. XV, 17.

tes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam : quia cum humiliatis numquam faciet nisi misericordiam. Ideo dicit Apostolus, ad Ephes. IV, 1 et 2 : *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis : cum omni humilitate,* etc.

12 « Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.

13 Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos.

14 Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. »

Hic incipit docere de voluntaria paupertate.

Et dicit hic tria : quorum primum est quod docet, quibus, et qualiter temporalia quando reliquuntur sunt distribuenda. Secundum autem est, quod ostendit quale impedimentum præstant ad sequendum Christum si possideantur cum amore. Tertio autem, ostendit incongruitatem, quæ est inter diligentem temporalia ad suum discipulatum. Quia qui aliquid istorum plus Deo diligit, non est dignus suo discipulatu.

Circa primum autem dicit tria. Dicit enim primo qui in convivium eorum qui sua propter Deum distribuunt, non sunt vocandi. Secundo autem, dicit qui sunt vocandi. Tertio, horum dicit rationem.

Circa primum horum dicit quatuor. Primo enim ostendit dictorum ad eum qui audit convenientiam. Secundo, ostendit eleemosynæ largitionem esse debere temporaneam, et temporis habere debere congruentiam. Tertio, ostendit refectionis pauperum præparationem debitam. Quarto autem ostendit vocationem debere non esse carnali affectu maculatam.

De primo igitur dicit : « *Dicebat autem et ei qui se invitaverat,* » nolens temporalia sua metere nisi spiritualia seminaret. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ?* Ad Galat. VI, 6 : *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Hinc est quod dicit Apostolus, II ad Thessal. III, 8 : *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo.*

« Cum facis, etc. »

Duo tangit : temporis congruentiam, et eleemosynam debere esse voluntariam.

Primum tangit dicens : « *Cum,* » hoc est, quando, innuens non semper posse fieri eleemosynam : quia non suppeterent facultates : quia non esset ordo charitatis se depauperare et aliis ministrare. II ad Corinth. VIII, 13 : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Marc. XIV, 7 : *Semper pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis, potestis illis benefacere,* hoc est, cum opportunitas temporis in facultatibus vestris hoc requirit. Luc. XI, 41 : *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.*

« Facis. »

Ostendit eleemosynam debere esse voluntariam et cum effectu.

De primo dicit : « *Facis,* » ita quod non sit coactio vel tristitia : sed sit factum meræ voluntatis. II ad Corinth. IX, 7 : *Non ex tristitia aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Ad Roman. VII, 20 : *Si quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* hoc est, avaritia.

Notatur etiam quod cum effectu esse

debet, et non solum in verbo aut corde. Jacob. II, 15 et 16 : *Si frater et soror nudi sunt, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite, in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ?* Unde, II ad Corinth. VIII, 11 et 12 : *Nunc vero et facto perficite... Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.*

« Prandium aut cœnam. »

Ecce præparatio.

Dicitur enim prandium quasi parandium : eo quod sunt in ipso multæ præparationes refectionum. IV Reg. VI, 23 : *Apposita est eis ciborum magna præparatio : et comederunt, et biberunt.* Matth. XXII, 4 : *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata.*

« *Aut cœnam,* » quæ est nocturna comestio, confecta ex somniferis et digestivis : sicut super Matthæum notavimus[1]. Prandium enim est eleemosynarum refectio vegetans ad gratiæ virtutes : cœna autem, refectio pauperum vegetans ad gloriam. His enim duabus refectionibus debent refici pauperes. Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Ecce ad gratiam laudis divinæ. *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Ecce refectio ad gloriam ut in gloria perpetua vivant. Isa. XXIII, 18 : *Non condentur neque reponentur mercedes Tyri, quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Glossa dicit : « Hoc est, veris pauperibus qui coram Domino steterunt hic in rectitudine gratiæ, et in futuro in rectitudine gloriæ. »

« Noli vocare, etc. »

Ecce qui sunt excludendi, omnes scilicet carnali affectu conjuncti. Et est intelligendum, quod non propter carnalem affectum sunt vocandi : et si vocantur, vocatio caret mercede æterna. Sed tamen non est peccatum vocare eos aliquando, dummodo per expensas eorum vocans non efficiatur impotens ad dandum eleemosynam. Hoc est ergo quod intendit.

Quinque autem conjunctiones ab eleemosyna excludit, cum dicit : « *Noli vocare* » non indigentes « *amicos,* » amicitia sæculari tibi conjunctos si non indigent. Ut sit sensus : « *Noli vocare amicos,* » ut causa vocationis sit amicitia sæcularis. Matth. V, 46 : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt.* Eccli. XXXVII, 1 : *Omnis amicus dicet : Et ego amicitiam, copulavi.* Sed si vocas amicos, sit causa vocationis Deus, et necessitas invitationis sit paupertas et indigentia. Tali enim amico magis teneris quam alii propter ordinem charitatis. Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi*

« *Neque cognatos,* » eos scilicet qui ex matrimonio vestro vel amicorum vobis appropinquant : ut hæc scilicet sit causa invitationis, et si non sint pauperes. Aliter enim si sunt pauperes, magis sunt vocandi. Tob. II, 1 et 2 : *Cum esset dies festus Domini, et factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo : Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Dominum.* Ecce quod magis vir sanctus præcepit vocari cognatos quam alios.

« *Neque vicinos* » non indigentes. Sunt autem vicini in convictu quotidiano nobis communicantes : qui si indigentes sunt, magis sunt vocandi. Luc. XV, 6 : *Convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi,* etc.

« *Neque fratres,* » ex eisdem parentibus

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrat. in Matthæum, XII, 4. Tom. XXI hujusce novæ editionis.

vobis junctos, non indigentes : sed si indigent, nulli tantum sunt vocandi. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.*

« *Neque divites* » qui non indigent : ita quod hæc sit causa invitationis. Aliter autem possunt invitari. Unde rex Assuerus qui in multis laudatur, fecit prandium talibus, Esther, II, 18 : *Ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

Causam autem quare tales non sunt invitandi, subjungit dicens :

« Ne forte et te ipsi reinvitent. »

Quia alia spe mercedis non possunt tales invitari, quia non habent unde aliud retribuant. Matth. VI, 16 : *Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.* Luc. XVI, 25 : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.*

« *Et fiat tibi retributio* « in vita ista.

SED CONTRA. Quia, Marc. X, 30, dicitur quod centuplum accipiet in vita ista cum persecutionibus, et in futuro vitam æterna m.

Ad hoc dicendum, quod centuplum accipiet, non in vicaria temporalium retributione, sed potius in virtutis misericordiæ et largitatis delectatione, quæ pro centuplo reputatur. Genes. XXVI, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum*, hoc est, posuit in eleemosynas, et pro delectatione reputavit se centuplum invenisse. Eccle. XI, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.*

« Sed cum facis convivium, »

Volens utiliter tua expendere. *Convivium* autem sonat delicias : quod frequenter sonat in malo. Sonat enim aliquando fastum, et jactantiam, Daniel. V, 1 : *Baltassar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille : et unusquisque secundum suam bibebat ætatem.* Aliquando sonat honestatem sæculi, Esther, I, 3 : *Rex Assuerus fecit grande convivium cunctis principibus, et pueris suis, fortissimis Persarum et Medorum inclytis* Aliquando sonat gastrimargiam, Proverb. XXIII, 20 : *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.* Est iterum convivium lasciviæ et luxuriæ, Osee, IV, 18 : *Separatum est convivium eorum : fornicatione fornicati sunt.* Tale fuit convivium Herodis, in quo propter saltus Herodiadis præcisum est caput Joannis. Est autem convivium gratiæ, et virtutis : sicut dicitur, Job, I, 4, quod *filii Job*, hoc est, virtutes, *faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo : et mittentes vocabant tres sorores suas*, hoc est, tres virtutes theologicas. Est etiam convivium misericordiæ, sicut hic. Et ab hoc loco confunduntur qui dicunt pauperibus non esse danda delicata. Quamvis enim non sint eis delicata porrigenda continuo, ne consuescant, tamen crudele est dicere, quod nihil umquam delicati debeat porrigi pauperibus : quia sine deliciis omnimodis non potest vivere natura humana. Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Pinguia autem, et mulsum sunt delicata. Luc. V, 29 : *Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* Cum ergo tale convivium misericordiæ feceris.

Et hic dicit, qui sunt vocandi, et quando.

Quando quidem : « *Cum facis convivium.* »

Qui autem, subdit : « *Voca pauperes.* » Non exspectes donec petant, sed « *voca* » eos, qui forte propter verecundiam vel metum non venirent. Pauperes autem sunt qui non sufficiunt sibi : et ideo vocandi sunt, ut ex abundantiis tuis recreentur. Job, XXX, 25 : *Compatiebatur*

anima mea pauperi. Hoc est quod dicit Dominus, Matth. xxv, 35 : *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, etc. Et isti sunt qui in exterioribus deficiunt, neminem in exterioribus habentes consolatorem.

« *Et debiles*, » interius viribus destitutos, nec laborare valentes. Debilis autem est infirmus quacumque infirmitate. Ad Roman. xiv, 1 : *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere.*

« *Et claudos*, » qui quærere non possunt victum suum. Act. iii, 3 : *Claudus quidam cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.*

« *Et cæcos*, » qui vestigia quærendi eleemosynam videre non possunt. Luc. xviii, 35 : *Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.* Omnes enim isti nihil lucrorum possunt agere quo sibi subveniant.

Rationem autem subjungit, dicens :

« Et beatus eris, etc. »

Tob. iv, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Isti enim vere pauperes sunt, qui tam in bonis fortunæ quam in naturalibus deficiunt : non tantum parum habentes, sed etiam impossibiles ad acquirendum existentes. Et illis maxime est subveniendum : præcipue tamen illis qui boni sunt, et timentes Deum. Eccli. ix, 22 : *Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio.* Eccli. xii, 4 : *Da misericordi, et ne suscipias peccatorem.* Eccli. x, 26 : *Noli despicere hominem justum pauperem.*

« *Quia non habent retribuere tibi.* » Quia in illius vocatione solus Deus est causa. Eccli. xii, 2 : *Benefac justo, et invenies retributionem magnam. Et si non ab ipso, certe a Deo.* »

« *Retribuetur enim tibi.* » II ad Timoth. i, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

« *In resurrectione justorum.* » Tunc enim retribuetur in corpore, et anima. Isa. iii, 10 et 11 : *Dicite justo quoniam bene,... retributio manuum ejus fiet ei.* Psal. cxi, 5 et 6 : *Jucundus homo qui miseretur, et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Proverb. xix, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Quamvis autem et justi, et mali resurrecturi sint, tamen non facit mentionem nisi de resurrectione justorum : quia illi soli resurgunt ad præmium, et gloriam. Psal. i, 5 : *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.*

« Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. » **15**

Tangit hic impedimenta quæ facit amor temporalium ad sequendum Dominum.

Et habet partes duas : in quarum prima excludit errorem cujusdam male intelligentis præinducta : in secunda autem tangit multiplicia ad sequendum Dominum impedimenta, ex amore temporalium causata.

Circa primum autem tangit tria : occasionem erroris, infamiam errantis, et speciem erroris.

De primo dicit : « *Hæc cum audisset*, » de remuneratione æterna a verbis Christi, putans esse remunerationem terrenam : sicut dicunt Judæi de regno mille annorum, et aurea Jerusalem : in quibus (sicut dicunt) futuri erunt Judæi simile aliquid passi cum illis, qui, Joan. vi, 61, dixerunt de Christo : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* Et abierunt retrorsum. Ita iste et similes sui, carnaliter intelligentes verba Christi dicunt per contrarium, quod beatitudo quædam sit corporalis, edere et bibere in

regno Dei terreno : non advertentes quod dicitur, ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Dicit autem : « *Quidam*, » notans infamiam hujus, qui non est dignus nomine. Psal. LXVIII, 29 : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.*

« De simul discumbentibus. »

Quia diversa genera simul ibi discumbebant : et iste fuit unus de non vestitis veste nuptiali quoad fidem, et videtur de Sadducæis fuisse, qui dicunt resurrectionem non esse spiritualem vitam. Vel forte fuit unus de Essenæis, qui dixerunt nulla esse spiritualia, sed tantum pro temporalibus Deo esse serviendum. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti, et vini.* Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.* Ex his enim et hujusmodi sui erroris sumebat occasionem. Fuit autem quidam, nomine Corinthus, hujus erroris defensor, ut dicit Augustinus.

Dixit igitur :

« Beatus qui manducabit panem in regno Dei, »

Intelligens de regno terreno. Quia si de pane spirituali et de regno spirituali (quod in cœlo futurum est) intellexisset, nihil errasset. Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Et quia carnalis intellectus, occasio est erroris : ideo dicitur, Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Glossa ibidem : « Hoc est, spiritualiter intellecta, vita sunt. » II ad Corinth. III, 6 : *Littera occidit, spiritus autem vivificat.*

« At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. »

Hic et excludit errorem male intelligentis, et ostendit quod in temporalibus non est perfectio veniendi ad regnum, sed potius impedimentum.

Dicit autem tria : multorum scilicet ad cœnam regni Dei vocatorum : impedimenta excusantium : et aliorum vocationem loco eorum qui venire neglexerunt.

Et hoc est quod dicit : « *At.* » E contra ipse Jesus spiritualiter dicta intelligens, » « *dixit ei*, » redarguens carnalem intellectum ipsius. Apocal. II, 29 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

« *Homo.* » Quasi diceret : Tu dicis in temporalium abundantia beatitudinem esse regni Dei : e contra ego, spiritualiter intelligens regnum Dei, ostendo non in temporalium abundantia regnum Dei consequendum. Luc. XII, 15 : *Non in abundantia cujusquam vita ejus est.*

Dicit igitur :

« Homo quidam. »

Circa præparationem istam dicit quatuor : præparantis scilicet dignitatem, præparationis magnificentiam, circa vocationem liberalitatem profusam, et sui cordis ad hoc ut venirent vocari, devotionem ferventissimam.

Circa primum horum dicit quatuor : præparantis scilicet dignitatem, humanitatem, præparationem, largitatem.

Dignitas quidem notatur in hoc quod dicit : « *Quidam*, » cujus dignitas, et dominatus, et honor, sunt ineffabilia. Psal. CXII, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat ?* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia ?* Iste ergo, quidam est ab omnibus aliis excelsus : et ideo per speciem dominationis inexplicabilis. Psal.

LXXXV, 8 : *Non est secundum opera tua.*

Hic *homo* dicitur (cum tamen Pater et Rex sit omnium) non a natura humanitatis, sed a benignitate : sicut, Sapient. VII, 23, Spiritus sanctus dicitur *humanus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem*, Sapient. I, 6 : *Benignus est spiritus sapientiæ.* Sicut etiam dicitur, Matth. XXII, 2 : *Homo quidam,* qui nihil facit inhumane. Est enim humanitas, mansuetudo ipsius. Quia, sicut dicit Philosophus, homo est animal mansuetum natura. II Reg. XXIII, 8 : *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.*

Sic ergo est « *homo,* » omnes benigne suscipiens, et benignius pertractans, et benignissime in sua cœna disponens. Sapient. VIII, 1 : *Disponit omnia suaviter.*

« Fecit. »

Hic notatur præparatio, in qua studium præparationis intelligitur et diligentia. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* I ad Corinth. II, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Tobias *uxori suæ dixit ut instrueret convivium, et præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria*[1]. Tobias *bonitas Domini* interpretatur. Uxor autem ejus, est summa sapientia. Quæ bonitas Domini, facultates hujus cœnæ, sed sapientia sua, studium apponit præparationis. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

« Cœnam magnam. »

Hic tangitur magnifica liberalitas in præparatione.

Et dicuntur duo : modus convivii, quia *cœna* : et quantitas, quia *magna.*

Cœna autem est post quam non est aliud convivium : et ideo maxime signat finalem refectionem in gloria, a qua nullus qui intraverit ejicitur. De quo dicitur, Matth. XXVI, 29 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Et ideo istud aliud est ab eo quod describitur, Matth. XXII, 13, quia ab illo ejicitur is qui intravit, non habens vestem nuptialem. Et ideo significat hic in Ecclesia refectionem in gratia, a cujus communione ejicitur qui non est honestæ conversationis.

In gloria igitur fecit cœnam magnam.

Si tamen communiter loquamur, tunc facit quadruplicem cœnam, scilicet, in refectione doctrinæ, in refectione virtutis et gratiæ, in refectione Eucharistiæ, et in refectione gloriæ. Refectionem doctrinæ facit in contemplationis intellectu, refectionem virtutis et gratiæ facit in voluntatis affectu, refectionem Eucharistiæ facit in cordis devotione et fidei gustu, refectionem gloriæ facit in patria in suæ dulcedinis adspectu. Prima refectio est in virtute, secunda in forma et matre virtutum charitate, tertia in gratiæ ubertate, et quarta in perfecta beatitudine. Prima est inchoationis, secunda profectionis, tertia perfectionis, et quarta est dulcedinis supereffluentis. Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

De prima cœna dicitur, Apocal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Pulsat enim Verbum Dei et sapientia Patris, per veritatem ad intellectum, ut aperiatur ei per fidei consensum. Intrat autem per illuminationem, et concœnant intellectus et sapientia per veritatis refectionem et delectationem. Dicit enim Philosophus, quod admirabiles habet sapientia delectationes, puritate et firmitate. Hoc con-

[1] Tob. VIII, 21.

vivium instruit Sapientiâ, Proverb. IX, 2 et seq. : *Sapientia immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus, veniat ad me.. Et insipientibus locuta est : Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Victimæ autem sapientiæ quæ a vincendo dicuntur, sunt divinæ veritatis studia, et lectiones, et contemplationes. Istæ immolantur quando et devote Dei cultui administrantur, et delectationes earum prægustantur per intellectum. Victima enim immolata, partim Deo offerebatur, et partim a sacerdote gustabatur. Mensam ergo pinguem in his sapientia proponit omnibus diversarum veritatum divinarum, unicuique saporem proponens : dum proponit facta et apparitiones Patriarcharum, in virtutibus et apparitionibus divinis, veritatem divinæ notitiæ docentibus, et revelationes Prophetarum sacramenta divinæ dispositionis et voluntatis paulatim aperientibus, et sublimitatem Legislatoris, et legis mandata, morum, et justitiarum exponentibus : et in mediatore Christo, per quem gratia et veritas facta est : sive etiam in Doctoribus Apostolicis, per quos sacramenta fidei sunt patefacta : sive in studiis Patrum, per quæ fides contra hæreses defensa est. Hoc vinum spiritualis intelligentiæ miscet, ut captivetur intellectus in obsequium fidei, et in omnibus fiat præceptum Apostoli, ad Roman. XII, 3 : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Hæc mittit ancillas suas, hoc est, ad eam ancillantes sapientias, tam rationales quam naturales, quam etiam morales philosophias, et scientias juris tam monastici quam politici. Mittit vocare ad arcem summi intellectus divini, et ad mœnia civitatis, in qua sunt scholæ Doctorum omnium. Vocat autem parvulos, hoc est, humiles non de sua scientia, quæ inflat, præsumentes. Et insipientibus locuta est, hoc est, qui saporem veritatis divinæ nondum gustaverunt : ut veniant ad gustum sapientiæ et ad veritatis indagationem. Eccli. XV, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Sapient. XVI, 26 : *Non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat.* Hoc convivio refectus et delectatus fuit Moyses : ita quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem non comedit, et illustrata est facies ejus ex consortio sermonis Domini. Sic dicitur, Exod. XXXIV, 28 et 29.

Hæc est ergo cœna prima.

Secunda cœna in convivio virtutis et bonitatis in charitate. Hæc est cœna de qua dicitur, Judith, VI, 19 et 20 : *Ozias, finito consilio, suscepit Achior in domum suam, et fecit cœnam magnam. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt.* Ozias *fortitudo Dei* interpretatur : et significat Christum Dei virtutem, sive fortitudinem. I ad Corinth. I, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Hic recipit Achior, qui *fratris mei lumen* interpretatur, hoc est, illuminatum jam in cœna prima ex veritate. In domum suam, quæ est domus virtutis et gratiæ, quæ est Ecclesia bonorum. Psal. C, 7 : *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.* Exod. I, 21 : *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Glossa : « Domos virtutum. » Et ibi fecit cœnam magnam in charitate (quæ mater est virtutum) filiis septem, et filiabus Job, hoc est, septem donis, et tribus theologicis virtutibus (quæ sunt tres sorores) in charitate Dei et in deliciis charitatis epulantibus. Et vocatis omnibus presbyteris, quorum exempla sunt exemplaria virtutum Sanctorum. Refecerunt et epulati sunt, magnas delicias habentes in dulcedine spiritus charitatis. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Et ideo sequitur, ℣. 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient.* Quia tanta est delectatio honestatis virtu-

tum et Spiritus sancti in charitate, quod fastidium tollit, et continuum auget desiderium, in tantum quod Isaias dicit, IV, 1, quod sine expensis hominis, istæ virtutes suis expensis hanc faciunt refectionem : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Hanc refectionem dulcedinis ministrabimus ex spiritu dulcissimæ veritatis, et vestitum ministrabimus honestæ conversationis : non petentes nisi quod diligendo nos, auferas opprobrium sterilitatis nostræ, et quod in te nominemur. Septem enim mulieres, septem sunt virtutes : fides, spes, charitas, prudentia, justitia, temperantia, fortitudo. Proverb. XV, 15 : *Secura mens quasi juge convivium.* Securitas autem mentis non est nisi per charitatem, quæ informat virtutem, et nulla ei deest virtus.

Tertia cœna est in Eucharistia recepta ab altari, et hæc est in gratiæ ubertate, ex qua Eucharistia nomen accepit, quæ *bona gratia* interpretatur. Hæc est cœna Paschæ quam Christus habuit cum discipulis suis[1]. De quo dicitur, Luc. XXII, 15 : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Hæc cœna Christi perficitur sacramento, in quo incorporatio fit Christo ad salutarem omnium bonorum communionem, per sumptionem sui corporis. Infusio fit ad omnium intimorum aspersionem, per sumptionem sui sanguinis. Perfecta fit reconciliatio ad Deum Patrem, per pretium redemptionis suæ sanctissimæ animæ. Vivificatio ad restaurationem omnis deperditionis spiritualis vitæ ex influxu sui sanctissimi Spiritus. Et grati perfecta gratificatione reddimur Deo ex gratitudine suæ divinitatis. Et ex vase omnis gratiæ (quod hoc sacramentum Eucharistiæ est) gratiam pro gratia accipimus : ut Christo semper conformemur, et uniamur. Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.* Hoc est convivium cœnæ de quo dicitur, Isa. XXV, 6 : *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Omnibus enim populis fit cœna convivii, quod totius mystici corporis facit et significat unitatem. In monte autem fit, quod tanta fit excellentia charitatis, qua Christus seipsum nobis obtulit manducandum. Est autem convivium pinguium in corporis refectione, in deitatis dulcedine, et in spiritus delectatione, et animæ gratia. Vindemiæ autem convivium est in sanguinis infusione, et aspersione. Medullatorum autem pinguium est : quia nullum horum est sine divinitatis penetrantis per totum, pinguissima devotione. Et est vindemiæ defæcatæ, per hoc quod immune est ab omni corruptionis fæce. Iste est panis de quo dicitur, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

Quartum est convivium in gloria in omni beatitudinis perfectione. Et hæc est cœna de qua dicitur, III Esdræ, III, 1 et 2 : *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus magistratibus Mediæ et Persidis, et omnibus purpuratis, et prætoribus, et consulibus, et præfectis sub illo.* Rex iste significat eum qui habet *in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium*[2]. Qui bene Darius, hoc est, *augmentatus* dicitur : quia de naturalibus bonis in gratiam, et de gratia auget in gloriam. Fecit autem vernaculis, hoc est, servis in domo sua genitis : qui significant innocentes. Fecit et magistratibus, hoc est, magisterium bonæ vitæ docentibus. Fecit, inquam, magistratibus Mediæ, quæ *mensura* interpretatur : quia

[1] Cf. Joan. XIII, 2 et seq.

[2] Apocal. XIX, 16. Cf. I ad Timoth. VI, 15.

proportionem : ubi sicut dicitur, Luc. XII, 37, faciet Rex regum invitatos discumbere, *et transiens ministrabit illis.* Cum ipse sit immobilis, tamen transit dum nova fercula continuo proponit, dicente eo qui sedet in throno, Apocal. XXI, 5 : *Ecce nova facio omnia.* Efficitur et hæc immensa mensa cœnæ, ferculorum immensa numerositate, pretiositate, et abundantia. Quis enim numeret delectationes in dextera Dei existentes ? Hæ enim delectationes sunt usque in finem, nihil habentes nisi delectabile : non sicut istæ in quibus *risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat*[1]. Dicit Dionysius numerum et magnitudinem istarum deliciarum, etiam ipsos non ad plenum scire, qui eas percipiunt. Istæ sunt pretiosissimæ : quia gloriosæ et beatæ. Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium quam sugetis.* Ibi, sicut, Isa. LXV,13, dicitur : *Servi Dei comedent,* et mali esurient : ibi *servi Dei bibent,* et peccatores sitient, et non erit qui porrigat eis. Hoc est convivium magnum quod rex Assuerus beatus omnibus optimalibus suis præparavit. Abundantia enim magna est, dicente Psalmo XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Sic igitur « *fecit cœnam magnam.* »

Consilium igitur sapientis dignum est ut teneatur, Proverb. XXIII, 1 : *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam.* In omnibus enim his cœnis sedemus cum principe. In prima quidem, sicut veritatis Magistro : in secunda autem, sicut cum virtutis Domino. Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me : Magister, et Domine : et bene dicitis, sum etenim.* In tertia autem, sicut cum summo Sacerdote in suo sacrificio. Ad. Hebr. VII, 26 : *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* In quarta sedemus cum Rege in decore suo fulgente. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Attendat ergo quilibet diligenter, quæ sibi apponuntur : quia talibus dignas gratiarum actiones oportet eum præparare.

« Et vocavit multos. »

Hoc est largitatis, et magnificentiæ.

Duplex autem est vocatio : per verbum, et per inspirationem : et utroque istorum modorum vocavit multos, quia omnes ad quos pervenit sermo auditus, et quibus lumen infunditur inspirationis.

Primam vocationem facit exterius. Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* De interiori vocatione dicitur, 1 ad Timoth. II, 4 : *Qui omnes homines vult salvus fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Quod exponens Joannes Damascenus, dicit quod voluntate signi omnem hominem vult salvum fieri, et voluntate antecedente : quia talem naturam dedit homini, cui impressa est notitia veri et boni, et quæ recipit illuminationes inspirationum deveniendo ad ipsum. Joan, I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Hanc autem utramque vocationem promovet aliquando per flagella, erudiens hominem ut revertatur : aliquando autem per beneficia trahit. De flagellis quidem dicitur, Isa. XXVI, 16 : *In angustia requisierunt te,in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* De beneficiis autem dicitur, ad Roman. II, 4 : *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?*

Unde etiam improperat negligentibus in utroque modo vocationis. De flagellis quidem, Isa. I, 5 et 6 : *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem ? Omne caput languidum, et omne*

[1] Proverb. XIV, 13.

cor mœrens : a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Isa. IX, 12 et 13 : *Adhuc manus ejus extenta, et populus non est reversus ad percutientem se.* De beneficiis autem, Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* De vocatione autem quadam loquitur Apostolus,ad Roman. VIII, 29 et 30 dicens : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui,... hos et vocavit.* Hæc autem vocatio est segregatio per gratiam electionis a massa perditionis. Et quia nullus vocatorum huic vocationi contradicit, ideo oportet dicere quod de tali vocatione non loquitur hic Dominus.

Sic ergo vocavit « *multos.* » Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Omnes enim vocat quantum in se est : sed tamen quia non omnes audiunt vocantem, ideo dicit : « *Multos,* » et non omnes. Multi enim audiunt vocantem intus et extra : sed pauci exaudiunt. Quod contradicit Psalmista, Psal. XCIV, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* In hoc ergo liberalitas istius hominis attenditur, quia largam manum extendit ad omnes. Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*

17 « Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. »

Hic ostendit devotionem ferventissimam ad hoc quod invitati veniant.

Dicit autem tria : quod mittit servum ut moneat ad veniendum, et convenientiam temporis cogentis intrare ad cœnam, et ad quid vocat venientes.

De primo dicit :

« Et misit servum suum. »

Et dicit duo : servi auctoritatem, et nuntii certitudinem.

Auctoritas vocationis habetur a missione : ille enim vocare potest qui missus est. Luc. X, 3 : *Ecce ego mitto vos.* Ad Roman. X, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Missio enim confert auctoritatem.

« *Servum suum.* » Hic facit nuntii certitudinem. Papa enim et omnes principes, quos certitudinaliter vocare intendit, vocat per servum notum, et maxime per janitorem. Servus ergo ille significat ordinem Prædicatorum, qui primo processit in Patriarchis, secundo in Prophetis, tertio in Apostolis, quarto in Doctoribus usque in finem mundi. Hic est servus de quo dicitur, Isa. LII, 13 : *Ecce intelliget servus meus : exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Iste ergo est servus cujus habitus assumptus est a Domino, ad Philip. II, 7 : *Formam servi accipiens.* Sumpsit enim Dominus habitum hujus servi, qui est iste ordo Prædicatorum.

Sumpsit autem et actum, hoc est, prædicationis officium. Jerem. VII, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas, per diem consurgens diluculo, et mittens.* Genes. XXXVII, 13 : *Veni, mittam te ad eos.* Jerem. I, 7 : *Ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæcumque mandavero tibi loqueris.* Iste igitur servus est totus ordo Prædicatorum, a Patriarchis, sicut dixi, inchoatus, et per Legislatorem et Prophetas in Joannem Baptistam continuatus, et extensus per Salvatorem, per Apostolos in Doctores, et Prædicatores usque in finem sæculi verbum Dei denuntiantes.

Iste igitur est certus et incontradicibilis nuntius.

Hunc autem misit

« Hora cœnæ, »

Hoc est, hora qua se parare debent ad cœnandum. Et hæc hora finis mundi

vocatur, ut dicit Glossa. Finis autem dupliciter dicitur, sicut dicit quædam glossa super Epistolam ad Romanos, x, 4. Est enim finis consumptionis : sicut dicitur quod finis est panis, quando comestus et comsumptus est panis : et hoc modo nullus scit quando finis erit mundi. Matth. xxiv, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Act. i, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.*

Est item finis consummationis, hoc est, ultimæ perfectionis : et sic dicitur, I ad Corinth. x, 11, quod *nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt*, hoc est consummatio sæculi : quia sæculum incepit a creatione, et corruptum est per diluvium, restitutum per Patriarchas, directum per Legislatorem, illuminatum per Prophetas, perfectum ultima perfectione per Christum, post quam non sequitur alia : quia post Christum non fiet alia renovatio spiritualis, vel perfectio. Et ideo quia modo aperta janua, hora est ad cœnam se præparandi. I Joan. ii, 18 : *Filioli, novissima hora est*, hoc est, hora ultima : post quam non sequitur nisi hora noctis et « *cœnæ*, » et ideo servus modo plus instat ad veniendum. Sicut enim dicitur, Joan. xiv, 2, Christus præcessit parare nobis locum.

Sed servum post hoc dimisit qui invitet ad veniendum.

Et hoc est quod sequitur tertium :

« Dicere invitatis ut venirent, »

Hoc est, alloqui eos de præparatione per pœnitentiam. Jerem. li, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare. Recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Fugerunt enim gladium, qui vulnera diaboli effugerunt per contritionem et confessionem. Veniunt autem, qui se per virtutem expediunt. Non stant, qui semper in virtute proficiunt. Recordantur Domini, qui invitationis factæ per Dominum non sunt immemores. Jerusalem autem ascendit super cor eorum, qui dulcedinem convivii parati numquam a mente dimittunt.

Dicit autem ut venirent,

« Quia jam parata sunt omnia. »

Signanter dicit : « *Omnia*, » quia omnia in omnis rei bono ibi parata habentur. Tobiæ, xii, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.* Matth. xxii, 4 : *Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi : tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata, venite ad nuptias.* Tob. x, 5 : *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.*

« Et cœperunt simul omnes excusare. » **18**

Hic agitur de vocatorum ingratitudine.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima ostenditur hæc ingratitudo in communi : in secunda vero excusatio in speciali.

Excusatio autem in communi importatur per hoc quod dicit : « *Et cœperunt simul omnes excusare.* »

Dicit autem quatuor, scilicet, istorum ad excusandum instantiam, excusationum consensum, et excusantium generalitatem, et excusationis modum.

Instantia importatur per hoc quod dicit : « *Cœperunt.* » Qui enim incipit, novus est in hoc quod facit, et fervens, et instans. Isti autem adeo instanter excusabant, quod semper novi fuerunt in excusando novas excusationes invenientes. Ad Hebr. xii, 19 et 20 : *Qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur :* et ideo excusabant, quia diffi-

[1] Cf. Matth. xx, 6.

cilis videbatur eis præparatio. Ideo dicit, Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

« *Excusare* » autem, est diminutionem culpæ quærere per suffragia aliorum, et sub alterius intercessionis umbra supportari : et hoc fit, quando nolens venire, servos Dei rogat ut pro ipso intercedant ut excusatus habeatur: sicut Jonathas excusavit David [1].

Hoc autem incipiunt, quia semper in hoc peccatores sunt novi, volentes in peccato manere, et intercessionibus bonorum excusari. Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Psal. LXXVI, 11 : *Et dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Sic ergo cœperunt « *simul,* » per consonam in peccato remanendi voluntatem. Jerem. v, 5 : *Hic simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.*

« *Omnes* » generaliter. Jerem. VI, 13 : *A mimore quippe usque ad majorem, omnes avaritiæ student.* Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.*

« *Excusare* » Numer. XVI, 14 : omnes vocati responderunt : *Non venimus.*

« Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum. »

Ecce excusatio in speciali.

Et habet partes duas : in quarum prima ponitur in speciali vocatorum excusatio : et in secunda, servi vocantis ad dominum suum renuntiatio.

Prior habet partes tres, secundum tres excusationes in littera positas, de villa, bobus, et uxore.

Prioris excusatio habet tres particulas : villæ emptionem, videndi villam necessitatem, et excusationem per servum faciendam.

Dicit ergo : « *Primus dixit,* » qui capite vitiorum superbia se primum fecit. Habacuc, III, 13 : *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum.* Superbia enim semper se primam facit. Eccli. x, 14 : *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo.* Tob. IV, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

Hic ergo dixit :

« Villam emi. »

Ecce primum : et notantur in hoc tria, scilicet, emptoris in re empta dominatio, secundum Augustinum : secundum, redituum villæ acquisitio, secundum Hieronymum : tertium, emptionis commutatio.

De primo dicitur : « *Villam emi.* » Et qui emit, villæ et hominibus villæ dominari appetit, et exinde superbit. Eccle. VIII, 9 : *Interdum dominatur homo homini in malum suum.* Luc. XXII, 25 et 26 : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic.* Omnibus enim vocatis ad cœnam suam Dominus interdicit dominatum.

Secundum autem est rei lucrum et possessio. Et sicut primum notat ambitionem superbiæ, ita secundum notat cupiditatem avaritiæ secundum Hieronymum. Ad Ephes. v, 5 : *Avaritia quæ est idolorum servitus.* Hæc enim sic mentem occupat quod verba servorum vocantium sine fructu efficiuntur. Et ideo, Supra, VIII, 14, spinis comparantur, quæ suffocant. Eccli. x, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Villa enim labores importat terrenorum, propter lucrum et curam vitæ hujus. Unde, IV Reg. v, 26 et 27, dixit Eliseus Giezi puero suo, quia quæsivisset sibi argentum, ut emeret oliveta, et ficeta, et servos, et ancillas : et ideo etiam lepra Naaman adhæreret ei. Lepra autem Naaman fuit potentiæ sæcu-

[1] Cf. I Reg. XX, 28 et 29.

laris, et avaritiæ divitiarum. Sic enim legitur, IV Reg. v,1 : *Naaman, princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum*, etc. Et paulo post : *Erat autem vir fortis et dives.*

Tertium autem quod hic notatur est commutatio, quod studium virtutis et anima pro terrenis commutatur : propter quod indignus reputatur vocatione. Et hoc est quod dicit : « *Emi.* » Eccli. x, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Ideo suis dicit Dominus, Matth. xvi, 26 : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua ?*

« Et necesse habeo, etc. »

Hic tangit occupationis necessitatem.

Et dicit tria : ambitionis et avaritiæ exactam necessitatem, exitum a studio interiori ad exteriorum sollicitudinem, experiendi nova lucra curiositatem.

De primo dicit : « *Necesse habeo* : » inferente mihi ambitione et avaritia exactam necessitatem. Isti sunt præpositi operum Ægypti, qui exacta necessitate instant quotidie ad implendum numerum laterum, hoc est, lucrorum terrenorum [1]. Sapient. xv, 12 : *Existimabant conversationem vitæ compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Proverb. xxx, 15 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, scilicet ambitionis, *dicentes : Affer, affer.* Ambitio enim quærit ut habeat unde dominetur, et avaritia ut possideat quod lucratur.

« Exire, »

A studio interiorum ad curam exteriorum. Quod proprium est depravatæ animæ, quæ fastidit spiritualia interiora, et quærit occupari circa exteriora : simile aliquid agens populo Judæorum [2], qui fastidiens manna, flagrabat desiderio carnium, et ceparum, et allii, et peponum, hoc est, carnalium occupationum, quæ sua sollicitudine lacrymas educunt, sicut cepe, et allia, et frigida sunt, sicut pepones, et pisces. Osee, x, 11 : *Ephraim vitula docta diligere triturum : et ego transivi super pulchritudinem colli ejus.* Ephraim vir in spiritualibus debens fructum facere, vocatus ad cœlestia, efficitur vitula laborans in villa, diligens trituram qua excutiantur grana lucrorum temporalium. Et ideo Dominus conculcat in terrenis pulchritudinem colli ejus, hoc est, cordis, per quod capiti Christo deberet continuari. Gregorius ibidem in Glossa : « Sunt quæ-« dam animæ per vitulam significatæ, « quibus in hoc mundo nihil laboriosius « est quam in hujus mundi laboribus « non laborare. » Sic ergo exit. Cantic. i, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere*, hoc est, si ignoras per gustum pulchritudinem interiorum tuorum, convertere ad lucra exteriorum sollicitudinum.

« Et videre iliam. »

Ecce curiositas. Dulce enim est avaro videre terrena lucra : quia nihil habet plus nisi quod dulciter videt divitias. Eccle. v, 10 : *Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis ?* Ultra enim hoc quod comedit et vescitur, nihil habet præter quod intuetur eas oculis suis. Et hoc est quod dicit : « *Necesse habeo exire, et videre illam.* » Et ideo talia, I Joannis, ii, 16, vocantur *concupiscentia oculorum.*

« Rogo te, habe me excusatum. »

Gregorius : « Bene dicit : « *Rogo te.* » In « voce humilitatem prætendit : sed su-« perbiam exhibet in opere, dum venire « contemnit. » Est autem simile illi quod faciunt nostri temporis homines, ut dicit

[1] Cf. Exod. v, 13 et 14.

[2] Cf. Numer. xi, 4.

Glossa : dum enim invitantur ad Dei cœnam, servos Dei quidem rogant ut orent pro ipsis, quia peccatores sunt : sed in emendatione operis, et devotione ad cœnam Dei non veniunt. Melius tamen faciunt isti quam illi de quibus dicitur, Matth. xxi, 35, quod alii servos patrisfamilias quosdam ceciderunt, alios autem occiderunt, alios autem contumeliis affectos ejecerunt. Excusatos autem isti petunt se habere quasi rei familiaris impedimento detentos. Quasi dicentes illud Genesis, xxx, 30 : *Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ.* Quasi enim a providentia temporalium sub pallio utilitatis et honorationis servi vocantis de non veniendo volunt excusari, ne eis imputetur in contemptum. Quibus e contra dicitur, Jerem. vii, 13 : *Locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis : vocavi vos, et non respondistis* [1]. Proverb. i, 24 : *Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret.*

19 « Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum. »

Tria dicit. Allegat enim impedimentum, adjicit illius impedimenti exercitium, et petit excusari prætextu utilitatis propriæ, propter quam merito cœna sit negligenda.

Dicit igitur : « *Et alter dixit.* » Alteritas autem ista in alio est impedimento : quia multiformes sunt occasiones concupiscentiæ, hominem detinentes. Psal. iii, 2 : *Multi insurgunt adversum me.*

« Juga boum. »

Duo dicit : commutationem, et quid commutatione acquisivit.

Attendendum autem quod sicut Judæi utilitatem terrenenam promissionibus spiritualibus Prophetarum anteponunt, ita etiam litteralem sensum quinque librorum legis anteponunt impletioni legis spiritualis : et decem præcepta legis (per quinque et quinque quasi in quinque juga combinata sint) carnalibus, et non in gratia promissionis impleri dixerunt : et ipsi quidem more omnium carnalium delectabilibus quinque sensuum se subdiderunt, et alligaverunt.

Hæc enim significant « *quinque juga boum.* » Unde in hoc verbo tria notantur, scilicet, proprietas jugi, necessitas ligamenti ad jugum, et proprietas boum.

Proprietas quidem jugi est quod collum premit, et unum uni jungit : propter quod etiam *jugum* vocatur. Collum autem est continuatio corporis ad caput, et significat mentem hominis per quam homo Deo capiti suo subhæret. Hoc premitur sensibilium delectatione, sicut dicitur, Osee, x, 11 : *Ephraim vitula docta diligere trituram : et ego transivi super pulchritudinem colli ejus.* Sic enim premitur et conculcatur. Jugum etiam a jungendo dictum, duo jungit æqualia : quia sensus omnes in nobis geminavit Creator, ut dicit Joannes Damascenus, ut si forte uni per occasionem aliquid acciderit, sensus salvetur in altero. Duo enim sunt oculi, duæ aures, duæ nares, duæ linguæ, sed in medio in unum conjunctæ, ne comestionem impediant in homine : in quibusdam tamen animalibus sunt divisæ, sicut in serpentium quodam genere. Tactus autem qui fundamentum est sensus, per totum corpus est diffusus, et in duo latera geminatus. Et sic sunt quinque juga. Glossa tamen dicit quod duo instrumenta gustus sunt lingua, et palatum. Sed non oportuit, quia pro certo duæ sunt linguæ in unum conjunctæ secundum naturam. Hoc est jugum de quo dicitur, Isa. ix, 4 : *Jugum enim oneris ejus, et virgam humeri ejus, et sceptrum exa-*

[1] Cf. etiam xxxv, 15 et 16, et sæpe alibi.

ctoris ejus superasti, sicut in die Madian. Quia Christus sua charitate superat hoc jugum. Isa. x, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.*

Vinculum autem sive lorum ligans ad jugum, istud est concupiscentia delectabilium horum sensuum, quæ ligat ad istud jugum. Isa. v, 18 : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum!* Ab hoc jugo vocavit Elias Eliseum, III Reg. xix, 19, qui in duodecim arantibus unus erat. Absolvit autem eum vocatione ad sequendum. Duodecim enim arantes, septem quidem vitia capitalia, superbia, invidia, acidia, ira, avaritia, gula, luxuria. Ita quod superbia in sensu quærit altum : invidia autem quæ non vult alium exaltari, quærit hoc altum habere sola : et ideo dicit Augustinus, quod invidia est pedissequa superbiæ. Acidia autem quærit in sensu jucundum, et ideo tristatur in spiritualibus : ira autem vindictam, avaritia lucrum, gula in gustu delectari, et luxuria in venereorum tactu. Cum his autem arant quatuor animæ passiones : spes vana, et vanius gaudium, timor malus, et pejor tristitia. Præter, hæc autem undecim, arat infidelitas, his promittens impunitatem. Ab his autem omnibus liberavit Elias Eliseum, in figura vocationis Christi et discipulorum suorum secundum prophetiam patriarchæ Isaac. Genes. xxvii, 40 : *Tempus veniet, cum excutias et solvas jugum ejus de cervicibus tuis.* Commutatio autem ista est pro delectatione sensuum, spiritualem et intellectualem virtutis et veritatis delectationem commutare : sicut Esau vendidit primogenita pro gustabilis vilis delectatione [1]. Ad Hebr. xii, 16 : *Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.* Jus enim primogenituræ est apud spiritum, primo a Patre cœlesti in imagine sua genitum, et non apud Esau sanguineum, qui est in concupiscentia carnis et sanguinis. Hæc igitur commutatio Esau fuit vilis et profana.

Tangit autem horum jugorum exercitia, dicens :

« Et eo probare illa. »

Bene dicit : « *Eo,* » quia continuo ivit proficiendo in pœnis per delectationes. Psal. lxxx, 13 : *Ibunt in adinventionibus suis.* Proverb. i, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt.*

« *Probare illa.* » Omnis enim delectatio sensuum in experimento semper et probatione est. Curiosius enim singula delectabilium in sensu probare, est juga boum probare, qualiter arant in delectabilibus. Unde, Judicum, xiv, 18 : *Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem,* hoc est, nisi per delicias sensuum attentassetis secreta cordis et spiritus, non investigassetis. Hæc est causa quod bos diligit trituram. Quia licet labor sit triturari, tamen propter delibationem qua experitur gustum trituræ, gaudet et currit in tritura. Hinc est quod suadet sapiens, Eccli. xviii, 30 et 31 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Concupiscentia enim trahit sensus et animam, sicut jugum bovem. Proverb. vii, 22 et 23 : *Statim sequitur juvenis meretricem, quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorat quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus.* Meretrix ista est sensus delectabile, quam sequitur juvenis concupiscentia ductus, sicut bos tractus ad mortem : quia vult experiri delectationem, et sic sagitta concupiscentiæ transfigit jecur ejus : in quo Plato dixit esse sedem cupidinis et concupiscentiæ.

« Rogo te, habe me excusatum. »

[1] Cf. Genes. xxv, 33.

Sicut enim qui concupiscentia rerum dediti sunt, per servos Dei se excusant, ita etiam illi qui delectabilibus decipiuntur, frequenter ad cor redeunt, et per servos Dei se excusari cupiunt.

Et hoc est quod dicitur : « *Rogo te,* » humilitatem prætendens, « *habe me excusatum,* » suffragium servorum Dei petens. I Regum, xv, 25 : *Porta, quæso, peccatum meum, et revertere mecum ut adorem Dominum.*

20 « Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire. »

« *Et alius dixit.* » Tertius scilicet, non quidem in numero, sed tertius in causa excusationis : quia in qualibet causa excusationis multi sunt numero.

« *Uxorem duxi.* » In ductione uxoris, commodum intelligitur carnis. Et ille non dicit nisi duo : allegat enim impedimentum, et impotentiam veniendi : sed non petit excusari. Et hujus causa est, quia ductus uxoris tam licitus est, et a lege excusatus : et tam naturæ necessarium est matrimonium, quod non credebat se excusatione indigere.

Dixit ergo : « *Uxorem duxi,* » carnis commodum et voluptatem. Proverb. xix, 13 : *Tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.* Caro enim litigiosa mulier, quæ semper contra spiritum reluctatur. Ad Galat. v, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur.* Hæc est uxor Job, quæ improperando dixit ei : *Benedic Deo, et morere. Qui ait ad illam : Quasi una de stultis mulieribus locuta es* [1]. Stulta enim est caro, quæ omnia appetit stulta. Hæc est etiam uxor Tobiæ, quæ de spe dixit, Tob. II, 22 : *Manifeste vana facta est spes tua, et eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Commoditas enim carnalis brutalis est, et stultitia indicat prudentiam spiritus. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Tamen quia sub ratione necessitatis abducit spiritum, ideo quasi in licito iste occupatus, excusationem non quærit, solam prætendens infirmitatis impossibilitatem, dicens :

« Non possum venire. »

Genes. xix, 19 et 20 : *Non possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, et moriar : est civitas hæc juxta, ad quam possum confugere, parva, et salvabor in ea.* Ad montem enim sanctitatis vocationis Domini, iste carnis commodum quærens, ascendere non potuit : sed in matrimonio se salvare cupit : quæ civitas est parva, hoc est, parva munitio contra diabolum : tamen multi se putant in ea salvari, qui tamen negligunt vocationem Dei. Luc. xvii, 34 : *Erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur.* Tamen conjugium, ut dicit Glossa, in hoc non reprehenditur, sed integritas ad majorem honorem vocatur. I ad Corinth. vii, 39 et 40 : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est. Cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium.*

« Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. » 21

Hic agitur de renuntiatione servi.

Et dicit duo : servi reversionem, et ejusdem de re gesta renuntiationem.

De primo dicit : « *Et reversus servus.* » Cum autem servus, totus sit ordo Prædicatorum et cœtus : servus revertitur, cum Prædicator de operatione exteriori quam habuit circa proximum, ad

[1] Job, II, 9 et 10.

familiarem Dei collocutionem in conscientiæ secreto convertitur : sicut fecerunt, Apostoli et Prophetæ nuntiantes Synagogæ ut veniret, quando in intimis Dei ingratitudinem Judæorum exposuerunt in amaritudine animæ suæ, Deo ingratos illos esse tanta vocatione nuntiaverunt : sicut fecit Elias, III Reg. XIX, 14 : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam ut auferant eam.* Sicut fecit Moyses, cum Dathan et Abiron ad suam revocationem redire nollent, dixit ad Dominum : *Domine, ne respicias sacrificia eorum* [1].

Iste ergo servus cum amaritudine animi

« Nuntiavit hæc domino suo. »

Luc. IX, 5 : *Etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium contra illos :* ut cassum quantum ad contemptores ostendat laborem suum. Sic enim, sicut dicitur, Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Sicut secundum hoc quod dicit Ecclesiastes, I, 7 : *Ad locum, unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Quia in intimis exposita ratione suæ legationis iterum illuminationem accipiunt, quid de Dei voluntate perficere debeant.

« Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas et vicos civitatis : et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc. »

Hic incipit secunda vocatio post contemptum primo vocatorum.

Dividitur autem pars hæc in duas partes : in quarum prima vocare jubet alios in locum primorum : in secunda, confirmat priores numquam ad cœnam admittendos.

In priori adhuc duo sunt, secundum duas vocationes quas inducit : unam de plateis et vicis, et alteram de sepibus et viis.

In prima harum duo dicit : provocationem patrisfamilias adversus vocatos, et iteratam vocationem aliorum de plateis et vicis.

Dicit ergo : « *Tunc iratus.* » Anthropospatos quando in Deum refertur humana passio. Quia in hoc *iratus* Deus dicitur, quia ad modum irati et provocati facit, repellendo vocatos a cœna. Isa. LXIV, 5 : *Ecce tu iratus es, et peccavimus. In ipsis fuimus semper.* Isa. XXVIII, 21 : *Irascetur Dominus ut faciat opus suum.* Irascitur autem de vocatorum ingratitudine, et de laboris servorum suorum frustratione. De expensarum autem perditione non irascitur : quia expensæ convertuntur in cœnam devotorum. Isa. XLIX, 4 : *Ego dixi : In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi.* Et, infra parum, ℣. 5 : *Nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur.*

« *Dixit servo suo,* » Ordini Prædicatorum, in omnibus verbum Dei annuntiantibus. Et hic notatur injunctio officii prædicationis. Luc. X, 3 : *Ite, ecce ego mitto vos.*

Et hæc pars vocationis dividitur in tres partes, scilicet, officii injunctionem, vocandorum determinationem, et officii injuncti relationem.

De primo dicit :

« Exi cito, »

Ab intimo tuæ contemplationis, ad ea quæ sunt circa proximum exterioris actionis. Isa. XXX, 22 : *Egredere, dices*

[1] Numer. XVII, 15.

eis. Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Genes. XXXVII, 13 : *Veni, mittam te ad eos.*

« In plateas et vicos civitatis. »

Determinat hic vocandos dupliciter, scilicet, secundum locum, et secundum fortunam.

Dicit ergo : « *In plateas.* »

Platea dicitur a græco πλατύ, quod est *latum.* Et de plateis vocantur qui de latitudine licentiosa gentium quos nulla lex constrinxit vocantur. De vicis autem vocantur qui de angustia vitæ vocantur : quia vicus est via stricta inter domos. Et sunt qui in angustia sunt salutis, et expedientem se nullum habent : sicut quidam ex naturæ indagatione immortalem animam esse scientes, sed nescientes qua justitia salvaretur anima : et ideo in arcto erant positi : sicut fuit Clemens antequam instrueretur a Petro. Cantic. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Tamen ambæ istæ conditiones hominum in civitate sunt, civilitatem quamdam civilium virtutum obtinentes.

Tangit autem fortunæ diversitatem, dicens :

« Pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos. »

Tangit autem quatuor genera defectuum.

Defectum enim fortunæ tangit cum dicit : « *Pauperes.* » Quem enim divites in villis et bobus contemnunt, oportet ut pauperes vocet. Sunt autem pauperes qui quantumlibet divites sint, tamen se in præsentibus mendicos reputant, nisi æterna bona adipiscantur spiritualia. Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

« *Ac debiles.* » Debiles sunt viribus destituti. Et isti sunt qui ad terrenos labores vires non habent, sed ad spiritualia vires exhibent et expendunt. Psal. LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Psal. VI, 3 : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum.* II ad Corinth. XII, 10 : *Cum enim infirmor, tunc potens sum.* Taliter debilis fuit puer Amalecites [1], quem infirmum et debilem dereliquit dominus suus, et assumpsit eum David in persona et figura Christi, et duxit eum in cuneum hostium comprehendendum.

Tangit autem defectus in corpore secundum duas vires corporis : apprehensivam scilicet, et motivam.

Secundum defectum quidem apprehensivæ dicit : « *Cæcos,* » quia visus est summus in apprehendendo. Secundum defectum autem motivæ quæ prosequitur conveniens corpori, dicit : « *Claudos.* »

Cæci ergo sunt ea quæ fulgent in mundo non videntes, qui cum Propheta dicunt, Psal. CXVIII, 37 : *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Job, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Sunt etiam cæci qui lumen veritatis non viderunt : sed illi non veniunt nisi prius illuminentur. Matth. XX, 32 et 33, et Luc. XVIII, 41 : *Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine, ut videam.* Prior autem expositio magis secundum litteram, quamvis Glossa tangat secundam. Cæci enim, qui se videntes reputant, nolunt venire. Joan. IX, 41 : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum : nunc vero dicitis : Quia videmus : peccatum vestrum manet.*

« *Et claudos,* » defectum in motiva sive progressiva virtute patientes. Et illi sunt qui jam mundi delectabilia prosequi nolunt, et sunt boni claudi ad familiam summi Patris pertinentes. Isa.

[1] Cf. I Reg. XXX, 13 et seq.

xxxv, 6 : *Saliet sicut cervus claudus.* Matth. ix, 5 : *Cæci vident, claudi ambulant leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Glossa dicit : « *Claudi* in via recta claudicantes. » Sed illi non veniunt nisi prius sanentur. III Reg. xviii, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ? Si Dominus est Deus, sequimini eum.* Ad Hebr. xii, 13 : *Gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.* Psal. xvi, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

« Introduc huc. »

Bene dicitur : *Introduc*, ut intrent in penetralia domus Domini : quia qui foris remanent, non salvantur. Psal. xcv, 8 : *Introite in atria ejus.* Psal. lxiv, 5 : *Beatus quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Psal. lxxxiii, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

22 « Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. »

Ecce relatio servi, hoc est, Ordinis Prædicatorum : « *Domine, factum est ut imperasti.* »

Tanguntur hic duo, scilicet, jussionis et obedientiæ expletio, et magnæ domus patrisfamilias adhuc ad alios capiendos amplitudo.

De primo dicit : « *Domine,* etc. »

Duo dicit : professionem dominii, ejus qui in omnes dives est vocatos. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

« *Factum est ut imperasti.* » Ecce expletio obsequii. Hieronymus : « Fecimus quod jussisti. » Exod. xxiv, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes.*

« *Et adhuc locus est,* » quia per hoc numerus prædestinatorum non est impletus. Baruch, iii, 24 : *Magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus.*

Attende enim quod primi Prophetæ vocaverunt omnes. Apostoli autem, ut dicit Ambrosius, secunda vocatione vocaverunt multos de circumcisione, de plateis, et vicis civitatis Domini, de quibus et ipsi Apostoli fuerunt. Sed adhuc locus restabat ad Gentium vocationem. Sic enim distinguit Ambrosius. Dicit enim quod prima vocatio facta est per Patriarchas et Prophetas : secunda autem per Christum de plateis et vicis : et tertia facta est, et fit quotidie per Apostolos et Apostolicos viros in Gentibus : quando, sicut dicit Psalmus lxvii, 32 : *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* Quia de mœrore peccatorum et tenebris ignorantiæ legati vocant ex Ægypto spirituali. Æthiopiam etiam, hoc est, ubi nigredo peccatorum per consuetudinem invaluit, præveniunt ad vocandum manus Domino Deo, hoc est, ad Dei honorem.

Et hoc est quod sequitur :

« Et ait dominus servo : Exi in vias, 23
et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea. »

Dicit autem tria : exitum servi, compulsionem cœnaturi, et finem propter quem facit vocationes istas.

Dicit ergo : « *Exi* » cito de intimo contemplationis, et de quiete studii et meditationis. Sic enim exivit ille gloriosus servus, qui dixit, Joan. xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Et iterum, Joan. viii, 42 : *Ego enim ex Deo processi, et veni,* etc.

Attende autem quod in hoc quod dixit : « *Exi,* » notat servum intus fuisse : sicut ipse paterfamilias dicit, Luc. xi, 7 : *Jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili :* et ideo servus

qui deintus non est, pro certo legationis vocationem fert incertam, quia nescit voluntatem mittentis. Tales sunt excommunicati et schismatici. Tales etiam sunt mali nostri temporis Prælati, qui de legationis et missionis officio gloriantur, et procurationes lautas accipiunt, cum numquam in intimis fuerint. De veraciter autem missis dicitur, Abdiæ, ℣. 1 : *Auditum audivimus a Domino, et legatum ad Gentes misit.* In auditu enim percipitur cujus sit legatus, et in operibus. Isa. XLIII, 14 : *Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes.* Propter salutem quippe electorum misit servos nuntios in Babylonem convertendam, et detraxit Chaldæos, feroces dæmones, qui in navibus mundum piscabantur. Huic ergo servo ait : « *Exi.* »

« In vias, et sepes, »

Hoc est, in omnes vias, et omnes sepes. *Viæ* autem sunt hic vocatæ omnis modus vivendi, quo quilibet sine lege aliqua vixit pro libitu suæ voluntatis. Matth. VII, 13 : *Spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.* Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Jerem. III, 2 : *In viis sedebas, exspectans eos quasi latro.* Istæ sunt viæ modi vitæ, quo quisque vixit ad libitum sine omni lege. In has vias exivit Doctor Gentium, quando dixit, I ad Corinth. IX, 20 et 21 : *Factus sum... iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos qui sub lege erant lucrifacerem : iis qui sine lege erant, tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.* Ideo dicitur, ad Ephes. II, 12 : *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati ex conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo.* Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit.*

Sepes autem sunt modi vivendi, legibus et statutis quasi quibusdam sepibus obfirmati : sicut antiquitus quidam vivebant in legibus Pythagoræ : quidam utebantur legibus Zabadorum, qui omnia ad naturalem referebant rationem : quidam autem legibus Solonis : et quidam legibus aliis diversis : tamquam sæpe suos vivendi modos obfirmantes, aliquando turpes, aliquando honestos. Sed absque fide Christi omnes fuerunt. Eccli. XXXVI, 27 : *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria : et semitas suas non inveniet*, hoc est, claudam modum vivendi legibus et pœnis sicut sepe spinosa, ut non de cætero vivat ad libitum. In sepes istas exivit Prædicator Gentium, I ad Corinth. IX, 21, quando dixit : *Factus sum iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem.* Qui ergo in via erant et sunt, barbari sunt. Qui vero intra sepem, hoc est, legum munitiones, non barbari, sed sapientes dicebantur. Ad Roman. I, 14 : *Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.*

Quid autem faciat servus, injungit, dicens :

« Et compelle intrare. »

Et nota differentiam. Primi enim tamquam rationabiles vocantur. Numer. XVI, 2 : *Proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur.* Secundi autem tamquam jam intellectu legis excæcati introducuntur manu, docti doctrina eorum qui intellectum legis habebant. Tertii autem penitus idiotæ compelluntur ad intrandum. Compulsio autem ista fit virtute veritatis in ostensione probationis. In apocryphis Esdræ, IV, 38 : *Veritas manet, et invalescit.* Et, ibidem, ℣. 41 : *Super omnia vincit veritas.* Ideo dicitur, ad Titum, I, 9, de Episcopo (qui servus est vocans) *ut po-*

tens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.

Secundum autem compellens, est virtus miraculi, vel ad minus exempli. Matth. VII, 28 et 29 : *Admirabantur turbæ super doctrina Christi. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

Sic ergo *compelle intrare* in domum Ecclesiæ, primum ad cœnam veritatis, et gratiæ virtutis, et communicationis sacramentorum : et postea ad domum gloriæ, ad cœnandum in beatitudine. Domus enim veritatis, et virtutis, et sacramenti sunt factæ sicut quædam portæ ad domum gloriæ. Psal. XCIX, 2 et 3 : *Populus ejus, et oves pascuæ ejus. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.*

Sequitur :

« Ut impleatur domus mea. »

Hoc enim totum studium, tota cura est istius magnifici Patrisfamilias, ut bonis suis non solus perfruatur, sed multi perfruantur, et in omnibus communicent, in quantum est susceptibilis quilibet. Psal. LXIV, 5 : *Replebimur in bonis domus tuæ.* Unde, Luc. XV, 32 : *Epulari, et gaudere oportebat.* Isa. LXVI, 11 : *Ut deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* Tunc enim implebitur domus : quia paratæ mansiones ab ipso, secundum numerum prædestinatorum completæ demonstrantur, quando quilibet stat in sorte sibi præparata. Daniel. XII, 13 : *Stabis in sorte tua.* Apocal. VII, 9 : *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et linguis, stantes ante thronum.* Et hoc est quod dicitur, ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.*

24 « Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. »

Confirmatio est obdurationis contra ingratos.

Tangit hic duo, scilicet confirmationem, et sententiam confirmatam.

Confirmatio est cum dicit : « *Dico autem vobis,* » hoc est, ego qui sum veritas hoc dico. Unde alibi dicit, quod juravit, Psal. XCIV, 11 : *Ut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam :* quod « *nemo virorum illorum,* » in infidelitate obstinatorum. Ad Hebr. III, 18 et 29 : *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Hoc significatum est, Numer. XIV, 30, ubi dicitur quod iratus Dominus juravit quod nullus eorum qui vocati erant ex Ægypto, intraturus esset terram promissionis ad quam vocati fuerunt.

« Qui vocati sunt. »

Vocatione prima per Prophetas, vel per primam missionem Apostolorum. Matth. X, 5 et 6, quando dictum fuit eis : *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Sicut et ipse Dominus dixit, Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.*

« Gustabit cœnam meam. »

Paucissimi enim de Judæis gustaverunt : ita quod numerum inter vocatos non fecerunt, sed pro servis vocantibus sunt assumpti, et pro quodam semine messionis futuræ in die judicii. Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Psal. LVIII, 15 et 16 : *Famen patientur*

ut canes... et circuibunt civitatem : si vero non fuerint saturati, et murmurabunt. Isa. LXV, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis.* In Matthæo autem, XXII, 8, redditur ratio, ubi dicitur : *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni :* quia se indignos effecerunt per incredulitatem, sicut jam dictum est.

« Ibant autem turbæ multæ cum eo : et conversus dixit ad illos :

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. »

Hic ostendit quale impedimentum præstant temporalia carnaliter dilecta ad sequendum eum.

Dicit autem duo circa partem istam : quorum unum quidem est, quod Evangelista ostendit qualiter ventum est ad hanc doctrinam : secundum autem est doctrina ipsa.

De primo dicit : « *Ibant autem turbæ multæ cum eo :* » et ideo habens occasionem ut multis prodesset, dixit ea quæ erant perfectionis. Joan. VI, 2 : *Sequebantur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Ibant autem multi, quidam propter verba, multi autem propter signa. Joan. VI, 69 : *Verba vitæ æternæ habes.* Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo sicut hic homo.* Multi autem etiam ibant propter temporalium amorem, quia aliquando reficiebantur ab ipso. Quidam etiam cum ipso invitabantur : et ideo ut affectum omnium a temporalibus revocaret, dixit ipse.

Et istud significat modus loquendi, cum dicit : « *Et conversus dixit ad illos :* » quia directio docentis ad audientem, multum facit ad impressionem sermonis. Conversione enim corporis docuit etiam illos converti ad ipsum. Thren. V, 21 : *Converte nos, Domine ad te, et convertemur : innova dies nostros sicut a principio.* Psal. LXXXIX, 13 : *Convetere, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.*

« Si quis venit ad me. »

Duo dicit, intentionem veniendi, et impedimenta.

De primo dicit : « *Si quis venit ad me,* » hoc est, venire intendit, sicut omnes salvandos venire oportet, quia aliter non intrabunt per ostium, quod est ipse Christus, quia ipse est forma intrandi. Psal. XXXIII, 12 : *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.* Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, e congregate vos in domum disciplinæ.*

Quicumque ergo sic per disciplinam Christi venit ad Christum,

« Et non odit, etc. »

Septem hic proponit odienda, propter quæ carnaliter diliguntur, quæcumque carnaliter diliguntur. Hæc autem sic accipiuntur. Aut enim carnalis dilectio est in homine, aut in sibi conjunctis. Si est in ipso, tunc est ille qui diligit *animam suam.* Si est in sibi conjunctis : aut est in sibi conjuncto ad naturæ in specie salvationem, et sic diligitur *uxor :* aut in sibi conjuncto secundum individualis naturæ dilectionem : et hoc est tripliciter secundum relationem originis activæ aut passivæ. Passivæ quidem dupliciter, scilicet, secundum relationem ad eos, a quibus ducimus originem : aut lateraliter secundum eos, qui ab eisdem originem passivam ducunt nobiscum. Et prior quidem modo sunt *pater* sicut agens, et *mater* materiam ministrans : secundo autem modo sunt *frater et soror.* Secundum generationem activam conjunguntur nobis *filius et filia.* Et propter hæc septem diligibilia diligitur quidquid

carnaliter diligitur. Pecunia vero, ut dicit Aristoteles, non diligitur propter se, sed quia fidejussor est futuræ necessitatis in nobis, vel in conjunctis accepta.

Dicit ergo :

« Et non odit patrem suum et matrem, »

Non quidem naturam, sed vitium in quo est pater. Pater enim hic dicitur terrenus, portans imaginem terreni patris, in trahendo nos ad peccatum. I ad Corinth. xv, 48 : *Qualis terrenus, tales et terreni.* Ezechiel. xv, 48 : *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. Et quando nata est, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus.* Chanaan qui interpretatur *servituti addictus,* est ille qui, sicut dicitur, Joan. viii, 44, servus est peccati, qui ex patre diabolo est, et opera illius vult facere. Amorrhæus autem *amaricans* interpretatur : et significat eum qui ex contemptu et superbia, dulcem secundum naturam Patrem cœlestem provocat ad amaritudinem. Cethæa autem *insaniens,* concupiscentiam significat, quæ est ignominiosa mater. Et in talibus vitiis existentes, non honorare sed odire debemus patrem et matrem, dicentes cum Moyse, Deuter. xxxiii, 9 : *Qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.* Sic igitur odiendus est pater et mater. Sic enim pater fovet peccatum in filio, quod filius a patre contraxit : et mater nutrit corruptionem, quam generando transfudit in natum. Nisi enim sic exponatur, tunc contrarium erit ei quod dicitur, Exod. xx, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Tob. iv, 3 et 4 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus : memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.*

« Et uxorem, »

Hoc est, conjunctum secundum salvationem naturæ in specie, cum homine individuam vitam retinens. Et quod plus est, individuæ vitæ consuetudinem. Est autem uxor illa odienda, quæ non vult cohabitare nisi in contumeliam Creatoris, vel verbo, vel opere, vel utroque. Hæc enim, sicut dicitur, Luc. xvii, 34, est una de illis, quando duo sunt in lecto uno, et unus assumetur, scilicet vir bonus, alter relinquetur, hoc est, uxor mala. Eccle. vii, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Sicut in vitio Job odivit uxorem suam, quando dixit, Job, ii, 10 : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Eccli. xxvi, 10 : *Sicut boum jugum quod movetur, ita et mulier nequam : qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.* Talis ergo mulier odienda est. Qui vellet illam diligere in vitiis (cum non possit esse dilectio nisi similium) oporteret quod sibi similis efficeretur.

« Et filios, »

In quibus etiam *filiæ* intelliguntur : quia masculinum concipit fœmininum in grammaticis. Et iterum intelliguntur per hoc filii contumaces, monita boni patris non audientes : sicut dicitur, Deuter. xxi, 19, quod tales filii a patribus ad judicium producendi sunt ut lapidentur. Proverb. x, 1 : *Filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mœstitia est matris suæ.*

« Et fratres, et sorores, »

Qui contra Deum vivunt, neque redire volunt. Quia illi alienaverunt se a summo Patre cœlesti: et ideo quia negaverunt illum, fraternitatem nobiscum habere non possunt. Psal. xvii, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi : filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* Isti sunt de quibus dicitur, Osee, i, 2 :

Fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra a Domino. Et ideo illi non sunt fratres, aut sorores : quia nulla fraternitas ejus est, qui negat Patrem Deum, et uterum matris Ecclesiæ. Psal. LVII, 4 : *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.*

« Adhuc autem et animam suam, »

Hoc est, animalem vitam suam : quia *anima* hic dicitur ab animalitate, quæ semper est in concupiscentiis sensibilium contra bonos mores, et in phantasticis rationibus contra fidem. De concupiscentiis dicitur, Eccli. XVIII, 31 : *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* De phantasiis contra fidem dicitur, I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.* Joan. XII, 25 : *Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Hæc est animalitas sive brutalitas in homine continuo destruenda : quia quanto magis destruitur, tanto magis bonum rationis et intellectus construitur : et hoc est humanitas. Et quanto magis animalitas construitur, tanto magis destruitur bonum humanum. Psal. XLVIII, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Daniel. IV, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.*

Sic ergo ista sunt odienda : et qui non sic odit,

« Non potest meus esse discipulus, »

Causæ autem sunt : quia discipulus est qui disciplinis magistri est imbutus : et cum tota disciplina Christi sit de fide et moribus : et amor carnalis ad seipsum, vel ad suos, ab his avertant : non potest esse discipulus Christi qui talem habet affectum.

Ad disciplinam enim Christi quinque exiguntur, quibus affectus carnalis contrariatur : quorum primum est, congregatio totius animæ ad auditum percipiendum. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Hæc autem quæ dicta sunt, carnaliter dilecta, dissolvunt mentem et dispergunt.

Secundum autem est, totius intellectus humiliatio et inclinatio, ad accipiendum quidquid auditur sine omni contradictione. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*, hoc est, qui se ad pedes humiliant. Psal. XLIV, 11 et 12 : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam :... et concupiscet rex decorem tuum.* Non autem humiliatur ille, quem affectus carnalis avertit. Unde sequitur : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

Tertium autem est, veritatis verborum Christi perfecta retentio. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Hæc autem omnia quæ dicta sunt, vanitatem et falsitatem fugerunt.

Quartum est, dilectio tam disciplinæ quam magistri, quam etiam condiscipulorum. Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

« Hæc enim dilectio vera est, ut dicit Hieronymus in *Proœmio galeato*, ubi illa necessitudo est, et Christi glutino copulata : quam non præsentia tantum corporum, quam non subdola et palpans adulatio, sed Christi nectit amor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. »

Quintum est, mansuetum esse ad auditum. Jacob. I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Ad Hebr. XIII,

22 : *Rogo vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii.*

Hæc autem quæ inducta sunt, et dilectionem veram evacuant, et mansuetudinem destruunt : quia sermo auditus penitus est adversarius eorum. Istæ igitur sunt causæ, quare iste affectus impedit venire ad Christum : et ideo evacuant suum discipulatum, quia nullus venit ad ipsum nisi discipulus.

27 « Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. »

Hic tangitur qualiter venitur ad Christum.

Et tangit tria : unum quidem quod est similitudinis, et conformationis : secundum autem, quod est imitationis et insecutionis : tertium autem, quod est perfectionis et consummationis.

Primum est quod dicit :

« Qui non bajulat crucem suam. »

In primo horum dicit quinque, quorum unum est antecedens ad ea quæ dicuntur, et hoc est crucem tollere : secundum quod dicitur, est crucem bajulare : tertium est, crucis cruciatui communicare : quartum autem est, suam crucem ferre et non alterius : quintum autem est hoc consequens, cruci Christi et passionibus communicare.

In primo autem horum adhuc duo sunt, scilicet, crucis acceptio, et crucis exaltatio.

Crucis quidem acceptio Christo nos configurat : et hoc fit, quando cruciatus Christi in pœnis animalitatis et carnalitatis domandis et mortificandis nobis accipimus in voto vel pœnitentia. Sic configuratus fuit Apostolus, ad Philip. III, 10 et 11 : *Configuratus morti ejus, si quomodo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.* Ad Roman. VI, 5 : *Complantati facti sumus similitudini mortis ejus.* Quando enim vitia et animalem vitam in nobis exstinguimus jejuniis et abstinentiis delectabilium, spe gloriæ resurrectionis, tunc cruci Christi configumur. Ad Galat. VI, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini* Jesu *in corpore meo porto.* Ad Galat. II, 19 : *Christo confixus sum cruci.* Ad Galat. V, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Qui enim sic crucifixus est, nihil carnaliter diligit. II ad Corinth. V, 16 : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* In his talibus totus carnis affectus exstinctus est, et vivit spiritus in Deo, et spiritualis affectus.

Tollere autem crucem, est exaltare in se Christi passionem ab omnibus terrenis, et omnia trahere ad spiritualem affectum. Joan. XII, 32 : *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Hoc enim non Christus fecit in se solum, sed quotidie facit in membris. Psal. XX, 14 : *Exaltare, Domine, in virvirtute tua,* hoc est, in virtute crucis, in qua vicisti peccatum, et diabolum, et carnem, et mundum. Sic, Numer. XXI, 9, Moyses fecit serpentem æneum, et erexit eum in palo : et qui adspexit eum, salvabatur a morsibus venenatorum. Serpens enim æneus figuram habet serpentis, et non venenum. Et hæc est prudentia spiritus, erecta et exaltata in palo crucis, sanans a venenato morsu prudentiæ animalis, quæ est diabolica. Qui enim adspicit ad spiritum exaltatum, non curat, et excludit venena reptilium, quæ ventre et pectore repunt ad delectabilia terrenorum, Genes. III, 14, secundum Septuaginta, pectore et ventre repet in cogitatione turpitudinis, et pollutione carnalis delectationis. Joan. III, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis,* scilicet in se, et in membris.

Secundum autem est, crucem bajulare, hoc est, portare : non quidem in angaria, sicut Simon Cyrenæus [1] : neque in supplicium tantum, sicut fecit latro reprobatus : sed sicut in gaudio et profectu continuo fecit Christus. Joan. XIX, 17 : *Bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha.* In exitu enim profectus significatur continuus : in bajulatione autem gaudium.

De effectu crucis, qui est redemptio et gloria consequens redemptionem, ad Hebr. XII, 2 : *Adspicientes in auctorem fidei et consummatorem,* JESUM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta : atque in dextera sedis Dei sedet.* Sic, Exod. XII, et seq., filii Israel sub signo sanguinis profecti sunt de Ægypto, ad terram tendentes promissionis. Sic dicit Apostolus, ad Hebr. XIII, 12 et 13 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

Crucem autem debemus bajulare, ut toti in ea simus distenti, ut totæ extremitates sint expassæ, ut manibus et pedibus sumus confossi, ut latere aperto simus lanceati, ut ab omnibus hujus mundi rebus simus denudati, ut toto capite spinosi, ut toto gustu fellea simus amaritudine infusi, nihil gloriæ habentes nisi in solo titulo crucis.

Est autem crucis distensio, nostri ad Christum secundum virtutem extensio. Psal. XXI, 18 : *Dinumeraverunt omnia ossa mea,* hoc est, nimia distensione dinumerabilia fecerunt. Et hoc fit, quando nos sic ad Deum distendimus, ut omnia nostra in nobis dinumerentur, quasi unum membrum solum a compage alterius præ altero festinet ad Christum. Daniel. X, 16 : *Domine mi, in visione tua solutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium :* quia totum ad te est distensum et extentum.

Expassis autem extremitatibus sumus, in amplitudine charitatis omnes amplexantes. Isa. LXV, 2 : *Expandi manus meas tota die.* Psal. CLX, 2 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sacrificium autem in ultima vespera in fine mundi oblatum, est Christus in cruce. Sic expandit se Propheta, magnus in opere et sermone, super puerum mortuum, et reviviscit, hoc est, super spiritum [2].

Confossi autem manibus et pedibus sumus, per fossuram operum et affectuum, per verbum nos cruci affigens, et immobiliter in ea retinens. Eccle. XII, 11 : *Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum,* sive profundum, *defixi.* Isa. XLI, 7 : *Confortavit eum clavis, ut non moveretur.* Habacuc, III, 4 et 5 : *Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus. Ante faciem ejus ibit mors : et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Et ut dicit Beda : Figura grammaticæ est in constructione, quam Græci dicunt hypallage. Et est sensus : Manus ejus, scilicet Christi et membrorum, sunt in cornibus crucis, videlicet affixæ. Et ibi absconditur omnis fortitudo hominis, ut Dei virtus appareat. Et ideo virtute divina ante faciem sic in cruce confixi, vadit mors et stimulus mortis peccatum. Et ante pedes sic stantis, egreditur et conteritur diabolus.

Sic latere lanceati, et vulnerati per charitatem Dei, stamus exhibiti, dicentes illud Canticorum, V, 7 : *Invenerunt me custodes..., et vulneraverunt me.* Et illud Canticorum, V, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo.* Ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* Eo quod transverberavit nos gladius, quem in corpore sensit Christus in animæ intimis : sicut dicitur, Luc. II, 35 : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Et illud Job, XVI, 14 et 15 : *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos,...*

[1] Cf. Luc. XXIII, 26.

[2] Cf. IV Regum, IV, 34 et 35.

et concidit me vulnere super vulnus.

Ab hujus mundi etiam omni vestitu sumus denudati : ita quod de suo nihil inveniat in nobis mundus, dicentibus cum beato Job, I, 21 : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Cum nuda veritate nudi pendentes. Nihil palliationis vel dolositatis habentes (quæ sunt mundi vestimenta) vel etiam excusationis in peccatis, quæ sunt perizomata, quæ sibi primi peccantes adhibuerunt [1]. Isa. XX, 3 : *Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus et discalceatus* (qui est figura Christi), ita nudi cum Christo pendeamus in cruce.

Toto autem capite spinis sumus hirsuti, quando a nostra mente, quæ caput est animæ, numquam recedit asperitas passionum, et spinarum Christi, cujus nos causam dedimus per peccatum. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.* Et sequitur, ℣. 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Isti enim sunt aculei spinarum, in quos supernum per passionem cecidit Verbum, et quoad vitam naturalem in cruce suffocatum. Sic implemus quod dicitur, Cantic. III, 11 : *Egredimini,* scilicet mente et contemplatione, *et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua,* scilicet Synagoga. Sic, Genes. III, 18, terra quam operati sumus, spinas et tribulos germinavit Christo. Sic, ad Galat. III, 1: *Ante nostros oculos Jesus Christus præscriptus est, in nobis crucifixus,* hoc est, in causa nostra.

Toto autem gustu felliti sumus in amaritudine animæ nostræ, recogitantes qualiter Christum sitientem salutem nostram aceto et felle potavimus nostrorum peccatorum. Deuter. XXXII, 32 et 33 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi: fel draconum vinum eorum.* Nihil autem habemus gloriæ nisi in titulo crucis, si scilicet cum Jesu participes sumus salutis, si cum Nazareno floreamus flore virtutis, in spe fructificandæ beatitudinis, et odore optimæ famæ laudabilis, et pulchritudine honestæ conversationis. Si cum Rege regum regnum adipiscamur justitiæ decoris. Si cum spiritualibus Judæis (qui in spiritu, non in littera sunt) confessionem habemus veritatis, et divinæ laudis. Joan. XIX, 19 : *Scripsit autem titulum et Pilatus : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.* Ideo dicitur, ad Galat. VI, 14 : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

Hanc autem crucem quilibet debet facere « *suam,* » ut ad mensuram virium suarum : quia qui plus potest, debet portare gravius : et qui minus potest, debet portare minus : ita tamen quod quilibet portet. Matth. XVI, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Est etiam alio modo « *sua,* » hoc est, sibi debita. Et tunc iterum crux est inæqualis : quia unus plus debet quam alter, secundum quod plus et minus peccavit. Cantic. I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur.* Fasciculus enim est inter ubera, quando ad proportionem debitam peccatis, amaritudo Christi portatur.

Est tertio modo unicuique tollenda crux sua, quando secundum congruitatem personæ commensuratur. Magis enim de cruce debet apparere in Vicario Christi quam in aliis : et magis in Patriarchis et Episcopis quam in aliis : et magis in Prælatis quam in subditis, secundum quod Christi locum tenent majorem vel minorem. Numer. XXV, 4 : *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.* Nisi enim in cruce sua sit princeps populi, non avertetur furor Domini. Sic ergo quilibet suspensus sit, ut dicat illud Job, VII, 15 : *Elegit sus-*

[1] Cf. Genes. III, 7.

pendium anima mea, et mortem ossa mea : ut quidquid roboris est in homine ad peccatum, moriatur. Sic enim id quod consequens est habebimus, hoc est, communicationes Christi passionum. I Petr. IV, 13 : *Communicantes Christi passionibus, gaudete : ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis, exsultantes.* Sic enim communicatione passionum intramus cum Christo in regnum. Luc. XXIV, 26 : *Hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.* Sic, Ezechiel. IX, 4, signatur *thau super frontes virorum gementium et dolentium*, ut liberentur a percussore. Sic clamatur in Apocalypsi, VII, 3 : *Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Ideo dicit Petrus in epist. I, IV, 1 et 2 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini : quia qui passus est in carne, desiit a peccatis : ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.* Ad Coloss. III, 3 : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

« Et venit post me. »

Hoc est imitationis, et consecutionis. Venire enim, est motus perfectionis ad Christum. Post Christum autem venire, est humiliari ab ipso, et eum imitari.

Notantur igitur in hoc quinque. Venitur enim post Christum, sicut post exemplar. Venitur post ipsum, sicut post ducem. Venitur post ipsum, quia non possumus usque ad ipsum : et ideo humiliati sequimur ipsum. Venitur post ipsum, imitando ipsum. Venitur post ipsum, consequendo ipsum, et gloriam ipsius.

De primo quidem dicitur, Joan. XIII, 15 : *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Ad Hebr. VIII, 5 : *Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Hoc idem dicitur, Exod. XXV, 40. Ita voluit imitari nos Christum qui dixit, ad Hebr. XII, 3 et 4 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.*

De sequela ducis dicitur, Michææ, II, 13 : *Ipse ascendet, pandens iter ante eos.* Deuter. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo deus alienus.* Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Isa. LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.*

De humilitate autem sequendi eum, quia non possumus usque ad ipsum. Daniel. III, 41 et 42 : *Et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te,... ne confundas nos.* Hoc signatum est in Principe Apostolorum perfectissimo, de quo dicitur, Matth. XXVI, 58 : *Petrus autem sequebatur eum a longe*, quia comitari nemo potest eum, qui omnes præcedit. Psal. XVIII, 6 et 7 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cælo egressio ejus.* Prope etiam sequi, non est qui possit. Job, XXXVI, 25 : *Omnes homines vident eum : unusquisque intuetur procul.* Sequuntur ergo a longe utcumque vestigia ejus. Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.*

De quarto autem quod est sequi ipsum imitando ipsum, dicitur, Jerem. II, 2 : *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam,...quando secuta es me in deserto.* Sic, Joan. XXI, 19, dixit Dominus Petro : *Sequere me.* Matth. IV, 19 : *Venite post me.*

De quinto autem modo consecutionis præmii et gloriæ cum ipso, Matth. XIX, 27 et seq. : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me,... centuplum accipietis, et vitam æternam pos-*

sidebitis. Osee, VI, 3: *Sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum.* Isti ergo intrant in gaudium cum Christo.

Et hoc est quod dicit: « *Et venit post me.* »

« Non potest meus esse discipulus. »

Quomodo efficeretur enim discipulus ejus, quem in doctrina non imitaretur? In quatuor: in forma scilicet vivendi, dicit Apostolus, ad Philip. III, 17: *Ambulate sicut habetis formam nostram.* II ad Corinth. VII, 2: *Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus,* hoc est, habete formam vitæ nostræ.

In forma autem doctrinæ: ut eadem doceat, quæ magister docet. I ad Corinth. I, 10: *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* I ad Corinth. XI, 23: *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Ezechiel, II, 7: *Loqueris verba mea ad eos.* Job, XXIX, 22: *Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum.*

De modo probationis, qui est per exemplum, ad Roman. XV, 18: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.* Ideo dicitur *testimonium,* quia per facta *testificatur.* Psal. XCII, 5: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ad Hebr. II, 3 et 4: *Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Psal. CXVIII, 129: *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.*

In forma etiam permissionum magistri, oportet discipulum conformari magistro: quia aliter doctrina finem non haberet. Promittit enim omnis artifex finem doctrinæ suæ congruentem: sicut magister morum promittit perfectionem felicitatis, et doctor fidei promittit beatitudinem patriæ: sicut Christus dicit, Joan. XII, 26: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Ideo dicit discipulis Christus, ibidem: *Et ubi ego sum, illic et minister meus erit,* hoc est, in beatitudine Patris. Ibi enim eritis perfecti, et non ante: ubi omnia videbitis in facie Dei. Tunc enim experiemur quod dicit Christus, Matth. XXIII, 8: *Unus est enim Magister vester,* qui est in cœlis. Istum autem discipulatum non consequitur, nisi qui in cruce sequitur Christum.

Et hoc est quod dicit: « *Non potest meus esse discipulus.* »

« Quis enim ex vobis volens turrim **28**
ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.

Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, **29**
omnes qui vident, incipiant illudere ei,

Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare. » **30**

Hic ostendit donum perseverantiæ, quod est ultimum istius doctrinæ.

Dicit autem tria hic: qualiter scilicet vires proportionandæ sunt ad perseverantiam: secundo, qualiter aliquis se debet præparare ad perseverandum: et tertio, quam inutiles sunt qui non perseverant.

Ad primum inducit duo exempla: quorum primum est de turris ædificatione in proportione ad sumptus: secundum autem est de volente committere bellum cum rege aliquo, et proportione virium ad occurrendum.

Circa primum dicit quatuor: de proposito scilicet volentis ædificare turrim, de computatione expensarum, de provisione perfectionis ædificii, de timore illusionis si non posset consummare quod incepit.

De primo igitur dicit tria: propositum

ædificantis, magnitudinem ædificii, et diligentiam, et fortitudinem operis.

De primo horum dicit : « *Quis enim ex vobis* », Quasi dicat : Ratus. Glossa autem illud legit remissive sic : « *Quis ex vobis*, hoc est, aliquis ex vobis : quia non omnis hominis est ista perfectio. » Cum enim duas similitudines inducat hic Dominus, unam inducit secundum altitudinem contemplationis, alteram autem inducit secundum perfectionem actionis. Et de turri quidem inducit secundum contemplationis perfectionem.

De proposito igitur talis ædificii dicit : « *Quis*, » hoc est, aliquis, « *volens*, » hoc est, proponens, « *ædificare.* » Hoc ipsum enim bonum est proponere erigere ædificium spirituale. III Reg. VIII, 18 : *Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.* Propositum enim boni conducit ad boni operis inceptionem. II Reg. VII, 3 : *Omne quod est in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum est.* Sicut enim dictum est in Psalmo LXXV, 11 : *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Cogitatio enim Domini inchoat bonum : sed propositum ordinat, et opus incipit, et perficit usque in finem.

« Turrim. »

Ecce ædificii sublimitas. Est autem turris Domini multiplex : est enim turris David, et turris eburnea, et turris Libani, et turris uberum sponsæ, et turris gregis nebulosa, et turris Hananeel, et turris fortissima nominis Domini.

Turris quidem David manu fortis et adspectu desiderabilis, est turris studii sacræ Scripturæ : in quam ascendere debet vir sanctus, ad videndum adspectu desiderabilem : de qua dicitur, Cantic. IV, 4 : *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Et hoc est studium, vel meditatio sacrarum Scripturarum : ex qua pendent clypei insigniti signis Angelorum per revelationes : et armatura fortium, hoc est, gesta et virtutes Patrum, qui fortia pro Deo fecerunt.

Turris autem eburnea est, de qua dicitur, Cantic. VII, 4 : *Collum tuum sicut turris eburnea.* Collum enim, sicut sæpe diximus, continuatio est capitis cum corpore : et significat mentem humanam, quæ nos capiti Christo continuat, quæ debet esse castitatis eburneæ, ut non adulteretur per phantasias, vel rationes hæreticas, sed castam concipiat fidem.

Turris autem Libani est de qua dicitur, Cantic. VII, 4: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Nasus enim per odorem habet vim discretivam convenientis ab inconvenienti ; et significat mentis vim, quæ convenientem veritatem divinam ab inconvenienti mundana veritate discernit, et illam recipit, hanc autem aspernatur. Cantic. IV, 11 : *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, hoc est, divini cultus et devotionis. Hæc respicit contra Damascum, hoc est, contra peccatum sanguinis : quia omne quod est ex carne et sanguine fœtet in conspectu ipsius. Unde, Cantic. IV, 14 : *Nardus et crocus, fistula et cinnamomum, cum universis lignis Libani.* In quo monte semper est odor thuris.

Turris autem uberum est turris lactationis, qua contemplans id quod haurit contemplando, profundit : uno quidem ubere, lac candidæ veritatis : alio autem ubere consolationis, lac dulcissimæ delectationis et jucunditatis spiritualis : et de hac dicitur, Cantic. VIII, 10 : *Ubera mea sicut turris.* In ubere enim doctrinæ ascendit ignorans contra falsitatem et vanitatem. In ubere autem consolationi ascendit dejectus et desperans contra tristitiam et desperationem.

Turris autem gregis, est turris custodiæ pastoralis commissæ. De qua dicitur, Mich. IV, 8 : *Tu turris gregis nebulosa, filia Sion, usque ad te veniet.* Nebulosa enim est hæc turris propter mul-

tas angustias custodiendi gregis. Tamen usque ad hanc turrim veniet Dominus in potestate sua principali : quia ipse est pastor bonus, qui posuit animam suam pro ovibus suis, et pro quo grege mori dignatus est.

Turris autem Hananeel est turris familiaritatis divinæ in devotione, et secreto conscientiæ : quia Hananeel *gratus Deo* interpretatur. Zachar. XIV, 10 et 11 : *A turre Hananeel usque ad torcularia regis : et habitabunt in ea, et anathema non erit amplius.* Habitatio enim boni viri et grati Deo pertingit ab elevatione turrita contemplationis et familiaritatis divinæ usque ad torcularia regis, hoc est, usque ad expressionem regalium et divinorum gaudiorum, quæ in secreto mentis præstat Deus. Unde alia interpretatione Hananeel, *cui dedit Deus,* interpretatur. In his enim mens boni viri inhabitat, quatenus agendo in exterioribus, anathema non incurrat.

Turris autem fortissima est turris spei nominis Domini, de qua dicitur, Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Psal. LX, 7 : *Esto nobis, Domine turris fortitudinis a facie inimici.*

De omnibus his turribus dicitur in Psalmo CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

Hujusmodi turrim præsidii ædificavit Dominus in vinea sua. Isa. V, 2 : *Ædificavit turrim Dominus in medio ejus.* Ista est ergo ædificii sublimitas, quam omnis bonus homo in virtute contemplationis vult et debet ædificare. Et de hac ædificatione dicitur, ad Ephes. II, 20 et seq. : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Ad hoc enim ædificium diligentia magna exigitur : ut super fundamentum forte (quod est fides Christi) excelsi parietes et fortes erigantur per spem, et tectum decentissimum (quod defendat totum ædificium) altissimæ charitatis erigatur.

Et ideo subdit de hujusmodi structura, dicens :

« Non prius sedens, etc. »

Dicit autem tria : diligentiam scilicet supputantis expensas necessarias, et ipsam supputationem, et causam tam diligentis supputationis.

Diligentiam autem supputantis describit per tria : per præmeditationem difficultatis operis, per quietem mentis ne a computatione impediatur, et per ipsam computationis rationem.

De dispositione supputantis, dicit : « *Non prius,* » prævenientes difficultatem, et magnitudinem, et ordinem, et materiam operis diligenti consideratione : sicut dicitur in Psalmo CXVIII, 59 : *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua,* hoc est, primo cogitavi qualiter converterem, et tunc rationabiliter converti. Psal. LXXVI, 7 : *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Omnem enim nostrum actum difficilem debet prævenire consideratio, juxta consilium Sapientis qui dicit, Eccli. XXXII, 24 : *Sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Unde et David ante opus ædificii præparavit expensas Salomoni, cum templum ædificare instituerat[1].

Difficile est enim ædificium divinum, quia est circa virtutem : et magnum, quia est circa honestum : et in materia pretiosissimum, quia est circa gratiarum optimum : et ordo sapientiam requirit, quia est ad ordinem cœlestium, quæ occulta sunt homini nisi revelentur. Unde,

[1] Cf. I Paralip. XXIX, 2.

II Paralip. II, 5 et 6 : *Domus quam ædificare cupio, magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos. Quis ergo poterit prævalere ut ædificet ei dignam domum ?* In hoc autem quod dicit *magnam* esse, notat ædificii magnitudinem. In hoc autem quod dicit : *Quis poterit prævalere*, etc., notat operis difficultatem. Ordinem autem habet, descendentem de cœlo. Apocal. XXI, 2 : *Vidi sanctam civitatem,... descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo,* quem etiam regina Saba mirabatur[1]. Materiæ autem pretiositas describitur, Isa. LIV, 11 et 12 : *Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Fundatur enim in cœlesti conversatione et intentione. Propugnacula pinnarum accipit in virore fidei operantis per dilectionem in omnibus mandatis. Portarum introitus sculptos habet lapides, qui *chamahu* vulgariter dicuntur : in quibus, qualiter introivit JESUS, et Sancti ejus, est insculptum. Omnes autem termini, angulariter parietes continentes, habent lapides desiderabiles. Hinc quidem virtutes Patriarcharum, et inde Prophetarum, in alio latere Apostolorum, et in quarto Martyrum, et in medio aliorum beatorum soliditates disponuntur.

Et sic turris erigitur.

Igitur sic præmeditatur,

« Sedens, »

Hoc est, quiescens magis a strepitu cordis quam corporis. Exagitatus enim passionibus iræ, ambitionis, acediæ, sive tristitiæ, et invidiis et cupiditatibus, et illecebris gulæ, et scatebris libidinum, numquam prævalet vacare ad hujus ædificii consummationem : sed anima ejus inquieta fertur ut meretrix, de qua dicitur, Proverb. VII, 10 et seq., quod est *garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* Contra quod dicitur, Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et Aristoteles in VII *Physicorum :* « In sedendo et quiescendo fit anima sciens et prudens. » Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se.*

« Computat »

Actu rationis, « *sumptus* » virtutum, « *qui necessarii sunt* » ad ædificium, « *si habeat* » in facultatibus suis « *ad perficiendum* » tantum et tam excellens ædificium. Et ex hoc accipitur, quod peccant qui pueros, et puellas, annos perfectæ discretionis non habentes, sed adhuc sub tutoribus degentes, inducunt ad promittendum et vovendum magna, quæ postea solvere non possunt. Propter quod etiam Apostolus, qui virgo fuit, votum virginitatis nulli imponere voluit, sed beatitudinem cœlibatus prædicavit, relinquens unicuique ut secundum proprium ageret consilium et deliberationem[2]. Sed, I ad Timoth. V, 14, plus dicit : *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Turrim enim altitudinis ædificare, non est nisi sumptus virtutum habentium ad consummationem. Dicit autem quædam Glossa, quod homo computat, quando merita vel virtutes de quibus sibi conscius est, ponderat. Sicut dicitur, Marc. V, 30, et Luc. VIII, 46 : *Ego novi virtutem de me exiisse.* Si enim sic ad operandum virtus de aliquo egreditur, ille sumptus habet virtutum : sicut et Paulus, II ad Corinth. XI, 23 et seq., suas enumerat virtutes et experientias in tribulationibns, in quibus numquam cessit.

[1] Cf. III Reg. X, 5.

[2] Cf. I ad Corinth. VII, 25.

Eccli. XLIV, 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis.*

Aliter enim (sicut dicit Glossa) ædificatur ædificium spirituale, et aliter corporale. Corporale enim ædificatur congregando divitias corporales, et dispergendo spirituales. Spirituale autem ædificatur dispergendo corporales, et congregando spirituales. Et ideo in fine hujus doctrinæ Dominus concludit, quod *omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*[1]. Quod non omnium est, sed perfectorum. Et ideo bene computandum est ante, si vires et virtutes suppetant ad tantum ædificium. I Paralip. XXIX, 1 et 2 : *Opus grande est : neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei.* Ubi autem tantus Rex, tam eximius Propheta, tantus Miles, tam strenuus Pugil, qui et leonem et ursum et gigantem stravit, omnes vires suas expendit ad sumptus congregandos : non sine magna deliberatione est assumendum a minoribus, debilibus, et pauperibus hominibus.

Dicit autem periculum, quod aliter facienti sæpe evenire solet, ut cautos nos reddat :

« Ne, posteaquam posuerit fundamentum, etc. »

In hoc autem paragrapho tria innuit : inconsideratam scilicet operis inchoationem, generalem omnium irrisionem, et irridentium confusibilem improperationem.

De primo dicit : « *Ne posteaquam posuerit fundamentum.* » Fundamentum autem est inconsiderata magni operis inchoatio : sicut emissio voti, vel solemnizatio voti ad modum vitæ arduæ et difficilis, quæ fundatur supra vitam inexpertam, passionibus adhuc, et tentationibus periculosis subjacentem. Fundamentum enim, quod fundatur super inexpertam vitam, ponitur super arenam : de quo dicitur, Matth. VII, 26 et 27 : *Similis est viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.*

« Et non potuerit perficere. »

Facile enim est incipere. Parvis enim expensis, et parvis laboribus incipitur opus. Sed perficere est difficile, et magnis expensis opus vix consummatur. Et ideo dicitur, Eccli. XVIII, 20 : *Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Ab altera parte, si habet expensas, et non audet incipere, pusillanimis reputatur. Proverb. XXIV, 12 : *Si dixeris : Vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intelligit, et servatorem animæ tuæ nihil fallit.*

« Omnes qui vident, incipiant illudere ei. »

Psal. XXI, 8 : *Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Isti enim sunt inimici humani generis, qui quandoque ad hoc suadent vitæ excellentis propositum, ut profundius præcipitent in barathrum. Psal. XXXVII, 17 : *Dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.*

Et in figura hujus, sermonem non intellectum, et secundum suam erroneam opinionem inceptum, et non perfectum deriserunt, dicentes, Matth. XXVII, 40 et seq. : *Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas... Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei .... Dixit enim : Quia Filius Dei sum.*

[1] Infra, §, 33.

« Dicentes : Quia hic homo. »

Hic incepit, ac si esset Deus, non cogitans se esse hominem, et infirmum, et imperfectum : et ideo dicere debuit Deo illud Psalmi CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Et illud Sapientiæ, IX, 14 : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Et illud Apostoli, II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et illud Job, IV, 18 et 19 : *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit parvitatem : quanto magis hi qui habitant domos luteas*, etc.

« *Cœpit ædificare.* » Matth. X, 22, non qui cœperit, sed qui perfecerit, *et perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

« Et non potuit consummare. »

Dicunt enim illud Nehemiæ, IV, 2 : *Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?* Et infra, ℣. 3 : *Ædificent : si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.* Ita dicunt irridentes, id est, quod habemus votorum stultorum persuasores : quia de acervis pulveris combusti per ignem consuetæ concupiscentiæ, non poterimus ædificare. Et si aliquid ædificaverimus, vulpes dæmoniacæ astutiæ transilient murum imperfectum, quem in soliditate novitia ædificavimus, et demolientur ædificium. Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.*

31 « Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

Alioquin adhuc illo longe agente, 32
legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. »

Secunda est similitudo, quam inducit de perfectione actionis : in qua homo per exercitium virtutum acquisitarum ad bellum venit regnum Dei violenter capere. Sicut dicit Dominus, Matth. XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Dicit autem tria : primo quidem factum, in quo similitudo attenditur : secundo autem, diligentiam præmeditationis, et computationis virium et expensarum : tertio autem, astutiam infirmioris, declinantis fortitudinem adversarii per tractatum pacis.

Circa primum dicit tria : dispositionem ad bellum procedentis, modum belli, et fortitudinem adversarii.

De primo dicit : « *Quis,* » hoc est, aliquis, « *rex.* » Et non ideo interrogative, sed remissive, legendum est : « *Rex.* » Dispositio est ejus qui ad bellum procedit. Si enim non sit rex, non debet ad bellum procedere, sed alium sequi in bello. Rex autem est, qui se et alios regere prævalet ex regimine rationis. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.*

Non autem est omnis regis ad bellum procedere : et ideo dicit : « *Quis,* » hoc est, aliquis, « *rex,* » quia tales pauci sunt, qui viribus et expensis sufficiant. Job, XXIII, 6 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.* Job, IX, 2 et 3 : *Non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

« Iturus committere bellum. »

Ecce modus belli. Cujus modus est, ut homo semper in bello proficiat. Et sic vadat in bello (quod est magnarum virium) et semper in bello sit fortior, et

non debilitetur. Sicut dicitur, ad Hebr. XI, 34 et 35 : *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Perpaucorum enim est, eos etiam qui in bello moriuntur, fortiores iterato ad bellum resurgere : sicut quidam faciunt in bello Domini, qui aliquando cadentes vulnerati, iterum per pœnitentiam resurgunt fortiores. Tales sunt perpauci, viri summi Salomonis, qui lectulum ejus ambiunt, omnes tenentes gladios virtutum, et ad bella doctissimi. Talis fuit et Josue, qui sic ad bella agenda paratus fuit in senectute ultima, sicut in robore suæ juventutis. Sed non omnium est hoc verbum. Multi enim debilitantur ex senectute : sicut Asa, qui in senectute doluit pedes, et mortuus in unguentis meretriciis, qui in juventute multa bella Domini laudabiliter peregit [1]. Multi etiam vulneribus hostium debilitantur, sicut Ochozias, filius Athaliæ, et multi alii. Confortantur autem in bello perpauci, sicut dictum est, Josue, I, 18 : *Confortare, et viriliter age.*

« Adversus alium regem, »

Hoc est, adversum Regem regum Dominum. Quilibet enim, qui violentia suarum virtutum nititur capere regnum Dei (sicut diximus) vadit committere bellum adversus Regem cœlorum. Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.* II ad Timoth. II, 5 : *Qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.* I ad Corinth. IX, 25 : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Tunc autem hoc bellum committere vadit, qui meritis suis se capere regnum Dei præsumit.

« *Adversus alium regem,* » scilicet Christum, de quo dicitur, Isa. XXXIII, 22 : *Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Hoc modo bellum committere voluit, qui dixit, Jerem. XII, 1 : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum : verumtamen justa loquar ad te.* Sic bellum inivit cum Deo Jacob, Osee, 3 et 4 : *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum.* Genes. XXXII, 26 : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et infra, ℣℣. 28 et 29 : *Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel : quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis !... Et benedixit ei in eodem loco.* Isti ergo sunt, qui ad piæ disputationis bellum cum Deo procedunt : contra diabolum cum duabus manibus, utraque pro dextera utentes, pugnant cum judice qui defendit Israel [2].

« Non sedens prius cogitat, etc. »

Hic describit, sicut prius, dispositionem sapienter committere bellum intendentis. Et describit, quid sapienter præmeditatur.

Dispositionem autem sapientis describit, sicut superius, a tribus : a meditatione opus præveniente, et ab ipsa meditantis quiete ne a meditatione impediatur, et ab ipsa meditatione.

A præveniente quidem meditatione : quia dicitur, Proverb. XXIV, 5 et 6 : *Vir sapiens, fortis est : et vir doctus, robustus et validus. Quia cum dispositione initur bellum : et erit salus ubi multa consilia sunt.*

« *Sedens,* » ut quiescens, a præmeditatione non impediatur. Psal. CXLII, 5 : *In factis manuum tuarum meditabar.*

Et præmittit : *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis :* quia magna in talibus opus est deliberatione de exemplis Dei et sanctorum. Bellum enim Dei magnum est : sicut dicitur, Job, XL, 27 : *Memento belli, nec ultra addas loqui.*

[1] Cf. III Regum, XV, 23.

[2] Cf. Judicum, III, 21.

« Cogitat. »

Ecce computatio viribus proportionata. « *Si possit cum decem millibus occurrere.* » Decem millia habet, qui perfectionem decalogi ducit in quadrangulum virtutum cardinalium : quia decem millia faciunt quadrangulum, et non quadratum. Si ergo præcepta in se ducantur, ut cum gratia omnia impleantur, quæ natura et lex præcipiebat : et iterum in quatuor virtutes ducantur, ut omnia recte, fortiter, modeste, et prudenter impleantur : tunc cum decem millibus supputatis in mente militibus, Deo occurrimus : quia opera quæ præcipit decem in perfectione naturæ, ad centenarium reducimus. Et hunc centenarium in perfectione gratiæ et sermonis Dei, in millenarium producimus. Et hunc millenarium in quadrangulum virtutum cardinalium quadriformiter extendimus. Decem enim mandata Dei in utraque tabula. Decem autem sunt in homine, in quæ mandata ista sunt multiplicanda. Unum quidem est simplicitas fidei : secundum autem, cordis sinceritas : tertium autem, delectatio Dei : quartum autem, innocentia proximi : quintum autem, benevolentia similitudinis Dei apud omnes : sextum autem, voluntas proficiendi proximo : septimum, castitas apud semetipsum : octavum autem, veritas sermonis ad omnes : nonum vero, communicatio sui ad omnes : et decimum, munditia cordis et corporis in omnibus. In omnibus enim istis decem, omnia mandata Dei sigillatim multiplicanda sunt : et tunc centum perficiuntur ex decem. Si autem ista centum iterata, sigillatim in rectum decies, et in forte decies, et in prudens decies, et in modestum decies multiplicavero, hæc in mille pro quolibet multiplicabo, quæ sunt quatuor millia : quibus quatuor millibus si perfectionem operum (quæ in sex continetur) addidero, decem millia militum instruo, quibus cum Deo ad bellum, quo regnum suum obtineam, procedo. Sic enim dicitur, Matth. XVIII, 23 et 24, quod Dominus posuit rationem cum servis suis. *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.*

« Ei qui cum viginti millibus venit. »

Dominus enim ad nos venit duplicato numero. Quia et nostra sua sunt et propria affert, in quibus partem non habemus. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Et ideo, Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Iterum duplicato numero venit ad nos, quia omnia fecit ex charitate Patris, et in charitate hominis, et nihil debuit. Nos autem omnia debemus, et non ita ex charitate Dei et proximi, sicut ex debito facimus. Luc. XVII, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.*

Et ideo non restat consilium, nisi quod subjungit :

« Alioquin adhuc illo, »

Rege nostro adversario in hac commissione belli, « *longe agente,* » per dissimulationem judicii : quando adhuc scilicet sani et juvenes sumus. Eccli. XVII, 27 : *Vivus et sanus confiteberis.* Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Sic enim implemus consilium Salomonis, Proverb. IV, 25 : *Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Nos enim non possumus ostendere nisi perfectionem operum, ut diximus. Ille autem forte etiam requiret perfectionem intentionum. Et sic geminat super nos viginti millia. Vel forte cum nos opponimus facta, ille proponet facta et passiones quas sustinuit : et sic numerum contra nos militantium duplicabit. Et ideo optimum consilium est, quod illo

sicut patientissimo adhuc longe agente per dilationem vindictæ. Sapient. XII, 19: *Bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.*

« Legationem mittens, »

Orationum scilicet, et lacrymarum, et intercessionis suffragii Sanctorum. Genes. XXXII, 5 : *Mitto nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.*

« *Rogat ea,* » per legatos, « *quæ pacis sunt.* » Psal. CXXI, 6 : *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem.* Isa. XXVI, 12 : *Domine, dabis pacem nobis :* pacem, quia in te speravimus. Hoc autem fit misericordia superexaltante judicium, et nostros defectus ex suo munere et gratia supplente, et dicente Filio Dei pro nobis illud Genesis, XXXI, 39 : *Ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas.* Nobis autem dicentibus illud Michææ, VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino?* Et illud Genesis, XLIV, 16 : *Quid respondebimus domino meo? vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere ?*

Sic ergo duplex similitudo ostendit meditandum esse sapienter, tam de via contemplationis quam de via actionis, in qua homo usque in finem valeat perseverare. Et ideo dicitur, I Petr. IV, 12 : *Nolite peregrinari in fervore,* scilicet spiritus, *qui ad tentationem vobis sit.* I Joan. IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* In talibus enim verum est quod dicit Dominus, Matth. XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et in talibus quantum ad votum perpetuæ continentiæ dicit Apostolus, I ad Corinth. VII, 9 : *Melius est nubere quam uri.* II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Hoc est igitur quod per istas similitudines adstruere intendit.

Qualiter autem sine impedimento efficiamur discipuli, et perseverare possimus, et turrim ædificantes, et summo regi occurrentes, consequenter ostendit, cum dicit :

« Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. » 33

Et est conclusio ex inductis conclusa : similiter generaliter, et congruenter.

Dicit igitur : « *Sic ergo.* » Similiter, cum sine Christo aliquid diligatur, tunc perfecti sumptus virtutum non habentur. Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.* Si enim juxta similitudinem inductam verba ista accipiantur, tunc turrim non ædificat, nec Regi magno occurrere poterit, qui omnia non relinquit. Turrim enim ædificare est fastigium perfectionis construere. Sumptus præparare, est virtutes pretiosissimas congregare. Legatos mittere, est suffragia meritorum optimorum coram Deo proponere, et intercedentes Sanctos qui de bonis dispersis refecti sunt præmittere. Pacem quærere, est reconciliationem ad Deum obtinere. Et hæc omnia faciunt discipulum Christi esse.

« *Sic ergo omnis ex vobis,* » qui me sequi cupitis, « *qui non renuntiat.* » Beda hic distinguit inter *renuntiare*, et *relinquere.* Dicit ergo quod *renuntiare* convenit eis qui ita licite utuntur mundanis quæ possident : ut tamen mente tendant ad æterna. *Relinquere* autem est tantummodo perfectorum, quia omnia temporalia postponunt, et solis æternis inhiant. Et hæc Glossa multum est contra eos qui dicunt omnia non esse relinquenda.

« *Omnibus quæ possidet.* » Et etiam affectum possidendi ea quæ habere posset. Unde Gregorius : « Multum reliquit, « qui affectum ad ea quæ habere posset

« dimisit. » Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Matth. IV, 20 : *Continuo relictis retibus, secuti sunt eum.* Nudum enim Christum (qui *exsultavit ut gigas ad currendam viam* [1]) oneratus sequi non poterit. Et ideo volens insequi et consequi Christum, non ad insipientiam omnia sua derelinquit Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram.* Ad Philip. III, 7 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.*

« Non potest meus esse discipulus. »

Causa autem est quæ dicitur, Matth. VI, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* Et, ibidem. ℣. 24 : *Non potestis Deo servire et mammonæ,* quod syriaca lingua divitias sonat. Et ideo discipulum Christi qui Christo servire intendit, divitiis renuntiare convenit. Sicut enim jam ante diximus, duobus intendere non possumus : discipulum autem oportet intendere suo magistro.

34 « Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur ?

35 Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat. »

Hic ultimo ostendit periculum eorum qui incipiunt Christi discipulatum, et non perseverant usque in finem.

Dicit autem tria : salis utilitatem, salis infatuationem, et infatuati salis abjectionem.

De salis utilitate dicit : « *Bonum,* » hoc est, utile « *est sal.* » Supra [2], Matth. V, 13, notavimus salis proprietatem, et ad Apostolicam gratiam adaptationem. Sal enim condimentum est ciborum sicut doctrina discipulorum, et exemplum condimentum est morum. Job, VI, 6 : *Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum ?* Nullus enim mos hominum sapidus est, qui gratia Apostolica Christi non est conditus. Marc. IX, 49 : *Bonum est sal.... Habete in vobis sal.* Levit. II, 13 : *In omni oblatione tua offeres sal,* hoc est, gratiæ Apostolicæ saporem, in sapientia verbi et gratia exempli. Hoc enim sal combustivum est putredinum per charitatem, arcens fœtores per abstinentiæ et continentiæ siccitarem, penetrativum in gustum per sapientiæ acumen, liquefactibile in omnium convenientiam per rationabilitatem. Ad Coloss. IV, 6 : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Ideo dicitur, Eccli. XX, 21 : *Homo acharis, quasi fabula vana.* Acharis autem est sine gratia, insulsus, nulli congruens. Adapta igitur.

« Si autem sal evanuerit, »

Hoc est, si sal alium saporem aliquem acceperit, aliquid per amorem possidendo quod sapit : statim suo sapore Apostolico alios non condit. Unde, Marc. IX, 49, dicitur : *Quod si sal insulsum fuerit,* hoc est, saporem salis amiserit, et evanidum fuerit.

« In quo condietur ? »

Impersonaliter legendum est. Hoc est, in quo fiet salitio. Quasi dicat : In nullo. Et hæc est prima salis inutilitas, quod evacuato sale nihil potest condiri. Nullus enim conditur si ille qui est sal (hoc est, Prælatus) insulsus fuerit. Prælatus enim insulsus (qui deberet esse sal et condimentum aliorum) non salsatur, vel conditur a subditis. Quia, sicut dicit Gregorius, hunc peccantem arguere nemo præsumit. Et in exemplum culpa vehe-

[1] Psal. XVIII, 6.

[2] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matthæum, V, 13. Tom. XX hujusce novæ editionis.

menter extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur : et sicut sacerdos, ita populus remanet insulsus. Matth. v, 13 : *Si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultra.*

Et hoc est quod dicit :

« Neque in terram. »

Cætera enim putrescentia, bona terra et fœcunda efficiuntur postquam sunt resoluta. Sal autem evanidum retinet ustivum calorem, et adustam siccitatem : et ideo terram in quam cadit reddit infœcundam. Unde victores aliquando civitates quas devicerant et destruxerant, sale seminaverunt in signum sterilitatis perpetuæ. Psal. cvi, 34 : *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia habitantium in ea.* Sic sacerdos evanidus et infatuatus in sterilitatem convertit populum. Jerem. xxii, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.*

« Neque in sterquilinium utile est, »

Quod stirpibus appositum, impinguet et feracem faciat fundum et stirpes. Peccata enim (quæ sterquilinium sunt subditorum) aliquando condiunt et impinguant aliquos. Luc. xiii, 8 : *Dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora.* Sed peccata sacerdotum sunt sacrilegia, et tam abominabilia quod nullum impinguant. Sed adurunt per concupiscentiam similia faciendi, et exsiccant in populo omne quod est pietatis : et ideo etiam in sterquilinium non erit sal illud. Ergo ad nihilum valet.

« Sed foras mittetur, »

Scilicet per excommunicationem et degradationem : præcipue si per hæresim et schismata depravatur. I ad Corinth. x, 13 : *Auferte malum ex vobis ipsis.* Jerem. lii, 3 : *Furor Domini erat in Jerusalem et in Juda, usquequo projiceret eos a facie sua.* IV Reg. xxiv, 20 : *Irascebatur Dominus contra Jerusalem et contra Judam, donec projiceret eos a facie sua.* Isa. xxii, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.*

« *Et conculcetur ab hominibus* [1], » sicut vile quid abominatum. Isa. v, 5 et 6 : *Erit in conculcationem, et ponam eam desertam.* Isa. vii, 25 : *Erit in conculcationem pecoris.* Isa. x, 6 : *Ponam illum in conculcationem quasi lutum platearum.* Luc. viii, 5 : *Conculcatum est*, scilicet ab hominibus. Sic ergo penitus erit nocivum et inutile.

Et quia hoc præcipue dictum est ad instructionem Prælatorum, ideo reddit eos attentos, dicens :

« Qui habet aures audiendi, audiat, »

Ter significans auditum : ut aure percipiant, et audiendo intelligant, et exaudiendo opere compleant. Ad Hebr. iv, 2 : *Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.* Quidam enim obturant autem ne audiant, sicut aspis venenata. Psal. lvii, 5 et 6 ; *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter.* Quidam autem audiunt et non intelligunt. Isa. vi, 10 : *Excæca cor populi hujus :... ne forte auribus suis audiat et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Quidam autem audiunt, sed auditum non perficiunt. Luc. xii, 47 : *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui,... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Et ideo tria ista conjungit : ut aure levi audiant, Jacob. i, 19 : *Sit autem omnis*

[1] Hæc verba sunt Matthæi, v, 13.

homo velox ad audiendum. Et sagaciter intelligant, Matth. xv, 10 : *Audite, et intelligite.* Et intellecta opere compleant, Psal. cx, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Laudatio ejus manet in sæculum sæculi.* Matth. xiii, 43, et Luc. viii, 8 : *Jesus hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.*

CAPUT XV.

Scribis et Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, parabolas proponit de ove et drachma perditis ac inventis, et de filio prodigo ad patrem reverso, benigneque ab ipso suscepto, seniore filio indigne hoc ferente : et quantum sit in cœlo gaudium super peccatore pœnitentiam agente.

1. Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum.
2. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis.
3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens :
4. Quis ex vobis homo[1], qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam ?
5. Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens :
6. Et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.
7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.
8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat ?
9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.
10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.
11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios :
12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.
13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose.
14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere.
15. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius, et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

[1] Matth. xviii, 12.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant : et nemo illi dabat.
17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo !
18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te :
19. Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.
20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.
21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.
22. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus :
23. Et adducite vitulum saginatum, et occidite : et manducemus, et epulemur :
24. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.
25. Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum :
26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent.
27. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.
28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.
29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer :
30. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.
31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt :
32. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

IN CAPUT XV LUCÆ

ENARRATIO.

« Erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum. »

Ab isto loco usque ad vigesimum secundum capitulum, agit de electione et reprobatione vocandorum per Discipulos et Apostolos.

Et dividitur in tres partes : in quarum prima ostendit quam paterne recipitur qui eligitur : in secunda autem ostendit quo merito eligitur qui eligitur, et reprobatur qui reprobatur. Hoc autem incipit capitulo sedecimo. In tertia autem ponit modum electionis et reprobationis. Et hoc incipit post medium capituli decimi noni, ubi dicit : *Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage*

et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, etc. [1].

Prima ergo pars continetur tota in isto capitulo.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima per factum sumitur occasio veniendi ad doctrinam : in secunda autem, doctrina perfecta traditur de paterna pietate recipientis.

In prima harum tria dicuntur : peccatorum scilicet conversorum ad Dominum appropinquatio : secundum autem, Pharisæorum murmuratio : et tertium, quod est causa murmuris, benigna peccatorum a Domino susceptio.

In primo notantur quinque secundum litteram, scilicet appropinquationis continuitas, appropinquationis propinquitas, ejus cui appropinquabant benignitas, appropinquantium peccatum et iniquitas, et ea quam intendebant appropinquando ad ipsum utilitas.

Primum horum notatur per hoc quod dicit : « *Erant,* » quod est præteriti imperfecti temporis. In quo præteritum includit præsens, et dirigit in futurum : et per hoc notatur continuitas appropinquationis in omne tempus. Tob. IV, 20 : *Omni tempore ... omnia consilia tua in ipso permaneant.* Psal. XXXIII, 2 : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Sic enim sumus Deo appropinquantes.

« Appropinquantes. »

Hic notatur appropinquationis propinquitas sive vicinitas. Conversione enim cordis appropinquatur ad ipsum. Ad Ephes. II, 13 : *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope.* Sic appropinquavit peccatrix quando stetit retro circa pedes ejus, et osculabatur ore, et rigavit lacrymis, et tersit capillis, et unxit unguento [2]. Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Conjunctione enim cordis, appropinquatur pœnitentia et dilectione : non tantum ore. Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat autem populus iste ore suo : ... cor autem ejus longe est a me.* Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Qui tribulato corde recedimus a malis, et omnium bonorum optimo appropinquamus per dilectionem, dicentes Domino illud Ruth, III, 9 : *Expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es.* Pallium, inquam, justitiæ, decoris, honestatis, et pallium charitatis quo peccata operiuntur : sicut dicitur, I Petri, IV, 8 [3]. Isa. LXI, 3 : *Ut ponerem lugentibus Sion.... pallium laudis pro spiritu mœroris.* Sic appropinquantes dicunt illud Psalmi LXXIX, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos.*

Ecce qualiter erant appropinquantes.

« Ei. »

Cui *ei ?* Jesu Christo Salvatori ungenti vulnera eorum, qui per nimiam charitatem omnibus sibi appropinquantibus appropinquat. Deuter. IV, 7 : *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest obsecrationibus nostris.* Tam pius enim est, quod ipse longe adhuc existentem revocat, et occurrens appropinquat venienti : sicut patet in filio prodigo [4] : imo etiam longe agentem non deserit, et trahit vinculis suæ charitatis. Et hoc est quod dicit Gregorius : « Quid miramur, « fratres, peccatricem venientem, vel « Dominum trahentem ? Vel potius et « Dominum per charitatem trahentem, et « peccatricem per cordis compunctionem « venientem. » Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Ideo quia etiam recedentem non deserit,

[1] Luc. XIX, 29.
[2] Cf. Luc. VII, 38.
[3] I Petr. IV, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.*
[4] Cf. Luc. XV, 20.

pietatem ejus describens Apostolus, Act. VII, 27 et 28, dicit : *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus. Vivimus* quidem inspirati per Spiritus sui charitatem ad veniendum : *movemur* accedento tracti per ipsum : *sumus* autem in gratia ejus postquam accessimus. Sic enim clamat, Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et non appropinquantibus improperat, Joan. V, 40 : *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis ?* Et, Proverb. VIII, 35, dicit : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*

Quinam autem sunt qui erant appropinquantes ?

« Publicani et peccatores. »

Publicanus est qui infert injuriam : sicut Matthæus, et Zachæus, et latro, qui non sua rapiebant sub occasione publicorum vectigalium. Peccatores autem sunt qui sine alterius injuria deformes habent actus : sicut peccatrix, et alii multum voluptuosi in carnalibus peccantes. Et in his duobus generibus, omnis generis peccatores continentur. Isti ergo qui indigebant, ad Dominum accesserunt. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Isti enim sunt quibus dicitur, Eccli. XXXVIII, 1 : *Honora medicum propter necessitatem : etenim illum creavit Altissimus.* Isti ergo suam attendentes necessitatem, honorabant Deum confitentes peccata sua, et accedentes ad ipsum, se conspectui suo præsentantes. Josue, VII, 19 : *Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* scilicet peccatum tuum. Genes. XXVII, 26 : *Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.* Ita dixit pater ad filium, pellibus hœdi, hoc est, conservatione peccati circumligatum. Et ideo etiam isti proprius accesserunt. Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amotoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.*

Sic ergo publicani injurias inferentes, et peccatores famosi in peccatis erant appropinquantes ad Jesum,

« Ut audirent illum. »

Et in hoc notatur appropinquationis utilitas. Sciebant enim quod verbum illius languores curaret. Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos.* Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Verbum etiam inflammabat ad charitatem. Psal. CIV, 19 et 20 : *Eloquium Domini inflammavit eum. Misit rex, et solvit eum : princeps populorum, et dimisit eum.* Verbum etiam veritate sua corda eorum sibi obligavit. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Verbum etiam altitudine sua ad admirationem produxit. Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Verbum etiam ad omnia agenda illuminavit. Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Ideo ergo appropinquaverunt ut audirent. Luc. VI, 17 et 18 : *Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis,... qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis.*

Adhuc autem, non propter verbum tantum auditum, sed propter dulcedinem audientis, et propter gratiam labiorum multi appropinquabant ut audirent eum. De primo autem horum dicitur, Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora.* De secundo autem dicit Psalmus XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.*

Adhuc autem, audiebant eum, quia

sermo ejus erat cum effectu. Matth. VII, 28 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.* Psal. CXL, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt.* Jerem. XXIII, 29 : *Numquid verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram ?*

Sic ergo « *erant appropinquantes ei publicani et peccatores, ut audirent illum.* »

« Et murmurabant Pharisæi et Scribæ, dicentes : Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. »

Ecce secundum, quod est murmuratio invidorum. Sapient. I, 11 : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ : quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam.* Psal. XLIX, 20 : *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Murmur enim est detractio quæ in aure susurratur. Ad Roman. I, 29 et 30 : *Susurrones, detractores Deo odibiles.*

« *Pharisæi,* » qui de justitia præsumebant : quia suæ traditionis justitiam divinæ justitiæ præferebant. Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

« *Et Scribæ,* » præsumentes de falsi nominis sapientia : et ideo, Exod. IX, 10, significantur per magos, qui turgidi stabant in conspectu regis Ægypti. I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat, charitas vero ædificat.* Eccle. I, 18 : *In multa sapientia multa est indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.*

« Dicentes : Quia hic peccatores recipit.

Murmurant quidem de duobus : de benigna peccatorum receptione, et de gratiosa cum peccatoribus communicatione. Et in hoc notatur quod benignus fuit in peccatorum receptione, et communicatione.

Primum notatur per hoc quod dicit : « *Quia hic peccatores recipit,* » larga benignitate, dulcissima charitate, et gratissimo sinu misericordiæ.

De primo dicitur, ad Roman. II, 4 : *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* De secundo, Jerem. XXXI, 3 : *In charitate perpetua dilexi te : ideo attraxi te miserans.* De tertio, Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.*

Per primum diu dissimulat et exspectat peccantem, per secundum dulciter suscipit venientem, per tertium fovet susceptum ad se conversum.

De primo horum dicitur, Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

De secundo dicitur in Psalmo CVI, 17 : *Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Suscepit enim in visceribus cariratis.

De tertio, Luc. I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

« Et manducat cum illis. »

Ecce refectio et communicatio. Reficitur enim in bonis pœnitentium. Unde, Luc. V, 29 : *Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua.* Sic refectus est in bonis Zachæi [1]. Luc. XV, 32 : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.* Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Quia

[1] Cf. Luc. XIX, 6.

exsultat in conversione et pœnitentia peccatoris.

3 « Et ait ad illos parabolam istam, dicens :

4 Quis ex vobis homo, qui habet centum oves. »

Sumpta occasione doctrinæ, ponit hic doctrinam de optima peccatorum susceptione.

Et quia tria sunt in reductione peccatoris ad pœnitentiam, ideo tres inducit parabolas, in quibus ista doctrina consummatur. Primum enim quod est in susceptione peccatoris est patientissima revocatio errantis : secundum autem est diligentissima inquisitio perditæ in eo primæ imaginis : tertium autem paterna receptio revertentis. Et quoad primum inducitur parabola centum ovium contra Pharisæorum et Scribarum crudelitatem, qui perditos revocare non curaverunt. Propter secundum inducitur parabola decem drachmarum contra negligentiam, qui perditos quærere negligebant. Propter tertium inducitur parabola de filio prodigo contra avaritiam Pharisæorum et Scribarum, qui ne erogarent indigentibus temporalia, multos fame perire permittebant.

In ista autem prima parabola duo facit. Primo enim ostendit Evangelista modum hujus doctrinæ esse parabolicum : et in secundo, doctrinam supponit.

Dicit igitur :

« Et ait »

Benignus Magister, etiam ingratis inferens suas illuminationes. Eccli. XXIV, 44 : *Adhuc doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum.* Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet,* quando etiam tenebrosos illuminat et confundit tenebras eorum.

« *Ad illos,* » ad doctrinam, et utilitatem eorum. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.*

« *Parabolam.* » A παρά, quod est *juxta* : et βόλη, quod est *sententia.* Quia est sententia juxta quamdam similitudinem rerum notarum assumpta. Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Hic modus, ut sæpe diximus, conveniens est rudibus materialem intellectum in divinis habentibus. Osee, XII, 10 : *In manu prophetarum assimilatus sum.* Hoc est enim quod dicitur, Isa. VIII, 1 : *Scribe in eo stylo hominis.* Stylo enim hominis scribere, est per similitudines humanas divina cordi hominis imprimere.

« Dicens, »

Hoc est, explanando proponens : quia ita proponit quod quilibet facile ad parvam explanationem intelligit. Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas : ut percurrat qui legerit,* hoc est, ut currendo sine difficultate intelligere possit.

Et ideo dividitur parabola ista in duas partes : in quarum prima parabola proponitur : in secunda autem ejusdem expositio innuitur.

In parabola autem quatuor proponuntur. Primo enim proponitur similitudo hominis centum oves habentis : secundo, similitudo unam ex centum perdentis : tertio, similitudo ovem perditam revocantis : quarto, gaudium perditam ovem invenientis.

In primo horum quatuor dicuntur : raritas divitis possessoris, judicium quod quilibet sumit de suis propriis, humanitas hominis, et ditissima abundantia possessionis.

De primo dicit :

« Quis, »

Hoc est, aliquis. Glossa enim vult quod remissive legatur. Tamen non omnis hominis sunt istæ divitiæ, sed aliquis est qui habet : unus scilicet cui cura illa committitur, et pastor bonus vocatur. Joan. x, 11 : *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Aliquis est ergo : et non omnis homo est hujus industriæ et perfectionis. Genes. XLVII, 6 : *Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.*

Talis igitur rarus est : tamen est aliquis « *ex vobis,* » qui ex propriis cognoscat quid circa curam ovium facere debeat. Eccli. XXXI, 18 : *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.*

Dicit autem etiam, « *ex vobis,* » quia talis est constituendus super oves, qui sit de ipsa congregatione. Osee, II, 15 : *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco.* Ad Hebr. V, 1 : *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur.*

Ita igitur est « *ex vobis,* » qui ex vestris utilitatibus rationem potestis reddere quæsiti, « *homo,* » qui non in leonem, vel lupum sit mutatus : ille enim non quærit oves sed devorat, et dispergit. Sed homo est mitis secundum naturam et prudens, innocenti animali suo compatiens, et damnis propriis consulens. Proverb. XII, 10 : *Novit justus jumentorum suorum animas : viscera autem impiorum crudelia.* Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Sed « *homo* » humanus est super eos quibus ut ovibus præponitur.

« Qui habet centum oves. »

Centum oves sunt perfecta ovium possessio : quia centenarius, perfectus et quadratus est numerus. Perfectio est a denario, qui est limes numeri. Et hoc refertur ad decalogum. Quadratio autem ad virtutum refertur quadrationem. Oves autem ad simplicitatem, et innocentiam, et utilitatem. Simplicitatem in malo, ut sint sine plica mali. Ad Roman. XVI, 19 : *Volo vos esse simplices in malo.* Innocentia autem in ovibus est, quia etiam lædentem non relædit. Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* Psal. XXIII, 4 : *Innocens manibus, et mundo corde : qui non accepit in vano animam suam.* Utilitas autem est in hoc animali potissima, sicut, Matth. IX, 36, notatum est. Paulus ad Philemonem : ℣. 11 : *Nunc autem et mihi, et tibi utilis est.* Unde, Psal. LXXVIII, 13 : *Nos populus tuus, et oves pascuæ tuæ.* Quia utilitas gregis respondet pascuis et laboribus manuum.

Sic ergo habere centum oves, est paucorum. Summus autem Pastor sic possidet centum oves in perfectione quam diximus, tam in Angelis, quam in hominibus bonis et perfectis. Ezechiel. XXXIV, 31 : *Vos greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis : et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* In centenario enim universitas ovium pro perfectione numeri designatur.

« Et si perdiderit unam ex illis. »

Secundum est parabolæ istius.

Dicit autem tria : perditionem, unius perditionem, et perditæ ovis cum aliis annumerationem.

Perditio autem fit per peccatum, et per reatum qui peccatum consequitur, ad diaboli et inferni captivitatem. Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Psal. CXVIII, 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

« *Unam,* » ab unitate recedentem. Eo enim ipso quod perditur, ab unitate gregis dividitur. Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Una autem perdita hominem significat, qui a perfectione centenarii in qua remanserunt Angeli stantes cecidit. Sic ergo perditur

una quæ genus humanum significat.

« *Ex illis*, » quæ illis est annumeranda : quia ad numerum perditorum non pertinet, sicut cadentes Angeli : sed ad numerum salvandorum per redemptionem. Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Sed si ex illis non fuisset, quæsita non esset.

Et hoc est quod dicit : « *Si perdiderit unam ex illis.* »

« Nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam ? »

Tertium est istius parabolæ in quo notatur ovis istius revocatio.

Et dicit tria : custoditarum ovium ad tempus dimissionem, perditæ ovis insecutionem, et usque ad inventionem perditæ ovis infatigabilem requisitionem.

De primo dicit :

« Nonne. »

Quasi dicat : Secundum rationem humanam judicate. Job, VI, 29 : *Quod justum est judicate.*

« *Dimittit*, » in sui ipsorum custodia, diligentiam exterioris custodiæ non adhibendo. Et ita fecit Dominus in cœlo dimittens Angelos. Jerem. XII, 7 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Aliter enim non relinquit Dominus aliquem justum neque in cœlo neque in terra, nisi exteriorem custodiam aliquando non adhibendo : eo quod talis tali custodia non indiget. Deuter. IV, 9 : *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite.* Intus tamen semper gubernat, et custodit. Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*

De exteriori autem custodia dicit, quod

« Dimittit nonaginta novem in deserto. »

Omnes beati Angeli, et omnes boni significantur per nonaginta novem. Novies enim decem sunt nonaginta. Novem autem quæ in decem præcepta multiplicantur. Quodlibet enim præceptum implendum est et ardore charitatis, et luce veritatis, et judicio quieti et discreti cordis, et altitudine perfectæ super inferiora vilia dominationis, et vigore perfectæ virtutis, et ordine ordinatæ a Deo potestatis, et ratione æquitatis a principe animo decreta, et illuminatione divini consilii, et custodia ab insidiis adversarii. Sic ergo novies multiplicata mandata Dei, et justitiæ naturalis, nonaginta perficiunt.

Si autem hæc ipsa ad perfectionem illuminationum, et perfectionem virtutum et operum referantur, in se novem sunt. Et sic nonaginta novem perficiuntur. Tribus enim perficitur illuminatio : affectu amoris, intellectu veritatis, et quiete discretionis, quæ illuminationes dijudicat. Tribus etiam perficitur virtus, si alta sit, si vigorosa, si ordinata rationibus æquitatis. Tribus perficitur opus, si ordinatum sit decretis principum, si procedat de consilio sapientium, si in honestate nihil habeat contrarium. Quicumque autem tales sunt, exteriori diligentia custodiæ non indigent, sive sint in cœlo sive in terra. Quamvis enim Glossa exponat de Angelis, in quibus hæ perfectiones sunt confirmatæ, tamen etiam in terra sunt pro modulo justorum quorumcumque. Et ideo generaliter loquitur Dominus, Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Hos igitur relinquit, quando custodiam exteriorem non adhibet. Et ista expositio generalis ad moralem et allegoricam, quæ est in Glossis. Joan. XVI, 17 : *Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me.* Cum enim ivit in infernum requirere perditos, non præsentialiter fuit cum Apostolis. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Et tunc præsentia corporali (in quam tamen de-

siderant Angeli prospicere) non fuit cum Angelis, sed nobiscum. Multos etiam Sanctos diligentia exterioris custodiæ deserit : quia talibus non indigent, et sic eos derelinquit. Eccli. xv, 14 : *Reliquit illum in manu consilii sui.* Isa. xxviii, 9 : *Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Quasi enim infantis, est pastoris diligentia circa ovem errabundam. Qua diligentia non indigent illi, qui perfectiones habent supradictas.

« In deserto, »

Ubi pastura est ovium propter pascuorum ubertatem. Exod. iii, 1 : *Minavit Moyses gregem ad interiora deserti.* Significat autem desertum locum uberem pascuis et solitarium, ubi latro non insidiatur, quo fur non venit, ubi silvestria liberis saltibus ludunt, et quo lupus qui domitis insidiatur non appropinquat : quia libera silvestria consequi non potcrit. Et sic dicitur cœlum desertum : quia ibi pascua uberrima sunt in pastura divinarum delectationum. Ezechiel. xxxiv, 14 : *In pascuis uberrimis pascam eas.* Hic locus solitarius, est a strepitu tentationum et tentantium secretus, ubi Moyses videt visiones Dei cum ovibus [1]. Ibi latro diabolus non venit : quia, Apocal. xii, 8 : *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Ibi fur non appropinquat : quia libido quæ fur est et mentem furatur, exstincta est. Matth. vi, 20 : *In cœlo fures non effodiunt, nec furantur.* Lupus non occurrit, hoc est, mundus qui vorax est : quia sibi propinquis et domitis insidiatur. Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Ibi ludunt libere Dei pecudes. Job, xxxix, 5, 6 et 7 : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ? Cui dedi in solitudine domum, et tabernacula ejus in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.* Job, iii, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* Sic ergo cœlum dicitur desertum.

Desertum autem est etiam vita contemplationis et virtutis, in quocumque statu homo contemplationi et virtuti studuerit : quia hic a deliciis et tumultu mundi se abscondit. Psal. lxiv, 13 : *Pinguescent speciosa deserti, et exsultatione colles,* hoc est, eminentes viri, *accingentur.* Job, xxxix, 8 : *Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit.* Isa. xxxv, 1 et 2 : *Exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium : germinans germinabit, et exsultabit lætabunda.* Hoc tamen maxime est in religione.

Desertum etiam est ubicumque mundi frequentia non est, in eis qui dicere possunt illud Apostoli, ad Philipp. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Joan. xv, 19 : *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.* In hoc enim deserto pavit Dominus oves suas [2].

In quodlibet istiusmodi deserto secure dimittuntur oves errabundæ, quæ sunt nonaginta novem supradictis perfectionibus consummatæ : quia illæ sic apud se perfectæ sunt quod ad tempus exteriori diligentia non indigent.

« Et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam ? »

Tria dicit, scilicet, quod vadit ad ovem perditam, et causam quare vadit, et quamdiu inquisitionis suæ adhibet diligentiam.

De primo dicit : « *Vadit ad illam,* » exterius appropinquando per se, vel per vicarium pastorem sollicitum. Vadit autem passibus vocationum, admonitionum, promissionum, comminationum visitationum. Ezechiel. xxxiv, 11 et 12 : *Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum*

[1] Cf. Exod. iii, 2.

[2] Cf. Matth. xv, 37, et Joan. vi, 11.

dissipatarum. Sic enim de cœlo *visitavit nos oriens ex alto* [1], ut perditam generis humani ovem recuperaret. Sic etiam adhuc per suos facit et in suis recuperans ovem perditam. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam*, hoc est, diaboli. Sic fecit in manu David manu fortis. I Reg. XVII, 34 et 35, qui dicit : *Veniebat leo, vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis : et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum*. Sic ab initio perditis appropinquavit per se, et per suos : et bonos suæ custodiæ reliquit.

Causa autem est : « *Quæ perierat,* » et recuperatione indiguit. Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos*. Psal. CXVIII, 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum, Domine*.

« Donec inveniat eam. »

Ecce quamdiu adhibet exterioris diligentiæ requisitionem. Cum enim reportaverit, et viribus virtutum confortaverit, tunc eamdem cum aliis secure dimittit. Sola enim esse non potest in malo. Eccle. IV, 10 : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se*. Hæc est sollicitudo de qua dicitur, Isa. XL, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit*. Apponit enim brachium confortationis in gratia præventionis. Sinum in quo fovet, in gratia spiritualis consolationis. Sublevamen portationis in gratia subsecutionis, in mitigatione tentationis, dummodo fœtam ovem inveniat in proposito bonæ voluntatis. Sic ergo diligentiam exteriorem adhibet in reductione peccatoris : aut per se, sicut quando præsens in corpore oves in unum congregavit : aut per fidelem opilionem sive pastorem, sicut quotidie facit.

« Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens : »

« Et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. »

Tangit gaudium de ove perdita et inventa.

Et dicit quatuor : causam exsultationis, diligentiam reportationis, et ovis ad domum reductionis, et convocationem amicorum ad exsultationem congratulationis.

De primo dicit : « *Et cum invenerit eam.* » Hæc inventio ad utilitatem ovis est potius quam pastoris. Est enim inventa quando a periculo erroris est salvata. Amos, III, 12 : *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel*. Duo enim crura quibus domum reditur, sunt intellectus veritatis, et affectus bonitatis. Extremum autem auriculæ est auditus obedientiæ extremæ, qua Deum oportet audire et pastorem : et tunc ovis eruitur et invenitur.

Cum autem sic invenerit,

« Imponit in humeros suos. »

Humeri Christi sunt brachia crucis, in quibus omnes reportavit. Vel, humeri sunt duo juvamenta peccatorum, quorum unum est supportatio infirmitatum, et alterum est sublevatio sacramentorum.

De primo, ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*. Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*.

Sublevatio autem sacramentorum si-

[1] Luc. I, 78.

gnificatur, Luc. x, 34, ubi sauciatum posuit in jumentum suum, et duxit in stabulum. I Petr. II, 24 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, hoc est, pœnam peccatorum. Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Numer. VII, 9 : *Filiis Caath non dedit Moyses plaustra et boves : quia in sanctuario serviunt et onera propriis portant humeris.* Caath *patientia* interpretatur, et bonum pastorem significat, qui plaustrum terrenæ subvectionis non curat, sed Domino in sanctuario deservit sacramentorum, et onera commissorum propriis humeris portat, compatiens necessitatibus infirmorum.

« Gaudens »

Autem portat : quia gaudium suum est profectus subditorum : dicens illud Isaiæ, LXI, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* Nehemiæ seu II Esdræ, VII, 10 : *Gaudium Domini est fortitudo nostra.*

« Et veniens domum, »

Ad caulas ovium ad quas reducit oves. Joan. x, 16 : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor* : quando peccator cum Sanctis accubabit. Hinc est etiam quod sauciatum in stabulum reduxit Samaritanus, qui *custos* interpretatur : et sub alia metaphora idem est quod hic significat.

« Convocat amicos et vicinos, dicens : »

Ecce convocatio devotorum ad congratulandum.

Et tangit duo : convocationem, et congratulationem.

Convocatio est in unum cor dilectionis proximi. Vicini enim in eodem vico habitantes, sunt Sancti in eadem regula nobiscum viventes. Ad Galat. VI, 16 : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Cognati autem sunt in eadem nobiscum propinquitate cum Deo conjuncti. Act. XVII, 29 : *Genus ergo cum simus Dei.* Ibid. ℣. 28 : *Ipsius enim et genus sumus.* Hos convocat omnes affectu charitatis, proximi bonis congaudentes. Tob. VIII, 22 : *Præparavit epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis.*

« Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. »

Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Tunc enim impletum est quod dicitur, Isa. XLIX, 25 : *Equidem et captivitas a forti tolletur, et quod ablatum fuerat a robusto salvabitur.* Sic congratulabatur Paulus, ad Philip. IV, 1 : *Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi.*

Causa autem tantæ jucunditatis est :

« *Quia inveni ovem quæ perierat.* » Et quod plus est sic, ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Et omnia facilia et parva reputavit, ut ovem perditam recuperaret. Et quod Deus tantum reputat, mirum et miserabile est nos pro minimo reputare : ut non tantum opes, sed etiam oves Christi non solum perdamus, sed etiam cum pelle et carnibus et ossibus devoremus. Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, et ejecit me.*

Ista ergo una ovis est quæ sic reducitur.

Cum autem supra dictum sit de perfectionibus nonaginta novem, una in omnibus perdita est, quæ in domum, id est, in divinam illuminationem non est reducta. Etiam hæc est centesima. Per

omnes enim illas gratias purgamur, et illuminamur. Et qui non perficitur in his omnibus per eam quæ in Deum est reductionem, oberrat, et cum magno labore pastoris ad domum reducitur. Hæc igitur est una quæ ab unitate recedit, et vadit in dispersionem et perditionem. Joan. XI, 52 : *Non tantum moriturus esset pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc est in illud unum et perfectum quod est reductio in unum : quia alii non salvantur.

Hæc est igitur ista parabola quare peccatoribus appropinquavit ut eos reduceret, et ad illud unum cum aliis ovibus congregaret.

« Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia. »

Explanatio est parabolæ inductæ.

Dicit hic tria : assertionem, similitudinem, similitudinis comparationem.

De primo dicit : « *Dico vobis,* » asserendo in veritate. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Quod ita.* » Ecce similitudo.

« Gaudium erit. »

Gaudium est duplex : interius. et exterius. Interius quidem gaudium, est de majori bono majus gaudium : et cum majus bonum sit in nonaginta novem justis quam in uno, majus gaudium est de nonaginta novem quam de uno. Exterius autem gaudium est in applausu et congratulatione. Et hoc est in minori et difficiliori bono, aliquando majus quam in majori bono et continuo. Et sic magis gaudent Sancti in conversione peccatoris, quia rarius est et difficilius converti peccatorem quam justum remanere justum. Et sic loquitur hic. Hoc enim novum est, et mirabilis misericordiæ, et magnæ Dei potentiæ cui obviat peccatum : et tamen non vincit eam quin salvet peccatorem. Eccli. XXXVI, 6 et 7 : *Innova signa, et immuta mirabilia : glorifica manum, et brachium dexterum.* Hoc enim novum est quod in exterioribus Sanctorum novum requirit applausum. Psal. XLVI, 2 : *Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo,* etc.

« In cœlo, »

Per metonymiam, hoc est, in cœlestibus Angelis, et hominibus. Unde, Apocal. XII, 12, postquam projectus est draco accusator fratrum, et victus est a Sanctis conversis, dicunt Sancti : *Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.* Sicut enim cœli obstupescunt, quando Sanctus aliquis pervertitur, et Angeli pacis plorant. Jerem. II, 12 et 13 : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas,* hoc est, laborando in terrenis quæsierunt refrigerium. Similiter ad modum flentium se habebunt. Isa. XXXIII, 7 : *Angeli pacis amare flebunt.* Ita etiam cum sint ministri conversionis peccatorum, exterioribus gestibus nova gaudia exprimunt Sancti et Angeli in conversione peccatoris, quæ non ostendunt in continuatione justitiæ justorum, eo quod hoc non sit novum. Esther, VIII, 16 : *Judæis nova lux oriri visa est, gaudium, honor, et tripudium.*

« Super uno peccatore pœnitentiam agente »

Condignam. Luc. III, 8 : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et hoc est valde rarum. Sicut enim dicit Ambrosius : « Facilius invenies qui teneat inno-

« centiam, quam qui condignam agat « pœnitentiam. » Unum enim de mirabilibús Dei est, quod homo aversus revertatur, et quod de faucibus inferni extrahatur ad sinum Abrahæ. Et tamen fit, et est de gloriosis operibus misericordiæ Dei. Psal. LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan,* hoc est, confusione, *convertam in profundum maris*, hoc est, amaritudinis pœnitentiæ. I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Ad Galat. I, 23 et 24 : *Auditum habebant de me, quoniam qui persequabatur nos aliquando, nunc autem evangelizat fidem quam aliquando expugnabat : et in me clarificabant Deum.*

« Quam super nonaginta novem justis. »

Hoc in applausu exteriori Sanctorum semper verum est. « *Qui,* » hoc est, quia illi « *non indigent pœnitentia.* » Et ideo non est nova materia gaudii eorum, neque rara. Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Isa. LXVI, 10 : *Gaudete cum ea gaudio, universi qui lugetis super eam.* Sic novum gaudium fuit in sanatione beati Job [1]. Sic nova gaudia in illuminatione Tobiæ senioris, et reditu junioris Tobiæ, [2], plusquam si pater continuo vidisset, et filius numquam exsulasset. Et idem probatur in multis similibus.

« Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam. »

Secunda parabola est de eodem de inventione et restitutione in peccatore primæ imaginis, contra negligentiam Pharisæorum et Scribarum : quia in talibus nullum studium posuerunt.

Dividitur autem hæc parabola in quatuor. In primo ostenditur possessio abundantissimæ et in decoris ornatu mulieris : secundo, perditio hujus tanti decoris : tertio, sollicitudo inquisitionis : et quarto, gaudium decorem istum invenientis.

De primo horum dicit tria : dispositionem possidentis, habitum, et ornatum.

De dispositione possidentis dicit : « *Quæ mulier.* » Quasi dicat : Rara est enim. Et est illa sola de qua, Proverb. XXXI, 29, dicitur : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

« *Mulier,* » sapientia Dei summi. Vel, Ecclesia filia sapientiæ, ab ipsa sapientia redimita. Proverb. XXXI, 10 : *Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* Hæc enim et Herum mollit summum. Sic Ruth emollivit Booz, qui *firmitas* interpretatur. Hæc iram Herois avertit : sicut Abigail emollivit David [3], quæ *patris mei involutio* interpretatur. Quia ita involvit eum sapientia et dulcedine, quod avertit ab ira. Hæc est quæ frigidum et inflexibilem Regem fovet et calefacit : sicut Abisag [4], quæ *patris mei gaudium* interpretatur, et charitatem significat. Hæc est igitur mulier de qua dicitur, Ruth, III, 11 : *Scit omnis Israel mulierem te esse virtutis.*

Hæc est igitur descriptio istius mulieris.

« Habens, »

In possessione divitiarum, « *drachmas decem.* » Drachma pondus est in quo numismatis imago est impressa. Hæc autem est imago summi Regis. Et hæc drachma est homo factus ad imaginem et similitudinem divinam [5].

[1] Cf. Job, XLII, 10 et seq.
[2] Cf. Tob. XII, 3.
[3] Cf. I Reg. XXV, 23 et seq.
[4] Cf. III Reg. I, 1 et seq.
[5] Cf. Genes. I, 26 ; Eccli. XVII, 1.

Hæc imago pondus habet gratiæ : quia dicitur, Eccli. XVII, 2, quod Deus hominem creatum secundum seipsum vestivit virtute. Et ideo dicit Beda, quod drachma regis etiam continet superscriptionem. Matth. XXII, 20 et 21 : *Cujus est imago hæc et superscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris.* Inscriptio autem hæc est juris naturalis faciendorum, et cognitio Dei, inscripta in cordibus : quæ (sicut dicit Damascenus) omnibus ab ipsa creatione impressa sunt. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.*

Hæ drachmæ decem sunt : quia decem operibus mandatorum perfectæ, et decem ornatibus pretiosis redimitæ. Decem autem præcepta sunt decem mandata [1]. Decem autem ornatus sunt quidem ter terni Angelorum qui supradicti sunt, et unus qui est omnium illorum reductio in Deum, sicut jam ante diximus. Et ideo idem significatur per decem drachmas, quod per centum oves : quamvis non significetur eodem modo, sicut patet in differentia parabolarum quam induximus.

Istæ sunt igitur drachmæ, II Machab. XII, 43 : *Duodecim millia drachmas argenti misit Judas Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Drachma enim est quam diximus. Duodecim autem millia, sunt perfectiones acceptæ ad doctrinam duodecim Patriarcharum, vel Apostolorum. Hæ enim sunt optimum sacrificium pro peccatis mortuorum ut resurgant.

« Si perdiderit drachmam unam. »

Hic tangitur drachmæ habitæ perditio : quod idem est, quod imaginis ad similitudinem Dei creatæ deturpatio et perditio. Quamvis enim in Psalmo XXXIII, 7, dicatur, quod *in imagine pertransit homo*, retinendo essentiam imaginis : tamen quia multum deturpatur, et diabolicam accepit similitudinem, perditur a Deo quando valde sibi est dissimilis. Thren. IV, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?* In tanta enim dissimilitudine, decorus et speciosus forma, imaginem suam non recognoscit. Matth. VII, 23 : *Confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Nahum, II, 10 : *Facies omnium eorum sicut nigredo ollæ* : sunt enim sic combusti per ignem naturalis concupiscentiæ. Thren. IV, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Et ideo facies ista et imago est plusquam perdita, quando sic est deturpata. In epistola Jeremiæ, Baruch, VI, 20 : *Nigræ fiunt facies eorum a fumo qui in domo fit.* Sic ergo perdit unam, quæ non est in Deum reducta, sed abducta in similitudinem diaboli.

« *Ex illis*, » ad numerum salvandorum pertinentem, Illa enim est pretiosa.

« Nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat ? »

Hic tangit diligentem drachmæ inquisitionem.

Dicit autem tria : lucernæ accensionem, et domus eversionem, et diligentem inquisitionem.

Et mulier quidem Dei sapientia lucernam accendit, quando in incarnatione Filii Dei testam humanæ naturæ flamma suæ deitatis implevit : ponens animam Christi pro lychno flammam tenente, et oleum gratiæ pro ignis nutrimento. Isa. LXII, 1 : *Egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur.* Mulier autem Ecclesia lucernam accendit, quando Prælatum sicut patremfamilias domus in testa corporis facit castitatis perspicuæ, et in intellectu animæ facit radiantem in veritatis fulgore, et in mente et visceribus facit pietatis et misericordiæ oleo fluere, et in

[1] Cf. Exod. XX, 3 et seq.

affectu igne charitatis et zeli animarum ardere. Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus.* Supra, xi, 33 : *Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.* Attende autem, quod ad quærendam drachmam perditam, lucernam oportet accendere : quia lumen fulgoris sui perdidit, et non nisi lumine alieno manifestatur ad inveniendum. Non perdita autem drachma manifestatur proprio splendore. Ad Philip. ii, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

« Et evertit [1] domum, »

Hæc domus, est domus conscientiæ interioris, quam totam oportet evertere in compunctione et confessione : ut drachma inveniatur ad splendorem. Proverb. xxxi, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.* Sophon. i, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* I ad Corinth. iv, 5 : *Illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

« Et quærit diligenter. »

Ecce diligentia inquisitionis. Hæc autem diligentia est in discussione conscientiarum peccatorum, quas prædicta lucerna illuminat : et vias, et actus, et causas, et circumstantias peccatorum ostendit, et ante oculos ponit. Ad Ephes. v, 13 : *Quæ*, scilicet a lumine, *arguuntur, a lumine manifestantur.* Job, xii, 15 et 16 : *Vias meas in conspectu ejus arguam : et ipse erit salvator meus.*

« *Donec inveniat :* » quia non sufficit nisi drachma inveniatur. Cantic. iii, 2 : *Quæram quem diligit anima mea.* Et post modicum, ℣. 4 : *Inveni quem diligit anima mea.* Deuter. xxxii, 10 : *Inveni eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis.* Deserta enim terra sterilis est conscientia peccatorum. Hæc est locus horroris, in quo horrendæ sunt dæmonum figuræ occurrentes. Vasta autem solitudo, propter boni naturalis desolationem. Ibi ergo invenitur drachma ad recuperationem.

« Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram. » 9

Hic tangitur congratulatio inventæ drachmæ.

Et dicit tria : causam gaudii, convocationem amicorum, et congratulationem.

De primo dicit : « *Et cum invenerit.* » Invenire enim causa est gaudii : quia peccator invenitur ad recuperationem. Ad Philip. i, 18 : *In hoc gaudeo, sed et gaudebo.*

« *Convocat amicas,* » in charitate conjunctas Sanctorum animas. Baruch, iv, 29 : *Ipse rursum adducet vobis sempiternam jucunditatem cum salute vestra.*

« *Et vicinas,* » in vico cœlesti secum mansionem habentes cœlestes essentias. Isa. lx, 4 : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide : omnes isti congregati sunt, venerunt tibi* : ut tecum scilicet jucundentur.

« Congratulamini mihi. »

Baruch, iv, 36 : *Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, et vide jucunditatem a Deo tibi venientem.*

« *Quia inveni,* » ad gratiam, « *drachmam,* » imaginis, « *quam perdideram* » per peccatum, et imaginem depravantem. Baruch, iv, 37 : *Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab oriente usque ad occiden-*

[1] Vulgata habet, *everrit.*

tem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei. Psal. cv, 5 : *In lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.*

10 « Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. »

Adaptatio est similitudinis.

« *Gaudium* enim est *Angelis Dei,* » quia *omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis* [1]. Et ideo gaudent de conversione : quia tunc non frustratur suæ diligentia custodiæ. Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Vel, Angelis Sacerdotibus cœlestibus. Malach. II, 7 : *Angelus Domini exercituum est sacerdos.* In exterioribus enim suscitant applausum, sicut diximus.

« *Super uno peccatore,* » qui ab uno fuit aversus quod solum est necessarium. Luc. x, 42 : *Porro unum est necessarium.* Hoc est unum, de quo dicitur, Jacob. II, 10 : *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

« *Pœnitentiam agente,* » hoc est pœnæ tenentiam, ut perseveret in dolore : ut, sicut dicit Gregorius, « mala commissa de- « fleat, et deflenda ulterius non commit- « tat. » Illi enim per pœnitentiam regnum cœlorum appropinquat : sicut dicitur, Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Sic ergo finitur hæc secunda contra Pharisæos parabola.

11 « Ait autem : Homo quidam habuit duos filios. »

Hic tertia inducitur parabola, in qua ostenditur quam benigne peccator ad pœnitentiam rediens est suscipiendus, et quam large, et quam magnifice, et quam honeste exhibendus et pertractandus. Quod est contra Pharisæorum et Scribarum avaritiam, qui de suo pauperibus redeuntibus nihil exhibebant. Et insuper si qua habebant, rapiebant : quia, sicut dicitur, Isa. v, 23, *justificabant impium pro muneribus, et justitiam justi auferebant ab eo.* Hoc ergo generaliter intenditur in hac parabola, sicut patet cuilibet : quamvis allegorice de Gentili et Judæo in Glossis exponatur. Primam ergo nos prosequimur expositionem : et tandem etiam de ultima, quantum sufficit, mentionem faciemus.

Dividitur autem hæc parabola in quatuor partes : in quarum prima ostenditur patrisfamilias naturalis decor in duobus filiis, et innuitur fortunæ successus in abundantibus bonis. Secundo, inducitur ex dissoluto juvenili sensu a patre recessus junioris, et infaustus successus in bonis. Tertio, inducitur qualiter egestate compulsus, rediit ad supplicationem quam demeruerat gratiæ patris. Quarto et ultimo, ostenditur ejusdem benigni, et liberalis et magnifica susceptio patris.

Prima harum parva est, de qua dicit : « *Ait autem ad illos,* » hoc est, ad utilitatem instructionis et ædificationis Scribarum et Pharisæorum. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam,* hoc est, ad intellectum dictorum vocare.

« Homo quidam. »

Ut de humanis exempla dentur, dicit *hominem,* Pharisæos ejusdem naturæ cum illo significans, et debere erubescere, si similia ad filios non faciant. Patres enim se cognoscere debent, et affectu paterno sibi subditos diligere, Joan. III, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Unde de eo qui curam suscepit filiorum, dicitur, Numer. XII, 3 : *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in*

[1] Ad Hebr. I, 14.

terra. Homo ergo erat, mollis ad filios, et non durus. Natura enim struthionis et non hominis, durari ad filios. Job, XXXIX, 16 : *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.*

Hic autem « *quidam* » dicitur singularis benignitatis in suos. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* III Reg. III, 26 : *Commota sunt quippe viscera ejus super filio suo.* Genes. XLIII, 30 : *Commota fuerant viscera ejus super fratre suo.*

Iste ergo est « *homo quidam,* » sic benignus ad filios.

« Habuit, »

Et habebat adhuc in cura et regimine. Ad Galat. IV, 1 et 2 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium : sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.* Sic ergo habebat eos in cura ut pater, et sollicitudine regiminis.

« Duos filios. »

Ecce flos naturæ qua refloruit, I Machab. II, 17 : *Princeps, et clarissimus, et magnus es in hac civitate, et ornatus filiis, et fratribus.* E contra de abjectis dicitur, Jerem. XXII, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui non in diebus suis prosperabitur.*

« *Duos* » autem habuit geminæ dilectionis vinculo in Deo, et inter se colligandos. Genes. XLVIII, 5 : *Duo filii tui, qui nati sunt tibi in terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt.* Iste enim homo Deum significat, Isa. LXVI, 9 : *Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus ?* Iste duos genuit, sicut dicitur, Isa. XLVI, 3 : *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva.* Duo autem sunt, divisi in rationabiles et irrationabiles : in rationem sequentes, et concupiscentiam. Sapient. XI, 25 : *Diligis enim omnia quæ sunt, nihil odisti eorum quæ fecisti.*

« Et dixit adolescentior ex illis patri. » 12

Hic incipit agere de recessu unius a cura patris.

Et dividitur in partes tres : de acceptione substantiæ et separatione primo : et de congregatione, et recessu, et dissipatione tangit secundo : et de egestate lasciviam ejus premente agit tertio.

Dicit igitur : « *Et dixit.* »

Tangit autem tria : stultitiam impellentem ad recessum, postulationem partis, et acceptionem.

De primo dicit : « *Dixit.* » Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* Psal. XXXV, 2 : *Dixit injustus ut delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos ejus.*

« Adolescentior, »

Hoc est, desideria adolescentiæ secutus. In pueritia enim propter multum humidum, non sunt adhuc acuti aculei concupiscentiæ : sed paululum exsiccato humido et non remisso calido, circa annum quartumdecimum incipiunt sentiri stimuli. Et tunc est adolescentia. Et ideo, Proverb. XXX, 18 et 19, dicitur : *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* Levis enim et altivolus in evagatione efficitur ut aquila, tortuosus in desideriis ut coluber, natans ut navis in concupiscentia, et inconstans et incontinens ut juvenis in adolescentia. Proverb. VII, 7 et seq. : *Considero vecordem juvenem qui transit per plateam juxta angulum, et prope viam domus meretricis graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tene-*

bris et caligine. Job, XXIV, 15 : *Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus.* Sic quidem quilibet facit, juvenilia desideria sequens. Unde, II ad Timoth. II, 22 : *Juvenilia desideria fuge.* Sic etiam fecit Gentilis populus, sequens concupiscentias, nulla lege frænatus : qui ideo dicitur *adolescentior*, quia lege frænatus populus in Adam et Heva in paradiso fuit, et non frænatus a Cain filio eorum incepit. Bonum enim semper est ante malum, et legale ante illegale. Lex enim data in Paradiso profecit per legem Moysi, et per legem Christi et gratiam est consummata. Ista ergo causa dissolutus iste est adolescentior.

Dixit autem : « *Patri,* » qui paterno affectu etiam stultos diligit filios. Jerem. XXXI, 20 : *Si filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus !* Quasi dicat : Non est. Et tamen sequitur : *Quia ex quo locutus sum de eo, adhuc recordabor ejus.*

« Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.

Ecce postulatio stulta portionis, quæ in manibus remanens custodita, augenda erat : et data stulto, consumenda.

Dicit autem tria : primo, jus naturæ patri ad mentem reducit : secundo, debitum quomodo requirit : tertio, de quo debitum sit, subjungit, et qua ratione.

Dicit igitur : « *Pater.* » Quasi dicat : Hoc ex jure naturali denegare non debet. Dicit enim Philosophus naturalis, quod sicut filius egreditur cum parte substantiæ de corpore patris per generationem, ita cum parte facultatis de domo patris debet emitti. II ad Corinth. XII, 14 : *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

Hac igitur de causa dicit : « *Pater, da mihi,* » ad usus meos. Quasi dicat illud Genesis, XXX, 30 : *Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ.* Non semper debeo sub tutore esse, et ad alienam respicere manum.

« Portionem, »

Scilicet meam, quia aliqua portio et major debebatur seniori, aliqua etiam debebatur patri Et ideo temperat postulationem, dicens : « *Portionem,* » quæcumque est illa. Numer. XXVII, 6 : *Justam rem postulant filiæ Salphaad : da eis possessionem inter cognatos patris sui.*

Quæ sit autem ista portio, quam filius accipit a patre, dicunt Sancti quod est bonum naturale, et cum natura datum, et donatum, et acquisitum. Bonum autem naturale est aptitudo naturæ habitualis ad verum et bonum. Cum natura datum, est intellectus, perspicacitas, ingenii subtilitas, solertia, liberum arbitrium, sensus, et omnia alia talia. Donatum autem est fortitudo corporis, pulchritudo, nobilitas, et hujusmodi. Acquisitum, scientiæ, honores, bona temporalia, et hujusmodi. Hæc omnia enim a Deo Patre accipimus pro portione. Matth. XXV, 15 : *Dedit... unicuique secundum propriam virtutem.* Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.* Esther, II, 18 : *Dona largitus est secundum magnificentiam principalem.*

« Substantiæ quæ me contingit. »

Tangit de quo egrediens de domo quærit portionem : quia « *substantiæ.* » Substantiæ autem dicuntur facultates, quæ sunt datæ ad subsistendum in substantia individuæ personæ hominis, et ad substandum in domo. Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Sic dicitur de Job, I, 13 et seq., quod perdidit omnem substantiam suam.

Tangit autem rationem justitiæ, quando addit : « *Quæ me contingit,* » jure hæreditatis. Decrevit enim Dominus, Numer. XXVII, 8, quod substantia patris de-

volvitur ad filios, si filios habet. Hic autem filius ea quæ accipit a Domino, sibi dari petit : ut propria voluntate his utens fruatur ad libitum. Eccli. XVII, 3 : *Dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram.* Eccli. XV, 14 : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.*

« Et divisit illis substantiam. »

Tertium est quod sibi debitam obtinuit portionem : quia pater ordinem naturæ attendens, nec ordinem illum corrumpere volens, divisit substantiam inter filios : volenti recedere donans suam, et volentis secum manere filii, cum sua in manibus tenens et augens. Et hoc est quod interdicit Apostolus, ad Hebr. III, 12 : *Ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Tamen pater ordinem naturæ corrumpere nolens, dat ei quod suum est. Matth. XX, 14 : *Tolle quod tuum est, et vade.* Ad Roman. XIII, 7 : *Reddite omnibus debita.*

13 « Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriose. »

Hic agitur de filii stulti recessu a patre.

Et dicit quatuor, scilicet, quod cito recessit a patre, quod omnia secum congregata detulit, quod in regionem longinquam peregre abiit, quod ibi omnia sua turpiter consumpsit.

De primo dicit : « *Non post multos dies.* » Hoc fuit tempus breve, quo reverentia tanti patris, et ordinatio domus patris adhuc in corde remansit. Genes. XXXI, 42 : *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses.* Quamdiu ergo reverentia paterna remansit in corde et doctrina patris (quod fuit parvum tempus) remansit verecundia retentus. De talibus dicitur, Matth. XIII, 21, et Luc. VIII, 13, quod *temporalis* est : quia *ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

Dicit autem : « *Dies,* » quia dies fuit quamdiu in conspectu patris remansit. Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me donec dies est : venit nox, quando nemo potest operari.* Unde etiam cum proditor exivit de domo Christi, Joan. XIII, 30, dicitur : *Cum accepisset ille buccellam,* sicut portionem quæ eum contingebat, *exivit continuo : erat autem nox.*

« Congregatis omnibus. »

Duo dicit, et quod facultates omnes congregavit, et quod cum omnibus peregre est profectus.

De primo dicit : « *Congregatis omnibus,* » ut omnia referret ad ministerium lasciviæ et iniquitatis, intellectum, et ingenium, et omnia quæ ad bonum dedit illi Deus : et omnibus illis Deum pium Patrem impugnaret, ut quasi fieret in eo quod dicit Psalmus LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus Deum extento collo, et pingui cervice armatus est.* Deuter. XXXII, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Et hoc est quod dicit, Osee, II, 8 : *Hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal* (hoc est, *absque jugo :* quia hoc Baal interpretatur). Frumentum verbi quod confortat cor hominis, vinum jucunditatis spiritualis, oleum pinguedinis in devotione, argentum eloquentiæ, et aurum sapientiæ. Et ex omnibus illis recedens, efficitur suæ libertatis, impugna-

tor patris, et consumptor substantiæ ipsius.

« Adolescentior filius, »

Plus lascivia mentis quam ætatis. Philosophus : « Non ab ætate defectio est, sed est a passione. » Isa. LXV, 20 : *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.*

« Peregre. »

Ut peregrinus esset a conspectu tam reverendi patris. Isa. XXVIII, 21 : *Peregrinum est opus ejus ab eo.* Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?* Homo enim secundum divinum intellectum in contemplatione veritatis habet patriam, et peregrinus est in aliis caducis et abducentibus animum. Unde, I Petr. II, 11 : *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis.*

« Profectus est in regionem longinquam. »

Longinquitas ista est per distantiam similitudinis paternæ, et non per distantiam locorum. Et maxima longinquitas, est recedere usque ad oblivionem Dei Patris. Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.* Proverb. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.* Mich. IV, 10 : *Egredieris de civitate, et habitabis in regione et venies usque ad Babylonem.* Et in hac longinquitate maxime fuit error gentilis.

« Et ibi, »

Non reveritus vultum patris, « *dissipavit substantiam suam,* » omnia bona accepta a patre, « *vivendo luxuriose,* » hoc est, ad luxum concupiscentiæ. Sapient. XV, 12 : *Æstimaverunt lusum esse vitam nostram.* Talis enim vita corpus, animam, et res consumit. Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Proverb. XXIX, 3 : *Qui nutrit scorta, perdet substantiam.* Proverb. XXI, 17 : *Qui diligit epulas, in egestate erit.* Ista enim est lex lasciviæ, quod omnia consumit : sicut Helena consumpsit Græciam, et Phrygiam, ædes combussit, et omnia redegit in nihilum. Et hoc est ideo, quia consilio non regitur, fræna non patitur, et nullum sibi ponit modum. Proverb. XV, 22 : *Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium.* Proverb. XXX, 15 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum numquam dicit : Sufficit. Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Juxta Platonem, concupiscentia sepulta est in inferno : et ideo voracitas concupiscentiæ dicitur *infernus.* Os autem vulvæ (a volvendo dictum) vocatur delectatio ligans mentem, quæ non satiatur, sed per rememorationem semper similes suscitat appetitus. Terra autem, terrenitas hians est semper ad bibendum delectabilia. Ignis est incendium fomitis. Ista ergo totum consumunt.

« Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere. » 14

Hic tangitur de egestate ad reditum compellente.

Et hæc exaggeratur a quatuor : a causa, ab effectu, a frustratione laboris inutilis, a penuria, qua etiam vilem cibum mereri non valuit.

De causa dicit : « *Et postquam consummasset omnia,* » quæ a manu Domini acceperat, et viribus consumptis. Genes. XLVII, 18 et 19 : *Non celabimus dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt : nec clam te est, quod absque corporibus et terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente ?* Consumpta est pecunia sapien-

tiæ et eloquentiæ. Pecora autem defecerunt, quando etiam pecorinæ vires deficiunt ad voluntatem hominis explendam, et nihil remanet nisi marcidum corpus, et pondus terrenum in ultima senectute. Psal. XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* Sapient. V, 13 : *Virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : in malignitate autem nostra consumpti sumus.*

« Facta est fames valida in terra illa. »

Hæc est secunda causa, et effectus primæ. Hæc autem fames est destitutio audiendæ veritatis per verbum, et percipiendæ per sacramenta. Genes. XLIII, 1 : *Interim fames omnem terram vehementer premebat.* Amos, VIII, 11 : *Mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Job, XXX, 3 : *Egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine, squalentes calamitate et miseria.* Omnis enim humor boni exsiccatur in talibus, et rodunt in solitudine silvestri, ubi pilosi saltant, hoc est, dæmones : et squalent egestate spiritualis boni et miseria. Hæc igitur fames est effectus consumptionis substantiæ, et premit istum miserum destitutum omni bono paterno.

« Et ipse cœpit egere. »

Hoc est secundum, effectus duorum. Eguit autem quandoquidem voluntatem fruendi peccato habuit : et valetudinem non habuit, quia perficere non potuit. Psal. XXXIII, 11 : *Divites eguerunt, et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Proverb. III, 33 : *Egestas a Domino in domo impii.* Proverb. XIII, 18 : *Egestas, et ignominia ei qui deserit disciplinam.* Proverb. XIX, 15 : *Anima dissoluta esuriet.* Proverb. XIV, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Unde dicit Beda : « Omnis locus « absente patre penuria est. »

« Et abiit, et adhæsit uni civium re- 15
gionis illius, et misit illum in villam. suam ut pasceret porcos. »

Ecce tertium, quod est frustratio laboris inutilis.

Dicit autem quatuor, scilicet, quod abiit a se, quod malo adhæsit, quod vili labore se occupavit, quod labor sibi inutilis fuit.

De primo dicit : « *Et abiit,* » a semetipso, et ipsius bono recessit in quamdam redeundi desperationem. Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.*

« Et adhæsit, »

Illicito amore et communione illicita. Isa. II, 6 : *Pueris alienis adhæserunt.* « *Uni civium regionis illius* » pessimæ. Genes. XIV, 13 : *Homines Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.* Nec dicitur *civis*, eo quod esset aliqua civilitate dispositus : sed quia ad modum civis concorditer malis cohabitavit. Quæ concordia pessima, est unanimis consensus ad peccandum. Psal. LXXII, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Iste ergo misero adhæsit.

« Et misit illum in villam suam. »

Ecce occupatio laboris inutilis. Hæc autem est villa, in qua terra ad concupiscentias excolitur. Luc. XIV, 18 : *Villam emi, habeo exire, et videre illam.* Genes. III, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi,* hoc est, punctiones sollicitudinum, et aculeos libidinum. Proverb. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

Ager enim in quo agit stultus, est concupiscentia corporis : et vinea est gaudium hujus mundi, quæ operta sunt urtica (quæ ab urendo dicitur) libidinum, et spina sollicitudinum vanarum.

In hanc ergo villam misit eum, ut abominatam coleret concupiscentiam.

Et hoc est quod sequitur :

« Ut pasceret porcos. »

Porcus nomine suo quasi *spurcus* dicitur, quia spurcitiis gaudet. Et nos quidem jam in præhabitis, et super Matthæum [1] propria porci diximus : tamen et hic aliqua dicemus.

Dicit autem Glossa, quod porci sunt dæmones, qui spurcitiis delectantur. Psal. XVI, 11 : *Saturati sunt filiis*, scilicet re porcina, *et diviserunt reliquias suas parvulis suis*. Hos iste pavit, quando voluntati eorum satisfecit. Isa. LXV, 4 : *Qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum.*

Luxuria autem præcipue est porcina. Proverb. XI, 22 : *Circulus aureus in naribus suis*, sive porcæ, *mulier fatua et pulchra*. Statim enim gemmam annuli ponit in stercore. Et sic facit luxuriosus, omnem decorem suum abscondit in infamia luxuriæ.

Porcus etiam ferventis est iræ : et ideo corrixatio proprie est porcorum. Psal. LXXIX, 14 : *Singularis ferus*, hoc est, porcus, *depastus est eam*, Domini scilicet vineam.

Est etiam porcus aper indignanter superbus : et ideo alia secat animalia, nec patitur societatem aliorum. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.*

Cupidi etiam valde sunt porci, et soli volentes possidere suam habitationem : et ideo significant avaros. Matth. VIII, 31 : *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.*

Est etiam ventrosus porcus : et ideo significat gastrimargiam, quæ est ventris insania. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad vomitum, et, Sus lota in volutabro luti.*

Est etiam porcus piger propter carnis pondus : et significat pigritiam, quæ est acidia. Levit. XI, 7 : *Sus, qui cum ungulam dividat, non ruminat*, immunda erit vobis. Non enim habet discretivam vim, ad discernendum inter spiritualia (in quibus veloces esse debemus) et carnalia (ad quæ tardi esse deberemus).

Hos igitur porcos misit eum pascere civis regionis ignominiosæ, quæ tota est plena puteis bituminis voluptatum, sicut Sodoma : sicut dicitur, Genes. XIII, 13 : *Et hæc fuit occupatio sua in labore vili et inutili.*

« Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant : et nemo illi dabat. » 16

Hic tangitur laboris inutilis frustratio.

Et dicit tria : turpe desiderium, porcinum cibum desideratum, et desiderii frustrationem.

De primo dicit : « *Cupiebat*, » ardenti concupiscentia. Jacob. IV, 3 : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

Hic enim nihil cupiebat nisi insumere sicut pecus, et « *implere ventrem suum*, » hoc est, carnalem concupiscentiam. Ad Philip. III, 19 : *Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Eccle. II, 25 : *Quis ita devorabit, et deliciis affluet ut ego ?* Et nota quod dicit : *Implere ventrem suum :* quia ad tantam erat reductus necessitatem, quod jam non cogitabat sapores :

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matthæum, VIII, 31. Tom. XX hujusce novæ editionis.

dummodo venter quocumque secundum quantitatem impleretur. Job, VI, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.*

« De siliquis quas porci manducabant. »

Siliqua, secundum Glossam, est genus leguminis, habens folles sicut faba vel pisa. Et dicit quod est legumen concavum, multum habens de folle, et parum de substantia. Dicunt autem alii, quod est fructus cujusdam arboris. Secundum Philosophum autem naturalem in scientia de *Vegetabilibus*, non dicitur siliqua aliquis fructus, vel semen, vel legumen : sed generaliter omnis folliculus concavus, in quo semina, vel fructus, vel legumina continentur, *siliqua* vocatur. Famis enim tempore, dominus porcorum fructus et legumina comedendo, vel vendendo, in usus proprios redegerat : et porcis, et custodi porcorum siliquas, ad infelicem vitam sustentandam, in cibum ministrabat.

Significant autem siliquæ siccas libidinosorum consolationes in amplexibus et tactibus turpibus : quando peccatum committi non potest, vel non licet propter homines : sicut qui tangunt turpia mulierum, ubera, et inguina fœtentia. Et in hoc delectantur sicut sus, quæ submittit aures in concupiscentia. Job, XXX, 4 : *Mandebant herbas, et arborum cortices : et radix juniperorum erat cibus eorum.* Herbæ sunt cibus jumentorum. Arborum autem cortices sunt non ligni quidem cortices, sed fructuum : sicut diximus. Et illi cortices dicuntur *siliquæ*. Et radix juniperorum præ omnibus lignis continere dicitur ignem : ita ut quadraginta diebus sub cineribus inclusum, carbo de radice juniperi dicitur ignem continere. Et significat incendii materiam libidinis inexstinguibilem, etiam in non valentibus peccare.

« Et nemo illi dabat. »

Quia ea in usum sumere vel non valebat, vel propter confusionem non licebat. IV Reg. VII, 19 : *Videbis oculis tuis, et inde non comedes.* Psal. CIX, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.* Hic enim verum est illud poetæ :

Tantalus a labris fugientia pocula captat.
Quo sunt plus potæ, plus sitiuntur aquæ.

Proverb. XX, 4 : *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.* Hoc est, refrigerium aquæ, quod damnatus in inferno petivit, qui de nullo bono curavit, nec non obtinuit [1]. Unde Beatus Bernardus : « In « æternum non obtinebit quod vult : et « tamen quod non vult, in perpetuum « sustinebit. » Hæc enim pertinacia est iniquæ voluntatis, et præcipue in damnatis : ut adhuc peccandi habeat desiderium, etiam cum non valet explere delictum. Et illi spadones diaboli, qui fornicari non possunt, et ad puellam suspirant. Eccli. XXX, 20 et 21 : *Portans mercedes iniquitatis : videns oculis, et ingemiscens, sicut spado complectens virginem, et suspirans.* Sic voluntatem habens ad omne peccatum, et perficere non valens.

« In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! » 17

Dicuntur autem hic tria : reversio ad sui cognitionem, attrahentia ad patris reversionem, et ejus quod cogitaverat per effectum impletio.

De primo dicit : « *Ipse autem,* » pec-

[1] Cf. Luc. XVI, 24.

cati vias invenire non valens. Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet.*

« *In se reversus,* » hoc est, ad rationis actum introrsus in corde, a quo discesserat, « *reversus.* » Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Psal. LXXVI, 7 : *Exercitabar cum corde meo, et scopebam spiritum meum.* Iste est nuntius qui ad Job revertitur, damna renuntians [1].

« Dixit. »

Hic tangit ea quæ ad revertendum trahebant.

Dicit autem duo : spem benignitatis et charitatis paternæ in genere conjunctos : et afflictionem pœnarum peccati, qua pungebatur in exsilio. Et ex his elicitur revertendi propositum.

De primo dicit :

« Quanti mercenarii, »

Ad domum patris non pertinentes, sed mercede temporali sibi constituta servientes, sicut Judæi, qui semper spe mercedis temporalis servierunt. Deuter. XXXIII, 28 : *Tantummodo oculus Jacob in terra frumenti, et vini.* Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.*

Et hi

« In domo patris mei, »

Hoc est, in familia magni patrisfamilias. II ad Timoth. II, 20 : *In magna autem domo non sunt solum vasa aurea et argentea, sed et ignea et fictilia : et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Mercenarius vero invite servit, et tamen servit in spe mercedis. Et hac accepta de domo egreditur, et nihil honoris habet : tamen multa bona facit, et ideo sui indigetur : et non tantum toleratur, sed etiam ad domum vocatur et conducitur. Ita est qui in Ecclesia pro mercede temporali servit : sicut Clericus pro stipendio præbendæ multa bona facit, et vocatur, et remuneratur : sed tandem sine honore cum damnandis egreditur. I Corinth. IX, 17 et 18 : *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea ? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio.* Iste enim se non exponit periculo pro domo patrisfamilias. Ezechiel. XIII, 5 : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Joan. X, 13 : *Mercenarius fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.*

« Abundant panibus, »

Ad litteram. Panibus cor confortantibus veritate verbi, gratia virtutis, et refectione sacramenti : de quibus panibus jam ante diximus, et habent unde se et alios reficiant. Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Isa. XXI, 14 : *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.* Isa. XXXIII, 16 : *Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.* Hæc igitur spes traxit eum : quia liberalis fuit etiam in non conjunctos.

« Ego autem hic fame pereo, »

Refectione destitutus : sicut Gentilis populus in idololatria, et sicut quilibet in peccati exsilio. Aggæi, I, 6 : *Comedistis, et non estis satiati.* Et, ibidem, *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Quia si etiam aliquid delectationis habet peccatum, hoc ipsum non nutrit, sed convertitur in

[1] Cf. Job, I, 14 et seq.

tormentum et venenum. Et idcirco fame perit etiam, qui delectamenta peccatorum comèdit. Isa. XXIX, 8 : *Sicut somniat esuriens, et comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus : et sicut somniat sitiens, et bibens, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit :* sic facti sumus. Ille enim vere fame perit, qui delectatione peccati quærit refici, et nihil reficitur, sed perit de die in diem. Isa. LXV, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis.*

« Surgam, et ibo ad patrem meum. »

Ecce revertendi propositum : in qua parte quatuor continentur : a peccato surrectio, ad patrem bonum profectio, peccati confessio, et veniæ supplicatio.

De primo dicit : « *Surgam,* » non tantum in præsenti momentaneo, sed in omne sursum me agam. Ad Ephes. V, 14 : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Isa. LII, 2 : *Consurge, sede, Jerusalem : solve vincula colli tui, captiva filia Sion,* hoc est, vincula consuetudinis peccatorum, collum rationis tuæ deprimentia. Psal. LXIII, 7 : *Accedet homo ad cor altum.* Luc. XXI, 28 : *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Sic igitur non ad terram, sed ad cœlum factus est sursum, cum caput mentis in sublime bonum extollit.

« Et ibo. »

Ecce ad patrem bonum profectio. Eccli. XVII, 23 : *In partes vade sæculi sancti, cum vivis et dantibus confessionem Deo.* Jerem. LI, 50 : *Venite, nolite stare.* Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Genes. XXXII, 9 : *Revertere in terram tuam, et in locum nativitatis tuæ.* Ex Deo enim natus es, et terra nativitatis tuæ est habitatio Sanctorum.

« Ad patrem meum. »

Ad paternum fontem boni revertar. Eccli. XVII, 23 : *Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito exsecrationem.* Pater enim non obliviscitur substantiæ et proprietatis patris, et affectus filialis. Substantia enim patris ipsa dulcedo est proprium, misereri et parcere : affectus ad filium semper dependere. Et de substantia quidem dicitur, Sapient. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* De misericordia, Joel, II, 13 : *Patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* De affectu, II Regum, I, 26 : *Sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam.*

Ad talem igitur ibo patrem.

« Et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te. »

Ecce humilis confessio, in qua tria dicit : spem patris, confessionem veritatis, et eam quam meruit per peccatum abjectionem indignitatis.

De primo dicit : « *Pater.* » Quasi dicat : Nihil spei mihi est sine te, sed multa fiducia in te : qui vere pater es in patris affectu. Isa. LXIV, 8 : *Nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.*

« Peccavi. »

Ecce humilis et vera confessio. « *Peccavi.* » II Reg. XXIV, 17 : *Ego sum qui peccavi, ego inique egi.* Job, XXXIII, 27 : *Peccavi et vere deliqui : et, ut eram dignus, non recepi.*

« In cœlum, »

Per metonymiam, hoc est, Sanctos et Angelos offendendo. Jerem. II, 12 et 13 : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer, dicit Do-*

minus. Duo enim mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Peccatum enim redundat in verecundiam Sanctorum, qui *cœlum* vocantur : quia eorum conversatio est cum Angelis in cœlo. Isa. xxxiii, 7 : *Ecce videntes*, hoc est, Prophetæ, *clamabunt foris, Angeli pacis amare flebunt.*

« Et coram te, »

Qui omnia vides. Vel, « *Coram te,* » hoc est, ante conspectum tuum. Ad Hebr. iv, 13 : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominum patent oculis ejus.* Dolor igitur est, quia peccavit in cœlum in amissione et offensa societatis Sanctorum. Verecundia autem, quia coram parte peccavit. Deformitas autem ex ipso peccato. Psal. l, 6 : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci.*

19 « Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. »

20 « Et surgens venit ad patrem suum. »

Ecce recognitio propriæ indignitatis. Imaginem enim tuam in me deturpavi, et bona optima a te collata consumpsi : et ideo filius alienatus sum qui mentitus sum tibi, inveteravi in terra aliena, et a semitis tuis claudicavi. Non sum de illis de quibus dicitur, Jerem. xvii, 16 : *Non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi.* Sed alios sequens, indignus factus sum tua paternitate. Factus sum de illis de quibus dicitur, Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* I ad Corinth, xv, 49 : *Portavimus imaginem terreni*, scilicet patris, et deturpavi imaginem tuam. Sic igitur, « *non sum dignus vocari filius tuus.* »

« Sed fac me sicut unum, etc. »

Ecce humilis supplicatio veniæ. In hac autem supplicatione recognoscit potentiam faciendi non esse in se, sed in patre. Et non dicit quod faciet mercenarium, quia ille non manet in domo patris in æternum, sicut dicitur, Joan. viii, 35 : sed quod faciat eum sicut mercenarium, hoc est, filium, in habitu humilitatis servi in domo operantem.

De primo dicit : « *Fac,* » tu, qui potestatem habes : ego enim defeci. Matth. iii, 9 : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Servum enim potest facere filium Dominus Pater.

« *Fac,* » ergo qui omne bonum ex te facis. Isa. xxvi, 18 : *A timore tuo concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum*, scilicet salutis. Sic igitur qui spiritum adoptionis dedisti jam, « *fac,* » per gratiam subsequentem, « *fac me,* », quia licet corruptus a factura tua prima, tu dixisti, Jerem. xviii, 4 et seq : *Dissipatum est vas quod figulus faciebat e luto manibus suis : conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret. Et factum est verbum Domini ad me, dicens : Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel? ait Dominus : ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.*

« *Fac,* » ergo de luto corrupto vas quod merito placeat in oculis tuis.

Sic ergo dico : « *Fac me,* » non mercenarium : quia in domo tua perpetuo manere cupio : sed « *sicut mercenarium,* » qui in habitu humilitatis servi serviat, et tamen in domo remaneat : quia sic imitabor filium tuum dilectum,

ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Et post pauca, ℣. 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens*, scilicet Patri, *usque ad mortem :* sicut et ego usque ad mortem servire disposui.

« *Fac ergo me sicut mercenarium.* » Job, XIV, 6 : *Donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.* O pater, fac ergo quod dixisti, Eccli. II, 22 : *Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem tibi animam suam.* Ego enim in veritate opera servi perficere volo, et ut mercenarius dare tibi totam animam ex omnibus viribus meis.

« Et surgens. »

Ecce veniam impetrans benignitatem tuam.

« *Et,* » cum hac sui indignatione, et veritatis confessione, et devota et humili supplicatione, « *surgens,* » agens per effectum operis se sursum, a sentina vitiorum. Psal. III, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum* (in peccato), *et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.*

« *Venit,* » profectu virtutis, « *ad patrem,* » dicens cum servis David, I Reg. XXV, 8 : *In die bona venimus ad te.*

« Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. »

Hic tangitur patris benignissima susceptio revertentis filii.

Tanguntur autem hic duo, quorum primum est benignissima susceptio patris : secundum autem est placatio indignantis cohæredis.

In primo horum tria sunt, scilicet, signa benignitatis patris in suscipiendo, veritas filii in pœnitendo et confitendo, festivitas totius familiæ in congratulando.

Signa benignitatis in suscipiendo sunt quinque, scilicet, quod longe adhuc positum vidit, quod ad venientem miserum misericordia motus fuit, quod lasso paterne occurrit, quod se non continens super eum cecidit, quod intimæ dilectionis osculum impressit.

De primo dicit :

« Cum autem adhuc longe esset, »

Quia in reliquiis peccati et tentationibus adhuc fuit. Vel forte melius, quia nimia humilitate se longe esse reputavit, quamvis jam prope fuisset per gratiam. Daniel. VII, 13 : *Adspicio ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* Isa. LX, 4 : *Filii tui de longe venient.* Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo.*

« Vidit, etc. »

Respectu vocationis, quo vocavit Petrum a trina negatione... Luc, XXII, 61 et 62 : *Conversus Dominus, respexit Petrum :...et egressus foras,* scilicet Petrus, *flevit amare.* Joan. I, 48 : *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Genes. XXII, 14 : *In monte Dominus videbit,* hoc est, de specula suæ celsitudinis. Sapient. IV, 15 : *Respectus Dei in electos illius.*

« Et misericordia motus est. »

Cor enim paternum misericordia movetur ad filium. Jerem. XXXI, 20 : *Conturbata sunt viscera mea super eum, miserans miserebor ejus, ait Dominus.* Osee, XI, 8 et 9 : *Conversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea : non faciam furorem iræ meæ, non convertar ut disperdam Ephraim.*

« Et occurrens. »

Hic tangitur qualiter lasso occurrit : quia lassatus fuit in via iniquitatis, et magna perficere non valuit : licet voluntate magna voluerit. II Machab. I, 3 : *Corde magno, et animo volenti.* Illis enim quantumcumque debilibus, per se et per suos occurrit. Isa. LXIV, 5 : *Occurristi lætanti, et facienti justitiam.* I Machab. XI, 60 : *Occurrerunt ei honorifice de civitate.* Occurrit enim Deus, et sui, et manum porrigit adjutricem.

« Cecidit, »

Impetum amoris ferre non sustinens. Cecidit enim qui totus venit. Act. X, 44 : *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiunt verbum.*

Cecidit autem « *super collum ejus.* » Genes. XLVI, 29 : *Videnque eum, irruit super collum ejus.* Collum autem, sicut sæpe diximus, secundum expositionem beati Dionysii, est continuatio capitis ad corpus, in quo decurrit vitalis spiritus, et per quod trahitur cibus corporis totius. Et secundum has proprietates ratio est collum continuans caput animæ (quod est mens) cum animæ viribus inferioribus quasi cum corpore : quia in capite (quod est mens) est imago Dei impressa, et in corpore sunt sensibiles vires animæ, et ratio continuat unum cum altero : quia inferiora refert ad superiora per obedientiam, et superiora reducit ad inferiora per ordinationem et providentiam. Sicut igitur diximus, ipsa est collum. Cantic. I, 9 : *Collum tuum sicut monilia,* hoc est, discretionis monimenta. Inde est quod qui superbæ sunt rationis, collosi tolluntur. Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus Deum extento collo, et pingui cervice armatus est.* Hinc est quod Dominus colla superborum conculcare dicitur, quando rationem eorum humiliat, et in obsequium fidei suæ inclinat. Eccli. XXIV, 11 : *Omnium excellentium et humilium colla*[1] *virtute calcavi.* Et quia de collo rationis bonæ laus Dei egreditur, ideo de laudante Deum vectore Dei dicitur, Job, XXXIX, 19 : *Numquid præbebis equo fortitudinem : aut circumdabis collo ejus hinnitum?* Quasi dicat : Non tu facies hoc, sed ego gratia mea hoc perficiam : sicut collo istius prodigi produxit confessionis hinnitum.

« Et osculatus est eum, »

Osculum amoris imprimens. In osculo enim est impressio labiorum, et permixtio spirituum, et in impressione labiorum est unio oris utriusque : ut unum os de cætero sit ipsius cum patre in omni verbo virtutis et veritatis confessione. Jerem. XV, 19 : *Si seperaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* In permixtione autem spirituum est unio cordium et affectuum, I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino unus spiritus est.* Cantic. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui.* Genes. XXVII, 26 : *Accede ad me, et da mihi osculum, fili mi.* Ecce signa benignæ receptionis.

« Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. » 21

Ecce filii humiliatio coram patre : et veritatis confessio.

« *Pater peccavi.* » Orat. Manassæ, ad finem : *Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco.*

« *In cœlum,* » in cœli offensionem : hoc est cœlestium. Unde, Luc. XVIII, 13 : *Publicanus, a longe stans, nolebat oculos ad cœlum levare :* quia sciebat se cœlestes offendisse.

« *Et coram te,* » quia iniquitas mea

[1] Vulgata habet *corda.*

clamat ante conspectum tuum. Genes. XVIII, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est.* Orat. Manassæ, in medio : *Excitavi iracundiam tuam, et malum coram te feci.*

Et tangit eam quam ex peccato incurrit indignitatem, dicens :

« Jam non sum dignus vocari filius tuus. »

Genes. XXXII, 10 : *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Orat. Manassæ, ad finem : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.* Antequam autem verba quæ deliberaverat, compleat : et non ut filius ; sed ut mercenarius in domo esse petat : pater, victus misericordia, sermonem interrumpit et humilem exaltat.

Et hoc est quod sequitur :

« Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam primam et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus. »

Et dicuntur hic duo : edictum patris, et id quod edicit.

Edictum patris est in hoc quod dicit : « *Dixit autem pater,* » indissimulato imperio imperans. Sapient. XVIII, 15 et 16 : *Sermo tuus de cœlo... prosilivit,... indissimulatum imperium tuum portans.*

« *Ad servos suos,* » Angelos, Apostolos, sanctos Martyres, et Confessores, et Prædicatores. Isa. LXI, 6 : *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Isa. LXIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel : quia in te gloriabor.* I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

« Cito proferte. »

Ecce edictum de vestitu honestatis, de ornatu nobilitatis, et de convivio jucunditatis.

Sed vestitus datur duplex : honestatis, et virtutis in præparationem Evangelii pacis : et ideo ornatus decoris interponitur, inter unum et alterum vestitum : sicut patebit in sequentibus.

De vestitu quidem honestæ conversationis dicit : « *Cito,* » sine mora. Quia, sicut dicit Ambrosius, « Nescit « tarda rerum molimina Spiritus sancti « gratia. »

« *Proferte,* » hoc est, proferendam mea benignitate pronuntiate, « *stolam primam,* » hoc est, honestæ conversationis habitum, ex virtutum decore contextum.

« *Et induite illum,* » ne nuditas macularum ejus de cætero appareat. Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.* Ad Roman. XIII, 12 et 13 : *Induamur arma lucis : sicut in die honeste ambulemus.* Ezechiel. XVI, 8, 7 : *Expandi amictum meum super te, cum esses nuda et confusione plena.* Hæc est igitur stola prima, quæ est ornamentum animæ. Proverb. XXXI, 22 : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Byssus in candore conscientiæ, et purpura in virtutum picturatione. Apocal. VI, 11 : *Datæ sunt illis singulæ stolæ.* Stola dicitur a græco στόλον, quod est *longum :* quia totam tegunt vitam et conversationem quando sunt cum dono perseverantiæ.

« Et date annulum in manum ejus. «

Ante calceamenta dat annulum : quia nisi sit certa fides et fidelitas ad Deum, prædicationis officium assumere non debet. Annulus autem qui in decorem datur, fidem ad Patrem vel ad Sponsum significat. Et ideo quia vena cordis in

medico digiti sinistræ manus pulsat, ideo antiqui annulum in medico sinistræ manus portabant. Sed quia Prælati qui sunt sponsi Ecclesiarum, dextera manu benedicunt, ideo in medico dexteræ manus annulum portant. Hoc igitur ornamentum pater filio in signum restitutæ dignitatis et fidelitatis porrexit. Genes. XLI, 42 : *Tulit annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus : vestivitque eum stola byssina.* Antiqui tamen ante nos versus de usibus et proprietatibus annuli fecerunt, qui tales sunt :

Annule, desponsas, pretiose, pusille, sigillas,
Clare, teres, digitum dextrum gemmate venu-[stas.

Quod enim desponsat annulus, patet ex hoc quod Judas Thamar annulum cum aliis quibusdam dedit pro arrhabone, significans quod Deus meretricem animam aliquando sibi conjungit in fide.

Pretiosus autem est, sicut dicitur, Eccli. XXXII, 7 : *Gemmula carbunculi in ornamento auri :* quia fides innititur auro sapientiæ, et carbunculo charitatis, quæ per dilectionem operatur.

Pusillus autem est in humilitate secundum suum nomen : quia annulus est diminutivum ab anus, quod est circulus. I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

De sigillatione autem habetur, Esther, III, 12, ubi litteræ regis sigillatæ erant annulo suo. Et significat impressionem imagini summi Regis in corde. Cantic. VII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.*

Clarus autem est annulus iste in rationibus articulorum. Sapient. VI, 13 : *Clara est, et quæ numquam marcescit sapientia.* Et ut nihil aliud clarum sit in corde annulati a Deo, Sapient. VII, 29 : *Est hæc speciosior sole, et super omnem dispositionem stellarum, loci comparata invenitur prior.*

Teres autem est, quia in se revertitur propter memoriam æternitatis : ut semper in principio amoris sit ille qui annulatus est. Et ideo præcipitur, Exod. XXVIII, 23 et seq., ut semper annuli parentur in mensa et in arca, quibus portetur.

Ornat autem digitum dextrum ad operis diligentiam et ornatum. Judith, X, 3 : *Assumpsit Judith dextralia, et lilia, et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se.* Dextralia adhibens ad fortitudinem, lilia in virtutis castitatis candorem, et inaures ad obedientiam, annulos autem ad fidem demonstrandam. Et sic virtutum ornamentis omnibus se ornavit.

Gemmatus autem est fulgore cœlestis conversationis et fulgoris. Cantic. V, 14 : *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.*

Talem igitur annulum date « *in manu ejus,* » hoc est, conversatione operum ejus : quia sicut dicitur, Jacob. II, 20 : *Fides sine operibus mortua est.* Jacob. II, 2 : *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida.* Sic enim intrat in Ecclesiam jam iste vestitus et annulatus.

« Et calceamenta in pedes ejus. »

Calceamenta de pellibus mortuorum animalium, sunt memoriæ mortis in cordibus Prædicatorum, Dei filiorum. In pedibus autem sunt, quando sunt in verbo veritatis quoad intellectum, hominibus mortem et præmium mortis demonstrantibus : et in affectu apud se, ut cupiant dissolvi et esse cum Christo. Isti enim duo pedes calceamentis sic muniuntur. Jerem. II, 25 : *Prohibe pedem tuum a nuditate.* Exod. XII, 11 : *Calceamenta habebitis in pedibus.* Canticorum, VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* »

23 « Et adducite vitulum saginatum, et occidite : et manducemus, et epulemur :

24 Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. »

Ecce instruitur convivium congratulantium.

Dicit autem duo : præparationem convivii, et causam.

Circa præparationem dicit quatuor : adductionem vituli, adducti saginationem, saginati occisionem, et occisi epulationem.

De primo dicit : « *Adducite,* » hoc est, ad memoriam reducite. Genes. XVIII, 7 : *Abraham vero ad armentum cucurrit, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum.* Cursus Abrahæ, festinantiam significat devotionis, in qua totus currit animus. Ad armentum autem currere, est ad omnium Sanctorum bona mente percurrere. De numero autem illo vitulum adducere, est de numero martyrum omnium Passionem Christi ad memoriam revocare. Vel forte, vitulum occidere, est lasciviam corporis Deo immolare et occidere. Psal. L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : tunc imponent super altare tuum vitulos.*

De convivio autem subinfert :

« Ut manducemus. »

Manducare est ad necessitatem, epulari ad jucunditatem. Spiritualis enim cibus restaurat vires spirituales deperditas. Et sic est ad necessitatem. Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Genes. XVIII, 5 : *Ponam bucellam panis, et confortate cor vestrum.*

« *Et epulemur,* » ad jucunditatem, et conversorum redeuntium jucunditatem. Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.* Epulatio enim, jucunda refectio est in bonis proximi. I ad Corinth. V, 8 : *Epulemur... in azymis sinceritatis,* conscientiæ, *et veritatis,* in sermone et opere.

« Quia hic, etc. »

Causam hic dicit tantæ lætitiæ :

« *Quia hic,* » in præsenti demonstratus, « *filius meus,* » qui unus est, perditus de domo mea, sicut una ovis errabunda, et una drachma perdita. Non enim modicam jacturam reputat unicum de tanta domo perdidisse. Nec parvum gaudium æstimat unicum de tot millibus perditis recuperasse. Joan. XVII, 12 : *Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis : ut Scriptura impleatur.*

« *Mortuus erat,* » in peccato. I ad Timoth. V, 6 : *Quæ in deliciis est, vivens mortua est.*

« *Et revixit,* » in gratia. Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Ezechiel. XXXVII, 9 : *Veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.*

« *Perierat,* » sicut ovis errabunda : « *et inventus est.* Psal. CXVIII, 176 : *Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, Domine.* Psal. LXXXVIII, 21 : *Inveni David servum meum.*

25 « Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum :

26 Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent.

27 Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. »

Hic tangitur placatio senioris filii super indignatione quod receptus est junior tam benigne a patre.

Dividitur autem in tria : in quorum

primo tangit filii senioris indignationem : in secundo, tangit filii cum patre disceptationem : tertio, tangit filii a patre placationem.

In primo horum tria dicit : filii scilicet in congratulatione ista absentiam, filii auditum cum veniret symphoniæ, et interrogationem de causa tantæ jucunditatis.

De primo dicit :

« Erat autem filius ejus senior. »

Hic allegorice est Judaicus populus, qui semper fuit in agro terrenæ exercitationis, quando ad spiritualia Gentilis populus vocabatur. Exod. IV, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Causa autem quare sit *senior* vocatus, superius est assignata.

« *In agro.* » Judæi agriculturæ operam dederunt : quia terrenis inhiabant more Cain, de quo dicitur, Genes. IV, 2 : *Fuit... Cain agricola*, id est, cœpit exercere terram.

Secundum autem generalem modum exponendi ad moralem sensum et allegoricum, sicut etiam Dominus loqui videtur, sicut superius diximus : tunc senior filius est quilibet qui mores seniorum imitatur, in terrena sapientia lucra conquirens. Hic est in agro lucrorum terrenorum, extra domum patris et penetralia conservatur : quia interiora spiritualia non rimatur. I ad Corinth. II, 15 : *Spiritualis homo judicat omnia.* Et, ibidem, ℣. 14, dicitur, quod *animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Chrysostomus enim dicit moraliter loquens, quod duo fratres sunt Clericus et Laicus. Senior Clericus, qui si in agro est terrenæ occupationis, extra domum est patris. Dicit enim Augustinus, quod negotiatio ita damnabilis est Clerico sicut usura Laico. Unde Chrysostomus : « Qui voluerit esse negotiator, projiciatur de Ecclesia, dicente Propheta, Psal. LXX, 15 et 16 : *Quoniam non cognovi negotiationem*[1], *introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* » II ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus : ut ei placeat, cui se probavit.* Eccli. XXVI, 28 : *Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia : et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.* Inter venditionem enim et emptionem interveniunt mendacia et juramenta falsa.

Nos autem exponemus generaliter quod senior non dissolute vivens est, et non juvenilibus intendens : sed lucris mundi deditus, ad intima spiritus non pertingit : et ideo extra domum et penetralia per agrum discurrit : et ideo sine cogitatu terreno numquam est : sicut neque cribrum sine pulvere. Eccli. XXVII, 5 : *Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.* Illud enim cogitat a quo aporiatur.

« Cum autem veniret. »

Hic tangitur quod tales ante gratias conversorum peccatorum considerant. Unde dicitur : « *Cum veniret,* » accessu mentalis considerationis, ad domestica et occulta Dei : sicut quidam Judæi fecerunt ad gratiam conversionis Gentilium. Sic enim multi venerunt ad talem considerationem : sicut improperat eis Dominus, Joan. V, 40 : *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*, Isa, II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

« Et appropinquaret domui, »

Hoc est, familiæ domus, per intellectum spiritualem, et considerationem decoris domus. Sicut ille fecit qui dixit in Psalmo XXV, 8 : *Domine, dilexi deco-*

[1] Vulgata habet, litteraturam.

rem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Sicut regina Saba, III Reg. x, 5, videns ordinem ministrorum Salomonis, *non habebat ultra spiritum.*

Sic ergo et iste appropinquans domui Dei,

« Audivit symphoniam et chorum, »

In domo Dei, sicut dicit Psalmus LXXXVI, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Et iterum, Psal. XXXI, 11 : *Lætamini in Domino, et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde.*

Est autem *symphonia* dicta a σύν græca præpositione, quod est *cum* : et φώνη, quod dicitur *sonus :* inde symphonia, quod est *consonantia.* Et est idem quod concentus multorum, quando multi unanimiter cantant voces modulatas. Et hoc est quando in exsultatione cordis laudatur Deus a Sanctis, de bonitate beneficiorum et effectu misericordiæ quam exhibet Sanctis : sicut hic laudatur de dulcissima susceptione peccatoris pœnitentis : sicut cantatur in Ecclesia : « Laudemus opus Dei in Maria genitrice, sed virgine. Laudemus opus Dei in Maria peccatrice, sed pœnitente. Illa est speculum innocentiæ : ista autem exemplum pœnitentiæ. » Hinc est quod omnes Sancti concinunt, Psal. CV, 47 : *Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus : ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.* Ecce symphonia de salute congregatorum per pœnitentiam de nationibus peccatorum.

Chorus autem est instrumentum factum sicut cornu, in quo multæ sunt fistulæ diversis sonis in unam symphoniam modulatæ, et gravibus et acutis sonis conjunctæ. Et significat diversas laudes Sanctorum consonas, ex diversis Dei donis gratias agentes. Aliquando etiam a similitudine istius, chorus dicitur circuitus, in quo stant illi qui carmina sic modulatis decantant vocibus. Psal. CXLIX, 3 : *Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.* Ista laus exprimitur, Apocal. XII, 10 et seq. : *Audivi vocem magnam in cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte : et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.* Ecce symphonia in cantu, et chorus in lætitia et concentu cœli, de projectione accusatoris a corde pœnitentium, qui animalem et brutalem vitam cum porcis non diligentes, usque ad mortem confitentes et pœnitentes, redierunt ad patrem. Ad Ephes. v, 19 : *Loquimini vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino.*

Hanc igitur symphoniam audiens auditu interiori aliquis Judæorum, intellectui spirituali dans operam de Gentili converso. Vel quicumque non publicus peccator de publico peccatore converso : sicut de Paulo, et Magdalena, et hujusmodi, stupet et miratur.

« Et vocavit. »

Mentis autem consideratione vocavit « *unum,* » quemcumque Sanctum, qui causas hujus lætitiæ declarat : vel in libris, vel in dictis, vel in exemplis, qui est unus « *de servis : et interrogavit,* » legendo, vel audiendo in prædicatione, vel in doctrina, vel in facto exemplari, « *quæ hæc essent,* » hoc est, quænam esset causa hujus tantæ lætitiæ in domo. Sicut Philistæi quæsierunt causam lætitiæ de vocibus Hebræorum, cum venisset Deus in castra ad inimicorum expugnationem. I Reg. IV, 6 : *Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum ? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra.* Quicumque enim de justitia propria præsumit,

sicut Judæi, et Pharisæi, et generaliter de propria præsumentes justitia, nesciunt sacramenta Dei in gaudiis cordium, quæ facit Deus in cordibus Sanctorum, cum vident peccatores converti, et in hoc laudem et gloriam Dei magnificari. Sicut enim jam ante diximus, in exterioribus major exhibetur lætitia de eo qui periculum evasit, quam de eo qui continuo sanus et securus fuit. Non ideo quod melius sit : sed quia jucundius est et fraternæ dilectionis ostensivum secundum actum.

Et hoc est quod sequitur :

« Isque dixit illi, »

Servus, vel doctor, vel scripto, vel facto, vel verbo vivæ vocis. Job, XXVII, 11 : *Docebo vos per manum Dei quæ Omnipotens habeat.* Psal. XXXIII, 12 : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.*

Dicit autem tria, instruendo præsumentem de sua justitia, scilicet causam lætitiarum, modum, et rationem.

Causam dicit in hoc :

« Frater tuus venit, »

A longinqua regione tenebrarum, et de terra inimicorum aliena dissimilitudinis. Isa. IX, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Baruch, III, 10, 11, 12 : *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es ? Inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis... Nam si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna.* De hac ergo terra venit. *Terra* (inquam) *miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [1]. De hac (inquam) terra venit ad domum abundantiæ patris. Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

« Et occidit pater tuus vitulum saginatum. »

Vitulus potest dici lasciviens juventus, quæ occiditur in converso peccatore, et Deo offertur, et reficit omnes Sanctos, et ipsum peccatorem. Psal. LXVIII, 32 : *Placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.* Cornua intellectus, et affectus, quibus diabolum ventilet : et ungulas discretæ rationis, quas in omnia eligibilia ad vitam discernendo dividat. Hic *saginatus*, hoc est, impinguatus dicitur sagina devotionis. Isa. XXV, 6 : *Faciet Dominus convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Vel, vitulus saginatus est pinguedo devotionis Passionis Christi pro peccatoribus immolati : sicut supra expositum est. Vel melius dicatur, quod vitulus utrumque significat. Osee, XIV, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* In his enim est lætitia, et refectio Sanctorum.

« Quia salvum illum recepit, »

De tantis periculis ereptum. II ad Corinth. I, 9 et seq. : *Non simus fidentes in nobis, sed in Deo,... qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet : adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis.*

Hæc igitur est ratio tantæ lætitiæ et jucunditatis.

« Indignatus est autem, et nolebat introire. » 28

Ecce quod dicit Gregorius, quod falsa justitia et præsumpta, habet indignationem, et compassionem non habet.

[1] Job, X, 22.

Tangit autem duo : indignationem, et avèrsionem duritiei cordis.

De primo dicit : « *Indignatus est autem,* » quia dignum illum tanto gaudio non reputavit. Hoc autem ex quatuor causis solet provenire, quarum prima est præsumptio meriti proprii. Secunda est consideratio lapsus alieni. Tertia, confidentia status ex propria vi. Quarta autem, ignorantia judiciorum misericordiæ Dei.

Primi inter hæc exemplum, Luc. XVIII, 11 et 12 : *Gratias ago tibi, Deus, quia non sum sicut cæteri hominum :... jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.*

Secundi exemplum est, ibidem, ℣. 11 : *Velut etiam hic publicanus.* Luc. VII, 39 : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.*

Tertii exemplum est in Petro, Joan. XIII, 37 : *Quare non possum te sequi modo ? animam meam pro te ponam.* Luc. XXII, 33 : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.*

Quarti exemplum est, ad Roman. XI, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* Sic indignatus est Jonas, Jonæ, IV, 4 : *Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea ? propter hoc præoccupavi ut fugerem.* Ad Roman. X, 2 et 3 : *Testimonium perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Sic ergo,

« Nolebat introire, »

Hoc est, in eos se per devotionem et fidem conjungere, qui de misericordia gaudent in conversione peccatorum : ignorans quod contra primam causam indignationis dicit Dominus, Apocal. III, 17 : *Dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Contra secundam. Mich. VII, 8 : *Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi, consurgam.* Et, ibidem, ℣. 9 : *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Et post pauca : *Educet me in lutum, videbo justitiam ejus.* Eccli. VIII, 6 : *Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei : memento quoniam omnes in correptione sumus.*

Contra tertiam dicit Apostolus, I ad Corinth. X, 12 et 13 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.*

Contra quartam dicitur, Eccli. III, 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.*

Pro his omnibus talibus de se præsumentibus dicit Dominus, Matth. XX, 13 : *Amice, non facio tibi injuriam.* Et, paulo post, ℣. 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*

« Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. »

Hic tangitur qualiter benignus pater suadet et placat filium.

Et dicit duo, in quibus patris commendatur benignitas. Unum quidem quod supplicat inferiori sibi subjecto. Secundum autem, quod rationem præsumptuosi audit, et paterne et rationabiliter elidit.

De primo igitur dicit : « *Pater ergo illius,* » qui vere benignus (etiam in præsumptuosos est). Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est.*

« *Egressus,* » ex occulto suæ divinitatis in assumptionem carnis. Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Vel spiritualiter, egressus de occulto sapientiæ in revelationem judiciorum de exhibenda misericordia. Ezechiel. III, 12 : *Benedicta gloria Domini de loco suo.* Psal. XVIII, 7 : *A summo cœlo*

egressio ejus, hoc est, de summo sapientiæ lucis suæ venit in revelationem occultorum suorum. Quam bonus et misericors sit, Matth. IV, 13 : *Euntes discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium* [1].

« Cœpit rogare eum, »

Ut intraret in cognitionem mysteriorum, et se gaudio Sanctorum conjungeret. Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas ?* Ad Roman. XII, 15 et 16 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sentientes.*

29 « At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer. »

« *At ille*, » sicut præsumptuosus de sua apparente justitia præsumens, « *respondens* » contumaciter, « *dixit patri suo*, » cujus omnem voluntatem sine disceptatione audire et facere debuit. Jacob. I, 19 et 20 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Et dicuntur duo : patientia patris in audiendo filium obsequia jactantem : et sapientia patris filium suadentis et reducentis in sensum.

De primo dicuntur quatuor : longitudinem obsequii jactat, et diligentiam, et se irremuneratum fuisse ab eo etiam in parvo, et patrem accusat quod digno neglecto, indigno multa et magna conferat.

Dicit igitur de primo horum :

« Ecce tot annis servio tibi. »

Longum enim omne tempus reputabat, qui in angaria serviebat. Si enim in amore serviisset, breve tempus esse reputasset. Genes. XXIX, 20 : *Videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* Psal. LXXXIX, 4 : *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.*

« Et numquam mandatum tuum præterivi. »

Jactat et improperat diligentiam obsequii : non attendens quod dicitur, Luc. XVII, 10 : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.* Cum tamen falsum dicat. Job, IV, 18 : *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem.* Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato.* Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos.* Sed quia præsumpta justitia se non reputat offendisse nisi magna committat scelera.

« Et numquam dedisti mihi hœdum, etc. »

Hœdus enim sacrificium est pro peccato. Et est sensus : Numquam me interiori sagina refecisti de conversione peccatorum, sicut reficis Sanctos revertentes de magnis peccatis, quia magni peccatores frequenter devotiores sunt in pœnitentia et gratiarum actione, quam tepidi justi de sua justitia præsumentes : et frequenter majores consolationes in spiritus jucunditate et refectione a Deo percipiunt. Psal. LVIII, 15 : *Famem patientur ut canes*, canes, inquam, latrantes contra gratiam Sanctorum, *et circuibunt civitatem.*

[1] Osee, VI, 6 : *Quia misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plusquam holocausta.*

« Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. »

Hic improperat quod indignis conferat et dignos negligat benefaciendo.

Unde dicit : « *Filius tuus hic,* » cum despectu demonstratus, quem non recognosco fratrem meum : quamvis eum tu filium tuum recognoscas.

« *Qui devoravit substantiam suam.* » Voracitas sonat in vitium gulositatis. Ad Titum, I, 12 : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*

« *Cum meretricibus.* » Notat malam societatem, et causam condevorantium. Deuter. XXIII, 7 : *Non abominaberis Idumæum, quia fratrer tuus est : nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Idumæus enim est carnalia peccata committens, et Ægyptius, tenebrosus in aliis.

« *Venit,* » non devotione, sed necessitate compulsus. Seneca : « Gratias ago « necessitati, quæ non sinit perficere « posse quod male volui. » Augustinus : « Felix necessitas quæ compellit ad bo- « num male volentem. »

« Occidisti illi vitulum saginatum, »

Qui multo majoris est pretii quam hœdus. Interius enim illum reficis : ego autem in interioribus aridus sum, et exteriori videor pollere præservatione peccatorum. Sic, Luc. VII, 47, peccatrix sagina refecta est interiori, Pharisæo jejunante interius, licet exteriori visa justitia reficeretur cum Domino, cum murmure ex invidia stimulatus interius. Job, V, 2 : *Parvulum occidit invidia.* Refectio enim interior fuit in devotione peccatricis, venientis in lacrymis pœnitentis, in osculis diligentis, in humiliatione se peccatricem ostendentis, in unguentis pinguedinis spiritualis consolationis. Et ideo dicit Gregorius, quod « magis intus refectus « est Dominus pœnitentia peccatricis, « quam exterius Pharisæi invidi epulis. »

« At ipse dixit illi : Fili, tu semper **32**
mecum es, et omnia mea tua sunt.
Epulari autem et gaudere oportebat, **31**
quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est. »

Ecce sapientia patris duo faciens. Primo enim justitiam filii collaudat, et remuneratione magna dignam æstimat. Secundo, misericordiam filio delinquenti faciendam esse pronuntiat.

Dicit ergo : « *Fili.* » Te enim filium recognosco. Exod. IV, 22 : *Filius meus primogenitus Israel.* Osee, XI, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

« *Tu semper mecum es,* » consona voluntate justitiæ. I Paralip. XII, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.*

Et tangit remunerationem. « *Et* » ideo, « *omnia mea tua sunt,* » superiora, inferiora, media. Superiora ad perfruendum, media ad vivendum, quæ sunt justitia, et cæteræ virtutes : inferiora ad adjuvandum. Matth. XXIV, 47 : *Super omnia bona sua constituet eum.* Ad Roman. VIII, 32 : *Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?* Et est valde notabilis pietas Patris, qui etiam exteriorem acceptat justitiam, et dicit esse remunerandam omnibus suis bonis. Isa. III, 10 et 11 : *Dicite justo quoniam bene :... retributio enim manuum ejus fiet ei.*

« Epulari autem, » etc.

Tangit misericordiæ dulcedinem peccatoribus exhibendam, quatuor innuens : gaudii opportunitatem, peccatoris cum justo in hæreditate fraternitatem, et gaudii causam, et his tribus præmittit gaudii modum.

Dicit igitur : « *Epulari autem,* » hoc est, dulcedine bonitatis Dei reficì, « *et* » de tanto bono ex corde « *gaudere.* » Ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis, et patientiæ, et longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* In hac enim refectio magna, hoc est, in dulcedine bonitatis divinæ. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Gaudium autem est in conceptione tanti boni. Psal. LXXXIX, 15 : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Psal. XCIII, 19 : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Proverb. XV, 15 : *Secura mens quasi juge convivium.*

« *Oportebat,* » hoc est opportunum erat : quia pater gaudet de bono filii. Genes. XLVI, 30 : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo.* II Reg. XIV, 1, David rex lugebat filium. Opportunum ergo erat patrem gaudere in bono filii.

« *Quia frater tuus,* » tecum pertinens ad eamdem hæreditatem, cui officium fraterni affectus debebas impendere. Ad Hebr. II, 11 et 12 : *Non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Joan. XX, 17 : *Vade ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* II Reg. I, 26 : *Doleo super te, fratrer mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum.*

« *Mortuus erat,* » in peccatis a vita Dei separatus. Baruch, III, 11 : *Coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.*

« *Et revixit,* » per pœnitentiam mortuus quatriduanus : de voluntate peccati veniens in actum, et de actu in consuetudinem, et de consuetudine in desperationem, vel obdurationem. Joan. XI, 43 : *Lazare, veni foras.* Ad Roman, VI, 23 : *Stipendia peccati mors.*

« *Perierat,* » per errores. Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.*

« *Et inventus est,* » ex mea misericordia. Job, XXXIII, 24 et 25 : *Libera eum, ut non descendat in corruptionem : inveni in quo ei propitier. Consumpta est caro ejus,* hoc est, carnalitas ejus, *a suppliciis : revertatur ad dies adolescentiæ suæ,* hoc est, ad dignitatem pristinæ filiationis.

Sic igitur probatum est, quam pius est Dominus in electorum susceptione, quando de peccatis convertuntur ad ipsum, per tres parabolas se consequentes.

CAPUT XVI.

Per parabolam de villico iniquitatis hortatur ad faciendas eleemosynas, docens quid mereatur fidelis aut infidelis mammonæ dispensator, quodque nemo servire potest Deo et mammonæ : Legem ac Prophetas usque ad Joannem fuisse dicit, et nihil de lege periturum ; nec dimittendam ullo modo uxorem ut alia ducatur : de divite epulone, et Lazaro mendico.

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.
2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid

hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam : et sede cito, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire[1] : aut enim unum odiet, et alterum diliget : aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari : et deridebant illum.

15. Et ait illis : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

16. Lex et Prophetæ usque ad Joannem[2] : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.

17. Facilius est autem cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere[3].

18. Omnis qui dimittit uxorem suam[4], et alteram ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide.

20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus :

24. Et ipse clamans dixit; Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut

[1] Matth. VI, 24.
[2] Matth. XI, 12.
[3] Matth. V, 18.
[4] Matth. V, 32; Marc. X, 11; I ad Corinth. VII, 10 et 11.

refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

26. Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei :

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et Prophetas : audiant illos.

30. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

31. Ait autem illi : Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

IN CAPUT XVI LUCÆ

ENARRATIO.

« Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius.

Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te ? Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare. »

Hic incipit determinare de merito electionis et reprobationis.

Tangit autem hic quatuor, et opposita eorum quatuor : in quorum primo tangit misericordiam in pauperes esse meritum electionis, et obdurationem avaritiæ meritum esse reprobationis. Et hoc facit in capitulo isto.

In secunda autem parte tangit fidem operantem per dilectionem esse meritum electionis, et incredulitatem oppositam esse causam reprobationis. Et hoc facit in capitulo XVII.

In tertia autem parte tangit perfectionem observationis mandatorum esse causam electionis, et inobedientiam esse causam reprobationis.

In quarta autem parte ostendit bonum usum commissi doni esse causam electionis, et malum usum ejusdem esse causam reprobationis. Et hæc per ordinem determinantur in quatuor capitulis.

In isto autem capitulo duo facit. Primo enim loquitur de causis electionis, et reprobationis secundum misericordiam eleemosynæ corporalis, quæ est de bonis fortunæ. In secunda autem loquitur de misericordia, et obduratione in eleemosyna spirituali, quæ est in remissione debiti inimicorum : ubi determinat de vitatione scandali, et dimissione debiti ejus qui peccavit in aliquem.

In prima harum partium tangit tria : in quorum primo tangit qualiter per suffragium pauperum quis possit eligi : in secundo autem, qualiter per indurationem oppositam ad pauperes aliquis merito debeat reprobari, occasionem accipiens a Pharisæis, qui hæc audiebant, et erant avari. In tertio autem, parabola divitis et Lazari ostendit hæc, ita ut dictum est, se habere per exemplum.

In prima harum partium tangit duo, in quorum primo exemplarem inducit doctrinam de villico, qui de commissis sibi bonis fecit in tabernaculis se recipi: in secundo, a simili ratione inducit, quod qui vult eligi ad regnum, simile aliquid debet efficere de bonis fortunæ.

In prima doctrina exemplari tria inducit, in quorum primo determinat de exactione rationis a villico : in secundo, tangit sagacitatem villici, reprobationem suam præcaventis : in tertio autem inducit adaptationem hujus similitudinis.

Adhuc autem in prima harum tres sunt paragraphi : in quorum primo dicit sapientiam et abundantiam villicum habentis : in secundo, diffamationem villici bona domini dissipantis : in tertio autem, exactionem rationis.

De primo dicit :

« Homo quidam. »

Describit autem hunc a natura, qua erat præditus. Et cum, sicut dicit Philosophus, homo sit solus intellectus, sapientia iste homo fuit præditus. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, hoc est, lumen sapientiæ tuæ insignitum est nobis. Et ideo homo est rationale animal per naturam. In hoc enim creatus est homo ad imaginem et similitudinem divinam. Et iste est honor hominis in quo est creatus.

Hic

« Erat dives. »

Et est descriptio a fortuna. Hic enim significat eum, qui *dives est in omnes, qui invocant illum* [1]. II Paralip. IX, 22 : *Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ præ divitiis et gloria.*

« Qui habebat villicum. »

Describitur hic a ministro. Villicus autem dicitur villæ custos, quia custodit reditus villarum ad domus procurationem, ut domus in abundantia permaneat : et ideo græco nomine οἰκονόμος, hoc est, dispensator domus vocatur : et significat eos, quibus rerum temporalium dispensatio est credita. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Isa. LXI, 6 : *Ministri Dei nostri dicetur vobis.* I Petr. IV, 10 : *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.*

« Et hic diffamatus est apud illum. »

Ecce diffamatio. Differt autem diffamatio ab infamia : quia diffamatio est bona fama vel mala, longe lateque dispersa. Et notatur in hoc sapientia hujus patrisfamilias : quia non cito credidit contra eum, quem fidelem existimavit, nisi prius longe lateque a gravibus personis fama dispergeretur : sicut Dominus fecit de Sodomitis, qui descendit ut videret si opere compleverint hoc, quod fama longe lateque clamavit de eis [2]. Hoc enim vocatur fama clamans, longe lateque dispersa. I Reg. II, 24 : *Non est bona fama, quam ego audio,* scilicet de vobis. Tales enim ministri magnorum virorum extorquere consueverunt ab hominibus, et dissipare cum satellitibus suis ea quæ extorquent : et ideo fama de eis velociter currit. Genes. VI, 4 : *Isti sunt potentes a sæculo viri famosi,* supple,de mala fama.

« Quasi dissipasset bona ipsius, »

Quia et male congregavit, homines colentes bona depauperando, et sic terra remansit inculta : et ea quæ male congregavit, sicut Nemrod [3], male expendit,

[1] Ad Roman. X, 12.
[2] Cf. Genes. XVIII, 20 et 21.
[3] Cf. Mich. V, 6.

et sic bona domini non auxit, et sic omni modo dissipavit. Psal. CXXXVI, 7 : *Dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Isa. III, 12, 14, conqueritur ipse paterfamilias, dicens : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.... Et rapina pauperum in domo vestra.* Et iterum, ibidem, ℣. 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?* Sic ergo iste est diffamatus. Et beatus paterfamilias, apud quem minister sic et de hoc potest infamari. Apud enim tyrannos nostri temporis hæc est optima fama ministri, si multos spoliet, et terrarum sit vastator : dummodo domino cuncta subjiciat : sicut minister Nabuchodonosor Holofernes, Judith, II, 6 : *Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi.* Isti sunt Nemrothitæ, qui robusti venatores pauperum sunt coram Domino [1]. Eccli. XIII, 23 : *Venatio leonis, onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes.* Hic autem optimus paterfamilias hoc reputat bonorum suorum disssipationem. Per tales enim fit quod dicitur, Isa. XXIV, 1 : *Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit,* hoc est, nudari permittit, *eam, et affliget faciem ejus, et disperget habitatores ejus.* Et, post pauca, ℣. 3 : *Dissipatione dissipabitur terra, et direptione prædabitur.*

« Et vocavit, etc. »

Hic commendatur paterfamilias de justitia : quia licet fama laboraret contra eum, tamen noluit eum condemnare, nisi prius vocatum audiret.

Et hoc est quod « *vocavit eum.* » Joan. VII, 51 : *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso.*

« *Et dixit ei,* » objiciens quod fama resperserat. « *Quid hoc,* » hoc est : Cum tu sis minister justitiæ, quare contrarium « *de te audio.* » Sapient. VI, 5 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.* Auditus autem iste est de clamore eorum, qui a talibus opprimuntur, sive sint villici clerici, qui sacramenta in lucrum convertunt, sive sæculares secularium ministri principum. Jacob. V, 4 : *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit,* et clamat esse fraudatum coram Domino. Eccli. XXXV, 17 : *Non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat,* scilicet coram illo, *loquelam gemitus.* Et iterum, ibidem, ℣℣. 18 et 19 : *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas ? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

A talibus ergo clamoribus provocatus dominus dicit :

« Quid hoc audio de te ? Redde rationem. »

Duo dicit, in quibus iste dives commendatur : prudentiam scilicet in audienda ratione, et constantiam in mali ministri amotione.

De primo dicit : « *Redde rationem,* » hoc est, computationem ratiocinii, « *villicationis tuæ.* » Sapient. VI, 8 : *Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur.* Villicatio autem ista, de qua quæritur ratio, est commissio, vel vitæ in omnibus, vel officii in quibusdam, vel potestatis in aliquibus, vel Ecclesiæ, vel curæ animarum, vel dominatus, sive cujusque alterius vobis commissi. Hanc autem allocutionem facit nobis Deus, aliquando per

[1] Cf. Genes. X, 19.

inspirationem cogitationis in corde, aliquando per flagellum, aliquando per beneficium, aliquando per Doctorem extrinsecum. Matth. XVIII, 23 : *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Matth. XII, 36 : *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Hoc dixit Scriptura articulorum manus scribentis in pariete, Daniel. v, 25 et seq., *Mane, Thecel, Phares.* Numeratum, ponderatum, divisum. Numeratum in ratione dispensationis, ponderatum secundum pondus bonæ vel malæ intentionis, divisum ab ipso secundum exigentiam iniquæ operationis. Ideo dicit, Matth. v, 25 et 26 : *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Sic ergo redde rationem. Matth. XVIII, 28 : *Redde quod debes.*

« Jam enim non poteris villicare. »

Ecce constantia. Non enim fecit sicut nostri temporis Prælati faciunt, qui partem prædationis vel extorti a ministris accipiunt, et iterum extorquere permittunt. Sed iste depositionem confirmavit, ne iterum populum torqueret. Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Job, XLI, 3 : *Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.* Potentia ad impetrandum verba sunt, quæ sic sunt composita, quod possunt et valent inducere ad impetrandum. Iste ergo constans est, et malum deponit ministrum. Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te.*

« Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem ? Fodere non valeo, mendicare erubesco. 3

Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. » 4

Hic tangitur providentia, in qua laudatur villicus. Non enim laudatur de iniquitate, sed de providentia sui : sicut sæpe bonæ proprietates inveniuntur in malis, sicut dicit Dionysius.

Tangit autem hic septem, in quibus laudatur istius prudentia villici : quorum primum est rerum futurarum apud se pertractatio : secundum, dubiorum diligens inquisitio : tertium, periculi sui in depositione ab officio solers prævisio : quartum, sui ad alium actum, quo necessaria conquireret, nulla dispositio : quintum autem faciendorum certa diffinitio : sextum rationis utilis ad facienda adhibitio : septimum autem, eorum quæ sic diffiniuntur efficax per opus impletio. Et hæc septem per ordinem jacent in *Littera.*

De primo dicit Evangelista :

« Ait autem villicus intra se. »

Apud se futura sibi convenientia pertractans et disponens. Hoc enim sapientis est, prius omnia apud se pertractare, et examinare. Job, v, 27 : *Ecce hoc, ut investigavimus, ita est. Quod auditum, mente pertracta.* Sic enim pertractavit apud se quod audivit a domino. Psal. CXVIII, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua.* Psal. LXXVI, 7 : *Meditatus sum nocte cum corde meo.*

« Quid faciam ? »

Ecce dubiorum inquisitio et discussio. Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Discussio enim et investigatio aperiunt

dubia. Daniel. XIII, 22 : *Angustiæ sunt mihi undique.* Ad Philip. I, 22 : *Quid eligam ignoro.*

« Quia dominus meus aufert, etc. »

Ecce periculi sui solers prævisio. Gregorius : « Minus enim jacula feriunt quæ « prævidentur. Et nos tolerabilius mun« di mala suscipimus, si contra hæc per « clypeum providentiæ præmunimur. » Ideo stultus reprehenditur, Proverb. VII, 22 et 23 : *Ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus : velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Dominus enim jus et voluntatem habet auferendi, et ipse jam conscientia dictante villicationem per malum demeruit meritum. Isa. XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* Ideo enim, quia dominantes vitam demerentur, dicitur, Eccli. X, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Proverb. XXVII, 24 : *Non habetis jugiter potestatem.*

« Fodere non valeo. »

Hoc dicit sui ad alium acquisitionis actum nullam videns esse dispositionem. Et de actu quidem laboris dicit : « *Fodere non valeo* » terram in agro vel vinea. Eccle. IX, 10 : *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me dum dies est : venit nox, quando nemo potest operari.* Ad Galat. VI, 10 : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes* : quia amoti a villicatione, operari et fodere non valemus.

« Mendicare erubesco. »

Erubescentia enim est mendicare. Sed destituta villicatione, nemo mendicanti dabit, ex quo dives epulo a patre misericordiarum Abraham guttam aquæ obtinere non potuit [1]. Eccli, XL, 29 : *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas : melius est enim mori quam indigere.* Fatuis etiam virginibus mendicantibus oleum, a consodalibus prudentibus virginibus denegatum est [2]. Quia non in tempore congruo misericordiam petierunt. Proverb. XX, 4 : *Mendicabit æstate* (futuræ serenitatis) *et non dabitur illi.* Sic ergo prævidet ad actus talis acquisitionis se non esse dispositum.

« Scio quid faciam. »

Ecce faciendorum certa diffinitio. Scientia enim necessariorum et certorum est acceptio. Et hoc quidem convenit Sanctis, quando certificantur ex consilio sancti Spiritus. Isa. IX, 6 : *Vocabitur Admirabilis, Consiliarius.* Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Eccli. XXXII, 24 : *Fili, sine consilio nil facias, et post factum non pœnitebis.*

« Ut cum amotus fuero, etc. »

Ecce rationis utilis ad facienda adhibitio.

« *Recipiant me in domos suas.* » Illi scilicet, quibus ex alieno benefecero in hunc modum. I Reg. XX, 14, dixit Jonathas ad David : *Si vixero, facies mihi misericordiam Domini.* Sic Raguel recipiens Tobiam juniorem in domum suam, dixit : *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es,* et facientis eleemosynas [3]. Eccli. XXIX, 20 : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.* Eccli. XIV, 15 et 16 : *Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione Fortis ? Da et accipe, et justifica animam tuam.* Fidejussor enim quidam est similia recipiendi in fu-

[1] Cf. Luc. XVI, 24 et 25.
[2] Cf. Matth. XXV, 11 et seq.
[3] Tob. VII, 7.

turum, beneficium impensum. In divisione enim sortis dat et accipit, qui dat, ut primo secundo ab eodem beneficium repensum accipiat.

« Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam: et sede cito, scribe quinquaginta.

Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. »

Ecce ejus, quod diffinivit, per opus impletio. Multi enim sunt qui optime consiliantur, et non faciunt per opus. Hic autem et prudens fuit in consilio, et efficax in opere.

Dicit autem hic duo : primo quidem quod vocavit debitores : secundo autem quod rationabiliter debita diminuit eis.

De primo dicit : « *Convocatis itaque.* » Omnes simul convocavit : ut si unus negare debitum vellet, hoc facere coram altero non auderet, et ut ab aliis convinceretur.

« *Singulis debitoribus,* » hoc est, qui reditus annuos domino solvere de terris debebant. Matth. XVIII, 24 : *Cum cœpisset rationem ponere, oblatus est unus qui debebat ei decem millia talenta.* Luc. VII, 41 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.* Ex omnibus enim commissis, et omissis, et contra prohibitionem perpetratis, Deo sumus debitores. Et hi Prælati, quibus commissi sumus, rationem in judicio pœnitentiæ de nobis audiunt, et quantum onera nostra ex discretione et misericordia diminuunt, tantum sibi receptionis in æterna tabernacula construunt. Et hoc est quod intendit.

« Dixit primo, »

Hoc est, principale debitum debenti. Principale enim debitum est in mensura olei et tritici, ex quo conficitur panis verbi, et panis gratiæ, et panis sacramenti. Unde, Matth. XXIV, 45, et Luc. XII, 42 : *Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ?* Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Hoc ergo est primum debitum, quod Dominus a suis requirit cultoribus.

« Quantum debes domino meo ? »

Hæc quæstio fit in confessione de peccatis et delictis. Unde, Matth. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Hoc enim debitum minister debet discrete requirere : et quod ultra vires est, misericorditer debet relaxare. Isa. XLIII, 26 : *Narra si quid habes ut justificeris.* Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.*

« At ille dixit, »

Simpliciter et vere confitens : « *Centum cados olei.* » Beda dicit, quod *cadus* græce est amphora latine, continens urnas tres. Dicit autem Isidorus, quod urna est mensura quam quaternam vocant, sicut nos vocamus *quartale.* Scias autem quod urna proprie est vas, in quo mortuorum cineres vel busta reponuntur. Hic autem pro usuali mensura ponitur liquidorum. Sunt autem urnæ centum olei, mensuræ misericordiæ retentæ quæ non est expensa in familiam Do-

mini : sicut bona Ecclesiarum retinenti, quæ sunt oleum eorum, qui eleemosynas in pauperes dederunt, et Ecclesiis committuntur : et quæ non distribuuntur, sunt Domino retenta et debita. Unde, II Machab. III, 10 et 11, de his quæ in ærario Ecclesiæ continebantur, dicitur : *Summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, et victualia viduarum et pupillorum : quædam vero esse Hircani Tobiæ, viri valde eminentis.* Sic enim est in Ecclesiarum et aliarum possessionum reditibus, qui sunt ultra sustentationem honestarum personarum, quæ per Hircanum significantur, sunt victualia viduarum et pupillorum, et sunt oleum misericordiæ commissum Ecclesiæ. Debitor autem centum cadorum, est debitor ille, qui non solvit mandata in illis novem perfectionibus, quæ Angelis attribuuntur, et una decima, quæ est omnium reductio in Deum. Decies enim decem sunt centum. Tres autem urnæ quæ sunt in cado, fides sunt Trinitatis. Quia, sicut dicitur, ad Hebr. XI, 5 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Omnia autem hæc in misericordia debent et reddi et exigi. Jacob. II, 13 : *Superexaltat autem misericordia judicium.*

Misericordia autem habet etiam tria. Primo quidem quod ordinata sit, et a se incipiat. Eccli. XXX, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo :* quia, Eccli. XIV, 5 : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ?* 5. Secunda mensura est, ut sit ex compassione cordis. Isa. LVIII, 10 : *Cum effuderis esurienti animam tuam*, etc. Job, XXX, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* Tertia est mensura, ut sit secundum quantitatem facultatum, Tobiæ, IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri stude.* Si enim ita nos habemus in bonis nobis commissis a Domino ad alios, sive sint bona spiritualia, sive temporalia : ut aliis dimittentes debita, vel donantes nobis commissa, secundum possibilitatem subveniamus : tunc etiam ipsi nobis apud Patrem cœlestem subveniunt.

Et hoc est quod dicit.

« Dixitque illi, »

Villicus debitori : « *Accipe cautionem tuam.* » Littera in qua cautum est de debito, *cautio* vocatur. Et notatur in hoc prudentia villici, qui cautione instrumenti publici debitum confirmari fecit. Jerem. XXXII, 11 : *Accepi librum possessionis signatum, et stipulationes, et rata, et signa forinsecus.* Talis autem liber monimenti accipitur, a discreto Prælato, vel villico, relaxatio quasi in libro recordationis divinæ conscribitur. Job, XXXI, 35 et 36 : *Librum scribat ipse qui judicat, ut in humero meo portem illum.*

« *Et sede,* » hoc est, quiesce : ne de cætero debitum adaugeas. Isa. LII, 2 : *Sede, Jerusalem : solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Vincula, inquam, quibus pro debito teneris captiva. Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius et tacebit : quia levavit super se.*

« *Cito* » autem scribit, quia vehementia doloris tempus, quod perdidit, recuperat. Psal. XLIV, 2 : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Lingua autem hæc est lingua devotionis, qua ad Deum loquimur in oratione, petentes nobis quod ultra vires est debitum dimitti : dicentes illud Matthæi. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

« Scribe quinquaginta, »

Qui est numerus jubilei, et remissionis. Et dimittit dimidium debiti, quia cognovit esse ultra vires debitoris. Sic enim debet facere discretus dispensator, quod omne onus dimittat, quod vires pœnitentium novit excedere. Hic autem dimittit mediam partem debiti, eo quod ipse partem dimidiam vi clavium, et virtute consolatorii sermonis, et exhortationis, et supportationis alleviat : cavens ne dicatur illud

Lucæ, XI, 46, et Matthæi, XXIII, 4 : *Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* E contra de bono et prudenti dispensatore dicit Apostolus, II ad Corinth. II, 10 : *Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos, in persona Christi.* Isa. LVIII, 6 : *Solve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Quidquid enim est ultra vires subditorum, sive in corpore, sive in rebus, debet moderari discretus dispensator, ut per intercessionem et meritum pietatis illius quam habet in subditos, Deus etiam moderetur suum pondus cum defecerit.

« Deinde alii dixit, »

Qui etiam de principali debito debuit. Oleum enim misericordiæ et triticum refectionis familiæ principaliter debemus. Vinum autem spiritualis jucunditatis et lætitiæ non committitur dispensatoribus : sed unusquisque colit hoc, et bibit inter se et Deum.

« *Tu vero quantum debes ?* » Hæc quæstio est discreti dispensatoris circa subditum, ut quærat de oneribus debitorum, et alleviet ubi potest prævia ratione : attendens semper quod dixit Jacob, Genes. XXXIII, 13 : *Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves, et boves fœtas mecum : quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.*

« Qui ait : Centum coros tritici. »

Centum cori sunt, de quorum centenario perfectionis jam dictum est. Dum scilicet quodlibet mandatorum perficitur in fervore charitatis, et in luce summæ veritatis, et in tranquillitate discreti judicii cordis, et in altitudine dominalis virtutis nusquam ad infima inclinante, et in vigore virtutis invicibilis, et in ordinatione ecclesiasticæ potestatis, et in opere decreto a principe Deo, et secundum virtutis alicujus custodiam, secundum quod alibi diximus. Et hæc omnia referuntur ad Deum tamquam in summum perfectorem. Hæc enim decem præcepta multiplicata faciunt centum. Sed de hoc debito solvendo frequenter non prævalet humana infirmitas : et tunc moderandum est a prudenti dispensatore. Corus autem sic dicitur, Isa. V, 10, et triginta modiis usualibus impletur. Modius autem mensura est aridorum, et variatur secundum usum Gentium diversarum. Triginta autem modii, fidem significant Trinitatis cum decalogo, in fidem illam ducto : vel melius, quod impleatur decalogus in quolibet præcepto fide veritatis, spe æternæ retributionis, et charitate divini amoris. Tunc enim quilibet corus triginta habebit mensuras. Vel, quod impleatur *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* [1]. Vel, *sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo* [2], Vel, ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus [3]. De omni autem hoc debito remanet ex imperfectione humana. Et hoc est quod discretus quærit minister.

« Dixitque illi, »

Prævia discretione videns importabile pondus esse debitorum, dicentibus subditis : *Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis : tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, et de jugo gravissimo quod imposuit nobis* [4]. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum : in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo : infirmata est virtus mea :*

[1] I ad Timoth. I, 5.
[2] Ad Titum, II, 12.
[3] Cf. Matth. XXII, 37.
[4] III Reg. XII, 4.

dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere. Sic enim dicit pœnitens ultra vires oppressus.

Et ideo minister de prudentia a Deo laudatus, dicit:

« Accipe litteras tuas, »

Hoc est, cautionis instrumentum, in quo cautum facias dominum meum. Et hoc est promissio firma obediendi, et memoria retinendi, et explendi injunctum. Habacuc, II, 2: *Scribe visum, et explana eum super tabulas : ut vercurrat qui legerit eum.*

« *Et scribe*, » hoc est, confirma ad memoriam. Isa. XXX, 8 : *Ingressus scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud.*

« Octoginta, »

Quintam partem injuncti debiti auferendo. Hæc enim accepta habet Dominus : quia et ipse aufert quintam, reliquas quatuor in pœnitente requirens. Requitur enim in dolore voluntatis in compunctione, in veritate oris in confessione, in virtute operis in satisfactione, et in perseverantia pœnitentiæ in continuatione. Et dimittit quintum, quod erat in inferni et purgatorii expiatione. Luc. XIX, 8 : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Proverb. VI, 31 : *Deprehensus reddet septuplum.* Sic enim solvitur usque ad novissimum quadrantem [1]. Quintum autem solvi non potest, et hoc est dimittendum. Sic prudens minister implens hoc quod dicitur, Isa. LVIII, 6 : *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos : et omne onus dirumpe.* Sic conformat se Domino suo qui dicit, Matth. XI, 28 et seq. : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum,* imponendo jugum : *et humilis corde,* in exigendo debitum, et vos non opprimo per potentiam. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

Et ideo sequitur :

« Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, »

Non quidem de iniquitate, quia in hac non erat laudabilis. I ad Corinth. XI, 22 : *Laudo vos? in hoc non laudo.*

« *Quia prudenter egisset.* » In hoc ergo laudatur, quia prudenter egit, et secum, et cum familia domini : quam propter onera debitorum relinquere oportebat rura, et villas, et culturam domini : nisi debitum diminueretur.

Tangit autem rationem laudis, dicens : « *Quia*, » frequenter, « *filii hujus sæculi*, » hoc est, qui nativitates suas ad sæcularia lucra referunt, « *prudentiores*, » hoc est, providentiores, « *sunt in generatione sua*, » hoc est, inter suos consortes. Baruch, III, 23 : *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ.*

« *Filiis lucis*, » hoc est, quam filii nati ad lucem æternam. Ad Ephes. V, 8 : *Ut filii lucis ambulate.* Causa autem hujus prudentiæ est, quia filii lucis non convertunt industriam suam ad terrena, et ideo simplices sunt in terrenis providentiis. I ad Corinth. VI, 4 : *Sæcularia judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.* Contemptibiles autem dicuntur illi, qui ad spiritualium dispensationem non sunt idonei. Nec in hoc detrahitur viris spiritualibus, quia ipsi sunt melioribus dediti : sicut nec detrahitur herodio quia de nocte non videt, cum de die videat lucem in rota solis : nec laudatur vespertilio in hoc quod noctibus videt, cum de die lucem solis non videns cadat in terram. Tamen hoc est præcipue quod Prælati nostri temporis viris spiritualibus opponunt, quod dicunt eos

[1] Cf. Matth. V, 26.

simplices esse ad temporalium dispensationem : non attendentes quod David non erat consuetus armis Saulis, et tamen in armis simplicitatis suæ, funda Scripturæ, et lapide solidæ veritatis prostravit eum, quem docti ad prœlium, loricati, et galeati invadere non audebant [1].

9 « Et ego vobis dico : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. »

Accipit hic doctrinam juxta inductam similitudinem.

« *Facite vobis amicos,* » pauperes per eleemosynam, et subditos per debitorum sublevationem. II ad Corinth. VIII, 14 et 15 : *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit : et qui modicum, non minoravit* [2]. Abundantia in præsenti temporalium suppleat defectum pauperum. Et abundantia pauperum in futuro in regno, suppleat defectum eorum, qui nunc in præsenti divites esse videntur. Hos ergo facite vobis amicos, quia illorum erit regnum. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se.*

« De mammona iniquitatis. »

Mammon, ut dicit Gregorius, græcismus vocatur divitiarum, vel dæmon cui commissum est de divitiis tentare. Sed mammona syriaca lingua vocantur *divitiæ* : quæ dicuntur « *iniquitatis,* » non quod semper ex iniquo congregatæ sint : sed quia commissæ a Deo, sæpe sint inique retentæ, hoc est, inæqualiter et inæqualiter divisæ. De hoc ergo mammona inæqualiter vobis sicut dispensatoribus commisso, sicut de bonis alienis, quæ Dei sunt, facite vobis amicos pauperes, onera eorum sublevando.

« Ut cum defeceritis, »

A præsenti vita. Psal. LXX, 9 : *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Domine.*

« *Recipiant vos,* » sicut domini regni. Matth. V, 3, vera littera : *Beati mendici spiritu, quia vestrum est regnum cœlorum.* Luc. XVI, 22 : *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.*

« *In æterna tabernacula,* » hoc est, in æterna domicilia. Psal. LXXXIII, 2 et 3 : *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Numer. XXIV, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentatoria tua, Israel!* Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta,* in quibus Rex regum in castris cum cœli militibus gloriatur.

10 « Qui fidelis est in minimo, et in majoris fidelis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11 Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?

12 Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quid dabit vobis? »

Hic incipit ponere rationes ad id quod docuit per doctrinam exemplarem.

Ponit autem rationes a duobus com-

[1] Cf. I Reg. XVII, 38 et seq.

[2] Exod. VI, 18.

parationibus sumptas. Primo enim sumit comparationes ex ratione majoris et minoris : secundo autem, ex comparatione contrarietatis.

In primo horum duas facit comparationes a majori in comparatione ad minus sumptas. Primo enim comparat modicum ad grande, et secundo comparat alienum ad proprium. Et postquam illas comparationes præmisit, de utraque infidelitatem Pharisæorum arguit. Præmittit igitur generale primæ comparationis principium, a quo etiam suum confirmat argumentum. Est argumentatio ista logica.

« Qui fidelis est in minimo. »

Cum census, ut dicit Beatus Bernardus, non sit in crimine, sed affectus, « *et in majori fidelis est.* » Hoc enim est probabile, et præsumptionem generat : quia infidelis in parvo, minus præsumit se deprehendi quam in magno, et ideo infidelitatem suam citius in hoc ostendit : et consuescens in parvo, tunc demum in magno incipit esse infidelis. Minimum autem est hoc præsens temporale quod delectat. Et ideo qui in hoc infidelis est et fraudulentus, in magno, quod spirituale est, procul dubio semper erit infidelis. Nec sibi est aliqualiter confidendum : quia spirituale pro temporali commutabit, suæ consulens avaritiæ.

Hoc est igitur quod dicit : « *Qui in minimo.* » I ad Corinth. VI, 2, temporale vocatur *minimum*, dicente Apostolo : *Si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis.* Et ideo, ad Philip. III, 8, temporalia reputantur stercora : *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei : propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Hæc est etiam causa, quod in petendo, hæc sunt spiritualibus adjecta. Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Hæc etiam est causa, quod vocantur *munera filiorum concubinarum.* Genes. XXV, 6 : *Filiis autem concubinarum largitus est munera* : filio autem suo per liberam uxorem dimisit hæreditatem. Hæc etiam ideo reputantur non bona simpliciter, sed bona hujus vitæ ad iniquos pertinentia. Luc. XVI, 25 : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Hinc est etiam, quod in potestate sua reputat ea Satanas, Matth. IV, 9 : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Joan. XIV, 30 : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.* Sic ergo vocantur *minima.* Quia sicut in nullo genere est aliquid minus minimo, ita in donis Dei nihil est minus istis. Isti enim sunt quibus minimum placet pro magno, sicut dicitur, Eccli. XXIX, 30.

« Et in majori fidelis est, »

« Hoc est, in spirituali, quod simpliciter magnum est. Nec proprie dicitur majus temporali annexo : sed abusio est in comparativo, quia fidelis in parvo est, qui fidelis domino in parvo in familia domini dispensando : et ille etiam in spiritualibus dispensandis est fidelis. Beatus Bernardus : « Fidelis profecto « minister eris, si de universa gloria Do« mini tui, etsi transeunte per te, nihil « manibus tuis adhærere contingat. » Matth. XXV, 21, 23 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.*

« Et qui in modico iniquus est. »

Secunda comparatio. Modicum autem vocatur hic, quod modicum est in jure, et in valore. In jure quidem, quia alienum est, et nobis non nisi commissum. Matth. XXV, 14 : *Tradidit illis bona sua,*

et dixit : *Negotiamini dum venio* [1]. Nobis ergo commissus est usus ad lucra, sed possessio est Domini. Osee, II, 8 : *Hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, et aurum, quæ fecerunt Baal.* Et ideo de male utentibus post pauca dicit, ℣. 9 : *Liberabo lanam meam, et linum meum, quæ operiebant ignominiam ejus.* Modica etiam sunt in valore. Unde Ambrosius : « Non sunt « bona homini, quæ secum portare non « potest. Sola misericordia comes est de- « functorum. » Et ideo hæc omnia modica sunt et parva.

« *Qui* » autem « *in* hoc *modico iniquus est,* » sibi illud usurpando, et non familiæ Dei dispensando, est fraudulentus, et fur, et crudelia viscera habens.

De fraudulento autem dicitur, Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites.* Has autem concinnat, quando ea quæ sibi dispensanda tradita sunt, in periculum vitæ pauperum sibi usurpat.

De fure, Abdiæ, ℣. 5 : *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? Nonne furati essent sufficientia sibi?* Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur.* Psal. XLIX, 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo.*

De crudelitate dicitur, Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Talis igitur in isto modico infidelis est, « *et iniquus,* » hoc est, non æquus, qui sibi totum, et familiæ domini sui nihil dividit. Genes. IV, 7 : *Nonne si bene egeris, recipies : sine autem male, statim in foribus peccatum aderit?*

« Et in majori, »

Hoc est, in spirituali simpliciter magno, « *iniquus est* » dispensator : et ideo illi non debet committi dispensatio talium : quia pro certo, temporali illectus et abstractus, male dispensabit. Unde, Isa. I, 23, ubi loquitur de infidelibus et malis dispensatoribus, dicit : *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

Istis præmissis generalibus principiis, concludit sub hypothesi jam certificata contra Pharisæos.

Dicit :

« Si ergo in iniquo mammona, »

Hoc est, in divitiis, quæ faciunt non æquos : et ideo sunt abjiciendæ. Nec ad veritatem vitæ pertinent. Quia cum veritas, ut dicit Anselmus, sit rectitudo sola mente perceptibilis : pro certo, quod iniquum est, rectum non est : et ideo veritati vitæ hominis non est consonum. Nec tamen est falsum bonum, sed est apparens, ut hic et nunc, et non bonum simpliciter in se : ergo est bona creatura. Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* In usu autem cum non remaneant, non sunt vera bona, sed apparentia : et veritati vitæ non commensurata, sed per effectum in usu sunt iniqua. Sapient. XIV, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominem, et in muscipulam pedibus insipientium.*

Si ergo in illo sic iniquo, o Pharisæi, « *fideles non fuistis,* » sed vobis illa attribuistis, fraudatis pauperibus, « *quod verum est,* » hoc est, de veritate vitæ, sicut spirituale ad vitam pertinens, « *quis credet vobis,* » hoc est, committet vobis. Hoc autem dixit Dominus, quia omnia, et legem, et intellectum legis, et traditiones, et vitam ipsam Pharisæi converterunt ad lucrum. Et ideo digni fuerunt reprobatione, quod repellerentur a commissione spiritualium novæ legis. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fru-*

[1] Luc. XIX, 13.

ctus ejus. Ibidem, ℣. 41 : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*

« Et si in alieno fideles non fuistis. »

Alienum est, ut dicit Beda, quidquid sæculi est, et est præter naturam : quia ad hoc non sumus nati, sed ad scientias, et virtutes. Alienum autem, maxime secundum intellectum litteræ, est, quod legem et sacramenta, quæ sua non fuerunt, et traditiones, et observantias vitæ et legis, in magnum onus et gravamen populi converterunt in instrumenta suæ avaritiæ : cum tamen hæc sua non essent, sed Dei, et eis tantum commissa. Hoc enim quod ad utilitatem populi Dominus promulgavit, ipsi in onus populi ad lucra converterunt. Act. xv, 10 : *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus ?*

« Quod vestrum est, »

Sicut labor, et opera, et sudor in spiritualibus bonis, « *quis dabit vobis ?* » supple, dispensandum. Quasi dicat : Nullus. Non enim essent ministri idonei. Ideo fidelis Apostolus gloriatur sibi tamquam fideli creditum esse ministerium, II ad Corinth. III, 6 : *Qui idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Si autem aliquis esset ausus dicere : Omnia propter quæ dicit esse reprobandos ministros Veteris Testamenti, hodie in ministris Novi Testamenti, Episcopis, et Sacerdotibus, et Clericis inveniuntur : et per ea quæ Dominus reprobat, magis ac magis approbantur. Et ideo timendum est, ne de eis dicatur illud Malachiæ, I, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra.*

« Nemo servus potest duobus dominis servire : aut enim unum odiet, et alterum diliget : aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. »

Hic incipit secunda comparatio de ordine servitii ad Deum, vel ad lucrum. Et est antipophora ejus responsionis occultæ, quam multi faciunt, consolantes false semetipsos. Volunt enim et Deo servire, et lucris propriis, dicentes utrumque bene posse fieri. I ad Corinth. VII, 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Ita dicunt, quod partim sibi, partim Deo possint servire, non attendentes, quod uxor debito suo sub dominio et ordinatione domini est : et ubi unum est propter alterum, ibi unum est tantum. Sed hoc habet quod est utrobique : quia in superiori sicut in ordinante, et inferiori sicut ordinato. Ita lex uxoris sub lege Domini est : et ideo una lex tantum. Tamen ita dicebant Pharisæi, quod legem servando, Domino servire possent : legem autem ad lucra convertendo in votis, sacramentis, et pœnis, possent servire sibi in lucris. Et ad hoc excludendum dicit Dominus, generalem propositionem primo præmittens, et deinde probationem ejusdem sententiæ et explanationem subinferens, tertio ex ea contra Pharisæos propositum concludens.

Dicit ergo :

« Nemo servus. »

Et in hac propositione innuit indivisibilitatem servientis, et contrarietatem dominorum, et servitium quod impenditur.

Indivisibilitatem servientis innuit per hoc quod dicit : « *Nemo,* » hoc est, nullus indivisibilis homo. Quia, sicut dicit Philosophus, eadem est ratio hominis, et unius tantum hominis. Unum autem (ut

idem dicit) est indivisum in se, et divisum ab aliis. Omnes enim vires hominis ad idem secundum ordinem imperantis et imperati referuntur. Et ideo dicitur, III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Quia ad duas partes ex æquo nullus indivisus ire potest. Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis.* Nulla enim linea recta ad duo puncta in eamdem partem terminatur. Neque aliquis bos duo juga portat simul : neque avis simul intendit duobus nidis, suo et alterius speciei avis : nec apis una ducit ad duo alvearia simul. Sic ergo indivisus non servit duobus. Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Non ergo hoc ex indiviso et toto homine fieri potest.

« Duobus dominis. »

Adjectivum numerale suum respicit substantivum ratione formæ, et non ratione subjecti et materiæ. Et sic duo domini habent duo dominia. Dualitas autem, ut dicit Pythagoras in *Arithmeticis*, principium alteritatis est. Alteritas autem causat inconvenientiam, facit distantiam, et distantia inducit contrarietatem, sicut dicit Ptolomæus. Ergo duo domini sunt de contrariis dominiis. Et hoc est quod dicit Glossa, « Duobus dominis contraria præcipientibus. » Si autem essent duo, quorum unus esset sub altero, non essent duo domini : sed unus superior dominus, et alter minister ejusdem domini : et illis ut uni ab uno posset serviri. Et ideo reprobantur de quibus dicitur, IV Reg. XVII, 41 : *Fuerunt gentes timentes quidem Deum, sed nihilominus et idolis suis servientes.* Sophon. I, 5 ; *Disperdam eos qui... jurant in Domino, et jurant in Melchom.* Isa. XXVIII, 20 : *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat : pallium breve, utrumque operire non potest.*

« Servire. »

Ecce obsequium. Servire enim est servi, qui proprius est. Et est actus per quem suam debitam, et totam ostendit subjectionem. Et hic actus duobus dominis de duobus dominiis, exhiberi ab uno et eodem in uno tempore non potest. I ad Corinth. X, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Et ideo Isaias, cum videret se esse destitutum per idololatriam et mala opera dominio Domini, dixit, Isa. LXIII, 19 : *Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri.* Et cum iterum videret populum redire ad Dominum, Isa. XXVI, 13 : *Possiderunt nos domini absque te : tantum in te,* hoc est, in tuo dominio, *recordemur nominis tui.*

Hanc autem propositionem probat per explanationem, inferens de affectu et de opere.

De affectu quidem dicit :

« Aut enim unum »

Dominorum « *odio habebit,* » sicut diabolum, et lucrum, et mundum, et commodum proprium. Et tunc est vere ordinatus. Quia sicut dicitur, Joan. XII, 25 : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Tamen quia mammona infra nominat, qui dæmon est, dicit Augustinus, quod diabolus non potest esse dilectus, quia ex semetipso inimicus est, et depravatus, et odibilis. Et quamvis ea quæ offert aliquando diligantur, ipse tamen nihil habet, propter quod diligi possit. Habacuc, I, 7 : *Horribilis et terribilis est, ex semetipsa judicium ejus.* Hic etiam nihil in se habet, quo superponatur ut dominus, quia in veritate est tyrannus. Neque superest alicui, sed homo submittit se diabolo absque præpositione diaboli. Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.* De his super Matthæum,

VI, 24, disputatum invenies [1]. Iste ergo est odio habitus.

« Et alterum diliget, »

Deum scilicet, quem nihil odire potest : quia Deus sonat principium dans esse, et conservationem, et gubernationem. Principium nulla creatura odire potest, neque per naturam, neque per imaginationem, neque per intellectum. Tamen quædam Deo attribuuntur : sicut judicem esse iniquitatum, et ultorem criminium, et hujusmodi : quæ scilicet odire potest qui diligit iniquitatem. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt*, hoc est, judicium et justitiam tuam oderunt, *ascendit semper*.

« Aut uni, »

Per opus » *adhærebit.* » Psal. LXVI, 9 : *Adhæsit anima mea post te.* I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Deus enim est cui adhæretur. Diabolo autem nullus adhæret : quia odium et lis, ut dicit Empedocles, sunt causa separationis, et divisionis, et pugnæ. Quamvis ergo adhæreatur bono commutabili quod offert, tamen nullus sibi adhæret. Genes. XXXIV, 8 : *Sichem, filii mei, adhæsit anima filiæ vestræ.* Hæc autem adhæsio fuit ratione fornicationis in concupiscentia carnali.

Hoc est igitur quod dicit :

« Et alterum contemnet, »

Hoc est, diabolum. Isa, XXXVII, 22 : *Despexit te, et subsannavit te, virgo filia Sion : post te caput movit, filia Jerusalem.*

« Non potestis. »

Conclusio est ex prædictis. Quasi dicat : Ergo non potestis « *Deo servire et mammonæ.* » Et sic exclusa est ratio vestra. Hujus autem dicuntur esse multæ rationes, quarum prima et potissima est, quia Deus de bonis ab eo collatis vult sibi serviri dispergendo. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Mammona autem sibi serviri vult colligendo. Luc. XII, 18 : *Destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea.* Exod. V, 12 : *Dispersus est populus... ad colligendas paleas.*

Secunda ratio est, quia in contrariis sunt exercitia istorum servitiorum. Dei enim servitium est in exercitio virtutum. Luc. I, 75 : *In sanctitate et justitia coram ipso.* Et præmittit, ℣. 74 : *Serviamus illi.* Psal. II, 11 : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore.* Mammonæ autem servitium est in exercitio vitiorum. Luc. XV, 15 : *Adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos*, hoc est, vitia.

Tertia ratio est, quia Dei servitium est in cultu Dei. Mammonna autem vult idololatriam. II ad Corinth. VI, 14 et seq. : *Nolite jugum ducere cum infidelibus : quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate ? aut quæ societas luci ad tenebras ? quæ autem conventio Christi ad Belial ? Aut quæ pars fideli cum infideli ? Qui autem consensus templo Dei cum idolis ?* Omnia enim contraria his in cultu vult Deus. Sicut eædem probant auctoritates. Daniel. III, 1 et seq., præcipit Mammon : *Rex Nabuchodonosor fecit statuam auream*, etc., et præconis voce clamari fecit : *Si quis prostratus non adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.* Econtra, Deuter. XII, 3, præcipit Deus : *Dissipate aras eorum, et confringite statuas.*

Quarta ratio est, quia unus stare cum

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Matthæum, VI, 24. Tom. XX hujusce novæ editionis.

altero non potest. Et ideo, I Reg. v, 4, Dagon corruit coram arca Domini, truncatus manus et pedes.

Quinta ratio est, quia oculatos ante et retro ministros exigit Dominus [1]. Sed Mammon vult ministris suis erui oculos dexteros. I Reg. xi, 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros.*

Sexta ratio est, quia uterque vult habere totum tempus ad serviendum sibi. Mammon quidem, sicut dicitur, Jerem. xvi, 13 : *Servietis diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Deus autem, sicut dicitur, Luc. i, 75 : *In sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.*

Hæc est ergo causa quod dicit : « *Non potestis Deo servire et mammonæ* : » quia omnia, et legem, et sacramenta, et judicia, et traditiones, et vitam retorquere ad mammonam et ad Deum est impossibile.

14 « Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari : et deridebant illum. »

Hic tangit qualiter per obdurationem cordis ad pauperes aliquis reprobatur.

Et dicuntur in hac parte quinque, quorum primum unde occasionem sumit, duritia est Pharisæorum, et ideo reprobandorum. Secundum autem objurgatio duritiei eorum. Tertium autem, quia in lege gloriabantur, ostensio quod gloria quam habebant in lege, sublata sit de medio. Quia autem ex hoc crederet aliquis, quod omnia naturalia transirent, ostendit quarto, quod lex spiritualiter non transit, sed semper impletur. Quintum vero, quod maxima duritia Pharisæorum fuit in libello repudii : hanc enim legem maxime convertebant ad lucrum : ideo loquitur in fine de illa, et ostendit qualiter Pharisæi illa lege contra misericordiam propter lucrum abutebantur.

Dicit igitur de primo : « *Audiebant autem,* » aure exteriori, « *omnia hæc Pharisæi.* » Isa. vi, 9 et 10 : *Audite, audientes, et nolite intelligere... Excæca cor populi hujus.* Psal. cxiii, 6 : *Aures habent, et non audient.*

« *Qui erant avari* : » et ideo terrenorum appetitu obstructum habebant auditum. Avarus enim nihil audit nisi terrena. Isa. xxix, 4 : *Erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo tuum eloquium mussitabit.* De avaritia autem dicitur, Eccli. x, 9 et 10 : *Avaro enim nihil est scelestius.... Hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vita sua projecit intima sua.* Proverb. xxviii, 8 : *Qui coacervat divitias usuris et fœnore, liberali in pauperes,* hoc est, contra pauperes, *congregat eas* : quia pauperes ex hoc deprimuntur, quia usuris opprimuntur. Avaritia enim est idolorum servitus [2]. *Et est radix omnium malorum cupiditas* [3]. Et ideo sermonem Dei accipere non potuerunt. Joan. viii, 37 : *Sermo meus non capit in vobis.*

Hi ergo intus non audientes,

Deridebant eum, »

Reputantes stultitiam quod dicebatur. Eccli. xxi, 18 : *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit et ad se adjiciet : audivit luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum.* Job, xii, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Genes. xix, 14 : *Visus est eis quasi ludens loqui.*

« Et ait illis : Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus, Deus au- 15

[1] Cf. Apocal. v, 4, et Ezechiel. i, 18.
[2] Cf. Ad Ephes. v, 5.
[3] I ad Timoth. vi, 10.

tem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. »

« *Et ait illis,* » objurgando eos. II ad Timoth. IV, 2 et seq. : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt : sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus : et a veritate quidem auditum avertent.*

« Vos estis, etc. »

Tria dicit in hac objurgatione. Primo enim improperat simulatam justitiam : secundo autem, veram in corde immunditiam : tertio, justitiæ humanæ coram Deo abominationem.

De primo dicit : « *Vos estis* » illi, « *qui justificatis vos,* » hoc est, justos vos prædicatis, « *coram hominibus.* » Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ideo, Matth. XXIII, 27, dicuntur *similes sepulcris dealbatis.* Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Psal. LII, 6 : *Deus dissipavit corda eorum : qui placent hominibus confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Quia homines non vident nisi exteriora.

« Deus autem novit corda nostra, »

Quæ rapina plena sunt, et immunditiis. I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent : Dominus autem intuetur cor.* Proverb. XVI, 2 : *Spirituum ponderator est Dominus.* Hæc autem displicent Deo sic visa. Isa. LIX, 15 et 16 : *Vidit Dominus, et malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium. Et vidit quia non est vir, et aporiatus est.*

« Quia quod hominibus altum est, »

Hoc est, quod reputant homines altam justitiam, et magnam sanctitatem : quia decepti sunt frequenter : sæpe enim humanum fallitur judicium.

« Hoc est abominabile apud Deum, »

Quia hoc est sicut dicitur, Matth. XII, 45, quod septem nequiores veniunt ad tales simulatores : et ingressi, habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. I ad Corinth. III, 19 : *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.* Proverb. XVI, 5 : *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Isa. II, 11 : *Incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem Dominus solus.* Proverb. XI, 2 : *Ubi est humilitas, ibi et sapientia.* Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

« Lex et Prophetæ usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. » **16**

Ecce tertium.

Ac si dicat : Vos gloriamini in lege, et per legis falsam sapientiam et carnalem observationem, putatis vos semper fore in gloria et lucro : sed sciatis, quod alius status incipit, et alii erunt ministri, et dispensatores : quia « *lex,* » hoc est, status legis, « *et Prophetæ,* » hoc est, status prophetiæ non fuit nisi « *usque ad Joannem.* » Status enim legis usque ad Joannem fuit, qui promissum in lege digito demonstravit. Et ex tunc inceperunt novæ legis sacra manifestari, et observari : sicut baptismus, qui fundamentum et janua est sacramentorum, et alia similia. Et paulatim lex incipiebat mori, et ad tumulum deduci : donec post Christi Passionem, et Ascensionem, et Apostolorum prædicationem, lex mortifera facta fuit, et non tantum mor-

tua. Ad Hebr. VIII, 8 et 9 : *Ecce dies veniunt, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum quod feci patribus eorum* [1]. Luc. XXII, 20 : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* Prophetæ etiam fuerunt post Christum, sicut Agabus, et filiæ Philippi : sed non erant Prophetæ ventura sacramenta prænuntiantes, sed ventura quædam alia : et illi non proprie Prophetæ dicuntur. Usque ergo ad Joannem, qui digito hæc omnia demonstravit, cucurrit umbra. Veniente autem veritate, umbra cessavit. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Matth. XI, 13 : *Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.*

« Ex eo, »

Hoc est, ex Joanne : ita quod præpositio *ex* notet ordinem temporis, et non materiam, sicut cum dicimus : Ex mane fit meridies. Matth. XI, 12 : *A diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Et hoc est quod dicit : « *Ex eo regnum Dei,* » hoc est, justitia perfecta, quæ Deo placet, et non est coram hominibus tantum, « *evangelizatur* » hoc est, prædicatur. Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni.* Hoc est enim regnum, de quo sæpe diximus, justitia Dei, de qua dicitur, Matth. V, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus,* etc.

« Et omnis in illud vim facit. »

Matth. XI, 12 : *Et violenti rapiunt illud* : quia vi virtutis et gratiæ jam rapitur regnum cœlorum, et non per observantiam Pharisæorum et Legis.

Et attende, quod cum dicitur lex cessare, non dicitur cessare, nisi secundum ea quæ sunt legis. Moralia autem non sunt legis, sed naturalis justitiæ. Et ideo in ea, quæ fuerunt in observantiis exterioribus (quæ mores bonos prætendunt et pulchritudinem virtutis) non cessant : sicut thurificatio, et vestes Sacerdotum, et Levitarum, et ornatus Ecclesiæ. Illa enim idem significant apud nos, quod apud illos, et significant quod semper est faciendum : et ideo semper sunt tenenda. Et quantum ad hoc dicitur religio perpetua [2]. Sic enim verum est quod dicitur, Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

De violentiam autem facientibus regno, dicitur, Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Sunt tamen, ut dicit Beatus Bernardus, quatuor genera bonorum, qui regnum cœlorum acquirunt. Alii namque violenter rapiunt, alii mercantur, et alii furantur, et alii compelluntur ad illud.

Violenter quidem rapiunt perfectione virtutis armati, in perfectione Apostolica relinquentes omnia, et cum Christo sic obtinentes : quibus dicitur, Genes. XXXII, 28 : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?* Osee, XII, 3 et 4 : *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, et confortatus est.*

Mercantur autem qui datis temporalibus in præsenti pauperibus, quorum regnum Dei est, in futuro ab eisdem regnum recipiunt. Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

[1] Cf. Jerem. XXXI, 31.

[2] Cf. Exod. XII et XXIX ; Levit. VII et XV.

Furantur autem qui bona faciunt occulte, laudem humanam vitantes, solo Dei testimonio contenti. Et hi significantur per latronem pendentem a dextris, Luc. XXIII, 43 : *Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.*

Compelluntur autem qui infirmitatibus et paupertate arcentur ad regnum. Luc. XIV, 23 : *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.*

17 « Facilius est autem cœlum et terram præterire, quam de lege unum apicem cadere. »

Quartum est, ubi innuit legis spiritualem intellectum : quia secundum illum necesse est legem impleri, et non transire, sed manere. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt.* Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet verbum tuum.* Hæc enim numquam transibunt. Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.*

Sic ergo dicitur : « *Quam de lege unum apicem.* » Apex est summitas quæ litteræ apponitur, magis ratione decoris, quam quod sit de substantia litteræ. Et est ac si dicat, quod nec minimum quid de lege transibit. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt.* Isa. LI, 6 : *Cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur... : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet.*

18 « Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur. »

Hoc est quintum, quod maxime convertebant in quæstum : quia semper quærebant occasiones, ut facerent divortium per libellum repudii. Quia populus timens dabat continuo pecunias, ne uxores a viris, et matres a filiis separarentur. Et ideo hoc spiritualiter inducit de lege, ubi loquitur de avaritia Pharisæorum.

Dicit autem duo : unum quidem ex parte viri, uxorem dimittentis : aliud autem ex parte mulieris dimissæ.

Ex parte quidem viri dicitur, Matth. XIX, 8, quod propter duritiam cordis eorum, Moyses permisit eis dare libellum repudii. Et non quia justum fuerit, sed ne pejus aliquid fieret, repudium scilicet, et homicidium.

Et ideo dicit : « *Omnis* » vir, « *qui dimittit uxorem suam* : Matth. V, 32 : *Excepta fornicationis causa :* « *et duxerit alteram,* » vivente prima, cum vinculum matrimonii stet ad primam, « *mœchatur,* » hoc est, cum secunda non est matrimonium, sed adulterium. Et ideo vos qui talia promovetis, facitis homines mœchari. Et hoc improperatur eis, Malach. II, 13 et 14 : *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu..., quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti.* Et, ibidem, ℣. 11 et 12 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob.*

« Et qui dimissam duxerit, »

Quæ præter causam fornicationis dimissa est, « *mœchatur.* » I ad Corinth. VII, 10 et 11 : *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari.* Hæc autem Pharisæi et Scribæ omnia in quæstum suis traditionibus pervertebant. Isaiæ, X, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei!*

« Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. »

Hic ostendit exemplo, quod misericordia facit hominem secundum præsentem justitiam eligi, et quod induratio a præsenti justitia facit hominem reprobari.

Habet autem hæc historia parabolica tres partes : in quarum prima est dissimilis vita duri divitis, et miseri pauperis : in secunda, ostenditur dissimilis exitus utriusque : et in tertia, dissimilis status post mortem utriusque.

In prima harum duo facit : ostendit splendorem immisericordis divitis secundum jactantiam divitiarum : secundo autem ostendit abjectionem pauperis secundum abjectionem humillissimæ suæ mendicitatis.

Immisericordem autem divitem describit tripliciter : a natura, a fortuna, et ab usu vitæ.

A natura quidem cum dicit :

« Homo quidam. »

Cum enim homo duo habeat in se, humum ex qua factus est, et intellectum secundum quem ad imaginem Dei factus est, iste in multis humum, et in paucis sequebatur intellectum. I ad Corinth. III, 3 : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.* I ad Corinth. XV, 48 : *Qualis terrenus, tales et terreni.* Isa. XXIX, 4 : *Erit quasi pythonis de terra vox tua, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Python est spiritus ventriloquus, hoc est, de ventre.

Intellectum autem iste sequebatur in paucis. De quo dicitur in Psalmo XXXI, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos.* Deus enim intellectum dedit homini, et instruxit eum, perficiendo scientias, et virtutes naturales, et consuetudinales, et civiles in ipso : et firmat super eum oculos, hæc custodiendo, et augendo per illuminationes continuas oculorum suorum, qui *lucidiores sunt super solem*, sicut dicitur, Eccli. XXIII, 28. Sed tamen omnibus his acceptis, avertitur homo aliquando a Deo : et tunc non sequitur intellectum, sed intellectus donis superbit : et tunc intellectus non valet. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in terram :* quia intellectus bonus est omnibus facientibus eum. Aliis autem fit peccati aggravatio. Luc. XII, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit sccundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Jacob. IV, 17 : *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Hoc ideo dico, quia quidam Doctorum hunc dixerunt nobilibus donis intellectus esse præditum.

Hic homo

« Quidam. »

Dicitur sine nomine : quia tales abutentes donis naturalibus, non sunt digni nomine : quamvis pauper nominetur.

Cujus quatuor rationes solent assignari. Una quidem quæ est in Glossa, ad innuendum quod divites apud Deum sunt ignoti. Matth. VII, 23 : *Confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Quamvis enim illi fuerint prædiți spiritualibus virtutibus, tamen quia inde superbierunt, ignoti sunt Deo.

Secunda ratio est, ad innuendum quod Deus contrarius est nominatis in mundo, qui non nominat nisi fastuosos et superbos. Eccli. XIII, 24 : *Sicut abominatio est superbo humilitas, sic et exsecratio diviti pauper.* Luc. XVI, 15 : *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

Tertia ratio est, quia alti in hoc mundo nominari apud Deum non quærunt, sed in mundo. Et ideo in mundo nomen

acquirentes, apud Deum perdunt. Genes. XI, 4 : *Faciamus nobis civitatem, et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum : et celebremus nomen nostrum.* Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*

Quarta ratio magis est propria : quia putrescit in manibus eorum in quo nominari quærunt. Et ideo ubique erunt in oblivione. Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.* Psal. LXVIII, 29 : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* Psal. XVII, 43 : *Ut lutum platearum delebo eos.* Job, XVIII, 17 : *Non celebretur nomen ejus in plateis.*

His ergo de causis dicitur, « *quidam* » sine nomine.

« Erat dives. »

Describitur hic a fortuna. Fortuna autem hæc divitiarum ad aggravationem peccati facit, quando immisericorditer ista sibi soli retinuit. Multi enim divites laudantur. Genes. XIII, 2 : *Erat Abraham dives valde.* Sed quia recordabatur sui nominis, quod Abraham sonat, divitias pauperibus distribuit : quia *pater multarum gentium* interpretatur. Sed istæ divitiæ retentæ, et a regno consequendo impediunt, et homines continuo per desideria ad interitum immergunt.

De primo dicitur, Matth. XIX, 23 : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.*

De secundo dicitur, I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.*

Dicitur autem iste etiam in spiritualibus *dives* fuisse : de quibus tamen elatus superbivit. Vel forte tales in Ecclesia significat, qui de Dei donis extolluntur, et alios contemnunt, nec respicere volunt : sicut quidam eruditi, et forte casti, et in exterioribus justi apparentes, et aliis non compatientes, sed potius contemnentes. Proverb. VIII, 18 : *Mecum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ, et justitia.* Isa. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus.* De his enim multi extolluntur, et contemnunt eos qui gemunt tamquam mendici in peccatis, et non est qui porrigat manus consolationis. Tales enim multos videmus in Ecclesia, divites in rebus, et honestos in exteriori conversatione : sed immisericorditer se habere ad pauperes, tam in rebus temporalibus quam in spiritualibus. Quinimo cum contemptu abjiciunt eos, de sua justitia præsumentes.

« Et induebatur purpura et bysso. »

Ecce qualis fuit in usu et actu vitæ.

Et dicit duo : fulgorem vestium, et splendorem epularum.

De fulgore vestium dicit : « *Induebatur purpura et bysso.* » Bysso vestitus intus, et purpura extra. Purpura enim est tinctura de quodam ostreo conchilio (quod *purpur* vel *murex* vocatur) sumpta : et est tinctura vestimenti regum : quia forte iste fuit regiæ dignitatis et prosapiæ. Byssus autem genus est lini candidissimi, et mundissimi, et mollissimi : et inde suas faciebat interulas, ut essent ad corpus molles, mundæ, et candidæ : et in hoc studuit commodo carnis. Exterulas autem fecit de purpura : et in hoc studuit mundo gloriæ inanis. Gregorius : « Si cultus subtilium pretiosa-
« rumque vestium peccatum non esset,
« nequaquam sermo divinus tam vigi-
« lanter exprimeret, quod dives purpura
« et bysso indutus esset. » Luc. VII, 25 : *Ecce qui in veste pretiosa sunt, et deliciis, in domibus regum sunt.*

Est enim vestis reprehensibilis a quinque. Si scilicet sit plusquam status personæ exigat pretiosa. Eccli. XI, 4 : *In vestitu ne glorieris umquam, nec in die*

honoris tui extollaris. Act. XII, 21 et seq. : *Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini,... et consumptus a vermibus, exspiravit.* Quia, sicut dicitur in Historia Ecclesiastica, veste induebatur ex auro et argento et lapidibus pretiosis contexta, quæ receptum in se radium solis multiplicaret, et ab eo lumen quasi a Deo quodam in alios refunderet : quod non erat sui status, cum homo putridus esset. Talibus enim sumptibus multi pauperes possent sustentari : et ideo tales vestes non postulant nisi oculos videntium.

Multiplicitas etiam vestium vituperatur. Habent enim multi multiplicia secundum numerum dierum festorum, vel profestorum, nihil curantes de pauperum nuditate. Jacob. V, 2 : *Vestimenta vestra a tineis comesta sunt.* Job, XXIV, 7 et 8 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore : quos imbres montium rigant, et non habentes velamen.* Hieronymus : « Aliena rapere convincitur, qui ultra « necessitatem sibi retinere comproba- « tur. »

Curiositas etiam in vestitu reprehenditur. Multi enim magis student ad ornatum vestium, quam ad utilitatem. Contra quos dicitur, Matth. VI, 28 et 29 : *De vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

De indecentia etiam vestis multi reprehenduntur, quod non portant vestes decentes suum statum et suam professionem. Deuter. XXII, 5 : *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea : abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.* Sophon. I, 8 : *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina.*

Vituperatur etiam vestis quando non est nisi ad ostentationem. Jacob. II, 2 et seq. : *Si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene : pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum : nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum ?*

His ergo de causis vituperatur pretiosus habitus.

Mollis autem de bysso propter nimiam carnis emollitionem vituperatur, Matth. XI, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Hoc significatum est, Joan. XIX, 2, ubi milites illuserunt Christo induto vestimento purpureo. Et, Luc. XXIII, 11, ubi Herodes illusit ei induto vestimento albo. Quod per talia sæpe illuditur in se, et in suis pauperibus Christus.

Quidam etiam sunt qui purpura sanguinis Christi vestiuntur in ministerio sacerdotali, vel clericali, et bysso castitatis ejusdem : et inde gloriantes contemnunt pauperes, quia non compatiuntur eis. Exod. XXVIII, 6, præcipitur, quod in veste sacerdotis sit purpura et byssus retorta : quia Prælatus dives ista debet habere indumenta, ut per purpuram congruat Passioni, et per byssum continentiæ Christi. Sed, Cantic. VII, 5, docetur qualiter purpura est ornatus Christi, ubi dicitur : *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Canales enim concavi sunt et humore fluentes. Et ideo si decor dignitatis humilitati conjungatur et pietati, ut rigor justitiæ temperetur pietatis humore, et altitudo dignitatis inclinetur canalis concavitate : tunc est decor regius et regalis sacerdotii. Si autem sic retineatur justitia exterius et altitudo dignitatis, quod nec pietate temperatur, nec humilitati conjungitur : tunc est purpuratus quidem dives, sed propter impietatem in inferno sepeliendus.

Similiter autem byssus continentiæ ornat quidem in veste. Si autem desit oleum misericordiæ in corde, tunc est sicut lampas vacua sine oleo in manu virginis fatuæ [1]. Si autem et purpura et byssus ita aptentur, ut diximus, tunc ornant Christi vicarium, sicut dicitur, Proverb. xxxi, 22 : *Byssus et purpura indumentum ejus.*

Sic ergo tam corporaliter quam spiritualiter dives iste « *induebatur purpura et bysso.* »

« Et epulabatur quotidie splendide. »

Hoc etiam corporaliter et spiritualiter esse poterat. Corporaliter quidem tangitur in hoc voracitas. Epulæ enim sonant in delicias. Exod. xxxii, 6 : *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.* Epulæ enim sunt quæ laute et studiose præparantur : et ideo faucibus deceptis per sapores, et nimis et ardentibus sumuntur. Jacob. v, 5 : *Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra.* II Petr. ii, 13 : *Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes.* Epulatio autem sonat abundantiam : splendor autem in honorem convivantium, et decorem apparatus mensarum, in vasis aureis, et argenteis, et alio decore apparatus.

Attendit enim iste quod dicitur, Eccli. xxxi, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Quod bene potest esse, quod istum sicut et alios, plus pavit in talibus epulis inanis gloria, quam refectio ciborum. Tam lauta enim plus quæruntur gratia famæ, quam gratia gulæ. Unde Lucanus :

Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ.

Delectatio enim gulæ quoad gustum, vix est latitudinis duorum digitorum in lingua, et faucibus. Et ideo, sicut dicit Aristoteles in III *Ethicorum*, Philoxenes Erycius pulmenti, et maxime piscium vorator existens, orabat, cum pulmentum piscium comederet, fauces ejus longiores gruis fieri.

Sic igitur exponitur istud de epulatione corporaliter.

Sunt autem quidam etiam qui epulantur quotidie splendide epulatione spirituali : vel in virtutibus civilibus, vel etiam in virtutibus veris. Sicut filii Job, qui faciebant convivia per dies, singuli in domo sua [2]. Et cum refectio ista in orbem transit, aliquis in suis virtutibus gloriatur, et parum pereuntibus pauperibus compatitur. Et tunc, quod ipse splendide epulatur, non proficit : quia manum egeno et pauperi non porrigit. Ezechiel. xvi, 49 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, saturitas panis et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus : et manum egeno et pauperi non porrigebant.* Pauperes autem in hoc sensu sunt, qui virtutibus indigent : et non est qui eis compatiatur.

« Et erat quidam mendicus nomine 2
Lazarus, qui jacebat ad januam ejus,
ulceribus plenus,

Cupiens saturari de micis quæ ca- 2
debant de mensa divitis, et nemo illi
dabat : sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. »

Describitur hic status mendici.

Describitur autem hic a septem : a fortuna primo, secundo a nomine, tertio ab abjectione, quarto ab infirmitate, quinto ab indigentia minimorum, sexto ab auxilii destitutione, septimo a tanta etiam indignitate, quod nec canes ab eo prohibebantur.

Et hæc exponuntur dupliciter : primo

[1] Cf. Matth. xxv, 8.

[2] Cf. Job, i, 4.

de mendicitate corporali, et secundo de mendicitate spirituali.

De mendicitate corporali sic :

« Et erat quidam mendicus, »

Inter alios notabilis indigentiæ.

« *Mendicus.* » Non tantum pauper : quia pauper est non sufficiens sibi, ut dicit Augustinus. Sed mendicus est, qui circuit per ostium omni auxilio destitutus. Psal. XXXIX, 18 : *Ego autem mendicus sum et pauper : Dominus sollicitus est mei.*

Hanc autem mendicitatem Dominus in amico suo Lazaro esse voluit, ut et patientia sua exerceretur, et dives de tenacitate convinceretur. Proverb, XXII, 2 : *Dives et pauper obviaverunt sibi : utriusque operator est Dominus.* Operatus est enim egenum ad patientiam, et divitem ad misericordiam, si eleemosynam daret : sin autem non daret, operatus est eum ad condemnationem. Proverb. XXIX, 13 : *Pauper et creditor obviaverunt sibi : utriusque illuminator est Dominus.* Illuminat enim pauperem ad virtutem patientiæ : creditorem autem, qui subvenit pauperi, ad opus misericordiæ in spe mercedis æternæ.

Sic ergo erat mendicus, sicut dicit Dominus, Marc. XIV, 7 : *Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis illis benefacere.* Et sic mittitur pauper ad meritum divitis, et dives ad misericordiam pauperis.

« Nomine Lazarus. »

Ecce describitur a nomine : cujus nomen novit Dominus propter quinque. Quia scilicet sunt noti apud eum pauperes, quia ipsos elegit. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se ?*

Secunda autem ratio est, quia paupertatem diligit, et humilitatem approbat. Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et ideo sicut nominati sunt principes regni coram rege, ita sunt pauperes nominati coram rege suo. Numer. XVI, 2 : *Proceres Synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur.*

Tertia ratio est, quia nomina nulla habent in terris : et ideo in cœlis habere nomina merentur hi, qui propter Deum sunt pauperes. Isa. LVI, 5 : *Dabo eis in domo mea locum, et nomen melius a filiis et filiabus : nomen sempiternum dabo eis, quod non præteribit.*

Quarta ratio est, quia apud Deum sunt gratiæ singularis. Exod. XXXII, 17 : *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.*

Quinta ratio est, quia in cœlis, et non in terra, omnia merita per quæ nominandi sunt scripserunt. Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem.* In signum hujus Deus mutavit nomen Jacob, qui *luctator* interpretatur : et vocavit eum Israel, hoc est, *rectissimum*[1].

Sic ergo, « *erat quidem mendicus,* » non nisi unus et unicus, qui et uni et unico non dedit, numquam ad plures misericordia motus fuisset. Psal. XXIV, 16, 18 : *Unicus et pauper sum ego : vide humilitatem meam et laborem meum.*

Mendicus autem est, qui mendicando clamat ad ostia ut excitet pietatem. Si enim taceret, vel plures essent, non esset adeo damnabilis divitis impietas. Eccli. IV, 8 : *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum.* I Joan. III, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo ?*

Sic ergo erat quidam mendicus, « *nomine Lazarus.* » Nec puto quod a

[1] Cf. Genes. XXXII, 28.

Christo inter tot pauperes nominaretur, nisi specialis paupertatis et miseriæ notæ fuisset apud homines, et specialis meriti apud Deum. Eccli. IV, 4 : *Rogationem contribulati ne abjicias.*

« Qui jacebat ad januam ejus. »

Exaggerat hic paupertatem ab abjectione et destitutione.

Abjectus enim non habens gerentem vel gestatorem, jacebat similis illi de quo dicitur, Joan. V, 7 : *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Et sic iste jacebat, cui impotenti omnes alii pauperes eleemosynas præripiebant. Jacebat, qui apud diversorum ostia victum quærere non valebat. Jacebat, qui se ad accipiendum quod offerebatur, erigere non valebat. Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea,* hoc est, in infirmitatibus.

« *Ad januam,* » ut transeuntes provocaret ad misericordiam. In janua enim divitis, frequens erat transitus amicorum divitis. Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus !* Chrysostomus autem alias causas, quare jacebat ad januam, assignat super hunc locum, sic dicens : « Jacebat ante januam « divitis Lazarus, ut crudelitatem divitis « in suo corpore demonstraret. Jace- « bat ante januam, ut dives dicere non « posset : Non vidi : in angulo fuit, « adspicere non potui. Jacebat ante « januam, ut dives eum videret exiens « et revertens. O quam dissimilis iste « dives Beato Job fuit, qui dixit, Job, « XXXI, 32 : *Foris non mansit peregrinus,* « *ostium meum viatori patuit.* Quam « dissimilis fuit Beato Patriarchæ Abra- « hæ, Genes. XVIII, 1 et seq., Abraham « stetit in ostio tabernaculi sui in ipso « fervore diei, et vidit tres viros descen- « dentes per viam, et corruit in faciem « suam, et dixit : *Domine, si inveni* « *gratiam in oculis tuis, ne transeas* « *servum tuum.* Quam dissimilis Lucæ et « Cleophæ, Luc. XXIV, 29, qui coegerunt « peregrinum, dicentes : *Mane nobiscum,* « *quoniam advesperascit, et inclinata* « *est jam dies.* » Gregorius autem sic dicit : « In una re duo judicia Dei ex- « plentur, scilicet, ex visione pauperis, « divitis non miserentis cumulus dam- « nationis infertur. » Et rursus : « Ex « visione divitis tentatus quotidie pauper « probatur. Quem ad ipsius probatio- « nem, paupertas simul et visa divitis « copia, et nulla adhibita sibi consolatio, « fortiter afficiunt. » Et ideo multa erant istius conflatoria, quæ sicut in camino aurum eum conflabunt. Sapient. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.*

Sic ergo « *jacebat ad januam ejus.* »

« Ulceribus plenus. »

Ulcera sunt infirmitas omnium oculis exposita, et quæ intuentes movent ad misericordiam. Unde, Eccli. IV, 1 : *Oculos tuos ne transvertas a paupere.* Tob. IV, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Proverb. XII, 10 : *Viscera impiorum crudelia.* Viscera ergo nimis crudelia sunt, quæ ad ulceratum non moventur. Job, II, 7 et 8 : *Egressus Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem ejus : qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Et ita jacebat et iste. Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Item, ibidem : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Auribus enim divitis obturatis nihil esset vox unius oris clamantis : unde Dominus, ad aperiendum cor ejus, multa vulnera sicut multa ora aperuit : ut quot essent vulnera, tot essent ora clamantia. Unde Salomon, Proverb. XXI, 13 : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.*

Sic ergo jacebat « *ulceribus plenus.* »

Ulcera autem triplicem ingerunt infirmitatem. Tumorem enim habent contra corporis compositionem : generationem autem saniei, quæ semper cum calore febrili est, habent contra corporis complexionem : et contra complexionis æqualitatem, et immunditiam fluxus saniei et abominationem. Et hæc omnia non poterant non movere divitem ad pietatem. Unde Glossa Gregorii : « Si « qua reprehensibilia videmus in paupe- « ribus, non debemus despicere : quia « fortasse quos morum infirmitas vulne- « rat, hoc medicina paupertatis curat. » Eccli. IV, 2 : *Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua.*

« Cupiens saturari de micis. »

Ecce quod desiderium pauperis in minimis et inutilibus avaro, compleri non poterat. Et in hoc duritia divitis aggravatur. Si enim petisset delicias forte, non immerito non exaudivisset : quia non decent pauperem deliciæ. Unde Augustinus in sermone de verbis Domini in monte : « Non cogantur divites pauperem cibis « uti : utantur consuetudine infirmitatis « suæ, et doleant se aliter non posse : « quia si consuetudinem mutant, ægro- « tant. Edant delicata, dent pauperibus « superflua. Edant pretiosa, dent paupe- « ribus vilia. Et quidem pauperum sunt « reliquiæ, non deliciæ : non oblectamen- « ta, sed fragmenta. Hæc autem fragmenta « tamen sunt de delicatis cibis qui super- « sunt. Sed deliciæ pauperibus ex studio « non præparantur : quia malum esset « eis consuescere uti delicatis : cum ex « hoc magis torquerentur, quando ha- « bere non possent. » Aliquando tamen delicata exhibenda sunt : sicut dicitur, Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum : et mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Partes autem pinguium et mulsi sunt delicata. Ista autem delicata non petivit, sed miculas. Job, XXII, 7 : *Aquam lasso non dedisti, et esurienti subtraxisti panem.* Econtra dicit Job, XXXI, 16 : *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci.*

Nec petebat miculas remanentes, sed

« Quæ cadebant de mensa divitis, »

Quæ non nisi canibus projiciebantur, et ad alium usum non erant. Matth. XV, 27 : *Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

« Et nemo illi dabat. »

Nec dominus, nec famulus : quia qualis erat dominus, tales sibi quæsivit ministros. Eccli. X, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Chrysostomus : « Infelix, si Dei præcepta non « consideras : saltem miseræ conditionis « tuæ memorare, ne talis fias. » Job, V, 24 : *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Omnes ergo ministros iste habuit impios.

« Sed et canes veniebant. »

Istud est ultimum. Quia nec dignus habitus est in conspectu divitis, a quo canes prohiberentur. Et in hoc notatur nimia duritia et inhumana, hominem videre canibus expositum, et canes ab eo non prohibere. Est autem proverbium quoddam divitum, quando maledicunt pauperibus : Optant eos tradi canibus devorandos. Unde sicut impiissima Jezabel canibus devorata est, IV Reg. IX 36 et 37 : *Comedent canes carnes Jezabel, et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ.* Reputant enim pauperes omni vituperio dignos, et ad modum stercoris conculcandos.

Hæc igitur, ut puto, est expositio litteralis.

Ex divina autem dispensatione conversum est hoc in lenimentum pauperis, et diviti in cumulum damnationis. Lingua

enim canum medicinalis est in sanitatem, et mundat vulnera a putredine. Et ideo canes benefici fuerunt misero, cui dives subtraxit beneficium.

Adhuc autem, pauper liberalior fuit canibus divitis, cibans eos suo humore et cruore, cui dives avarus negavit cibum canum : miculæ enim cadentes, cibus sunt canum. Matth. xv, 27 : *Nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.*

Adhuc autem, patientiam et humilitatem ostendit pauper, a se canes divitis non repellendo : indignationem autem dives ad pauperem, non prohibendo canes ab ipso. Et sic mirabili modo in uno et eodem facto, et probatur virtus pauperis, et diviti acquiritur cumulus damnationis.

Et hoc est quod addit :

« Et lingebant ulcera ejus. »

Puto enim carnes forte feroces venisse ad pauperem : sed ad mansuetudinem fuisse conversos, cum ad pauperem venissent merito pauperis : sicut et leones ad Danielem se habuerunt[1].

Hoc autem etiam spiritualiter verum est. Si enim *dives*, est virtute exteriori dives, et glorians in divitiis, et durus et immisericors in peccatores : consequens est ut pauper sit peccator pœnitens, paupertatem suam recognoscens. Thren. III, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.*

Hic *nomine Lazarus* est, quia Lazarus, *adjutus vel auxiliatus a Domino* interpretatur : quia solum Deum habet adjutorem talis pauper. Psal. x, 14 : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

Hic sæpe jacet *ad januam* misericordiæ, divitis consilium et auxilium animæ requirens : et maxime ad januas clericorum et litteratorum, petentes jacent pœnitentes, dicentes illud Matthæi, xxv, 8 : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.* Sicut Eliseus, IV Reg. IV, 4, jussit oleum mitti in omnia vasa vacua : quod est opus misericordiæ in desolatos transfundi.

Jacet autem *ulceribus plenus*, hoc est, ostensione peccatorum. Vulnus enim apparens in cute, est ulcus detectum. Proverb. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Hic cupit *saturari de micis quæ cadebant de mensa.* Quasi dicat : Hoc est, de parvis, quæ parva sunt diviti in scientia, verbis divinis, et sacramentis, quibus ad pœnitentiam nutriatur.

Et nemo illi dabat. Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Cum tamen illi epulentur in deliciis verbi Dei splendide. Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis meis adimplebitur.*

Et dare deberet ad minus micas sex pauperibus. Primam scilicet, compassionis. II ad Corinth. xi, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?*

Secundam, congratulationis in adventu et devotione pauperum. Ad Roman. xii, 15 : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.*

Tertiam, verbum piæ consolationis, aut consilii, aut sustentationis. Job, xxix, 25 : *Cum sederem quasi rex,... eram tamen mœrentium consolator.* Et iterum, ℣. 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* Eccli. xviii, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum.*

Quartam micam porrigere deberet, verbum instructionis, sive doctrinæ. Matth. xxviii, 19 : *Docete omnes Gentes.*

Quintam, exemplum bonæ conversationis. Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

[1] Cf. Daniel. xiv, 31-40.

Sextam deberet porrigere micam corporalis sustentationis et supportationis. Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate.* Ad Roman. XV, 1 et 2 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Sed, heu ! hodie nemo illi dabat. Amos, VI, 6 : *Optimo unguento delibuti, et nihil compatiebantur super contritione Joseph,* hoc est, pauperum. Dicunt enim divites Prælati illud Ecclesiastici, XI, 19 : *Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus,*

« *Sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.* » Hoc istis temporibus verificatum est. Canes enim venatici, Ordines sunt prædicantium, qui non exspectant domi, sed veniunt ad pauperes, et lingunt ulcera peccatorum suorum, habentes in ore latratum prædicationis. Ad Titum, II, 15 : *Hæc loquere, et exhortare.* Et hos ideo suscitavit Deus, quia antiqui canes Prælati sunt, de quibus dicitur, Isa. LVI, 10 et 11 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare.... Canes impudentissimi, nescierunt saturitatem.* Habent etiam isti canes boni in dentibus morsum increpationis et redargutionis. II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Habent nihilominus in lingua medicamentum sanitatis. Eccli. XXXVI, 25 : *Si est lingua curationis, est et mitigationis et misericordiæ.* Proverb. XII, 18 : *Lingua sapientium sanitas est.* Psal. LXVII, 24 : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Eccle. IX, 4 : *Melior est canis vivus leone mortuo.* Canis enim vivus est bonus Prædicator, gratiam habens latratus in prædicatione, redargutionis in dente, et medicationis in consilio linguæ. Leo autem mortuus, Prælatus austerus, ab operibus Prælati et regiminis mortuus. Eccli. IV, 35 : *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.*

Hæc igitur sic satis apte spiritualiter exponuntur.

« Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. » 22

Hic tangitur utriusque, divitis et pauperis, dissimilis ab hac vita exitus.

Et primo tangitur exitus pauperis, et secundo divitis.

Dicit autem tria circa exitum pauperis : mortis qualitatem, Angelorum in deferendo animam administrationem, et receptaculi beatitudinem.

Mortis autem qualitas notatur in hoc quod dicit : « *Factum est autem,* » dispositione divina providente, et miseriis suis finem imponente. Apocal. XIV, 13 : *Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Felix enim mors est, quam Dominus dispensando facit. Tunc enim dicit pauper : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus*[1].

« Ut moreretur. »

Sapient. III, 2 et 3 : *Visi sunt oculis insipientium mori :... illi autem sunt in pace.*

« *Mendicus,* » ut numquam plus sit mendicus, nec umquam aliquo indigeat. Tobiæ, XII, 3 : *Bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Deo igitur vocante pauperem ad gloriam, « *factum est ut moreretur mendicus.* »

« Et portaretur ab Angelis, »

Sublevatus meritis et Angelorum comitatu.

« *Ab Angelis.* » Non quidem quod in-

[1] Psal. CXXIII, 7.

digeret, qui propriis subvehebatur meritis : sed Angeli congratulationem in comitatu ostendebant, quam simpliciter et recte consiliis eorum et custodiis operam vivus dedisset. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi?* Psal. XC, 12 : *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Baruch, V, 6 : *Exierunt abs te pedibus ducti ab inimicis : adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore, sicut filios regni.* Isa. LXVI, 12 : *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis.*

« In sinum Abrahæ. »

Hieronymus : « Sinus Abrahæ est « requies beatorum pauperum. Hæc au- « tem ante Passionem et Ascensionem « fuit in limbo inferni, hoc est, in ora « inferni superius juxta infernum : in « quo antiqui justi Patriarchæ et Pro- « phetæ spe felici adventum Domini « exspectabant. » Hic ideo *sinus* vocatur, quia capacitatem habuit animas continentem et occultationem. *Abrahæ* autem vocatur, quia Abraham prima via fuit credendi justitiam Dei, et primus de requie illa habuit promissiones. Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.*

Iste igitur fuit sinus Abrahæ.

Modo autem post januæ cœlestis apertionem, sinus Abrahæ est regnum cœlorum, in quo beati collocantur in mansionibus ibi a Christo paratis : sicut ipse dicit, Joan. XIV, 2 et 3 : *Vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum.* Et hoc etiam dicitur *sinus* ratione capacitatis, et absconsionis.

De capacitate quidem dicitur, Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus !* Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

De occultatione autem dicitur in Psalmo XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Et iterum : *Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.* Iste ergo, rationibus dictis, *sinus Abrahæ* vocatur requies beatorum pauperum, qui omnibus per affectum derelictis, solum petiverunt Deum, dicentes illud Psalmi LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?* Et illud Psalmi XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Hæc sunt tabernacula, in quæ recipiunt beati pauperes post mortem suos amicos : sicut in antehabitis dictum est.

Contra primam partem hujus determinationis videtur esse quod dicitur, Job, XVII, 13 : *In tenebris stravi lectulum meum.* Et illud, Ibidem, ℣. 16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea : putasne saltem ibi erit requies mihi ?*

Sed dicendum, quod limbus patrum erat in tenebris quoad hoc, quod visionem Dei non habebant : tamen aliquid lucis habuerunt gratiæ interioris propter felicem fidem et spem, qua Redemptorem exspectaverunt.

Ad aliud dicit Gregorius, quod infernus dicitur aer, in quo habitant tentatores. Inferior autem terra, in qua tentati et afflicti habitant homines. Profundissimus autem infernus, est locus pœnarum cum omnibus suis limbis : tam cum limbo patrum, quam cum limbo puerorum, et purgatorii. Omnia enim hæc tria loca sunt loca pœnarum, scilicet, aer dæmonum, terra tentatorum hominum, et infernus locus pœnarum animarum. Sic igitur constat hoc, et pro veritate habendum est quod dictum est de *sinu Abrahæ.*

Moraliter autem loquendo est multiplex sinus diaboli, paratus contra sinum Abrahæ, et Dei. Est enim sinus voluptatis in carne. Est sinus cupiditatis in

fraudulenta acceptione. Est sinus vanitatis in falsa gloriatione. Est sinus impœnitentiæ in peccatorum absconsione. Est sinus negligentiæ in Prælatorum dissimulatione, et correctione. Est sinus malæ conscientiæ in pœnarum pro peccatis receptione.

De sinu voluptatis dicitur, Proverb. v, 20 : *Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius.* Aliena est quamcumque amamus, præter sapientiam quæ sponsa nostra est : et hæc est voluptas carnis, in cujus sinu, hoc est, occulto blandimento multi foventur.

De sinu cupiditatis dicitur, Proverb. XVII, 23 : *Munera de sinu ipsius accipit, ut pervertat semitas judicii.*

De sinu vanitatis dicitur, Ezechiel. XLIII, 13 : *In sinu ejus erat cubitus,... et definitio ejus usque ad labium ejus.* Cubitus est mensura brachii, per quod opera intelliguntur. Quæ quidem semper in sinu meditantur, et diffiniunt per jactantiam labiorum. Hoc etiam est quod dicitur, Exod. IV, 6 : *Cum misisset Moyses manum suam* (per quam opera significantur) *in sinum, protulit leprosam instar nivis.* Quia lepra inficit opus, quod jactantia maculavit.

De sinu impœnitentiæ dicitur, Job, XXXI, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Juramentum est exsecrationis. Quasi dicat : Male mihi accidat.

De sinu vero negligentiæ Prælatorum dicitur, III Reg. III, 20 : *Tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo : suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.* Sic enim de sinibus negligentium Prælatorum, vivi filii per iniquam mulierem carnis concupiscentiam surripiuntur, et mortui redduntur.

De sinu autem malæ conscientiæ recipientis pro meritis dicitur, Isa. LXV, 7 : *Remetiar opus eorum primum in sinu eorum.*

E contrario autem etiam conscientia bonorum pro meritis recipiens, *sinus* vocatur. Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Primo ergo dicto modo sinu portatus est Lazarus in sinum Abrahæ, ubi requies tunc fuit beatorum pauperum.

« Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. »

Tria dicit circa mortem divitis : mortem, obsequium funeris, et receptaculum animæ.

De morte dicit : « *Mortuus est autem et dives.* » Et non dicit : « *Factum est autem,* » quia, sicut dicitur, Sapient. I, 13, 16 : *Deus mortem non fecit :... impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Sed ipse dives mortem suam malis meritis effecit. Psal. LIV, 24 : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Ad exaggerationem autem miseriæ dicitur « *dives,* » quia ille assuetus erat in deliciis : et ideo magis in tormentis torquebatur. Erat autem vere mortuus : quia nihil vitæ habuit, sed in toto separatus a vita fuit. Perfecte enim mortuus est, qui triplici morte mortuus fuit gratiæ, et naturæ, et pœnæ. Et ideo dicitur, Apocal. VIII, 13 : *Væ, væ, væ habitantibus in terra,* hoc est, defixis in terrenis. Dives autem in extrema erat indigentia. Job, XXVII, 19 : *Dives, cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et ideo cum talem penuriam pati non consueverint, multo plus aliis torquentur. Unde Boetius : « Extremum « genus infelicitatis est in misero, ali- « quando fuisse felicem. »

« Et sepultus est. »

Ecce exsequiarum officium a dæmonibus presbyteris impensum. In hoc enim præcipue verum est quod dicitur, Matth.

VIII, 22 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Mortuus enim est dæmon presbyter morte gratiæ, et mortuus est dives morte gratiæ, et naturæ, et gloriæ : et ideo dæmon sepelivit divitem. Isa. XIV, 20 : *Non habebis consortium*, scilicet cum regibus, *neque cum eis in sepultura.* Jerem. XXII, 19 : *Sepultura asinis epelietur*, hoc est, insensati, et sine sensu viventis. Tale ergo obsequium fuit sui funeris.

« In inferno. »

Ecce animæ receptaculum in inferno. Non enim dictum fuit ei quod dictum fuit Abrahæ Patriarchæ, et quod dicunt Religiosi divitibus ad se venientibus, et apud se eligentibus sepulturam : *In electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum* [1]. Sed in inferno sepultus est. Isa. XIV, 11 : *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum.* Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Ibi ergo sepultus est.

Aliam autem expositionem persequendo, tunc mendicus est pœnitens pauper. Et factum est ut ille moreretur, aliquando per casum peccati, et merito humilitatis portaretur ab Angelis ministris paradisi, hoc est, bonis Sacerdotibus et Prædicatoribus nuntiis Dei, in sinum quietis Ecclesiæ, qui est sinus gratiæ Abrahæ. Isti sunt Angeli qui descendunt et ascendunt in scala Jacob [2]. Ascendunt, animas portantes in sinum. Descendunt autem, animabus reportantes gratiæ donum a Deo. Numer. XXIII, 10 : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* Mortuus est autem et dives, hoc est, Prælatus dives in scientiis, et in merito suæ immisericordiæ, quam habuit in peccatores, sepultus est in inferno, hoc est, in vitiorum profundo. Psal. XXXIII, 22 : *Mors peccatorum pessima, et qui oderunt justum, delinquent.* Isa. XIV, 15 : *Ad infernum detraheris, in profundum laci.* Ideo dicitur, I ad Corinth. X, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.*

« Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus. » 23

Hic tangitur diversus status utriusque post mortem. Et status divitis tangitur expresse, status autem pauperis innuitur.

Hæc autem pars dividitur in duas partes : in quarum prima exprimitur misericordia divitis, quam habuit per se : in secunda autem innuitur status divitis, quem habuit pro fratribus suis, et in culpa sociis.

In prima harum dicit quatuor, scilicet, locum tormentorum divitis, et visam gloriam pauperis, clamorem angustiæ divitis, et petitionem parvas et non obtentæ consolationis.

De primo horum dicit duo : elevationem oculorum divitis, et locum quem habuit in tormentis.

Dicit igitur : « *Elevans autem oculos,* » quia oculos, quos ante culpa clausit, pœna aperuit, ut dicit Gregorius. Job, XXVII, 19 : *Aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Sic Adæ et Hevæ oculi elevati et aperti sunt per pœnam, sicut dicitur, Genes. III, 7 : *Aperti sunt oculi amborum, et cognoverunt se esse nudos.* Miserabile autem est quod jam sic oculos apertos habuit et elevatos, qui pauperem de loco mensæ suæ ante januam jacentem videre non potuit.

« Cum esset in tormentis, »

Hoc est, in loco tormentorum deorsum longe in infimum suppositus pauperi, qui ante in loco throni residens noluit recordari in imo jacentis miseri. In hoc enim

[1] Genes. XXIII, 6.

[2] Cf. Genes. XXVIII, 12.

verum est quod dicitur, Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas, humilem spiritu suscipiet gloria.* Proverb. XIV, 19 : *Jacebunt mali ante bonos, et impii ante portas justorum.* Et est miserabilis permutatio non solum loci infimi in altum, et alti in imum : sed etiam deliciarum in tormentum, et tormentorum in epulas deliciarum in tormentum, et tormentorum in epulas deliciarum. Isa. LXV, 13 et 14 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis : ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

« Vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus. »

Tria dicit, quod scilicet vidit, quod longe positos vidit, et quos vidit.

De primo notandum, quod, ut dicit Gregorius, credendum est, quod ante remunerationem judicii extremi, mali bonos conspiciunt in gloria ad suæ damnationis cumulum : sed mali bonos in gloria videre non poterunt post judicium extremum. Sed tunc fiet quod dicitur, Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio,... et non videbit gloriam Domini.* Sed boni malos in pœnis, et ante judicium, et post videbunt. Isa. LXVI, 24, de bonis dicitur : *Egredientur* (passibus considerationis), *et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*, hoc est, visionis electorum, quorum gaudium ex hoc intenditur, quia justitiam Dei vident prævalere. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.*

Vidit autem « *a longe,* » loco et meriti distantia : quia dicit Psalmus CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.* Et, Proverb. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.*

Vidit ergo « *Abraham, et Lazarum in sinu ejus.* » Hos duos specialiter ad suæ vidit cumulum damnationis : unum quidem, comparatione cujus condemnatus est : alterum autem, quem contempsit. Abraham enim hospitalis fuit, cujus comparatione condemnatus est. Unde, ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Illorum autem unus fuit Abraham, cujus hospitalitatem approbavit Deus, per hoc quod misit ad eum Angelos in specie hospitum. Alius autem Lazarus fuit, quem contempsit, et merito illius immisericordiæ condemnatus fuit. Et ideo hos duos vidit. Isa. XXVI, 11 : *Videant, et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret.* Vidit autem Lazarum in sinu Abrahæ fotum, ut idem haberet operis in requie, quod habuit in merito : quia meritum suum cum viveret fuit fovere pauperes : et de eodem beatificabatur in requie. Isa. XL, 11 : *In sinu suo levabit agnos*, scilicet mites et pauperes, *fœtas ipse portabit.*

« Et ipse clamans dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. » 24

« *Et ipse clamans dixit.* » Ecce clamore angustiam animi sui ostendit. Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Sed accidit ei quod dicitur, Proverb. XXI, 13 : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.* Thren. III, 8 : *Cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam.* Ratio autem hujus redditur, Joan. IX, 31 : *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Et ideo etiam ipse clamor irrationabilis fuit. II Machab. IX, 13 : *Orabat autem hic*

scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

« Pater Abraham. »

Ecce petitio minimi suffragii, quod dives non meretur consequi. Et ideo hic dicuntur duo, scilicet, formatio indiscretæ petitionis, et ejusdem petiti denegatio.

Formatio autem petitionis continet tria. Ex parte quidem ejus a quo petit, ponit inclinantia ad misericordiam : deinde ponit misericordiæ invocationem : et deinde subjungit petitionis rationem.

De primo dicit : « *Pater Abraham.* » Monet enim recordari affectus patris, qui dixit, Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ? super me continuerunt se.* Abraham autem pro malis intercessit, quando pro Sodomitis rogavit [1] : et misericordiam invenisset si decem bonos in quinque civitatibus invenisset.

Sic ergo dicit : « *Pater Abraham.* » Sed, heu ! patrem Abraham, cujus paternitatem dum viveret recognoscere noluit : et ideo dicitur ei illud Joannis, VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Tu immitis et inhospitalis in pauperes fuisti, hoc Abraham non fecit.

« Miserere mei. »

Misericordiam invocat qui noluit misereri.

Dicit autem hic duo : misericordiæ invocationem, et petiti formationem.

De misericordiæ quidem petitione dicit : « *Miserere mei.* » Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Matth. XVIII, 33 et 34 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quodusque redderet universum debitum.* Sic ergo fit quod dicitur, ad Hebr. XII, 17 : *Scitote quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

« Et mitte Lazarum. »

In hac petiti formatione tangit quatuor, scilicet, quem voluit habere misericordiæ ministrum, quantum petivit suffragium, quale, et ad quid.

Primum tangitur, cum dicit : « *Mitte Lazarum.* » In quo notatur istius mendici charitas, a quo etiam is, qui eum offendit misericordiam denegando, præsumit invenire misericordiam. Scivit enim eum esse unum de illis, qui audivit de Christo, Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Et illud Apostoli, ad Roman. XII, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes,* sed e contrario benedicentes. Fuit tamen ista præsumptuosa in divite petitio : ut hunc pater Abraham mitteret, quem ipse dives petentem et indigentem in nullo fuit consolatus.

Sic igitur dicit : « *Mitte Lazarum.* »

« Ut intingat extremum digiti sui in aquam. »

Ecce quantum petit, non plusquam ad extremum digiti potuit adhærere. Quod quidem valde esset exiguum. Extremum autem digiti aliquid est munerum et consolationis Spiritus sancti : quia Spiritus sanctus est Dei digitus. Unde, Luc. XI, 20 : *Si in digito Dei ejicis dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Exod. VIII, 19 : *Digitus*

[1] Cf. Genes. XVIII, 32 et seq.

Dei est hic. Unde digitus Lazari non dicitur hic digitus, qui pars est manus Lazari, sed potius qui juvit Lazarum. Dives enim bene vidit, quod digitus Lazari nullus ibi fuit : et scivit, quod talis corporalis digitus contra flammam inferni nihil conferebat. Unde petivit adjutorium gratiæ Spiritus sancti. Hic enim digitus tres habet juncturas : unam quidem gratiam justificantem, aliam autem gratiam adjuvantem, et tertiam, gratiam consummantem, quam iste libenter habuisset : non in quantum quidem gratia est, quia obstinatus erat in malo, et de gratia non curavit : sed in quantum liberat a pœnis, a quibus libenter fuisset liberatus. Et hoc est quod dicit : « *Ut intingat extremum digiti in aquam,* » gratiæ Spiritus sancti. Ezechiel. xxxvi, 25 et 26 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,... et dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Hoc est igitur quod petit.

Extremum digiti parum capit, et ideo parvo contentus fuisset refrigerio. Quia tamen parvum etiam Lazaro negavit, scilicet, micam cadentem, ideo hoc ipsum parvum accipere indignus fuit. Luc. vi, 38 : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Attende autem inconvenientem esse petitionem divitis, qui non petivit se mitti ad Lazarum, quia ex obstinatione de regno non curavit : sed potius Lazarum ad se mitti; ut eum cui durus fuerat in vita, etiam nunc a regno in infernum deponeret, de solio sublimi in sentinæ imum deduceret, et de loco sanctæ quietis in locum tormentorum. Et hoc considerat hic Petrus Ravennas in quadam Homilia.

Congruentiam autem pœnæ ad peccatum tangit per hoc quod dicit :

« Ut refrigeret linguam meam. »

Non quod divitis anima ibi linguam haberet, sed quia vis interpretativa et gustativa operantur in lingua dum vivit homo, et manent in anima posteaquam moritur. Secundum illas animæ vires fortius sive acerbius cruciabatur : quia et epulo fuit, et in epulis ad loquacitatem laxari consuevit. Et maxime, quia pauperis per dulce verbum saltem memor non fuit. Sapient. xi, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquatur.* Proverb. xviii, 27 : *Qui dat pauperi non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

« Quia crucior in hac flamma. »

Causa est suæ petitionis. Hujus flammæ materia peccatum est, quod homo faciendo, flammam istam succendit. Sententia autem Dei ignem inexstinguibilem injicit. Isa. l, 11 : *Ambulate in flammis quas succendistis*, scilicet vobis. *Flammis* dicitur, propter multitudinem peccatorum. Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo*, hoc est, terrenum affectum in peccatoribus : *et montium*, hoc est superborum, *fundamenta comburet.*

« Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. » 25

Irrationabilis petitionis ponitur hic rationabilis denegatio.

Et dicuntur hic duo. Primo enim ponitur ratio, quare non concedenda est petitio : secundo, ostenditur ad consequendum aliquid misericordiæ liberantis impossibilitas.

In horum primo duo dicuntur : rememoratio status divitis et pauperis in vita : secundo autem respondens utrique retributio congrua.

In primo tangit statum divitis, in secundo statum pauperis.

In primo horum dicit tria, scilicet, re-

scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.

« Pater Abraham. »

Ecce petitio minimi suffragii, quod dives non meretur consequi. Et ideo hic dicuntur duo, scilicet, formatio indiscretæ petitionis, et ejusdem petiti denegatio.

Formatio autem petitionis continet tria. Ex parte quidem ejus a quo petit, ponit inclinantia ad misericordiam : deinde ponit misericordiæ invocationem : et deinde subjungit petitionis rationem.

De primo dicit : « *Pater Abraham.* » Monet enim recordari affectus patris, qui dixit, Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mater infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ? super me continuerunt se.* Abraham autem pro malis intercessit, quando pro Sodomitis rogavit [1] : et misericordiam invenisset si decem bonos in quinque civitatibus invenisset.

Sic ergo dicit : « *Pater Abraham.* » Sed, heu ! patrem Abraham, cujus paternitatem dum viveret recognoscere noluit : et ideo dicitur ei illud Joannis, VIII, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Tu immitis et inhospitalis in pauperes fuisti, hoc Abraham non fecit.

« Miserere mei. »

Misericordiam invocat qui noluit misereri.

Dicit autem hic duo : misericordiæ invocationem, et petiti formationem.

De misericordiæ quidem petitione dicit : « *Miserere mei.* » Jacob. II, 13 : *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Matth. XVIII, 33 et 34 : *Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quodusque redderet universum debitum.* Sic ergo fit quod dicitur, ad Hebr. XII, 17 : *Scitote quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

« Et mitte Lazarum. »

In hac petiti formatione tangit quatuor, scilicet, quem voluit habere misericordiæ ministrum, quantum petivit suffragium, quale, et ad quid.

Primum tangitur, cum dicit : « *Mitte Lazarum.* » In quo notatur istius mendici charitas, a quo etiam is, qui eum offendit misericordiam denegando, præsumit invenire misericordiam. Scivit enim eum esse unum de illis, qui audivit de Christo, Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Et illud Apostoli, ad Roman. XII, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes,* sed e contrario benedicentes. Fuit tamen ista præsumptuosa in divite petitio : ut hunc pater Abraham mitteret, quem ipse dives petentem et indigentem in nullo fuit consolatus.

Sic igitur dicit : « *Mitte Lazarum.* »

« Ut intingat extremum digiti sui in aquam. »

Ecce quantum petit, non plusquam ad extremum digiti potuit adhærere. Quod quidem valde esset exiguum. Extremum autem digiti aliquid est munerum et consolationis Spiritus sancti : quia Spiritus sanctus est Dei digitus. Unde, Luc. XI, 20 : *Si in digito Dei ejicis dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Exod. VIII, 19 : *Digitus*

[1] Cf. Genes. XVIII, 32 et seq.

Dei est hic. Unde digitus Lazari non dicitur hic digitus, qui pars est manus Lazari, sed potius qui juvit Lazarum. Dives enim bene vidit, quod digitus Lazari nullus ibi fuit : et scivit, quod talis corporalis digitus contra flammam inferni nihil conferebat. Unde petivit adjutorium gratiæ Spiritus sancti. Hic enim digitus tres habet juncturas : unam quidem gratiam justificantem, aliam autem gratiam adjuvantem, et tertiam, gratiam consummantem, quam iste libenter habuisset : non in quantum quidem gratia est, quia obstinatus erat in malo, et de gratia non curavit : sed in quantum liberat a pœnis, a quibus libenter fuisset liberatus. Et hoc est quod dicit : « *Ut intingat extremum digiti in aquam,* » gratiæ Spiritus sancti. Ezechiel. xxxvi, 25 et 26 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris,... et dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Hoc est igitur quod petit.

Extremum digiti parum capit, et ideo parvo contentus fuisset refrigerio. Quia tamen parvum etiam Lazaro negavit, scilicet, micam cadentem, ideo hoc ipsum parvum accipere indignus fuit. Luc. vi, 38 : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

Attende autem inconvenientem esse petitionem divitis, qui non petivit se mitti ad Lazarum, quia ex obstinatione de regno non curavit : sed potius Lazarum ad se mitti, ut eum cui durus fuerat in vita, etiam nunc a regno in infernum deponeret, de solio sublimi in sentinæ imum deduceret, et de loco sanctæ quietis in locum tormentorum. Et hoc considerat hic Petrus Ravennas in quadam Homilia.

Congruentiam autem pœnæ ad peccatum tangit per hoc quod dicit :

« Ut refrigeret linguam meam. »

Non quod divitis anima ibi linguam haberet, sed quia vis interpretativa et gustativa operantur in lingua dum vivit homo, et manent in anima posteaquam moritur. Secundum illas animæ vires fortius sive acerbius cruciabatur : quia et epulo fuit, et in epulis ad loquacitatem laxari consuevit. Et maxime, quia pauperis per dulce verbum saltem memor non fuit. Sapient. xi, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquatur.* Proverb. xviii, 27 : *Qui dat pauperi non indigebit : qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.*

« Quia crucior in hac flamma. »

Causa est suæ petitionis. Hujus flammæ materia peccatum est, quod homo faciendo, flammam istam succendit. Sententia autem Dei ignem inexstinguibilem injicit. Isa. l, 11 : *Ambulate in flammis quas succendistis*, scilicet vobis. *Flammis* dicitur, propter multitudinem peccatorum. Deuter. xxxii, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo*, hoc est, terrenum affectum in peccatoribus : *et montium*, hoc est superborum, *fundamenta comburet.*

« Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. » 25

Irrationabilis petitionis ponitur hic rationabilis denegatio.

Et dicuntur hic duo. Primo enim ponitur ratio, quare non concedenda est petitio : secundo, ostenditur ad consequendum aliquid misericordiæ liberantis impossibilitas.

In horum primo duo dicuntur : rememoratio status divitis et pauperis in vita : secundo autem respondens utrique retributio congrua.

In primo tangit statum divitis, in secundo statum pauperis.

In primo horum dicit tria, scilicet, re-

cognitionem dignitatis naturæ, rememorationem culpæ pristinæ, et receptionem debitam vitæ.

De primo dicit :

« Fili. »

In quo imaginem meam recognosco. Psal. xxxviii, 7 : *Verumtamen in imagine pertransit homo.* Notatur etiam in hoc mirabilis patris Abrahæ benignitas, qui istum sic deformatum, filium vocare non dedignatur. Tamen fuit filius alienatus, qui mentitus fuit patri, et claudicavit a semitis suis : tamen propter naturam bonam, filium recognoscit. In hac enim alienus deus partem non habuit. Malach. ii, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ?*

« Recordare, »

Hoc est, pristinæ vitæ tuæ reminiscere. Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Ex hoc autem quod Abraham hunc vocat filium, patet eum Judæum fuisse. Ex hoc etiam vocat filium, ut graviter doleat in se amisisse clementiam. Pristinam autem vitam reducit ad memoriam : ut ex hoc magis doleat se aliquando fuisse felicem qui tunc tantæ subjacebat infelicitati.

Miserabile autem valde est quod dicit :

« Quia recepisti bona in vita tua. »

Quod duos habet sensus. Unum quidem, quia et si bona aliqua in vita dives fecit, hæc remuneratione temporali recepit. Sicut in Ezechiele dicitur, quod Nabuchodonosor qui imperium Domini perfecit in Tyro, in remunerationem accepit Ægyptum [1]. Alius sensus est, quod recepit in vita a patre Abraham bona, quæ reputabat sola bona et beatitudinem suam, hoc est, fructum temporalium. Iste enim fuit unus eorum de quibus dicitur in Psalmo cxliii, 12-15 : *Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua : filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud : oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis : boves eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, neque transitus : neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Et ideo in his bona sua recepit, partem in hæreditate æterna nullam habens.

« Et Lazarus similiter mala. »

Sub duobus sensibus oppositis. Quia si Lazarus aliqua parva mala ex impatientia paupertatis et infirmitatis fecit, hoc in pœna temporali purgavit. Sapient. iii, 6, 5 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos,... et invenit illos dignos se.*

Vel dicitur : « *Mala,* » quæ vitæ huic annexa sunt cepit Lazarus in vita. Sapient. iii, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Hæc sunt duplicia, de quibus dicitur, Isa. xl, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.*

« Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. »

Adjicit respondens utrique præmium, et stipendia meritorum.

De paupere quidem : « *Nunc vero,* » in statu post mortem, « *hic* » pauper Lazarus, « *consolatur* » a me. II ad Corinth. iv, 17 et 18 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Isa.

[1] Cf. Ezechiel. xxix, 18 et 19.

LXVI, 13 et 14 : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, dicit Dominus ; et in Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

« Tu vero, »

Justa recipiens malorum meritorum stipendia. Ad Roman. VI, 23 : *Stipendia enim peccati mors : gratia autem Dei vita æterna.*

« Cruciaris, »

In flamma et pœnis infernalibus. Proverb. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Ista mutatio statuum significatur, Genes. XLVIII, 14, ubi Jacob dexteram posuit super juniorem filium, qui erat ad sinistram : et sinistram super majorem, qui erat ad dexteram : quia majores in hoc mundo in dextera prosperitatis stantes, in futura vita ad sinistram pœnarum æternarum transferuntur : et juniores in hoc mundo pauperes ad sinistram adversitatis stantes, frequenter benedictionem dexteræ in æternis bonis accipiunt in futuro.

P. G. « Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possunt, neque inde huc transmeare. »

Tangit hic consolationis impetrandæ impossibilitatem.

Tangit autem tria : causam confirmationis, naturalem Sanctorum ad compatiendum inclinationem, et miserendi impossibilitatem.

De primo dicit : « *In his omnibus.* » Quasi dicat : Quid valet longa tua petitio, et mea negatio ? Quia in his omnibus consolationibus pauperis, et tuis, et damnatorum cruciatibus, « *firmatum est,* » sententia Dei judicis, « *magnum chaos,* » hoc est, vorago hians, « *inter nos et vos,* » et in gaudiis et cruciatibus existentes. Hoc autem chaos immeabile, est sententia obstinationis in malis, et sententia confirmationis in bonis. Exod. VIII, 22 et 23 : *Scias quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum.* Hoc significatum est, II Reg. V, 9, ubi dicitur, *quod habitavit David in arce, et vocavit eam Civitatem David : et ædificavit per gyrum a Mello et intrinsecus.* Mello autem erat fossatum et vorago, distinguens civitatem Jerusalem ab exterioribus. Hæc ergo vorago significat chaos, quod firmatum est inter beatos et damnatos, habens unum latus sententiæ divinæ confirmationem, et aliud, exigentiam meritorum.

« Ut hi, etc. »

Secundum est, in quo tangit, quod etiamsi sancti ex inclinatione naturæ, quæ perfectissima est in eis, « *qui volunt transire,* » ultra chaos compassionis affectu : quia sicut dicitur, Eccli. XLIV, 10, *sunt viri misericordiæ,* « *ad vos* » damnatos juvandos, « *non possunt,* » propter congratulationem justitiæ cui adhærent. Est enim in eis inclinatio naturæ sine sensu passionis, et convertit hanc obligatio voluntatis ad lætitiam vincentem iniquitatem. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Genes. XIV, 19, 20 : *Benedictus Abram Deo excelso,... quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.*

« *Neque inde huc,* » per voluntatem beatitudinis, « *transmeare* » valeant damnati. Quia sicut dicitur, Ezechiel. XXXII, 27, adeo sigillatæ *fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum,* quod ita habent obstinatam in malo voluntatem, quod quamvis vellent esse sine pœnis, tamen in gloria nollent esse cum Deo judice, et Sanctis, quod essent sine iniquitatis voluntate. Psal. LXXIII, 23 : *Su-*

perbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Apocal. XVI, 9 : *Blasphemaverunt homines nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi,* scilicet Deo, *gloriam.*

27 « Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei :

28 Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. »

Ecce secunda pars, scilicet pro carnalibus sollicitudo divitis.

Et dividitur in quatuor paragraphos petitionis divitis, et negationis Abrahæ : qui successive in littera ponuntur.

In primo sunt duo. Primo enim petit Lazari missionem : secundo, adjungit petitionis rationem.

Dicit ergo : « *Rogo ergo.* » Quasi dicat : Ex quo dicis chaos esse inter mortuos damnatos et beatos, quod non est inter vivos malos, et damnatos, et beatos. «*Rogo ergo te, pater,* » qui in affectu patris tuos diligis. Sapient, XI, 24 et 25 : *Dissimulas peccata hominum, propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quos fecisti.*

« *Ut mittas eum,* » ad vitam revocando, « *indomum,* » hoc est, in familiam, « *patris mei* » carnalis.

« Habeo enim quinque fratres. »

Unde dicit Bernardus : « Servatur di-
« viti et cognitio pauperis quem despexit,
« et memoria fratrum quos illicite ama-
« vit : ut de visa gloria pauperis quem
« despexit, et de pœna carnaliter amato-
« rum amplius torqueatur. »

Sed huic videtur esse contrarium quod dicitur, Job, XIV, 21 et 22 : *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. Attamen caro ejus dum vivet, dolebit, et anima illius super semetipso lugebit.* Ergo damnati non intelligent aliquid de his quæ sunt hic. Et quod quidem expresse dicit Gregorius super eumdem locum.

Ad hoc dicendum, quod forte speciale fuit in divite quod de fratribus cogitavit propter exemplum. Aliter dicunt quidam, quod fratres per accidens in mundo adhuc vivere cognovit, scilicet, quia non vidit eos in inferno. Sed ista solutio debilis est. Et ideo prima melior est. Et concordat dictis Sanctorum.

Et hoc est quod dicit :

« Ut testetur, »

Resurgentis miraculo, « *illis, ne et ipsi veniant,* » post mortem damnati, « *in hunc locum,* » locum ubi est terra miseriæ et tenebrarum : *ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* [1]. « *Tormentorum* » Proverb. XIX, 29 : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.*

Sed hoc contrarium videtur, quod damnati sunt invidi et malæ ad invicem voluntatis, et conformem cum diabolo habent voluntatem : et ideo (sicut diabolus) omnes homines vellent esse damnatos.

Ad hoc dicunt quidam, quod dives per istam petitionem, aliam obtinere conabatur. Putabat enim tam dilectum esse Lazarum, quod non amplius a gloria ad miseriam hujus vitæ mitteretur : et tam misericordem patrem, ut vivorum erratui compateretur. Et ideo suspicabatur se esse mittendum, et sic a pœnis absolvendum. Sed mentita est iniquitas sibi : quia propter suos fratres non erat inveniendus specialis modus vocationis ad pœnitentiam.

Potest etiam dici, quod sibi timuit in fratribus, ut in præsentia eorum, malus

[1] Job, X, 22.

carnalis suus affectus amplius torqueretur : sicut Ambrosius dicit, quod ignoratur pœna Arii, quia nescitur quot sunt errore ejus subvertendi. Et hoc est probabilius, et dictis Sanctorum concordans. Socii enim sui et fratres in culpa, futuri erunt socii in pœna. Isa. xxiv, 22 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* Matth. xiii, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate eo in fasciculos ad comburendum.*

Dicit autem optime : « *Locum tormentorum,* » quia ibi omnia concurrunt tormenta. Job, xxiv, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Innuitur etiam in hoc, divitem damnatum nihil habere gratiæ in voluntate, quia non timet nisi tormenta timore servili : in quo (ut dicit Beda) vivit peccandi voluntas, et sequeretur opus, si speraretur impunitas. Non enim dicit, ut testetur illis ne peccent, vel ut pœniteant : sed ut ad tormenta non veniant. Et verificatur quod dicitur, Isa. v, 25 : *In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta,* quia populus non est reversus ad percutientem se [1].

29 « Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas : audiant illos. »

Ecce secundus paragraphus de responsione Abrahæ.

« *Habent Moysen et prophetas.* » Moysen quidem in observantia operum mandatorum : Prophetas autem in illuminatione credendorum et promissorum.

« Audiant illos, »

Quia hæc ad conversionem sufficiunt. Et ideo de Moyse dicitur, Eccli. xxiv, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* De Prophetis autem dicitur, Eccli. xxxvi, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Hæc est etiam causa, quod, Matth. xvii, 3, ubi claritatem futuræ beatitudinis ostendit, cum Domino apparuerunt Moyses et Elias : ut lex et prophetia testificarentur evangelicæ de futura vita promissioni.

Sic igitur dicit Abraham. Sic Christus, Joan. v, 39 et 40 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.*

« At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. » 30

Tertius paragraphus de stultitia divitis, qui Abrahæ verbum nititur infirmare : et ideo incipit a negatione, dicens : « *Non, pater Abraham.* » Job, xl, 3 : *Numquid irritum facies judicium meum ? et condemnabis me, ut tu justificeris ?* Potius cum David humiliter dicere debuit illud Psalmi l, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* In hac autem contradictione fortiter ingeminat patrem Abraham. De meritis enim propriis diffidens ad gremium patris misericordiæ libenter se converteret : et fastus quidem cordis sui humilitatem propriam recognoscere non sinit : ut diceret illud Lucæ, xv, 21, quod filius prodigus dixit : *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

« Sed si quis ex mortuis, »

Resurgens, « *ierit,* » vocando ad pœnitentiam, « *ad eos,* » quia resoluti deliciis, nullum requirunt qui viam doceat pœnitendi. Et in hoc quia accusantur, et exaggeratur malitia eorum, ideo non merentur quod aliquid fiat pro eis,

[1] Cf. etiam, Isa. ix, 12, 17 et 21.

sed quidem irati animus judicis ad deteriora provocetur. Et maxime, quia etiam is qui displicet, intercedere præsumit.

« Pœnitentiam agent. »

Et hoc quidem non est probabile : quia dicitur, Isa. VIII, 19 et 20 : *Numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis a mortuis ? Ad legem magis, et ad testimonium.*

Et hoc est quod sequitur :

31 « Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. »

« *Ait autem illi,* » scilicet Abraham. Et est quartus paragraphus, in quo ratio divitis excluditur per sapientiam justi patris.

« *Si Moysen et prophetas non audiunt,* » quorum testimonia tot signis confirmata sunt. Ad Hebr. II, 3 et 4 : *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus,* etc.

« Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. »

Et hoc ostenderunt, quia Domino resurgenti non crediderunt. Et sicut dicitur, ad Hebr. XI, 35 : *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos :* nec tamen propter hoc Judæi crediderunt. Similiter autem, Joan. XI, 44 et seq., surrexit Lazarus, et ex hoc ad deteriora provocati sunt. Joan. XII, 10 et 11 : *Cogitaverunt principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent, quia multi ex Judæis propter illum abibant, et credebant in Jesum.* Narrat etiam Nicodemus in Evangelio suo, quod filii Simeonis, et multi alii surgentes ex mortuis, testimonium Christo perhibuerunt : et tamen in incredulitate Judæi manserunt. Matth. XXVII, 52 et 53 : *Multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt :... et venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.* Nec aliquid ad fidem Judæorum profecerunt, quia erat eis verificatum quod dixit Isaias, Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.* Hujus autem tota causa fuit, quia gloriam mundi ad humilitatem fidei commutare noluerunt : sicut nec dives dum viveret. Joan. V, 44 : *Quomodo vos potestis, credere, qui gloriam ab invicem accipistis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ?*

Hoc est ergo quod dicit.

CAPUT XVII.

Væ scandalizanti pusillos : frater in nos peccans increpandus est, eique pœnitenti ignoscendum : Apostolos docet fidei efficaciam : quodque dum omnia ipsis præcepta fecerint, se servos dicant inutiles : decem leprosi mundantur, unico qui Samaritanus erat ad agendas gratias revertente : dicit adventum Filii Dei non occultum fore, sed illustrem, et inexspectato superventurum, sicut diluvium mundo, et Sodomis subversio supervenit.

1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala[1] : væ autem illi per quem veniunt.
2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.
3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum[2] : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.
4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi.
5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem.
6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem, sicut granum sinapis[3], dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare : et obediet vobis.
7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe :
8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes ?
9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ?
10. Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.
11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.
12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe :
13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri.
14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus[4]. Et factum est, dum irent, mundati sunt.
15. Unus autem ex illis, ut vidit quia

[1] Matth. XVIII, 7 ; Marc. IX, 41.
[2] Levit XIX, 7 ; Eccli. XIX, 13 ; Matth. XVIII, 15.
[3] Matth. XVII, 19.
[4] Levit. XIV, 2.

mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum,

16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus.

17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit.

20. Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione :

21. Neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.

23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic[1]. Nolite ire, neque sectemini.

24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget, ita erit Filius hominis in die sua.

25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac.

26. Et sicut factum est in diebus Noe[2], ita erit et in diebus Filii hominis.

27. Edebant, et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem qua intravit Noe in arcam ; et venit diluvium, et perdidit omnes.

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot[3] : edebant, et bibebant : emebant, et vendebant : plantabant, et ædificabant :

29. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit :

30. Secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.

31. In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa : et qui in agro, similiter non redeat retro.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam[4].

34. Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur[5].

35. Duæ erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur. Duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur.

36. Respondentes dicunt illi : Ubi, Domine?

37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.

[1] Matth. xxiv, 23 ; Marc. xiii, 21.
[2] Genes. vii, 7 : Matth. xxiv, 37.
[3] Genes. xix, 25.
[4] Matth. x, 39 ; Marc. viii, 35 ; Supra, ix, 24 : Joan. xii, 25.
[5] Matth. xxiv, 40.

IN CAPUT XVII LUCÆ

ENARRATIO.

« Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala : væ autem illi per quem veniunt. »

Hic incipit capitulum decimum septimum secundum concordantias : tamen quantum ad sententiam, istud est adhuc de præcedenti parte. Quia hic agitur de misericordia spirituali, per quam aliquis meretur electionem quantum ad justitiam præsentem.

Habet autem duas partes : unam quidem de vitatione scandali : quia crudelis est, qui scandalum ponit et offendiculum proximo : et misericors est, qui vitando scandalum ædificat proximum. In secunda autem, agit de misericordia ejus qui remittit in se peccanti.

In priori harum partium dicit tria. Primo enim dicit, quod necesse est ut veniant scandala, ut probentur illi qui sunt electi. Secundo, tangit maledictionem eorum qui scandala suscitant. Tertio autem, ostendit periculum eorum qui scandala faciunt.

Dicit igitur :

1 « Et ait ad discipulos suos, »

Quorum maxime est cavere de scandalo. Matth. XVIII, 10 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Prælatorum enim maxime est scandala vitare. Istis ergo dixit, 1 ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

Dicit igitur illis :

« Impossibile est ut non veniant scandala. «

Sicut dicitur, I ad Corinth. XI, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis :* ita impossibile est ut scandala non veniant, tot malis existentibus in mundo, qui obicem ponunt in via recte ambulanti. Σκάνδαλον enim græce, latine sonat *pedis impactio.* Est tamen æquivocum ad tria scandalum, pro obice ad quem impingitur, et pro ipsa pedis impactione, et pro casu qui provenit ex impactione. Unde versus :

Scandalon æquivocum est, obex, impactio, [casus.

Quamvis autem impossibile sit non venire scandala, sicut dicit Psalmus CXXIX, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Et iterum, Psal. LVI, 7 : *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Tamen maledictus est qui facit scandalum activum.

Et hoc est quod sequitur :

« Væ autem illi per quem veniunt, »

Supple, scandala.

Attendendum est autem quod est scandalum activum, et scandalum passivum.

Scandalum *activum* est duplex, scilicet, quando aliquid agitur, per quod directe aliquis causam sumit per dictum, vel per factum mortaliter peccandi : sicut cum aliquis perverse docet, et alius doctrinam ejus imitatur : vel cum perverse agit, et alius ad exemplum ejus cadit in peccatum.

Et de primo horum dicitur, Isa. IX, 15 : *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus*

meus dilexit talia. Et hoc scandalum est causæ ruinæ.

Scandalum autem quod fit per factum minus rectum, est, de quo dicitur, Isa. III, 5 : *Ruit enim vir ad virum, et unusquisque ad proximum suum.* Ruere autem est scandalizari, sicut jam dictum est.

Secundo modo dicitur scandalum activum, uti libertate conscientiæ in his quæ non sunt peccata, sed tamen in peccata possunt interpretari : et ideo interpretantes in peccatum, in eisdem occasionem ruinæ accipiunt : sicut fuit in primitiva Ecclesia, quando firmi et fortes in fide habebant conscientiam, quod idolum non haberet numen aliquod : et ideo cibus ei immolatus non esset exsecratus, sed esset sicut prius, et ideo manducabant illum cibum sicut alium. Quando autem hoc publice fecerunt coram infirmis, qui credebant quod idolum numen haberet, statim infirmi acceperunt occasionem ruinæ, et ad exemplum illorum, comederunt sacrificata idolis ad honorem idolorum, et efficiebantur idololatræ. Et hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. VIII, 7 et 8 : *Quidam cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo : neque enim si manducaverimus, abundabimus : neque si non manducaverimus, deficiemus.* Et, ad Roman. XIV, 21 : *Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur.* Simile scandalum inveniunt clerici, vel præcipue religiosi, qui ea quæ non sunt eis prohibita, et tamen a laicis in malam libertatem interpretabilia, faciunt coram laicis : quia laici ex hoc ad malas inducuntur libertates. Et hoc est quod infirma et scandalizata anima conqueritur, Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum*, hoc est, contra Christum, *peccatis.*

Hoc igitur est scandalum *activum.*

Scandalum autem *passivum* est quod efficitur ab illo, et hoc est triplex. Aliquando enim infirmus ex dicto vel facto alterius conturbatur : et sic impingit ne hilariter vadat in via recta. Psal. LXXVI, 5 : *Turbatus sum, et non sum locutus.* Hæc autem conturbatio potest esse, quia audit vel videt hoc quod directe est contra legem Dei : et hæc conturbatio est bona. Aliquando autem turbatur, quia audit, vel videt quod putat contra legem Dei esse, cum tamen non sit : sed ex consuetudine tali et malo intellectu sic judicat : sicut Pharisæi scandalizabantur de verbis Domini. Et tunc dicitur, quod veritas doctrinæ in doctore, et veritas judicii in judice, et veritas vitæ in quolibet homine non est dimittenda pro scandalo alicujus : sicut nec Dominus dimisit. Unde versus :

Justitiæ, vitæ, doctrinæ, scandala cedunt.

Vel sic.

Scandala non vitent Doctor, judex, bene [vivens.

Aliquando autem scandalum passivum procedit ultra conturbationem, usque ad ejus quod vidit, vel audivit invitationem : et sic est ruina sive casus in mortale peccatum. Tamen perversi accipiunt aliquando occasionem offensionis, vel casus ex bonis factis, et sic Judæi offenderunt in Christum ut caderent : et tunc est scandalum passivum sine activo. Sed homo tunc scandalizat seipsum : sicut dicitur, Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam.* Et, Isa. XXVIII, 16 : *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit, non festinet.* Et idem est, Isa. VIII, 14.

Sic igitur tenendum est de scandalo.

« Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et proji-

ciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

Attendite vobis. »

Ecce tertium quod facit ad peccati exaggerationem.

Dicit igitur, quod « *utilius.* » Abusio est in comparativo, hoc est, minus inutile est illi, « *si lapis molaris.* » Ad litteram, qui gravis est, et impetu magno descendit. Unde, Apocal. XVIII, 21 : *Sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon, civitas illa magna.*

« Imponatur circa collum ejus. »

Ad litteram. Marc. IX, 41 : *Bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus.*

« *Et projiciatur,* » ad submergendum, « *in mare.* » Hoc autem secundum antiquas leges non fiebat nisi parricidis, et illis qui in nefandis criminibus sunt deprehensi. Unde per hæc fit hujus peccati exaggeratio.

« Quam ut scandalizet unum de pusillis istis, »

Hoc est, de infirmis in fide : quia infirmorum est scandalizari. Utilius enim est cum confusione mortem corporalem subire secundum corpus, quam mortem æternam. Hoc autem intelligitur de eo qui ponit scandalum activum, directe inducens ad ruinam peccati. Ideo dicitur, Matth. XVIII, 9 : *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Super Matthæum autem plura de hac materia dicta sunt, et ibi requirantur [1].

« Attendite vobis. »

« Ex quo tanta misericordia moveri debetis ad subditos : ergo attendite vobis magna sollicitudine, ne scandalizetis subjectos : quia illi sunt infirmi, et de levi possunt scandalizari. Ad Roman. XIV, 1 : *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum :* quia disceptatio cogitationum frequenter inducit scandalum. Licita enim quæ non sunt de veritate vitæ, et doctrinæ, et judicii, dimittenda sunt propter scandalum : sicut Dominus solvit didrachma, dicens Petro : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et pro te* [2]. Alia autem quæ de veritate doctrinæ erant, non dimisit propter scandalum : sicut, Matth. XV, 11, dixit : *Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem.* Et infra, ℣℣. 18 et seq. : *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Et cum discipuli dicerent : *Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt. At ille respondens ait : ... Sinite illos, cæci sunt et duces cæcorum* [3].

Ergo, « *Attendite vobis.* » Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Deuter. IV, 9 : *Attende tibi sollicite.*

« Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangel. Matthæi, XVIII, 9. Tom. XX hujusce novæ editionis.

[2] Matth. XVII, 26.

[3] Matth. XVI, 12 et seq.

4 Et si speties in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi. »

« *Si peccaverit in te frater tuus.* » Quasi dicat : Cavete a scandalo : quin etiam dimittite peccantibus in vos, ne conturbentur, vel scandalizentur.

Dicit autem hic tria, scilicet, quod peccans fraterna charitate corripiatur, quod pœnitenti indulgeatur, et quod septuagies septies peccanti et pœnitenti dimittatur.

De primo dicit duo, scilicet, quis corripiendus, et qualiter.

Quis autem corripiendus, dicit quod frater peccans. « *Frater* » enim corripi potest. Is autem qui non frater est, qui extra Ecclesiam est et infidelis, corripi non potest. I ad Corinth. v, 12 : *Quid mihi de iis qui foris sunt, judicare ?* Quasi dicat : Nihil. Exod. II, 14 : *Quis te constituit principem et judicem super nos ?*

« *Frater* » ergo cui charitate, fide, et spe conjungimur, cujus debemus habere curam et sollicitudinem, sicut de commembro ejusdem corporis nobiscum, ille est corripiendus. I ad Thessal. v, 14 : *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.*

« Peccaverit. »

Quia non nisi peccato debetur correptio, et non naturæ fratris. Unde peccatum est causa correptionis. I ad Timoth. v, 20 : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* Et intelligitur de peccato publico, quod coram omnibus fit. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

Sic igitur habetur, quis, et quare sit corripiendus. Et exinde patet quod falsum dicunt, qui dicunt quod pro peccato futuro est corripiendus, ne fiat : quia sic quilibet etiam non peccans deberet corripi, ne in futurum peccet : et sic numquam cessaretur a correptione, quod falsum est. Et ideo falsa est hujusmodi determinatio.

« *In te* » peccat qui te offendit. Et hæc est vera diffinitio peccati, quod fit in nos. Offendit autem *in te* dupliciter, scilicet, malum inferendo, sicut damnum honoris, vel rerum, vel etiam pœnam infligendo. Et hoc dicitur vere *in te peccare :* quia sic tu aliquid justæ querelæ habes adversus eum. Et sic præcipitur ei ut placet te, vel sacrificium suum a Deo non recipitur. Matth. v, 23 et 24 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens, offeres munus tuum.* Et sic dicitur tibi, quod remittas petenti, et pœnitentiam agenti : quia aliter non esset correptus.

Secundo autem peccat *in te* spiritualiter, qui peccato suo scandalizat te. Et hoc est quod dicit Augustinus : « Si « peccaverit in te, hoc est, te sciente « peccatum suum. » I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Genes. XLII, 36 : *In me hæc omnia mala reciderunt.*

Sic igitur utroque istorum modorum si peccaverit in te frater « *tuus,* » pro eo qui tecum in Ecclesia, vel in uno Capitulo, vel una Religione, sicut diximus.

« Increpa illum. »

Hic tangit de correptione. Sunt autem duæ correptiones : una quidem auctoritatis : altera vero charitatis. Illa quæ est auctoritatis, illa est cum solemnitate et severitate judicii : et hæc est solius Prælati, nec alius tenetur ad illam. Illa autem quæ est charitatis fraternæ, fundatur super hoc quod dicitur, Exod. XXIII, 4 et 5 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* Et aliam

dat legem : *Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Cum enim majorem curam debeam habere de salute, quam de bove et asino, magis debeo facere ut sublevetur, et reducatur anima ipsius.

Adhuc, Præcipitur eleemosyna corporalis, et multo magis eleemosyna spiritualis. Maxima autem eleemosynarum est reductio errantis in viam mandatorum : et ideo quilibet tenetur ad hanc correptionem, nec aliquis excipitur ab hac admonitione fraterna, nisi qui excipitur a charitate fratris. Et ideo non est verum quod dixerunt antiqui, in quòdam versu comprehendentes casus, in quibus aliquis ad correctionem fraternam non tenetur.

En versus :

Non spes, non testes, Præsul scit, plebs, monachus sum.

Hoc enim verum est, quod si non sit spes correctionis suæ, quod tunc non teneor corrigere. Hoc autem non est verum, si non habeo testes, quod non tenear eum corrigere : quia adhuc debeo eum monere inter me et ipsum solum. Adhuc autem, Si Præsul vel Prælatus suus scit peccatum ut judex, tunc verum est quod non teneor eum corrigere. Si autem scit ut homo tantum, tunc non absolvor debito correctionis fraternæ. Adhuc autem, Etsi plebs sciat, et nescit per denuntiationem Prælati, non absolvor a correctionis debito. Si autem plebs scit per denuntiationem judicis, tunc sum absolutus : quia tunc correctio non solum fraterna, sed etiam auctoritatis adhibita est. Quod autem dicunt, *monachus sum*, hoc est, quod monachus melioribus est intentus, et ideo a correctione sit absolutus : hoc est simpliciter falsum : quia nullum opus ita placet Deo, sicut fraterna reductio quæ ex charitate procedit : et ideo ab illa nullus absolvitur.

Hujus autem correctionis, Matth. XVIII, 15 et seq., ponuntur tres gradus. Primus est amoris, secundus timoris, et tertius confusionis.

Primus est, cum inter te et ipsum solum convenitur proximus ex sola charitate de hoc quod fecit. Ad Galat. VI, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans teipsum ne et tu tenteris.* Eccli. XIX, 13 : *Corripe amicum tuum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Et hoc est quod dicitur, Matth. XVIII, 15 : *Corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

Secundus gradus est cum timore convictionis. Et hoc fit quando adhibentur duo vel tres, qui sciunt peccatum illius : quia alii testes non valerent. Unde Augustinus : « Si te non audierit, adhibendi « sunt alii, per quos convincendus est si « negaverit. » Levit. XIX, 17 : *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Publice autem vocatur hic, coram testibus adhibitis.

Tertius gradus qui cum confusione est, quando cum pudore revocatur. Et hoc fit, quando dicitur Ecclesiæ, et refertur ad judicium : quod si non audit, vitetur sicut ethnicus et publicanus. Ad Titum, III, 10 et 11 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* I ad Timoth. V, 20 : *Peccantem coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* Isti ergo sunt gradus fraternæ correctionis.

In hac autem fraterna correctione peccatur multis modis, quorum primus est, si aliter corrigit quam debet : quia scilicet corrigens simili vitio, vel majori subjacet publice. Matth. VII, 5 : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

Secundo modo, si crimen quod occultum est prodat corrigendo. Hoc enim non est faciendum. Genes. XLII, 9 : *Exploratores estis : ut videatis infirmiora terræ venistis.*

Tertius modus est, si incorrigibilem corrigat. Ille enim non lucratur nisi vituperium, et odium. Hieronymus : « Frustra niti, et nihil aliud quam odium « quærere, extremæ dementiæ est. » Proverb. XV, 12 : *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Ibidem, ℣. 10 : *Qui increpationes odit, morietur.*

Quartus modus est, quando cum indignatione corripit : sicut Maria corripuit Moysen de uxore sua Æthiopissa, et percussa est lepra, quia ex indignatione processit correptio [1].

Quintus modus est, quando ex derisione procedit : sicut Cham verenda patris derisit, et servituti addictus est [2].

Sextus modus est, si ex inordinatione procedit : sicut si sit cum accusatione et delatione. Hoc enim non est fraternæ charitatis. Sic peccavit Joseph, Genes. XXXVII, 2, *qui accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo :* et ideo invidiam et odium conceperunt contra ipsum.

Et ideo antiqui dixerunt, quod considerandum sit in correctione fraterna, quod sit utilis, quod sit expediens, et quod sit facilis correctionis ille qui corrigitur, et quod in processu correctionis honestus modus adhibeatur. Unde versus :

Utilis, expediens, facilis, processus honestus.

Tunc enim quando sic ex charitate procedit, ab Augustino vocatur *osculum columbinum.* Dicit enim sic in libro de *Trinitate :* « Gratanter quippe recipit « osculum columbinum benignissima « charitas. Dentem autem caninum vel « evitat cautissima humilitas, vel retundit « solidissima veritas. » Sic igitur et a tali, et talis debet fieri correctio fraterna. Unde Gregorius : « Si proximos nostros « sicut nosipsos diligere debemus, restat « ut eorum peccatis sicut nostris irascа- « mur. » Beda : « Ita peccat qui peccan- « tem videns, tacet, sicut qui peccanti « non indulget. » Eccli. IV, 27 et 28 : *Ne reverearis proximum tuum in casu suo : nec retineas verbum in tempore salutis.* Chrysostomus : « Oportet pec- « catoribus dicere quæ fecerunt, sicut fit « ebriis post ebrietatem. » Semper enim correctio adhibenda est, nisi sit desperatio correctionis, sicut diximus. Proverb. IX, 7 : *Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat.* Ibidem, ℣. 8 : *Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, et diliget te.*

Sic ergo sentiendum est de fraterna correctione.

De correctione autem auctoritatis non se intromittat nisi judex et Prælatus. Ad Roman. XIV, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? domino suo stat, aut cadit.* Et hoc modo Prælatus a subditis non corripitur. Unde Gregorius : « Præ- « latum peccantem arguere nemo præsu- « mit. Et in exemplum culpa vehe- « menter extenditur, cum pro reverentia « gradus peccator honoratur. » Corripitur tamen fraterne Prælatus et monetur quando peccat.

Hoc igitur est quod dicit : « *Increpa illum.* » II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Increpatio autem sonat in iram quamdam, quæ debet esse ex zelo justitiæ. Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit tuæ.*

« Et si pœnitentiam egerit, »

Etiamsi peccatum illud in nocumentum tui fuit, « *dimitte illi.* » In oratione Manassæ : *Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare*

[1] Cf. Numer. XII, 1 et seq.

[2] Cf. Genes. IX, 22 et seq.

peto rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, etc. Luc. VI, 37 : *Dimittite, et dimittemini.* Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Si autem non in te, sed in Deum peccavit, non tui est arbitrii dimittere, sed rogandus est Deus ut dimittat. I Reg. II, 25 : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*

« Et si septies in die peccaverit in te. »

« *In die,* » scilicet una. Proverb. XXIV, 16 : *Septies cadet justus, et resurget : impii autem corruent in malum.* Quasi dicat : Quotiescumque peccaverit in te, quia solet universitas septenario designari.

Septies autem peccare dicitur in fratrem : seductione intellectus a veritate, corruptione affectus a bonitate, corpus affligendo a pacis tranquillitate, necessaria auferendo a vitæ sustentatione, sua non communicando necessitatis tempore, famam lædendo detractione, malo exemplo corrumpendo in via justitiæ. His enim septem modis lædi potest proximus.

De primo dicitur, II ad Corinth. XI, 3 : *Timeo ne sicut serpens Hevam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate quæ est in Christo.*

De secundo dicitur, Proverb. IX, 13 et seq. : *Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris, et nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ, super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes*, hoc est, a tramite bonitatis voluntates revocaret.

De tertio dicitur, Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

De quarto autem dicitur, Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.*

De quinto dicitur, Proverb. XIV, 31 : *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum qui miseretur pauperis.*

De sexto, Psal. XLIX, 20 : *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.*

De septimo dicitur in Psalmo CXXXIX, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Et iterum, Psal. LVI, 7 : *Laqueum paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.*

Omnibus igitur his modis si peccaverit in te frater tuus,

« Et septies in die conversus fuerit. »

Exinde dicunt quidam quod non tenetur aliquis remittere non pœnitenti, et veniam non petenti : quod falsum est, cum dicatur, ad Roman. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi.* Beneficiis enim debeo prævenire eum, ut mea charitate ad pœnitentiam illum inducam. Sed hoc verum est, quando conversus fuerit et pœnituerit, tunc lucratus sum eum. Cum tamen gravitate morum et justitiæ debet remitti, ne nimis facilis venia incentivum præbeat iterum offendendi : et ideo aliqua severitas est adhibenda.

Et hoc est quod dicit : « *Conversus fuerit ad te, dicens,* » hoc est, ad charitatem fraternam : « *Pœnitet me* » fecisse : tunc « *dimitte illi.* » Luc. XI, 4 : *Siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Sic ergo, ut dictum est, dimitte illi qui in te peccavit.

« Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem. » 5

Hic incipit ostendere causam electionis in humilitate fidei formatæ. Et hic quidam, et bene, incipiunt capitulum.

Dividitur autem hoc capitulum in tres partes, sicut tria ad fidem exiguntur. Primum quidem, quod viva sit per devo-

tionem et calorem nimium caritatis. Secundum autem, quod efficax sit in inducenda salute : et hoc ostenditur in miraculo leprosorum. Tertium autem est, quod non sit seducibilis, sed cauta in credulitate articulorum : et hoc ostendit ubi respondet quæstioni Pharisæorum, Utrum regnum Dei veniat, vel non?

In primo horum duo dicuntur : in quorum primo tangitur potentia vivæ et devotæ fidei : in secundo autem fidei ostenditur obsequium et humilitas.

In primo horum duo dicuntur, in quorum primo petitio ponitur discipulorum, et in secundo doctrinæ modus ex petitione formatus.

Dicit igitur :

« Et dixerunt Apostoli Domino. »

Audientes enim tanta mirabilia de merito et præmio misericordiæ : de merito quidem in villico : de præmio autem in divite purpurato, et Lazaro : et tantum terrorem in scandalo : delectati in præmio futurorum, dixerunt Domino :

« Adauge nobis fidem. »

Quasi dicerent : Jam quidem credimus, sed crescere in fide æternorum desideramus. 1 Petr. II, 2 : *Lac concupiscite, ut in eo crescatis.* 1 ad Corinth. XIII, 11 : *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Sic enim nobis augetur fides, quando nos augemur in fide, et abnegamus ea quæ erant parvuli, hoc est, dubitationem, et timorem. Unde, Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei quare dubitasti?* Ergo « *adauge nobis fidem,* » ut et nos augeamur in fide. Ad Hebr. XI, 24 : *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis.* Ita et nos ista præsentia propter futura desiderantes, petimus crescere in fide.

« Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare : et obediet vobis. »

« *Dixit autem Dominus,* » respondens Apostolis. Et suum dicere fuit suum facere, sicut dicit Gregorius Nazianzenus. Psal. XXXII, 9 : *Ipse dixit, et facta sunt.*

« Si habueritis fidem, etc. »

Tangit hic duo : fidei propriam qualitatem, et potentiam.

Propria qualitas fidei notatur per hoc quod dicitur : « *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* » Et quidem in præcedentibus dictum est, quod granum sinapis parvum et subtile est in substantia, et acutum valde in actione, et calidum, et dissolutivum. Parvitas autem significat fidei humilitatem. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Humilibus enim ea quæ sunt fidei revelantur.

Subtilitas autem sinapis subtilitatem significat sapientiæ fidei, de qua dicitur, I ad Corinth. II, 6 et 7 : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.* In hac enim veritate subtilitas maxima est.

Hæc est etiam acuta in penetratione, quia configit corda ad consentiendum veritati. Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hinc est quod de verbis fidei dicitur, Psal. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ.* His enim verbis sicut sagittis transfigitur cor hominis.

Calidum autem est per charitatem, quæ per dilectionem operatur, et per illam dissolvit quidquid est machinationum adversus fidem. Hoc igitur modo fides

habita, ut granum sinapis habetur. Superius autem et super Matthæum plura dicta sunt de hoc[1].

« Dicetis huic arbori moro. »

Hic tangit de potentia fidei, et dat exemplum in arbore moro. Matthæus autem, XVII, 19 et seq., dat exemplum in monte. Et secundum litteram quidem intelligit quod in Matthæo dicit, quod nihil est impossibile credenti. Et exempla sunt materialia.

Quantum autem ad mysterium, mons est altitudo fastus diabolici, qui stare non potest ante fidei humilitatem. Arbor autem significat eum, qui fructificat mundo et diabolo. Hæc arbor morus est a nigredine fructus. Et quia muscis et vermibus est apta, folia enim comedunt vermes, qui *bombices* dicuntur, et faciunt inde sericum, subtile opus ad vanitatem mundi. Isa. XIX, 9 : *Confundentur qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia.* Muscæ autem quæ importunæ sunt, et insident per examina fructibus mori, sunt cogitationes carnales et tentationes carnis. Eccle. X, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*, hoc est, devotionis. Et hæc arbor non floret, quia non habet honorem virtutis. Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Et ideo ab hac arbore nullum mel colligitur : quia nihil habet dulcedinis, sed est amari succi, et grossi, et ideo non floret. Job, XVII, 2 : *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Hic succus dum exprimitur et vino permiscetur, vehementer oppilativus efficitur. Unde moretum quod ex moris et vino confectum est, valde est inebriativum : et sic aufert sensum, et motum, et inducit ebrietatem. Isa. XXVIII, 7 : *Hi erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem.*

Sic ergo significat arborem fructificantem in diabolo.

Huic ergo dicetis :

« Eradicare, »

Hoc est, radices quas infixisti evelle. Jerem. I, 5 et 10 : *Prophetam in gentibus dedi te : ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes*, etc.

« Et transplantare in mare, »

Hoc est, vel in amaritudinem pœnitentiæ, vel inferni amaritudinem : sed primum est convenientius, quia sic operatur devotio fidei. Psal. CV, 7 : *Irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum.* Sic dicitur in Psalmo LXXIV, 9 : *Inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita.*

« Et obediet vobis, »

Creaturæ fidei : eo quod ipsa fides innititur omnipotentiæ. Sicut fides Beatæ Virginis stetit in verbo potentiæ, quod dixit Angelus : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*[2]. De conceptu autem Saræ, illi verbo innitebatur, quod dixit Angelus : *Numquid Deo quidquam est difficile*[3] ? Et illi quod dixit Dominus : *Omnia possibilia sunt credenti*[4]. Sic igitur quia fides obedit omnipotentiæ, ideo omnia obediunt fidei.

« Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe : 7

Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi do- 8

[1] Cf. Supra, VIII, 25. Cf. etiam enarrationes in Matthæum, XVII, 19. Tom. XX editionis nostræ Opp. B. Alberti.

[2] Luc. I, 37.

[3] Genes. XVIII, 14.

[4] Marc. IX, 22.

nec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?

9 Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10 Non puto. »

Hic tangit de fidei obsequiosa humilitate.

Dicit autem duo. Primo enim ponit exemplarem similitudinem : secundo, juxta similitudinem accipit doctrinam.

In similitudine tangit sex, quorum primum est, servi ad dominum conditio : secundum est, servi obsequium : tertium est, incompetens esse servo domini commodum : quartum est, servo congruum obsequium post obsequium : quintum est, servo deberi servilem cibum : sextum est, servo non deberi gratias de obsequio, quia sibi obsequium est debitum. Et hæc sex per ordinem in littera continentur.

De primo dicit :

« *Quis autem vestrum,* » hoc est, aliquis vestrum, « *habens servum,* » quia non omnium Apostolorum fuit habere servum : eo quod plerique eorum erant valde pauperes, et victum ipsimet manu et arte quærebant. I ad Corinth. I, 26 : *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Sed aliqui nobiles et divites erant inter eos : sicut Matthæus, et Bartholomæus, et pauci alii. Et ideo dicit : Aliquis vestrum « *habens servum.* »

Ecce conditio servi ad dominum, sicut et nostra conditio est ad Deum. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit : et Gentes solitudine vastabuntur.* Psal. CXVIII, 125 : *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, Domine.*

« Arantem. »

Hæc duo obsequia Apostolis et discipulis conveniunt. Arare enim, est corda vomere verbi, et aratro disciplinæ proscindere. Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis.* Osee X, 11 : *Arabit Judas, et confringet sibi sulcos Jacob.* Proverb. XIII, 23 : *Multi cibi in novalibus patrum.*

« Aut pascentem. »

Hoc est secundum opus curæ pastoralis, et præcipue pascuæ boum : quia boves significant clericos, qui et ipsi possibiles sunt ad arandum. His enim Prælatus majorem curam debet impendere, ut ex ipsis arantes corda plebium semper possit accipere. Job, I, 14 : *Boves arabant, et asinæ,* hoc est, simplices, *pascebantur juxta eos.* Eccli. XXXVIII, 26 : *Qui tenet aratrum, et qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat.* Stimulus enim quo agitat, est aculeus divini timoris. Jaculum autem est acutum auctoritatis. His enim duobus boves præparat, et incitat ad arandum.

« Qui regresso de agro »

Actionis et excercitii prædicationis, « *dicat illi.* » Regresso (inquam) de labore actionis ad domum contemplationis.

« *Transi,* » ab actione ad quietem, « *et recumbe,* » quiescens. Quasi dicat : Hoc non dicet ei, dum aliquid operis restat ad agendum in tanta necessitate temporum. Sicut enim dicitur, Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem.* Exercendus est ei qui suscepit agrum, hoc est, Ecclesiam regendam. Et ideo quies non est conveniens servo. Eccli. XXXIII, 25 : *Panis, et disciplina, et opus servo.*

« Et non dicat ei : Para quod cœnem. »

Quasi dicat : Opus aratri et boum pasturam perficiens, statim opus coquina-

tionis domi in manu accipit : et sic de opere in opus transit, dicens cum Psalmista, Psal. LXXVI, 6 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Eccli. XVIII, 6 : *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Sicut enim dicit Beatus Bernardus, « Homo ab homine servo non uni- « cum, sed multiplex obsequium exi- « git. » Tamen et hoc obsequium congruum est Apostolis, qui de fructibus quos excolunt, Domino refectionem parant. Genes. XXVII, 7 : *Affer mihi de venatione tua, et fac cibos ut comedam, et benedicam tibi coram Domino.* Coquuntur enim hi cibi igne charitatis : præparantur manu sapientiæ, et condiuntur sapore bonitatis divinæ. Sic parantur cibi, quibus libenter vescitur Pater noster : sicut dicit Rebecca, hoc est, sapientia divina.

« Et præcinge te, et ministra mihi. »

Ecce aliud obsequium post coquinationem, ministratio ad mensam. Joan. XII, 26 : *Qui mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego,* hoc est, in habitu servi ministrans, *illic et minister meus erit.* Ad Philip. II, 7 : *Formam servi accipiens,... et habitu inventus ut homo,* scilicet, ad ministerium præparatus.

« *Donec manducem,* » præparatos ad te cibos mihi incorporando, « *et bibam,* » hoc est, sine difficultate gluttiam. Et significat innocentes, ad gratiam venientes sicut ad Domini refectionem.

« Et post hæc tu manducabis et bibes. »

Vel corporaliter sustentatus vel refectus : quia refectio non debetur nisi ei qui laboravit. II ad Thessal. III, 10 : *Si quis non vult operari, nec manducet.* Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* Unde, Genes. XXIV, 33, dixit fidelis servus Abrahæ Eliezer : *Non comedam, donec loquar sermones meos.* Vel etiam spiritualiter in contemplatione Domini dapibus refectus : quia hæc refectio non datur nisi post laborem actionis : quia non sapit cibus spiritualis nisi post laborem virtutis. Unde, Proverb. XXXI, 18, dicitur : *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.*

« Numquid gratiam habet servo illi ? »

Dominus scilicet gratiam habet servo a quo tot genera exigit obsequiorum. Psal. CXVIII, 128 : *Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

« *Quia fecit quæ ei imperaverat,* » dominus ejus. Luc. XV, 29 : *Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi.*

« Non puto, »

Scilicet, quod gratias agat : quia debitum explevit servus, et vapularet nisi faceret. Luc. XII, 47 : *Ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

« Sic et vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. »

Hic accipit doctrinam juxta similitudinem inductam.

Dicit autem quatuor : servitii generalitatem, omnium præceptorum obedientiam, humilitatis recognitionem, et debiti adstrictionem.

De primo dicit : « *Sic et vos,* » ut ille servus generaliter serviens, « *cum feceritis omnia.* » Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes.*

« *Quæ præcepta sunt vobis,* » quia,

sicut dicitur, Jacob. II, 10 : *Quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quia connexæ sunt virtutes, et connexa sunt mandata. Nec vult Deus habere obedientem in uno, sed in omnibus. Tob. V, 1 : *Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam, pater.*

« Dicite : Servi inutiles sumus. »

Ecce humilitatis recognitio, scilicet, quod factum proprium parvum videatur, et inutile ex seipso. Et si aliquid est in eo, quod hoc sit ex Deo. Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Ex nobis enim opus nostrum est inutile. I ad Corinth. XV, 9 : *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat, Deus.*

« Quod debuimus, etc. »

Obligationis et debiti ad obsequendum recognitio : quia, « *quod debuimus,* » ex natura qua conditi sumus ab ipso, et ex pretio quo empti sumus ab ipso, « *facere, fecimus* : » etiamsi in nullo essemus remunerandi. Sic enim ille qui formam nobis dedit serviendi, servivit. Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Luc. XXII, 27 : *Quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Et, ibidem, ℣. 26 : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.*

Sic ergo determinata est pars de fidei Christianæ obsequiosa humilitate.

« Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam. ❡ 11

« Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. » ❡ 12

Dicuntur autem hic quatuor, in quibus ostenditur efficacia fidei, scilicet, sanandorum leprosorum occursus, sanitatis a sanati cupientibus interpellatio, sanationis sacramentalis in fide operatio, et sanatorum de beneficio percepto gratiarum actio.

In primo horum quinque dicuntur : Domini de miraculo futuro dispositio, via Domini ad sanitatis operationem congrua directio, castelli in quod intravit inventio, leprosorum occursio, et leprosorum mystica numeratio.

De primo igitur dicit : « *Et factum est.* » Ibi est versus. Et intelligitur factum in divinæ sapientiæ dispositione, quæ omnia Christi opera disposuit. Joan. XVII, 4 : *Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Isa. XXXVII, 26 : *Ex diebus antiquis ergo plasmavi illud, et nunc adduxi.*

« Dum iret, etc. »

Ecce viæ ad salutem salvandorum directio. Duo autem dicit : intentionem Christi quo tendebat, et loca per quæ transibat.

Dicit igitur : « *Dum iret,* » hoc est, dum ire disponeret, « *in Jerusalem,* » ubi excessum completurus erat nostræ salutis. Sicut enim supra dixit, XIII, 33 : *Non capit prophetam perire extra Jerusalem.*

« Transibat per mediam Samariam, »

Scilicet in eundo Jerusalem. Per illam enim frequenter transibat, et ibi multos converterat : sicut dicitur, Joan.

IV, 39. Et ibi etiam discipulos ad eundum ad messem adhortatus fuerat. Quare autem dicatur Samaria, jam supra, IX, 52, diximus [1]. Et quia jam fides ibi pullulare sicut granum sinapis cœperat, ideo ibi conveniens fuit ut virtus ejus ostenderetur. Sic ergo transibat per mediam Samariam, ut undique ad eum confluere possent qui salutem cupiebant.

« Et Galilæam, »

Quia et ab illa prædicare incepit. Et de Galilæa præcipuos ex Apostolis et discipulis vocavit. Unde et Galilæi discipuli vocabantur. Act. II, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt?* Confortando ergo illos per miracula, qui jam de his regionibus credere inceperant, per ipsas præcipue transibant.

« Et cum ingrederetur quoddam castellum, »

Hoc est, oppidum incastellatum : quia cum multis discipulorum turbis ibat : nec poterant eum capere loca parva : et ideo frequenter ibat ad civitates, et oppida. Maxime quia ibi plures erant quibus verbum salutis prodesse poterat. Adhuc autem, quia et facto mystice docuit, ut nos et nostra semper in tuto loco collocaremus. Dixerat enim per linguam Ecclesiastæ, X, 15 : *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.* In cujus rei figuram, II Reg. V, 9 : *Habitavit David in arce, et vocavit eam Civitatem David :* ut et nos recipientes Dominum, in locum munitum recipiamus eum : ubi sunt fossata humilitatum : ubi sunt muri sacramentorum, et præceptorum, et consiliorum : ubi sunt turres vitæ et contemplationis altitudinum : ubi sunt portæ virtutum : ubi præsidia Angelorum, et Sanctorum.

Profundum quippe humilitatis est fossatum : sicut dicitur, Ezechiel. XLIII, 13 : *Hæc quoque erat fossa altaris.* Quia terrenos affectus effodientes, in ima humilitatis pervenire debemus.

Custodia autem sacramentorum, et præceptorum, et consiliorum solidorum : et ad voluntatem, et opus, et debitas circumstantias, et bonum finem quadratorum, fortissimum perficit murum hospitii Domini, in quo tute collocatur. Isa. XXVI, 1 : *Ponetur in ea murus, et antemurale.*

Turres autem sunt vitæ et contemplationis fastigia. Judith, XIII, 1 : *Et dixit Judith a longe custodibus murorum : Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.* Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.*

De portis autem virtutum dicitur in Psalmo CXVII, 19 : *Aperite mihi portas justitiæ*, etc.

Præsidia Angelorum etiam non desunt. Hæc enim sunt illa præsidia, de quibus dixit Jacob, quod vocantur Mahanaim, hoc est, castra. *Castra enim Dei sunt hæc* [2].

In hoc enim castellum intrat tute Jesus cum discipulis suis Galilæis qui voluerunt eum præcipitare [3], et Samaritanis qui noluerunt eum recipere [4], pertransiens. Sic igitur docet mystice quod vel quale sit sibi tutum hospitium. Omnis enim Christi actio nostra est instructio.

« Occurrerunt ei, »

Per devotionem, et sibi offerentes. Amos, IV, 12 et 13 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel. Quia ecce formans montes, et creans ventum, et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam, et gradiens*

[1] Cf. Enarrationes in Evangelium Lucæ, IX, 52. Tom. XXII Opp. B. Alberti in nostra nova editione.

[2] Genes XXXII, 2.

[3] Cf. Luc. IV, 29.

[4] Cf. Luc. IX, 53.

super excelsa terræ : Dominus Deus exercituum nomen ejus.

Quinque gratias tangit, quas exhibet occurrenti. Facit enim montes altissimæ justitiæ, de quibus, Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. LXVII, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Hic est qui creat ventum in refrigerio concupiscentiæ per flatum Sancti Spiritus. Daniel. III, 50 : *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Hic facit homini annuntiari eloquium suum per veritatis inspirationem ad intellectum. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Hic facit matutinam nebulam. Hæc autem est fumus, et vapor devotionis ad elevationem solis in corde et lucis : ut mane a diebus juventutis elevetur hæc nebula. Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Osee, VI, 4 : *Misericordia vestra quasi nubes matutina.* Hic graditur conculcando, et despiciendo super excelsa terræ. Despicit enim omnia ad excelsa terrenæ altitudinis pertinentia, dicens illud Judicum, V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Et illud Malachiæ, IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Hic est Dominus Deus noster, cui omnes infirmi debent occurrere, quia in his gratiis recipiunt sanitatem.

« Decem viri leprosi. »

Numero, sexu, et ægritudine describuntur.

Numero enim decem, quia decem defectibus subjacebant horum quibus omnis ordo divinus perficitur ad numerum salutis et perfectionis. In opere enim deficiebant a rectitudine virtutis, a consilio sive prudentia ordinis, et a directione legis. Opus enim nostrum lege regulatur ut sit licitum : prudentia ordinatur, ut sit honestum : virtute autem perficitur, ut sit ædificatorium. De quibus dicit Apostolus, I ad Corinth. VI, 12 : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* His igitur deficiebant in opere : et erat opus eorum fœde maculatum, et lepra respersum ad deformitatem morpheam.

In virtute autem operativa, sive spiritus, sive corporis, a tribus deficiebant. Virtus enim operativa triplex est : rationabilis, opus quidem decernens : concupiscibilis, bonam voluntatem disponens : et irascibilis, contraria bono, et impedimenta removens. Lepra autem in rationabili, est protervitas phantastica : lepra vero in concupiscibili, est concupiscentia mundana : lepra autem in irascibili, est indignatio ad id quod ad bonum promovet et inclinat. Primum est lepra insipientiæ : secundum, lepra libidinosæ concupiscentiæ : tertium autem, lepra famosæ iræ. De primo dicitur in Psalmo XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* De secundo, Psal. XIII, 3 ; *Omnes declivarunt.* De tertio autem dicitur, Ibidem, XIII, 3, quod *simul inutiles facti sunt :* quia prorsus inutilis est, qui bono indignatur, et malum amplectitur. Hæc est enim malitia dæmoniaca.

Similiter in cordis imagine sunt quatuor corruptiones. Imago Dei debet esse thesaurus divinorum bonorum per memoriam, debet esse lucerna veritatis per intellectum, debet esse dulcedo divinæ bonitatis per voluntatem, debet esse imago totius Trinitatis per assimilationem. Lepra autem respergens memoriam, est Dei oblivio : lepra inficiens intellectum, est vanitatis intuitio : lepra respergens voluntatem et corrumpens, est in caducis delectatio : lepra autem totam faciem animæ deformans, est imaginis diaboli vel mundi conformatio. De primo horum dicitur, Isa. LVII, 11 : *Mentita es, et mei non es recordata.* De secundo, dicitur, Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.* De tertio, dici-

tur, Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Desideria autem diaboli sunt in mala et perversa voluntate, et pertinaciter corrupta. De quarto autem dicitur, Isa. I, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Isa. LIX, 13 : *Aversi sumus ne iremus post tergum Dei nostri.* Imitando enim diabolum, imaginem Dei in similitudinem diabolicam convertunt : et sic lepra deformante, imago maculatur.

Istæ decem lepræ decem sunt leprosi. Sed primi tres lepram habent in exterioribus.

Et prima quidem lepra, lepra manus Moysi [1], quæ facta est leprosa per eductionem de sinu. Manus enim refertur ad opera : et hæc inficitur, quando in occulto sinus, nec lege, nec consilio honestatis, nec rectitudine virtutis regulatur. Virtutis autem defectus in opere manum maxime inficit.

Secunda lepra est, quæ est ex defectu consilii et honestatis, quando homo totus turpis in opere et inhonestus efficitur, nihil agens consulte. Luc. V, 12 : *Ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.*

Tertia lepra est, quæ est in opere ex defectu liciti, quia fit contra legem. Dicit enim Augustinus, quod peccatum est dictum, vel factum minus rectum contra legem Dei. Dicitur, II Paralip. XXVI, 21: *Habitavit Ozias in domo separata, plenus lepra.* Tales enim legi non obedientes, semper se ab aliis separant, et sunt excommunicati a Domino.

Lepra autem quarta quæ est rationis opus decernere debentis, est lepra Simonis, qui *obediens* interpretatur, ex quo a lepra est purgatus : sed antequam curaretur Dominum hospitio non recepit, sed de factis Domini perverse murmuravit [2].

Lepra autem concupiscibilis, est lepra scilicet Mariæ [3], in cujus fronte apparuit lepra : quia concupiscentia procedit ad notitiam et cum verecundia : quia etiam ipsa frequenter denudat verecunda.

Lepra autem irascibilis distortæ, est lepra Naaman Syri [4], quæ per ablutionem Jordanis, qui *humilis descensus* interpretatur, curata est : quia talis indignatio non procedit nisi ex superbia et fastu ne curatur nisi per humilitatem.

Quatuor autem imaginis lepræ sunt significatæ per quatuor leprosos sedentes in porta Samariæ, qui ad castra Syrorum Dei inimicorum transfugere cogitaverunt, et bonis illorum suas supplere inopias [5].

Sic ergo sunt decem leprosi.

Isti omnes qui ad Dominum veniunt sunt « *viri,* » virilem animum induentes: quia spem et fidem habentes, ad Salvatorem viriliter venerunt. Hoc enim fuit opus viri. Job, XXXIV, 10 : *Viri cordati, audite me.* Ad Ephes. IV, 13 : *Occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Hi dicuntur « *leprosi,* » sicut dictum est : quia cum lepra sit corruptio nutrimenti, ex corruptione vasorum procedens, et usque ad fontes membrorum pertingens : propter quod etiam incurabilis est, nisi per miraculum magnum. Vasa autem in quibus omne nutrimentum est bonæ vitæ, sicut potentiæ divinæ imaginis, et vires motivæ in ipsis, sunt corruptiones prius inductæ : et pertingunt ad fontes membrorum, operum scilicet, quæ inficiuntur, ex quorum congerie sicut ex membris constituitur corpus humanæ vitæ. Unde Dominus, Levit. XIII et XIV, passim, dat multas leges et mandata de lepra. Et dicit cavendum a lepra corporis, quæ est sicut

[1] Cf. Exod. IV, 6.
[2] Cf. Luc. VII, 39.
[3] Cf. Numer. XII, 10.
[4] Cf. IV Regum, V, 14.
[5] Cf. IV Regum, VII, 3 et seq.

lepra imaginis : et a lepra vestis, quæ adhæret corpori, et est significans lepram motivarum sive operativarum virtutum : et a lepra domus, quæ significat lepram operum, eo quod est in exterioribus sicut domus.

« Qui steterunt a longe:
13 Et levaverunt vocem, dicentes. »

Ecce sanitatis impetrandæ petitio, et Salvatoris interpellatio.

Et dicuntur tria : a longe enim stant, vocem levant, et Salvatorem interpellant.

De primo dicit : « *Qui steterunt a longe.* » In quo duo notantur, scilicet, rectitudo voluntatis, et humilitas.

In primo autem duo notantur. Qui enim stat, immobilis est. Per quod significatur status talis, quod ulterius non processerunt in peccatis : ne morbus cresceret in eis. Per positionem autem corporis, quæ recta et erecta est in stante, duo rursus significantur, scilicet, voluntatis rectitudo, et cordis per intentionem ad cœlum directio et erectio.

Et de primo horum trium dicitur, Jerem. VI, 16 : *State super vias,... et videte quæ sit via bona.* Quasi dicat : Non procedatis amplius in via mala per quam incurristis : sed state, hoc est, gradum sistite.

De secundo dicitur, Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Ad Hebr. XII, 13 : *Gressus rectos facite pedibus,* hoc est, affectibus vestris.

De tertio dicitur, Genes. XV, 5 : *Suspice cœlum, et numera stellas si potes.* Psal. LXIII, 7 : *Accedet homo ad cor altum.*

Humilitas autem notatur in hoc quod « *a longe steterunt.* » Lepra enim hominibus abominabilis est morbus : et ex humilitate se elongaverunt, Luc. XVIII, 13 : *Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare.* Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.*

« Et levaverunt vocem, dicentes. »

Tria notantur in hoc : cordis intentio, vocis ad intellectum expressio, et aperta edictio eorum quæ in corde conceperant.

Cordis intentio notatur per elevationem : quia cordis intentio innuit cordis compunctionem. Isa. LII, 8 : *Levaverunt vocem, simul laudabunt.* Matth II, 18 : *Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus.* Roma autem interpretatur *alta* vel *excelsa.*

Per « *vocem* » autem notatur ad intellectum expressio, quia vox est sonus articulariter ad discernendum formatus. Et de hoc dicitur, Job, VII, 11 : *Non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei, confabulabor in amaritudine animæ meæ.*

« *Dicentes.* » Dicere autem pertinet ad enarrationem peccatorum. Isa. XLIII, 26 : *Narra, si quid habes, ut justificeris.* Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.*

« Jesu præceptor, miserere nostri. »

Ecce Salvatoris et salutis interpellatio, et expostulatio.

Dicunt autem duo : Salvatorem enim interpellant, et misericordiam expostulant.

Primum notatur in hoc quod dicunt : « *Jesu præceptor.* » Ubi duo innuunt : auctorem salutis, et ordinatorem vitæ et operis.

Auctor salutis intelligitur in nomine « *Jesu,* » qui *Salvator* interpretatur, eo quod secundum nomen suum, ut dicitur, Eccli. XLVI, 1 et 2, fortis est in salutem Gentis. Luc. I, 71 : *Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.* Ac si dicat quilibet eorum illud orationis Manassæ : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.*

« *Præceptor* » autem ordinator est vitæ per legem positam. Et in hoc innuit salvandorum obedientiam, si salutis con-

sequantur gratiam. Præceptor enim est qui vitæ ponit legem et præcepta. Eccli. XLV, 6 : *Dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ.* Ac si dicant : Præceptis tuis parati sumus obedire. Psal. XXXVI, 1 : *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus .*

« Miserere nostri. »

Hic petunt misericordiam, ostendentes patentem esse miseriam. Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Ac si quilibet eorum dicat illud Matthæi, VIII, 2 : *Domine, si vis, potes me mundare* : et ideo miserere ut velis. Sapient. XII, 18 : *Subest enim tibi, cum volueris, posse.*

14 « Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. »

Hic tangit infirmorum sanationem.

Dicit autem tria : sanitatis causam in auctore salutis, sacramentalem sanitatis causam, et sanitatis perfectionem.

In auctore salutis sunt duæ causæ sanitatis : visio, et verbum.

Primam notat per hoc quod dicit : « *Quos ut vidit.* » Visio enim Dei est processus luminis gratiæ ad illuminandum tenebras infirmitatum et peccatorum. Psal. XXIV, 16 : *Respice in me, et miserere mei : quia unicus et pauper sum ego,* hoc est, unice et singulariter pauper. Et hoc maxime competit leprosis, qui ex infirmitate sunt abjecti et abominabiles. Isa. LXIV, 9 : *Ecce, respice, Domine, populus tuus omnes nos.* Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.*

« *Dixit,* » hoc est, verbum sanitatis emisit. Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo qui sanat omnia.* Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.*

« Ite, ostendite vos sacerdotibus, »

Ad quorum judicium pertinet de discretione inter lepram et lepram : sicut præcipitur, Levit. XIV, 2 et seq.

Dicit autem tria : profectum in obedientia et pœnitentia, criminis manifestationem, et sacerdotis judicium.

De primo dicit : « *Ite.* » Quasi dicat : Proficite in via virtutum sicut incepistis. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Jerem. IV, 6 : *Nolite stare.* Proverb. VI, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis.*

« *Ostendite vos,* » quia curari non potest, qui medico non ostendit vulnera. Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Sic igitur ostendite vos « *sacerdotibus,* » et horum judicio state : et quod injunxerint, tenete : et quod constitutum est, offerte. Ut per claves absolutionem consequamini : et miraculum exinde famosum efficiatur, et divulgatum pluribus, ad fidem proficiat plurimorum. Matth. VIII, 4 : *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses.*

Sic ergo, « *ite, ostendite vos sacerdotibus.* »

« Et factum est, dum irent, mundati sunt. »

Ecce sanitatis perfectio. Merito enim obedientiæ, quia simpliciter obediverunt, mundationem lepræ sunt consecuti. Signanter ostendendo, quod in contritione cum voluntate obediendi peccatores mundantur ante confessionem, et receptionem injunctæ pœnitentiæ. Deus enim solus emundat peccata. Psal. L, 19 : *Cor contritum et humiliatum. Deus, non*

despicies. Daniel. III, 39 : *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur.* Et ideo, « *dum irent,* » in proposito se ostendendi, et satisfactionem offerendi, omnes « *mundati sunt.* »

15 « Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum,

16 Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus. »

Tangitur hic gratiarum actio mundatorum.

Dicuntur autem hic duo, scilicet, unius gratitudo cum ingratitudine aliorum, et acceptatio gratitudinis unius cum exprobratione ingratitudinis aliorum.

Dicit autem hic octo de gratitudine istius, quorum primum est istius ab ingratis divisio et distinctio : secundum autem, beneficiorum sibi impensorum recognitio : tertium autem, est ipsius ad beneficium regressio : quartum vero, vocis in laude magnificatio : quintum, magnifica benefactores prædicatio : sextum, casus in faciem adoratio : septimum, ad pedes JESU humiliatio : octavum, est gratiarum de beneficio percepto exhibitio. Post hæc octo ponitur ab Evangelista istius tam laudabilis viri descriptio.

De primo autem horum dicit :

« Unus autem ex illis, »

Qui in se indivisus fuit, et ab aliis divisus. In se quidem indivisus, quia indiviso corde in Christum ferebatur totus, dicens illud Psalmi IX, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Psal. CXVIII, 10 : *In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me.* Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.*

Hic etiam ab aliis est divisus, non ingratus sicut alii. Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Osee, IV, 17 et 18 : *Dimitte eum, separatum est convivium eorum.*

Taliter igitur « *unus ex illis,* »

« Ut vidit quia mundatus est. »

Ecce beneficii percepti recognitio : quia qui non recognoscit, ingratus est. I ad Corinth. II, 12 : *Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Ideo improperat quibusdam ingratis, Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Ingrati enim est non recognoscere munus et manum largientis.

« Regressus est. »

Ecce tertium, ad benefactorem regressio. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt : et revertentia dicent tibi : Adsumus.* Iste enim ut fulgur, impetu Spiritus ivit in obedientia præcepti ad sacerdotes : et tractus amore benefactoris, reversus est ad ipsum. Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant. et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

« Cum magna voce. »

Ecce quartum de magna voce laudis. II Machab. I, 3 : *Ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno, et animo volenti.* Vox enim magna de magno corde et animo processit. Psal. XXVI, 6 : *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.*

« Magnificans Deum. »

Quintum est, hoc est, magno extollens præconio. Et hoc est dare gloriam : quia gloria late patens, præconium est, sicut dicit Tullius. Psal. XXXIII, 4 : *Magnificate*

Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.*

« Et cecidit in faciem. »

Ecce sextum, quod est adoratio, quæ *latria* vocatur. Exod. IV, 31 : *Audierunt quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem eorum, et proni adoraverunt.* Cadens enim in faciem, videt quo cadit : et ideo bene et munde cadit, et casum suum ordinat. I ad Corinth. XIV, 25 : *Ita cadens in faciem suam, adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Cadens autem retrorsum, casum suum non ordinat, nec videt quo cadit : et ideo ille male cadit in peccatum, vel pœnam peccati. I Reg. IV, 18 : *Cadens de sella retrorsum, fractis cervicibus exspiravit.*

« Ante pedes ejus. »

Ecce septimum, quod est humiliationis : quia ante pedes ejus diabolus exit, auferens secum plagam lepræ, quam ex peccato intulit. Habacuc, III, 5 : *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Psal. CXXXI, 8 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ante pedes etiam doctrinam quæsivit. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« Gratias agens. »

Octavum est, de gratiarum actione. Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina*, gratiarum videlicet, *revertuntur*, scilicet per gratiarum actionem, *ut iterum fluant.* I ad Thessal. V, 18 : *In omnibus gratias agite.*

« Et hic erat Samaritanus. »

Hoc dicitur ad commendationem istius : quia cum non esset illuminatus doctrinis Prophetarum, et pauca miracula vidisset, tamen fide fultus redivit. Matth. VIII, 10 : *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Forte ideo dixit hoc, quia alii minus devoti fuerunt de filiis Israel, et propter Pharisæos non rediverunt. Hic autem de Samaria salutem quærens, venit in terram Judæorum. Hoc est quod dicit. Samaritani enim in hoc commendantur, quod facile crediderunt ad vocem mulieris : sicut habetur, Joan. IV, 30. Item, quod misericordes fuerunt : sicut patet, Luc. X, 34, ubi Samaritanus curam ejus egit, quem sacerdos et levita Judæi præterierunt. Commendantur etiam de gratiarum actione de beneficio percepto, ut hic. Ac si diceret illud Apostoli, I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.*

« Respondens autem Jesus, dixit : **17**
Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ?

Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. **18**

Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit. » **19**

Hic tangitur acceptatio devotionis ejus qui gratias agit, cum reprobatione ingratitudinis aliorum.

Et dicuntur hic duo : acceptatio devotionis, et absolutio cum confortatione gratias agentis.

In primo horum tanguntur quatuor : ostensio immensæ gratiæ ad ignominiam indevotorum, requisitio ad agendum gratias suorum receptorum donorum, acceptatio gratias agentis, et innuitur judicium condemnationis ex comparatione revertentis.

Dicit igitur : « *Et respondens,* » non ad verbum aliquod, sed ad factum.

« *Dixit Jesus*, » volens adstantes illuminare ad gratiarum actionem :

« Nonne decem mundati sunt ? »

Quasi dicat : Sic. Omnibus enim large dona salutis impendit. Jacob. I, 4 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Ergo,

« Et novem ubi sunt ? »

Ecce quod ingratos ad gratiarum actionem requirit. Job, XXXVIII, 7 : *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent*, scilicet in gratiarum actione, *omnes filii Dei.* Quasi dicat : Tu cum illis non apparuisti.

Isti autem novem deficientes a denarii perfectione, significant eos, qui post perceptam gratiam, abeunt retrorsum. Isa. I, 4 : *Abalienati sunt retrorsum.* II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.*

« Non est inventus qui rediret. »

Scilicet unus tantum de decem ex corde conversus inventus est qui rediret ad gratias agendum mihi.

Ecce exprobratio ingratitudinis, et acceptatio gratias agentis. Sicut adhuc multi acceptis multis donis Domini, quibus curantur infirmitates paupertatum et ignorantiarum, et aliorum defectuum corporalium et spiritualium, ad Dominum per gratiarum actionem non revertuntur. Deuter. XXXII, 15 : *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit : incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.*

« Nisi hic alienigena. »

Innuit alios alienigenas non fuisse, et ideo comparatione istius esse condemnandos. Luc. XI, 32 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam : quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ.* Matth. XXI, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Psal. LXXXVI, 5 : *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Alienigenæ enim de gentilitate et idiotis venientes, et populus laicorum de nigredine ignorantiæ et tenebrarum peccatorum habitabunt in civitate Domini : et clerici foras excludentur, et Judæi, prophetas et magnas habentes doctrinas.

Hoc est ergo quod dicit.

« Et ait illi, »

Confortans eum ad perseverantiam. Matth. XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

« Surge, vade. »

Verbum est confirmationis.

Et dicit tria : duo enim imperat, et tertio dicit effectum meritorium.

Imperat enim quod a loco humiliationis surgat, ad æterna se de cætero erigendo. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

Imperat etiam quod vadat, dicens : « *Vade*, » proficiendo ad Deum, et ad proximorum ædificationem. Matth. X, 16 : *Ite, ecce ego mitto vos.* Idem est, Luc. X, 3. Joan. XV, 16 : *Ego posui vos ut eatis, et fructum afferatis.* Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Sic ergo, « *surge et vade.* »

« Quia fides tua, »

Hoc est, fidelitas tua : quia facis hoc quod dixisti, cum diceres : *Jesu præceptor.* Hæc, inquam, fidelitas, et fides tua. Proverb. XX, 6 : *Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet ?* Luc. XVIII, 8 : *Filius ho-*

minis veniens, putas inveniet fidem in terra ? Hic enim de decem nisi unum invenit.

Hæc igitur fides tua

« Te salvum fecit, »

Et in salute conservabit. Luc. VII, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Hæc autem fides operans per dilectionem, est fides cum operibus.

10 « Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum Dei ? »

Hic determinat de fidei firmitate : ne discipuli et electi a fide deflectantur.

Sunt autem duo in parte ista, quorum unum est responsio ad quæstionem Pharisæorum : secundum autem est, habita occasione a Pharisæis, instructio ad firmitatem fidei discipulorum.

In primo autem horum duo dicit : audit enim quæstionem Pharisæorum, et adaptat congruam responsionem.

De primo dicit : « *Interrogatus.* » Pharisæi enim videntes operationem omnipotentiæ fidei, et advertentes eum ire in Jerusalem (ubi erat caput regni) intelligentes concurrere signa plenitudinis temporis ex prophetia Danielis, existimabant Christum ascendere Jerusalem, ut regnum Dei et David occuparet : liberando Judæos a tributo Romanorum, et dominio alienigenarum. Et hæc est causa interrogationis istius.

Et hoc est : « *Interrogatus autem a Pharisæis,* » qui præcipue libertatem populo promittebant : « *Quando venit,* » per manifestationem, « *regnum Dei,* » hoc est, potestas completa Dei in populo suo, exclusis alienigenis, Romanis, et Herode, et Pilato a potestate ? Isa. XXVI, 13 : *Possederunt nos domini absque te, tantum in te recordemur nominis tui.* Isa. LXIII, 19 : *Facti sumus quasi in principio cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.* I Machab. II, 10 et 11 : *Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, et non obtinuit spolia ejus ? Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla.* Et promissiones de regno restituendo fuerunt : sicut illa Ezechielis, XXXIV, 23 : *Suscitabo super eas,* scilicet oves meas, *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem.* Et illa Osee, I, 11 : *Congregabuntur filii Juda, et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum, et ascendent de terra : quia magnus dies Jezrahel,* hoc est, Sanctis Dei. Hoc enim interpretatur Jezrahel. Et illa Amos, IX, 11 : *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus, et ea quæ corruerant instaurabo, et reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* Ex omnibus hujusmodi Scripturis, et ex signis omnipotentiæ quæ apparebant in Domino, putabant regnum terrenum ab eo fore instaurandum.

Et hæc est causa istius quæstionis.

« Respondens eis, dixit ; Non veniet regnum Dei cum observatione. »

« *Respondens eis dixit.* » Non plene instruens, sed tantum per negationes excludens erroneum intellectum : ut impleret quod dixit, Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

Et hoc est quod dicit : « *Non veniet.* »

Duo tangit : unum quidem in communi, aliud autem quod est quasi specificatio illius.

De primo dicit :

« Non veniet regnum Dei, »

In mundum istum, « *cum observatione,* » hoc est, cum signis certis, per quæ certum tempus ejus observari possit. Quia aliter dies Domini non veniret sicut fur, sicut dicitur, I ad Thessal. V, 2 : et, Apocal. III, 3 : *Veniam ad te tam-*

quam fur. Sed hoc videtur falsum : quia, Matth. XXIV, 3 et seq., discipuli eamdem quæstionem movent Domino dicentes : *Dic nobis quando hæc erunt ? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi ?* Respondit Dominus, ponens eis multa signa sui adventus.

Ad hoc dicendum, quod in veritate multa signa posita sunt appropinquantis regni : sed nullum positum est quod certum tempus, et diem, et horam demonstret. Et ideo dicit, ibidem, Matth. XXIV, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Unde Hieronymus : « Nulli « sanctorum Angelorum, nec alicui San- « ctorum hominum hujus diei notitiam « concessum est habere : quod solus « Deus Pater et Filius et Spiritus san- « ctus, id est, unus Deus incognitum « aliis servat. » Et ideo patet quod Pseudoprophetæ sunt, qui de scientia hujus diei gloriantur.

« Quod autem dixit in communi, specificat : dicens :

21 « Neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. »

Duo tangit : negotiationem falsæ Pharisæorum opinionis, et parvam regni Dei manifestationem.

De primo dicit : « *Neque dicent,* » sicut vos putatis, qui sæculare et in corporali potentia regnum Dei futurum existimatis.

« *Ecce hic* » est regnum Dei in potentia sæculari David, et victoriis super corporales inimicos vestros : « *aut ecce illic,* » sicut multi hæresiarchæ dixerunt, ut Donatus dixit esse in Africa, et Ariani dixerunt esse alibi. Regnum enim gratiæ Dei, in potestate sæculari non erit : neque in una parte mundi, sed in toto mundo : quia totum orbem obtinebit. Isa. LX, 12 : *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit : et Gentes solitudine vastabuntur.* Non ergo erit hic, vel ibi : sed potius hic, et ibi, et ubique Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

CONTRA hoc tamen objicitur per illud Joel, III, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis.* Ergo videtur, quod ad minus regnum ultimæ consummationis incipiat in valle Josaphat.

Ad hoc dicendum, quod Josaphat ibi sumitur appellative secundum interpretationem Josaphat, quod interpretatur *judicium Domini.* Unde sensus est : Congregabo omnes Gentes in resurrectione communi, in vallem judicii Domini : ibi disceptabo cum eis de electione electorum, et de reprobatione condemnandorum. Dicitur autem in valle hoc judicium futurum, quia erit in isto aere contra terram. I ad Thessal. IV, 17 : *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Et quia in humili isto aere erit, ideo dicitur futurum in valle.

« Ecce enim regnum Dei intra vos est. »

Hic tangit quamdam obscuram regni Dei determinationem. Attendendum autem est, quod regnum Dei, essentialiter de regno Dei loquendo, est completa potestas in scientia, et virtute, et actibus justitiæ Dei : sicut sæpe diximus. Hæc autem potestas est in gratia, et in gloria. Hic quidem in gratia : in futuro autem, et præcipue in judicio extremo erit in gloria. Materialiter autem regnum Dei est in Sanctis et Beatis, in quibus obtinet et plenum locum habet hæc potestas justitiæ : et in damnatis,

quos justitiæ potestas premit. Et hoc est quod dicit Apostolus, ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

Et de hoc regno præcipue dictum est : « *Intra vos est,* » quia totum est in observantiis justitiæ in interioribus, et non in exterioribus. Tamen secundum litteram hic intendit regnum materiale jam esse intra Pharisæos : quia et rex justorum, et prima ordinatio potestatum, et principum Apostolorum et discipulorum fuit intra eos, et non recognoverunt. Unde, Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Et iterum, Psal. XLIV, 17 : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.*

De rege autem dicitur, Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Et de utrisque simul dicitur, Isa. XXXII, 10 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* Sic ergo obscure loquens Pharisæis, celat eis mysterium regni sui : quod tamen aperte declarat discipulis, quibus dixit, Matth. XIII, 11 et 13, et Luc. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant.*

Et hoc est quod sequitur.

22 « Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.

23 Et dicent vobis : Ecce hic, ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. »

Dicit autem hic duo : in quorum primo cautos reddit ab errore seducente et avertente a regno suo : et in secundo, dat signum cognitionis regni sui, dicens quod erit eis clarum sicut fulgur.

Adhuc autem, in primo sunt quatuor paragraphi : in quorum primo innuit necessitatem propter quam desiderabitur illuminatio Filii hominis : in secundo dicit, quod licet desideretur, tamen dispensatorie denegabitur : in tertio, ostendit instantiam hæresiarcharum a fide avertentium : in quarto autem monet suos, ne ab hujusmodi seducantur.

Dicit igitur in primo duo.

Primum quidem quod est periculi futuri certitudo, cum dicit : « *Venient dies* » ultimæ persecutionis, quæ prævenitur per dies captivitatis Jerusalem, qui etiam erunt periculosi : et propter peccatum quod in Dominum commiserunt inducti. Luc. XIX, 43 et 44 : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt.* Daniel. XII, 1 : *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud.* Hoc enim de utroque tempore verum est, scilicet, de tempore captivitatis Jerusalem, et de tempore ultimæ sub Antichristo persecutionis. In istis ergo diebus erit magna tribulatio : quia cum sint quatuor persecutiones Ecclesiæ, quæ sibi successerunt, tyrannorum, hæreticorum, falsorum Christianorum : ultima etiam Antichristi conflabitur ex omnibus tribus : et ideo periculosior erit. Et similiter fuit in captivitate Jerusalem pugna exterior Romanorum tyrannorum : seditio interior trium hæresum, Pharisæorum, et Essæorum, et Sadducæorum : et tertia falsorum Judæorum civium compugnantium. De utraque istarum Ecclesiæ et Jerusalem dicitur, Matth. XXIV, 21 : *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.*

In istis ergo diebus erit quod sequitur :

« Quando desideretis videre. »

Duo tangit : desiderium, et id quod desiderabitur.

De primo dicit : « *Quando desidere-*

tis, » hoc est, vehementer cupiatis. Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Psal. LXXIX, 3 : *Manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.* Et iterum, ibidem, ℣. 4 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

Sic ergo desiderabunt « *videre,* » hoc est, secundum veritatem percipere. Joan. VIII, 56 : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.*

« *Unum diem,* » hoc est, unam præsentialem illuminationem, « *Filii hominis* » inter tot timores pressurarum, et tot dubia hæresum. Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Zachar. XIX, 7 : *Erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox. Dies* enim dicitur propter diei illuminationem, et non propter temporis qualitatem. Et ideo dicitur, *neque dies neque nox* : quia neutra qualitas temporis facit diem illam. In illa tamen die illustrabitur quidquid modo dubium est de veritate fidei. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* Hæc est ergo dies desiderata a Sanctis.

Objicitur autem contra hoc quod dictum est, per illud Amos, V, 18 : *Væ desiderantibus diem Domini : ad quid eam vobis ? Dies Domini ista, tenebræ et non lux :* ergo et male faciunt qui desiderant. Et hæc dies non est illustrationis, sed obtenebrationis,

SOLUTIO. Dicendum, quod Sancti qui semper desiderant finiri peregrinationem istam, desiderant diem illam. Alii autem qui formidant præsentiam judicis propter malam conscientiam, non desiderant eam. Et væ eis si desiderant, quia ibi damnabuntur. Ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius.* De malis autem dicitur, Luc. XII, 46 : *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Hæc autem dies illuminabit ad veritatem fidei prædicatæ : quia ibi clara erunt omnia. Et ideo in Psalmo CIII, 2, Dominus veniens dicitur : *Amictus lumine sicut vestimento.* Sed quoad angustiam terroris, dicitur esse tenebrarum. Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Sic ergo verum est, quod desiderabitis unum diem Filii hominis.

« Et non videbitis. »

Tangit hic illius diei denegationem. Et hoc fit ad electorum probationem : et ad reprobandorum justam condemnationem. Joan. VII, 34 : *Quæretis me, et non invenietis.* Cantic. V, 6 : *Quæsivi, et non inveni illum.* Alii autem in peccato infidelitatis et obstinationis suæ morientur. Joan. VIII, 24 : *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Exspectabunt enim tunc Judæi cum asino, donec veniant ad finalem revelationem, quando se in Ant christo deceptos esse videbunt. Genes. XXII, 5 : *Exspectate hic cum asino,* hoc est, asinino sensu : *ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

« Et dicent vobis, »

Multi pseudoprophetæ et pseudochristi sic : sicut dicitur, Matth. XXIV, 11 et 12 : *Et seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Sicut fuit Theodas, de quo dicitur in Actibus Apostolorum, V, 36, quod seduxit multos. Et sicut parum ante dies beati Augustini surrexit quidam, qui se Joannem Baptismam diceret, et profecit paululum : ita quod tandem se asseruit esse Christum. Hoc autem jam bis accidit temporibus nostris. In Francia enim apparuerunt duo, qui se Eliam et Henoch esse pronuntiaverunt. In Germania autem unus surrexit, qui se Jesum et Salvatorem esse fatebatur. Ipse etiam

Simon, sicut in verbis suis legitur, dixit : « Ego sum sponsus, ego sum paracletus, ego sum Dei virtus quæ vocatur magna, ego sum Omnipotens, ego sum Verbum Dei, ego sum Filius Dei, ego sum omnia Dei. »

Surgent etiam nuntii Antichristi, et ipse Antichristus, et dicent vobis :

« Ecce hic, »

In ista secta est Christus, « *et ecce illic,* » in alterius hæresiarchæ secta est Christus. Matth. XXIV, 23 et 24 : *Si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Et tales multi fuerunt, et sunt, et erunt avertentes a fide.

Et ideo subdit :

« Nolite ire »

Cum illis per consensum incredulitatis. Isa. XXVIII, 16 : *Qui crediderit, non festinet.*

« Neque sectemini, »

In opere. II ad Thessal. II, 9 et 10 : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Et ideo non sectemini eos, quia tales, sicut dicitur in epistola II Petri, II, 1 : *In vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui eruit eos Dominum negant, superducentes tibi celerem perditionem.*

24 « Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ita erit Filius hominis in die sua. »

Tangit signa sui adventus, quando regnum suum incipiet in totius plenitudine potestatis.

Dicuntur autem hic duo : in quorum primo ponit signa : in secundo autem, respondet quæstioni Apostolorum, ubi hæc regni potestas sit congreganda.

In primo horum dicit quatuor : in quorum primo dicit claram sui ad regnandum adventus coruscationem : in secundo, dicit illius adventus improvisam super homines fore præoccupationem : in tertio, illius adventus et potestatis subitam necessitatem, ad quam nulla potest esse præparatio : in quarto autem ostendit, in illo adventu de quolibet statu hominum quosdam esse eligendos, et quosdam esse reprobandos.

In primo horum adhuc duo dicit : in quorum primo tangitur secundi adventus coruscatio, quæ præcone non indiget : in secundo autem dicit quædam, quæ præambula esse oportet.

In primo horum ponit quamdam similitudinem, et adaptat eam ad propositum quod intendit.

Dicit igitur :

« Nam sicut fulgur, »

Quod *fulgetra* vocatur, quia subito micat. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt?* Quasi dicat : Sicut ego.

« *Coruscans de sub cœlo,* » hoc est, de horizontis inibi habitantium hemisphærio, « *in ea* » loca « *quæ sub cœlo* » illo « *sunt,* » hoc est, sub inibi habitantium hemisphærio, « *fulget,* » quia fulgur statim implet hemisphærium habitantium sub illo horizonte, de quo fulget. Est autem fulgur illud inductum pro similitudine aliquantula imitationis, et non pro similitudine æqualitatis : quia fulgur non implet nisi parvum illius habitationis horizontem. Lumen autem divinum totum implebit mundum. Job, XXXVI, 29 et 30 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgu-*

rare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.

Illud autem fulgur est splendor miraculorum, et splendor luminis sanctitatis Sanctorum. Et hoc quidem est pro modo gratiæ in primo adventu : per modum autem gloriæ est in adventu secundo. Et ideo hæc illustratio perimit, et excæcat omnes inimicos ejus, ita quod perturbati et excæcati cadunt coram ipso. II ad Thessal. II, 8 : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Sicut enim dicit Chrysostomus, « Coruscatio non indiget « præcone : sed in momento et in thala- « mis et in domibus est, et per universum « orbem monstratur. » Unde tria habet : repente enim fit, et improvise, et manifeste. Repente quidem fit ne declinari, improvise ne caveri, manifeste ne negari possit quin sit revelatum. Et hoc quidem totum verum fuit in prima Jerusalem destructione per Romanos propter reatum Passionis Christi. Erit tamen multo plus in secundo adventu ad judicium : ille enim erit manifestus. Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro salutare Dei*[1]. Ille erit subitus. I ad Corinth. XV, 52 : *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Ille erit improvisus, quia *sicut fur in nocte, ita veniet*[2].

« Ita erit Filius hominis. »

Sumit adaptationem dictæ similitudinis. Dicit autem quod ita erit Filius hominis, quia in natura et forma assumpti hominis veniet ad judicium. Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.* Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt,* Matth. XXVI, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.*

« In die sua, »

Hoc est, in declaratione sua. Tunc enim lux claritatis suæ et omnium Sanctorum cum eo existentium mirabiliter coruscabit. Job, XXV, 2 et 3 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?* Matth. XIII, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Hæc autem dies dicitur *sua* : quia est ab eo statuta, et quia est ab eo solo scita, et quia omnis voluntas sua fit in ea. De primo horum dicitur, Act. XVII, 31 : *Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus,* etc. De secundo, Matth. XXIV, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.* De tertio, Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnia voluntas mea fiet,* Isa. LIII, 10 : *Voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

His igitur modis dicitur *dies.* **25**

« Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. »

Hic autem tangit quod est præambulum, et ad diem Jerusalem destructionis, et ad diem adventus ad judicium.

Et hoc est quod dicit : « *Primum,* » sicut causa præcedit causatum : quia sacramenta Christi causa sunt salutis electorum : et causa per contemptum sunt reprobationis damnandorum, et temporaliter in captura civitatis, et æternaliter in judicio extremi examinis. Luc. XXIV, 25 et 26 : *O stulti et tardi corde ad cre-*

[1] Vulgata habet, Isa. XL, 5 : *Et revelabitur gloria Domini : et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.*

[2] I ad Thessal. V, 2.

dendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? Per hæc enim sacramenta sua Christus est ostium electorum, per quod secum intrabunt ad gloriam. Joan. x, 9 : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur.* I ad Corinth. xv, 23 : *Primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.* I Petr. i, 11 : *Spiritus sanctus prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, et posteriores glorias.*

Hoc est quod dicit : « *Primum autem oportet illum,* » hoc est, opportunum est et utile, et cŏngruens ordini sacramentorum, « *multa pati.* » Sicut enim dicit Beatus Bernardus, multum difficultatis assumpsit, quo te multæ dilectionis debitorem constitueret, admoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus devotum effecerat conditionis facilitas. Isa. liii, 3 : *Vidimus eum,... novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem : unde nec reputavimus eum.*

In his enim passionibus, et didicit compati his qui tribulantur et patiuntur, et comparat dilectionem Sanctorum, et reprobi implent suorum mensūram peccatorum. Et de primo horum dicitur, ad Hebr. ii, 18 : *In eo, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur, auxiliari.* De secundo autem dicitur, ad Roman. v, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* De tertio dicitur, Matth. xxiii, 32 : *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

« Et reprobari, »

Per judicium iniquum, et falsum. Iniquum quia sic reprobatus a Judæis, de Judæis natus, Judæis promissus, transit ad Gentes, et duos parietes e diverso venientes, circumcisionem scilicet et præputium, concludit in unum. Psal. cxvii, 22 et 23 : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Isa. liii, 12 : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit,* scilicet ut non perirent.

« A generatione hac »

Adultera et nequam Judæorum. Luc. xi, 29, et Matth. xii, 39 : *Generatio mala, et adultera.* Deuter. xxxii, 5 : *Generatio prava atque perversa.* Proverb. xxx, 11 : *Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.*

« Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis. 26

Edebant, et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem qua intravit Noe in arcam : et venit diluvium, et perdidit omnes. » 27

Hic tangit diei illius inconsideratam superventionem.

Et tangit duo : inconsideratorum et damnatorum exempla, scilicet, punitorum per diluvium in diebus Noe, et punitorum per ignem in Pentapoli, in diebus Lot.

In primo autem horum dicit tria. In prima enim parte adaptat similitudinem : in secunda, dicit opera quædam, quæ punitionis fuerunt causa : in tertia, dicit qualiter sunt puniti.

De prima harum dicit sic : « *Et sicut factum est,* » in originali mundo [1], « *in diebus Noe.* » Dies illi dicuntur *Noe,* quia solus ille in illuminationis divinæ

[1] Cf. Genes. vi, 1-6.

die vixit. Genes. VI, 9 : *Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Et, Genes. VII, 1 : *Te enim vidi justum coram me in generatione hac.* Et ideo alii erant filii noctis. Iste autem fuit filius diei : quia, Proverb. IV, 18, dicitur : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Ideo ergo dicuntur *dies Noe.*

« Ita erit. »

Adaptat similitudinem. « *In diebus Filii hominis.* » Jam in præcedentibus dictum est, quare dicantur *dies Filii hominis* [1].

« Edebant, et bibebant. »

Tangit opera ad vitæ conservationem pertinentia, in quibus dederunt intelligere, quod nihil præsumebant de periculo futuro. Et tangit ea quæ naturæ opera videntur : ut det intelligere, quoniam et in illis si superflua cura ad ea adhibeatur, peccatum est,

Quod ergo dicit : « *Edebant,* » intelligitur quod superfluum studium in edendo habuerunt. Isa. XXII, 12 et 13 : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum : Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Sapient. II, 6 et 9 : *Utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.* Unde comedere, et ventri servire, reputabant hujus vitæ beatitudinem. Ad Roman. XVI, 18 : *Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.*

« *Et bibebant,* » studium corpori impendentes quod fœtori deservit. Luc. XXI, 34 : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Sapient. II, 7 et seq. : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus... Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Ubique relinquamus signa lætitiæ.* Comedentes enim et bibentes lascivi sunt, et lusivi sunt incontinentes. Sicut dicit Gregorius, quod « venter mero æstuans, facile despumat in luxuriam. » Propter quod etiam genitalia ventri subnexa sunt. Exod. XXXII, 6, et I ad Corinth. X, 7 : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.*

« Uxores ducebant. »

Quod etiam de licitis operibus esse videtur. I ad Corinth. VII, 28 : *Si acceperis uxorem, non peccasti.* Sed isti quia de futuris nullam habebant curam, ideo intelligitur quod ardentiores fuerunt amatores suarum conjugum : quamvis exterius propter honestatem sæcularem, non aliis quam conjugibus uterentur. Tobiæ, VI, 17 : *Sunt qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a mente sua excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus quibus non est intellectus : habet potestatem dæmonium super eos.* Sextus Pythagoricus : « Ardentior amator suæ conjugis, adulter est. » Ardentior autem est qui nec bona matrimonii attendit, nec legem honestatis circa modum cognoscendi custodit, nec tempora religionis. Tales igitur non habent præ oculis judicium futurum.

« Et dabantur ad nuptias, »

Quia filiæ suæ, et conjunctæ sibi mulieres non se continebant, sed in amplexus viri exardescebant. Genes. VI, 12 : *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Et, ibidem ℣. 5 : *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset*

[1] Cf. supra, ℣. 22.

in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Quæ enim viros ducebant, non ducebant nisi ad libidinem explendam, et lege matrimonii non utebantur nisi ad honestatem exteriorem : et ideo Deum a mente sua excluserunt. Sed hoc bonum habebant quia sexum distinguebant, et aliqua lege honestatis exterioris utebantur.

« Usque in diem, etc. »

Sic implebant mensuram suorum peccatorum, « *usque in diem qua Noe,* » qui solus cum filiis suis erat justus coram Domino, « *intravit in arcam,* » post centum annos, quibus convicaneis suis pœnitentiam prædicaverat, nec pœnitere curaverunt. Job, XXIV, 23 : *Dedit Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.* Unde et Genes. VI, 3, dicitur : *Erunt dies illius centum viginti annorum,* supple, quibus eos ad pœnitentiam exspectabo. Sed cum in centum annis non pœniterent, tunc viginti annos subtraxit, et per centum annos eos ad pœnitentiam exspectavit.

Arca autem significat vitam ecclesiasticam, quæ sola salvat hominem. Unde, I Petr. III, 20 et 21 : *In arca pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* In baptismo enim crux operatur, in qua enatamus per aquas submergentes concupiscentiam, sicut in quadam navi. Sapient. XIV, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera : propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Benedictum enim lignum, propter quod fit justitia. Et ideo dicit Apostolus, ad Hebr. XI, 7 : *Quod fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam, in salutem domus suæ,* et figuram salutis toti mundo exhibuit. Illi autem de futuris judiciis Dei nihil considerantes, voluptati operam dabant.

« Et venit diluvium, »

A Deo immissum. « *et perdidit omnes,* » quia nec in diluvio pœnituerunt : et ideo omnes perditi sunt. Isa. XXVIII, 18 : *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.* Sic ergo illi perditi sunt, quia de futuris Dei judiciis nihil curæ habuerunt.

« Similiter sicut factum est in diebus Lot : edebant, et bibebant. » **28**

In naturalibus peccatis non timentes, damnavit Dominus in diebus Noe. Sed eos, qui peccabant contra naturam, et futurum judicium non habebant præ oculis, perdidit Deus in diebus Lot.

Dicit autem hic tria : in quorum primo innuit similitudinem esse quod dicit, et in culpa, et in pœna : in secundo, inconsideratorum et improvisorum inducit opera : in tertio autem, operum condemnationem.

Dicit ergo : « *Similiter,* » quia sicut dicit Boetius : « De similibus est simile « judicium. »

« *Sicut factum est in diebus Lot.* » Nihil enim luminis fuit in Sodomis nisi in domo Lot. Sapient. XVIII, 1 : *Sanctis tuis maxima erat lux.*

« Edebant, etc. »

Tangit opera communia, et ad necessitatem et civilitatem pertinentia.

Duo autem tangit pertinentia ad necessitatem.

Unum dicit : « *Edebant.* » Intelligitur quod non considerato timore judicii divini, per esum in se concupiscentiam carnalem nutriebant, et pauperum in nullo recordabantur : quia judicium præ oculis non habuerunt. Ezechiel. XVI, 49 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ : superbia, saturitas panis et abundantia,*

et otium ipsius, et filiarum ejus : manum egeno et pauperi non porrigebant.

Sex enim modis, ut dicit Gregorius, peccatur in edendo, scilicet, si horam constitutam prævenit. Eccle. x, 16 : *Væ terræ, cujus rex puer est : et cujus principes mane comedunt* : non ad necessitatem, sed ad ebrietatem. Sic videtur peccasse Jonathas, I Reg. iv, 27 et seq., qui ante terminum statutum a patre rege et principe, qui statuere debuit et potuit, mel comedit, et sententiæ mortis est addictus.

Secundo modo peccatur edendo, cum nimis frequenter comeditur. Semel enim comedere, vita angelica est : bis autem, est vita humana : pluries, est vita pecorina, nisi hoc exigat infirmitas. Ad Philip. iii, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Ad Galat. vi, 8 : *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.*

Tertio modo fit peccatum, quando quis nimis ardenter comedit. Genes. xxv, 33, Esau pro lenticula, quam nimis ardenter desideravit, primogenita sua vendidit. Ad Hebr. xii, 16 : *Ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.* Augustinus : « Malo comedere agnum cum « Christo, vel quemlibet cibum delica- « tum, quam lenticulam cum Esau. Non « enim substantia cibi, sed aviditas su- « mendi in culpa est. » Ad Rom. xiii, 14 : *Carnis curam ne feceritis in desideriis.*

Quarto modo fit, quando aliquis nimis lauta et delicate præparata exquirit. Luc. *Epulabatur quotidie splendide.* Proverb. xxix, 21 : *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum,* hoc est, corpus suum, *postea sentiet eum contumacem.*

Quinto modo fit, sumptuosa nimis procurando. Eccle. vi, 7 : *Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur,* scilicet bonis. Luc. xv, 30 : *Devoravit substantiam suam cum meretricibus,* scilicet vivendo luxuriose.

Sexto modo fit, in nimia quantitate sumendo. Daniel. xiv, 5 : *An non vides quanta comedat et bibat quotidie ?* Luc. xxi, 34 : *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.*

Sic ergo isti edebant.

« Et bibebant. »

Aliud opus eorum.

Quinque autem modis in bibendo peccabant.

Primo quidem modo non sanitatem, vel necessitatem in vino quærendo, sed ipsum vini saporem. Isa. v, 11 : *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis !* Hoc enim est leccatorum.

Secundo modo, qui quærebant nimietatem bibendi usque ad ebrietatem. I Reg. i, 14 : *Usquequo ebria eris ? digere paulisper vinum quo mades.* Isa. v, 22 : *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem !* Istis enim non sufficit uniusmodi vinum vel poculum bibere, sed unam ebrietatem miscent in aliam.

Tertio modo peccatur in vino, quando in detrimentum corporis bibitur, et cum studio magno requiritur. Proverb. xxiii, 29 et 30 : *Cui væ ? Cujus patri væ ? Cui rixæ ? cui foveæ ? Cui sine causa vulnera ? cui suffusio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis ?*

Quarto modo peccatur, nimis delicata vina procurando. Sapient. ii, 7 : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus.* Amos, vi, 6 : *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

Quinto modo peccatur, malo fine bibendo, ad libidinem scilicet excitandam, et calores concupiscentiæ. Proverb. xx, 1 : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non*

erit sapiens. Ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Taliter enim edentes et bibentes obdormiunt judicium, præoccupantur in lecto, donec judicio præveniuntur.

« Emebant, et vendebant : plantabant, et ædificabant. »

Tangit opera civilitatis.

Et tangit duo, quæ pertinent ad communicationem civium : et duo quæ pertinent ad cultum, et habitationem, et plantationem patriæ.

De primis quæ pertinent ad communicationem civium, dicit :

« Emebant. »

In emptione autem intelligitur avaritia, et fraudulentia. Et quia in necessitate proximo non dantes, nec accommodantes, cogebant possessiones vendere. I ad Corinth. vi, 8 : *Vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus.* Eccli. xxvi, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia, et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.* Eccli. xxvii, 2 : *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic et inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.* Isa. v, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci ! Numquid habitabitis vos soli in medio terræ ?*

« Et vendebant. »

Ista venditio fuit sub specie usuræ, quando vendebant carius quam digno pretio, tempus modicum exspectantes. Exod. xxii, 25 : *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Psal. xiv, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.*

« Plantabant, »

Scilicet agros, vineas, et hortos. Psal. cxvi, 37 : *Seminaverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis,* in longa tempora fructus præparantes. Luc. xii, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare.*

« Et ædificabant, »

Decorem nimium et fastum in ædificiis præparantes. Eccle. ii, 4 et 5 : *Ædificavi mihi domos, et plantavi vineas, feci hortos et pomaria,* etc. Amos, v, 11 : *Domos quadro lapide ædificabitis, et non habitabitis in eis : vineas plantabitis amantissimas, et non bibetis vinum earum.* Jerem. xxii, 14 : *Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.*

Sic ergo peccatum est ædificando.

« Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit. » **29**

Hic innuitur contemptus prædicantis pœnitentiam. Genes. xix, 14 : *Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, et dixit : Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.*

« *Lot exiit,* » de Sodomis, justus de injustis. Genes. xiii, 13 : *Homines Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.* Numer. xvi, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum :... ne involvamini in peccatis eorum.*

« Pluit ignem et sulphur de cœlo. »

Ad hoc pluit Dominus ut esset proportio pœnæ ad culpam : quia multa fuit

culpa, et ideo pluit abundanter fundens. Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Quia vero ignitam et exardescentem ultra fas naturalis ordinis habebant concupiscentiam, ideo ignem pluit. Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Quia vero turpitudine infamiæ scatebant, ideo pluit sulphur. Genes. XIX, 24 : *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo*, hoc est, Filius a Patre. Ut autem hoc judicio divino scirent esse factum, ideo de cœlo pluit. Psal. LXXV, 9 : *De cœlo auditum fecisti judicium.* Ezechiel. XXXVIII, 22 : *Ignem et sulphur pluam super eum, et super exercitum ejus.* Apocal. XIX, 20 : *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Beatus Bernardus : « Flamma « gehennalis moram non sustinens præ- « venit istam tollere nationem, necnon « et tellurem ipsorum. Conscientiam « enim tantæ confusionis naturæ absum- « psit ignis, et spiritus procellarum. sul- « phuris. »

Quamvis autem multa sint detestanda in omnibus peccatis, tamen quatuor sunt in infando isto peccato, propter quæ magis est abominabile, quorum primum est ardor, ordinem naturæ subruens. Et quia magis etiam in mares quam in fœminas exardescunt, et fœminæ in fœminas, dicit Apostolus, ad Roman. I, 26 et 27 : *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ :... exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Psal. LVII, 4 : *Peccatores a vulva, erraverunt ab utero.*

Secundum autem est fœtor infamiæ istius peccati. Joel, II, 20 : *Ascendet fœtor ejus, et ascendet putredo ejus.* Isa. XXXIV, 3 : *Interfecti eorum projicientur, et de cadaveribus eorum ascendet fœtor.* Et bene dicitur fœtor iste *ascendere*, quia infandum istud vitium plus in altis personis, quam in humilibus invenitur regnare.

Tertium est adhærentia istius peccati : quia hoc malum habet, quod eum quem capit, vix umquam deserit : in cujus signum dicitur, Genes. XIV, 10, quod *vallis silvestris*, in qua fuit Pentapolis, *habebat puteos multos bituminis.* Bitumen autem est gluten tenacissimum.

Quartum autem est, quod dicitur esse morbus contagiosus, et de uno inficere alium : propter quod, Genes. XIX, 17, dicitur Lot egredienti de Sodomis : *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.*

Hæc est causa quare hoc peccatum clamat coram Domino. Genes. XVIII, 20 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est.*

« Et omnes perdidit, »

Quia perdiderant naturam quam assumpturus erat Dominus. Isa. XXXIII, 8 : *Projecit civitates, non reputavit homines :* quia revera non sunt homines in tanta deformitate naturæ humanæ viventes.

« Secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur. » **30**

Accipit doctrinam secundum similitudinem inductam.

Dicit autem quod « *secundum hæc erit,* » quoad hoc quod improvise superveniet dies illa, sicut illius judicium condemnationis. I ad Thessal. V, 4 : *Cum dixerint : Pax, et securitas : tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti.*

« *Qua die,* » quia tunc plena erit claritas lucis ad dissipationem omnium tenebrarum. Tunc enim fiet quod dicitur, Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Omnia enim tunc ponentur in lucem, quæcumque modo sunt abscondita.

« *Filius hominis revelabitur.* » Habacuc, III, 4 : *Splendor ejus ut lux erit :*

cornua in manibus ejus. Splendor enim gloriæ manifestabit abscondita, et cornibus potestatis iniquos ventilabit.

31 « In illa hora, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa : et qui in agro, similiter non redeat retro.

32 Memores estote uxoris Lot. »

Tangit necessitatis hic arctationem. Et ad litteram prædicit, quod in tempore captivitatis Romanæ, tam arcta erit obsidio, quod qui fuerit in tecto domum defendens, non poterit descendere ad aliquid secum tollendum de domo, cum quo fugiat : sed tantum quæret effugere personam salvando, et tamen non poterit. Similiter imminente extremo judicio, qui est in tecto ut prospiciat imminentia, non potest cogitare ut aliquid ordinet de re familiari, sive in domo, sive alibi : sed tantum cogitet se salvare.

Moraliter autem, in tecto est ædificii spiritualis, qui est in caritate. Hæc enim consummatio est ædificii spiritualis, sicut tectum. Quæ autem in domo sunt sicut ea quæ pertinent ad corporis concupiscentias, et ad illas nemo debet descendere. Homo enim debet esse sicut passer solitarius in tecto [1], nihil curans de his quæ sunt mundi, sed in altitudine tenens se charitatis. Hæc enim est tectum quæ totum operit. Hinc est quod quæ in aure audiuntur, prædicari præcipiuntur super tecta [2] : quia in charitate quidquid reponitur, ab impulsu tempestatum conservatur,

« Et qui in agro est, »

Scilicet in arcta obsidione, vel ultimo examine, « *similiter non redeat retro,* » quia forte præventus, involveretur in captivitatem.

In agro autem est moraliter, qui est in exercitio bonæ actionis. Et hic non debet retro ad domesticos, hoc est, carnis curas respicere. Luc. IX, 62 : *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sic enim diligenter exercendus est ager iste, quod nihil aliud habeatur ad manus. II ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.*

Hoc est igitur quod dicit.

Ut autem exemplum det suæ admonitionis, subjungit, dicens :

Memors estote euxoris Lot. »

Hæc enim propter solum respectum retrorsum, conversa est in statuam sive figmentum salis [3] : ut omnes condiret, qui insulsi retrorsum adspicere desiderarent. Sapient. X, 7 : *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.*

« Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. » 33

Ostenso periculo captivitatis Jerusalem propter peccatum crucifixionis Christi, et cum illo ostenso periculo præoccupationis diei judicii, inducit cautelam, qua quilibet potest esse præparatus.

Dicit igitur quod « *quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam.* » Hoc autem jam in antehabitis expositum est, quod anima dicitur hic persona ex anima vivens, propter partem digniorem : sicut, Exod. I, 5 : *Animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob,* et ingressi sunt in Ægyptum.

[1] Psal. CI, 8 : *Factus sum sicut passer solitarius in texto.*

[2] Cf. Matth. X, 27.

[3] Cf. Genes. XVIII, 26.

« *Quicumque* » ergo in tribulatione extrema, « *quæsierit animam suam salvam facere,* » ita quod in æternum perire non possit: ille « *perdet eam,* » exponendo eam morti in tribulatione illa propter Christum, ne neget fidem. Act. xx, 23 et 24: *Spiritus sanctus civitates per omnes mihi potestatur dicens: Quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent: sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi*, etc.

« Et quicumque perdiderit illam. »

Matth. x, 39, additur: *Propter me*, quia causa facit martyrem, non pœna.

Quicumque ergo tribulationi vel morti exponendo animam propter me, perdiderit eam temporaliter, « *vivificabit eam* » in æternum: quia conjungetur Deo qui est fons vitæ, et bibet vitam in fonte suo in æternum. Psal. xxxv, 10: *Domine, apud te est fons vitæ.* Apocal. vii, 17: *Agnus qui in medio throni est reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Sic ergo « *vivificabit eam.* »

34 « Dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur.

35 Duæ erunt molentes in unum: una assumetur, et altera relinquetur. Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur. »

Tangit electorum de omni statu assumptionem, et damnandorum de omni statu reprobationem.

Et hoc tangit sub triplici differentia status, in quo omnis status intelligitur.

Dicit ergo: « *Dico vobis,* » per veritatis assertionem. Ad Roman. ix, 1: *Veritatem dico in Christo, non mentior.*

« *In illa nocte.* » Extremum judicium frequenter vocatur *dies Domini*, propter causas quas supra diximus. Hic tamen vocatur *nox* propter horrorem tribulationis et angustiæ, in quibus corda obtenebrantur, quod non habent effugium. Matth. xxv, 6: *Media nocte clamor factus est.*

« Duo erunt in lecto uno. »

Litteraliter vult dicere, quod inter quiescentes, et inter laborantes serviliter, vel ad utilitatem propriam, semper quidam assumentur, et quidam reprobabuntur. Tamen per duos qui sunt in lecto uno, litteraliter significantur matrimonialiter juncti: et allegorice significantur contemplativi, qui in lecto mollis conscientiæ cum Domino recumbunt. Deuter. xxxiii, 12: *Et Benjamin ait: Amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.* Cantic. i, 15: *Lectulus noster floridus.* Ex hoc lecto quidam assumuntur, qui pure in contemplatione veritatis persistunt: quidam autem reprobantur, qui otio marcent in religione, et habitum sine affectu operis habent. Thren. i, 7: *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.*

« Duæ erunt molentes in unum, »

Scilicet duæ ancillæ erunt molentes saccum, vel lucrum. Molere enim fuit antiquitus opus servile, et ancillarum: et ideo, Exod. xi, 5, dicitur, *quod a primogenito Pharaonis qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ stabat ad molam*, percussit Dominus primogenita Ægypti. Et ideo per molentes in unum, significantur serviliter operantes. Unde etiam, Judicum, xvi, 21, Philisthiim capientes Samsonem inimicum suum, et excæcaverunt, et ut servili opere confunderent, fecerunt eum molere.

Per hoc autem significantur allegorice laborantes: quorum quidam assumentur

ad gloriam, qui labores suos referunt ad honorem Dei et utilitatem Ecclesiæ. Eccli. XXXIII, 18 : *Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.* Quidam autem relinquentur ad damnationem, qui opera laboris referunt ad mundum et vanitatem. Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.* Hoc ergo intendit per molam. Hæc est etiam causa, quod, Deuter. XXIV, 6, præcipitur : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.* Tum propter hoc quod pauper laborator in hoc victum quæsivit : tum etiam propter hoc, quia labor ad utilitatem communis necessitatis exstitit. Hæc est etiam causa, quod cum Babylon domina regnorum esset ancillariter humilianda, dixit Isaias, Isa. XLVII, 1 et 2 : *Ultrò non vocaberis mollis et tenera. Tolle molam, et mole farinam.* Hæc fuit etiam causa legum antiquarum, quod enorme committens crimen, mola ad collum suspensa, submergebatur in profundum : quia in mola significabatur, quod crimine se servilem effecerat et confusione dignissimum.

« Duo in agro. »

Ager ab agendo dictus, significat opus quod pertinet ad patriæ populationem, et facultates civilitatis, et reipublicæ. Et ideo istud est honestum, et ad rempublicam ordinatum opus. Et ideo per hæc significantur quicumque Prælati rempublicam ordinantes, et communi intendentes regimini. Sic enim dicitur, Genes. XXIV, 63, quod *Isaac egressus est ad meditandum in agro.* Sic dicitur, Proverb. XXIV, 27 : *Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam,* hoc est, familiam : quia secundum facultates agri multiplicatur providentia domus. Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Talium ergo Prælatorum curam communis utilitatis habentium,

« Unus assumetur »

Ad gloriam, qui fideliter et prudenter familiæ Dei intendit. Matth. XXV, 21 et 23 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam ; intra in gaudium domini tui.*

« Et alter relinquetur »

Ad damnationem, qui piger utilitatibus propriis deservivit, et ad se bona domini sui convertit. Luc. XIX, 22 et 23 : *De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi : et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ?*

In his autem tribus statibus, omnis status mundi et Ecclesiæ comprehenditur, qui, Ezechiel. XIV, 14, per Noe, Daniel, et Job (qui animas suas liberant) significantur. Per Noe quidem qui arcam gubernavit, status significatur Prælatorum. Per Daniel autem qui proheta continens fuit, status significatur contemplativorum. Per Job autem dolentem ad sterquilinium projectum, significatur status activorum laborantium. Hoc autem quod unus assumitur et alter relinquitur, significatur, Levit. XIV, 4-7, ubi duo passeres vivi immolantur : ex quibus unus Domino in sacrificium assumitur, alter autem abire permittitur.

« Respondentes dicunt illi : Ubi, Domine ? **36**

Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. » **37**

Hic tangit determinationem dubitantium de præinductis. Dixerat enim Dominus quod non dicendum esset : *Ecce hic, et ecce illic.* Dixerat etiam quod *unus assumetur, et alter relinquetur.* Apostoli dubitaverunt ubi esset futurus Christus, et ad quem locum essent assumendi qui assumuntur, et in quo loco relinquendi qui relinquuntur.

Et ideo « *respondentes* » ad hoc, quærunt, et « *dicunt illi.* » Marc. enim, IV, 34, dicitur, quod *seorsum discipulis disserebat omnia.* Et ideo audacter quærunt :

« Ubi, Domine, »

Supple, erit Christus verus, et ubi erunt qui assumuntur ? Cantic. I, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea : ubi pascas, ubi cubes in meridie : ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum ?* Joan. I, 31 : *Rabbi,... ubi habitas ?*

« Qui dixit illis, »

Breviter et optime certificando :

« Ubicumque fuerit corpus. »

Corpus hic dicitur cadaver. Hoc autem multum vaporat : quia dum calor naturalis in putrescente corpore evaporat, humidum interius trahit ad exteriorem superficiem, et resolvit in fumum : et ab illa fumali evaporatione late dispergitur odor corporis.

« Illuc congregabuntur et aquilæ. »

Quæ aquilæ ab acumine visus et olfactus dicuntur : qui longe vident et olfaciunt tale corpus præparatum sibi in escam. Job, XXXIX, 29 et 30 : *Inde,* scilicet de præruptis scilicibus, *aquila contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt. Pulli ejus lambent, sanguinem : et ubicumque cadaver fuerit statim adest.* Ab ista proprietate Dominus sumit similitudinem : quia gloriosum corpus ejus in judicio, et meritum mortis ejus, et vaporatio dulcedinis ejus tanta erit, quod omnes Sancti, qui aquilæ sunt propter visus acumen ad veritatem, et propter vim discretivam ad bonitatem ejus (quæ per olfactum designatur) statim percipient veritatem ipsius. Psal. CII, 5 : *Renovabitur ut aquilæ juventus tua.*

Et ideo ad ipsum « *congregabuntur,* » aliis in dispersione errorum relictis. Isa. XL, 31 : *Assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* Job, IX, 26 : *Sicut aquila volans ad escam.* Tali odore attractæ sunt ad corpus Domini Maria Magdalena, Maria Jacobi et Salome [1].

Hoc igitur est quod dicit.

Retorquetur autem istud dictum derisorie, et moraliter ad sacerdotes et religiosos, qui ex vapore lucri, sicut vultures, trahuntur ad cadavera mortuorum, et decertant quis eorum fœtidum peccatoris cadaver deferat ad sepulturam nidi sui. Cum tamen de sapientia Dei dicatur, Job, XXVIII, 7 : *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Vultur enim, ut dicit Isidorus, dicitur, quia torvum semper ad cadaver habet vultum.

Sic igitur expleta est pars, quæ est de firmitate fidei.

[1] Cf. Matth. XXVIII, 1 et seq.

CAPUT XVIII.

Per parabolam de judice iniquitatis et vidua importuna docet semper orandum : per parabolam vero de Pharisæo et publicano, quomodo sit orandum : pueros a se repelli vetat : dives qui a juventute omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus relinquendis abiit tristis : et quid erit præmii omnia propter Christum relinquentibus : prædicit suam passionem, et prope Jericho cæcum illuminat.

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere [1],
2. Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur.
3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo.
4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor,
5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me.
6. Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit :
7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis?
8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?
9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, et aspernabantur cæteros parabolam istam :
10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus pharisæus, et alter publicanus.
11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.
12. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.
13. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.
14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur [2].
15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret [3]. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.
16. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad

[1] Eccli. XVIII, 22 ; I ad Thessal. V, 17.
[2] Matth. XXIII, 12, supra, XIV, 11.
[3] Matth. XIX, 13 ; Marc. X, 13.

me, et nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18. Et interrogavit eum quidam princeps[1], dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo ?

19. Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nosti : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum et matrem[2].

21. Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea.

22. Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me.

23. His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit : Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt !

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri ?

27. Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei.

30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam.

31. Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis[3].

32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur.

33. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.

35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cœcus quidam sedebat secus viam, mendicans[4].

36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret.

38. Et clamavit, dicens : Jesu, fili David, miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.

40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,

41. Dicens : Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine, ut videam.

42. Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

[1] Matth. xix, 16.
[2] Exod. xx, 13.
[3] Matth. xx, 17 ; Marc. x, 32.
[4] Matth. xx, 29 ; Marc. x, 46.

IN CAPUT XVIII LUCÆ

ENARRATIO.

« Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere. »

Hic tangit partem illam, quæ secundum superiorem divisionem est de orationis instantia et devotione. Cum enim ea quæ dixit, viribus propriis nullus possit habere : restat ut devotione et instantia orationis impetrentur. Et sic hic istud inducitur capitulum.

Sicut enim superius diximus, in hoc capitulo agitur de perfectione mandatorum, quæ secundum præsentem statum est causa electionis.

Unde hoc capitulum dividitur in tres partes : in quarum prima docet de orationis instantia, et humilitate per quam pervenitur ad perfectionem mandatorum : in secunda autem, supponit in quo consistit mandatorum perfectio : in tertia autem, quia omnis perfectio et consummatio est in communicatione passionum Christi, ideo de revelatione suæ passionis supponit, et de ejus proprio effectu.

Prima harum partium dividitur in trés partes : in quarum prima docet instantiam orationis : in secunda autem, ejusdem orationis docet humilitatem. Quia autem humilitas difficulter discitur, ideo in tertia exemplarem de humilitate supponit doctrinam.

Prima harum partium continet tria. Præmittit enim suum, quod persuadere intendit, intentum : secundo, ad persuadendum inducit simile : tertio autem, juxta simile positum format persuasionis doctrinam.

In primo horum sunt duo. Ostendit enim primo doctrinæ modum, et secundo suam aperit intentionem.

Dicit igitur :

« Dicebat autem, »

Docens Apostolos, et discipulos, « *et,* » hoc est, etiam « *parabolam,* » parabolicum sermonem ut facilius caperent dicta, et retinerent.

« *Ad illos,* » hoc est, discipulos. Osee, XII, 10 : *In manu prophetarum assimilatus sum.*

« Quoniam oportet semper orare. »

Oratio est, ut dicit Augustinus, pius affectus mentis in Deum directus. Et quamdiu hic pius affectus in cogitatu, et sermone, et opere a Deo non revocatur, tamdiu in Deum dirigitur. Non revocatur autem nisi per contrarium actum : et ideo dicit Glossa, quod « non desinit orare, qui non desinit benefacere. » Iste ergo est verus sensus litteræ. I ad Thessal. V, 17 : *Sine intermissione orate.* I ad Corinth. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente. Psallam spiritu, psallam et mente.* Eccli. XVIII, 22 : *Non impediaris orare semper, et non verearis usque ad mortem justificari.* » Hieronymus : « Frequens oratio vitiorum « fomitem exstinguit. »

Contra hoc autem quidam objiciunt per illud Matthæi, VI, 7 : *Orantes autem nolite multum loqui.* Eccli. VII, 15 : *Non iteres verbum in oratione tua.* Hæc autem jam soluta sunt per ea quæ dicta sunt de diffinitione orationis. In omnibus enim cogitatis et dictis et factis oratur, per quæ affectus pius mentis a Deo non retrahitur. Et quod Dominus dicit non multum esse loquendum, loquitur de quibusdam, qui putabant quod orationibus rhetoricis Deus induceretur sicut homo, cum non inducatur nisi pietate affectus.

Hoc autem quod dicitur, Eccli. VII, 15, quod non iterandum verbum est in oratione, intelligitur quod si petimus aliqua a Deo, non debet per contrarium actum interrumpi oratio : ita quod verbum orationis iterare oporteat.

« Dicit igitur, « *quoniam* sic *oportet semper orare.* »

« Et non deficere. »

Non deficere, est spiritum ab oratione per contrarium actum non retrahere : sicut legitur, quod Severus Episcopus de beato Martino scribit, quod invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Ad Hebr. v, 7 : *In diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* In diebus enim carnis suæ, hoc est, per totam vitam sic orat qui numquam spiritum et pium affectum retrahit in Deum directum. Sic orabat Susanna, Daniel. XIII, 35, de qua dicitur, quod *erat cor ejus fiduciam habens in Domino.* Sic orabat Moyses, de quo cum nihil ore diceret, dicitur, Exod. XIV, 15 : *Quid clamas ad me ?* Sic orare intendit Psalmista, Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Non enim deprimuntur manus, nisi ad contrarium actum retrahantur. I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.*

2 « Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. »

Hic incipit ponere parabolam, quæ tres habet paragraphos : in quorum primo ponitur judicis iniqui descriptio : in secundo, descriptio viduæ pro vindicta instantis : in tertio, judicium judicis, quod coactus et invitus facit propter importunitatem viduæ instantis.

A quatuor autem describit judicem : a potestate auctoritatis, a solemnitate loci, qui suæ erat jurisdictionis, a postpositione divini timoris, et ab irreverentia alicujus cujuscumque hominis.

Dicit igitur :

« *Judex quidam erat,* » habens potestatem auctoritatis super alios. Matth. VIII, 9 : *Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* De isto autem judice proprie dicitur, Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.* Isa. IX, 24 : *Principes tui infideles, socii furum.*

« In quadam civitate. »

Civitas autem locus solemnis est : tamen quia judex malus fuit, probabile est quod et civitas mala fuerit. Isa. I, 21 : *Quomodo facta es meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Psal. LIV, 10 et seq. : *Vidi contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus, et injustitia, et non defecit de plateis ejus usura et dolus.*

« Qui Deum non timebat. »

Divinum timorem judicio postposuit, dicens illud Job, XXI, 15 : *Quis est Omnipotens ut serviamus ei ?* Job, XXII, 17 : *Quasi nihil posset facere Omnipotens æstimabant eum.* Et quia iste Deum non timuit, ideo in muneribus et personarum acceptione judicavit. Isa. V, 23 : *Justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Contra quod dicitur, Deuter. I, 17 : *Ita parvum audietis ut magnum :... quia Dei judicium est.*

« Et homines, »

Hoc est, hominum honestatem « *non*

reverebatur. » Ezechiel. III, 7 : *Omnis domus Israel attrita fronte est, et duro corde.* Jerem, III, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.*

Duo igitur hic excluduntur ab isto judice, quæ maxime retrahunt aliquem a peccato : timor scilicet, et pudor. De timore, Eccli. I, 28 : *Qui sine timore est, non poterit justificari.* De pudore, Thren. V, 12 et 13 : *Facies senum non erubuerunt, adolescentibus impudice abusi sunt.*

« Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus. »

Hic describit viduam, et dicit quinque. Primum est destitutio auxilii : secundum autem, multiplicatio adversarii maligni : tertium, frequens aditus judicis iniqui : quartum est interpellatio judicii : quintum est iniqua dissimulatio justi judicii.

De primo dicit : « *Vidua autem quædam,* » quæ a viro viduata fuit, et ideo patrono et defensore destituta. Thren. V, 3 : *Pupilli facti sumus absque patre : matres nostræ quasi viduæ.* Job, VI, 13 : *Ecce non est auxilium mihi in me : et necessarii quoque mei recesserunt a me.* De hac vidua dicitur, Isa. I, 17 : *Subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* Misericordia enim miserabilium personarum deberet movere judices ad talium defensionem.

« Erat in civitate illa, »

Ubi erat injuriantium multitudo. II Petr. II, 8 : *Adspectu et auditu justus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.* Apocal. II, 13 : *Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ.*

« Et veniebat ad eum, dicens. »

Tertium est. Et quod dicit : « *Veniebat,* » quod in se claudit præteritum imperfectum in præsens continuatum, notat adventus ejus frequentiam. Proverb. VI, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum : ne dederis somnum oculis tuis.* Ad ipsum enim pertinebat defendere miserabiles personas.

« Vindica me, »

Per justum judicium, « *de adversario meo* » iniquo. Psal. XXXIV, 1 et 2 : *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi.* Apocal. VI, 10 : *Usquequo, Domine (sanctus et verus), non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ?* Eccli. XXXV, 18 : *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas ?*

« Qui nolebat per multum tempus, »

Quia munera non dedit, nec habuit unde daret. Isa. I, 23 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad illos.* Jerem. V, 28 : *Causam viduæ non judicaverunt.*

« Post hæc autem dixit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor, 5

Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. »

Hic ostendit qualiter importunitas viduæ vicit judicem.

Et dicit quinque : quorum primum est, qualiter intra se confusus et victus est judex iniquus : secundum, qualiter nec timore Dei, nec verecundia humana

ad judicium est flexus : tertium, qualiter molesta instantia ad judicium est compulsus : quartum, qualiter judicium fecit : quintum et ultimum, qualiter metu sugillationis hoc sibi extorsit, quod viduam vindicavit.

Dicit ergo : « *Post hæc autem dixit intra se,* » reductus ad cor afflictione propria. Isa. xxviii, 19 : *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* Psal. xv, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Matth. xv, 23 : *Dimitte eam, quia clamat post nos.*

« Etsi Deum non timeo, »

Quia timor Dei non induxit eum. Psal. xiii, 3 : *Non est timor Dei ante oculos eorum.*

« *Nec hominem revereor,* » quia coram hominibus verecundia est negare judicium miserabilibus personis. Jerem. vi, 15 : *Confusione non sunt confusi, et erubescere nescierunt.*

« Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, »

Per instantiam quotidianam. II ad Timoth. iv, 2 : *Insta opportune, importune.* Simile in malo, Genes. xxxix, 10 : *Mulier molesta erat adolescenti, et ille recusabat stuprum.* Simile, Judicum, xv, 6 et seq., cum Dalila molesta esset Samsoni, prodidit ei secretum cordis sui.

« *Vindicabo illam,* » judicium sibi faciens. Luc. xi, 8 : *Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit : propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.*

« *Ne in novissimo veniens,* » ex quo repelli non potest. Luc. xviii, 39 : *Qui præibant, increpabant eum ut taceret : ipse vero multo magis clamabat.*

« Sugillet me. »

Sugillare autem tantum valet quantum *subgulare.* Componitur autem, sicut dicit Isidorus, a *sugo* et *gula* : quasi ne sugat tandem sanguinem de gula mea. Quod proprium dicitur esse lamiarum, quæ occulte veniunt ad homines, et sugunt sanguinem de gula eorum. Unde alia littera hic habet : « *Ne iterum et iterum veniens suggulet me.* » Thren. iv, 3 : *Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos.*

Hæc autem vidua typum tenet cujuslibet fidelis animæ. Vel etiam universalis Ecclesiæ, quæ tota die clamat, et tandem exauditur. Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit : et donec propinquet non consolabitur, et non discedet donec Altissimus adspiciat.*

« Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit :

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis ?

Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ? »

Hic sumit doctrinam juxta inductam parabolam arguens a minori.

Unde dicit : « *Audite quid judex iniquitatis dicit,* » id est, audite dictum iniqui judicis. Si enim malus importunitate petentis ultus est pro vidua, multo magis Deus judex justus, fortis et patiens, aliquando ulciscetur pro Sanctis suis. Luc. xi, 13 : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.*

Et hoc est quod dicit :

« Deus autem non faciet vindictam, »

Hoc est, nonne Deus faciet vindictam? Zachar. II, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Psal. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Unde dicit, Deuter. XXXII, 35, secundum aliam translationem : « Mihi vindicta, et ego retribuam [1]. »

« *Clamantium ad se die ac nocte,* » hoc est, instanter et continue. Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.* Psal. LXXVIII, 10 et 11 : *Et innotescat... ultio sanguinis servorum tuorum qui effusus est. Introeat in conspectu tuo gemitus conpeditorum* Job, XXXV, 13 : *Omnipotens causas singulorum intuebitur.*

« *Et patientiam habebit in illis,* » qui suos offendunt. Quasi dicat : Non habebit in eis patientiam. Eccli. XXXV, 22 : *Dominus judicabit justos, et faciet judicium : et Fortissimus non habebit in illis patientiam.* Psal. XCIII, 1 et 2 : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.*

Objiciunt autem quidam : Quia cum Sancti orent pro persecutoribus suis, sicut fecit Stephanus [2], videtur quod non debeant petere vindictam. Ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.* Abel enim loquebatur vindictam, Christi autem sanguis oravit ignoscentiam. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Responsio est, quod non petunt Sancti vindicari in condemnationem finalem, sed in conversionem : ut sic vindicentur ut relicta injustitia convertantur, et sic boni fiant. Proverb. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego : paveant illi, et non paveam ego : induc super eos diem afflictionis, et duplici contritione,* timoris scilicet, et confusionis, *contere eos,* Domine Deus meus. Psal. CVIII, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.*

« Dico vobis. »

Assertio est. « *Quia cito faciet vindictam illorum.* » Deuter. XXXII, 43 : *Sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindictam retribuet in hostes eorum.* Aliquando enim vindicat, inimicum convertendo : sicut fecit de Paulo. Vel patientiam Sanctis dando, et inimicum condemnando. Sapient. XII, 18 : *Tu autem, dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos.*

« Verumtamen Filius hominis veniens, etc. »

Quasi dicat : Ita Filius Dei et Filius hominis fidem habens in suis, faciet vindictam de eis. Et tamen miratus est, qui vice versa fidem habeant in ipsum, et perseverent in eadem fide.

Et hoc est : « *Verumtamen,* « ita fidem exhibens, « *Filius hominis veniens,* » scilicet ad judicium post tot tribulationes, « *putas, inveniet fidem* » conservantem ad ipsum, « *in terra,* » in qua sunt tot miseriæ et tribulationes. Quasi dicat : Vix inveniet. Jerem. VII, 28 : *Periit fides, et ablata est de ore eorum.* Mich. VII, 2 : *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Psal. XI, 2 : *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Isa. LIX, 14 : *Corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.*

« Dixit autem et ad quosdam qui in

[1] Vulgata habet, Deuter. XXXII, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.*

[2] Cf. Act. VII, 60.

se confidebant tamquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam. »

Hic incipit agere de orationis humilitate.

Et habet duas partes : in quarum prima hoc ostendit in similitudine parabolica quod oratio humilis justificat, et fastus jactantiæ in oratione accusat : in secunda autem generaliter concludit, quod omnis humilis exaltabitur, et superbus deprimetur.

Adhuc in prima parte duæ sunt : in quarum prima dicit quibus, et quare dicit istam parabolam : et in secunda, per ordinem ponit parabolam.

Dicit autem in prima quatuor. Primo enim dicit in genere quibus dicit, secundo quare, tertio tangit fastum ipsorum, quarto autem tangit modum doctrinæ.

Dicit igitur, ostendens quoniam non oportet tantum instanter orare, sed etiam humiliter. Et ut hoc ostendat modo nobis convenienti, quo intelligere possimus, « *dixit ad quosdam,* » nomine indignos propter malum meritum ipsorum, quia non transeunt ad nomen : et ideo in populo Dei non nominantur, nec numerantur. Psal. xv, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« *Qui in se confidebant,* » hoc est, quia in se confidebant, « *tamquam justi,* » hoc est, ac si essent vere justi ex propria virtute. Apocal. III, 15 et 16 : *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus : utinam frigidus esses, aut calidus ! Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus : incipiam te evomere ex ore meo.* Isti enim sunt hypocritæ, de quibus dicitur, ad Roman. x, 3 : *Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Satis enim mirum est quod in se confidebant, cum nec suum esset, nec purum esset, nec stabile esset, nec sciretur utrum Deo acceptum esset, et mirabiliter infirmum esset.

De primo horum dicitur, I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

De secundo dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.*

De tertio dicitur, Job, IV, 18 et 19 : *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angeli suis reperit pravitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut a tinea !*

De quarto dicitur, Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

De quinto dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.*

Mirum ergo est quod in his confidebant. Est autem et ipsa confidentia nulla. Proverb. XI, 28 : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Jerem. XLVIII, 7 : *Pro eo quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, et in thesauris tuis, tu quoque capieris.* Eccli. XXXVII, 3 : *O præsumptio nequissima ! unde creata es ?*

« Et aspernabantur cæteros. »

Ecce quod alios despexerunt, sua apparentia bona magnificantes, et aliorum mala considerantes. Sicut enim dicit Beatus Bernardus : « Multi multa sciunt, « et seipsos nesciunt : alios inspiciunt, « et seipsos negligunt. » Psal. XXI, 8 : *Omnes videntes me deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Aspernari enim, est cum motu capitis deridere. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui spernis ! nonne et ipse sperneris ?* Eccli. IV, 27 et 28 : *Ne reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore salutis.*

« Parabolam istam. »

Hoc est, similitudinariam historiam, quia per similitudinem inducitur. Et

tamen sæpe verum fuit in rei veritate. Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.*

10 « Duo homines ascenderunt in templum ut orarent. »

Hic ponit parabolam.

Et habet tria, in quorum primo ostenditur, qui sunt a quibus trahitur similitudo : secundo, in quo : in tertio ponitur similitudinis inductæ judicium.

Dicit autem in primo sex, quæ secundum litteram, et secundum mores notantur : quorum primum est numerus orantium, secundum natura, tertium ascensus ad locum, quartum locus orationis, quintum finis intentionis, et sextum religionis differentia.

De primo dicit : « *Duo.* » Semper enim duo sunt, qui ad orationem vadunt : unus, interiorem significans spiritum : secundus autem, exteriorem, significans curam et sollicitudinem corporalium. Istud significatum est, Genes. XXII, 3, ubi Abraham cum puero, hoc est, cum spiritu pergens ad orationem, duxit secum asinum et servos. Et asinus quidem significat corpus : servi autem corporalem sollicitudinem. Isti ergo duo sunt. Hoc sub alia metaphora dicitur, Eccle. X, 1 : *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Unguentum enim est devotio spiritus se recognoscentis : muscæ autem sunt vanitates cogitationum corporalium, quæ se ingerunt orantibus, præcipue istis qui se non recognoscunt. Hoc est etiam significatum, Genes. XV, 11, ubi descendebant aves super sacrificium Patriarchæ, sed abigebat eas Abraham. Per aves enim vagabundas, cogitationes significantur vagæ, per sacrificium autem, spiritus contribulatus.

Sic ergo sunt « *duo homines,* » unius naturæ humanæ existentes, sed non æqualiter participantes eamdem. Spiritus enim se recognoscens, ad imaginem Dei est : alius autem deceptus in seipso opinione sua, homo est, cum vix aliquid hominis habeat. *Homo enim, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* [1]. Unus quidem homo imaginis divinæ, et secundum Deum vestitus suæ cognitionis virtute. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute* : ut scilicet cognosceret seipsum, et Deum. Aliter autem humum sapit totus. I ad Corinth. III, 3 : *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Et præmisit causam, dicens : *Cum sit inter vos zelus et contentio.* I ad Corinth. XV, 47 : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Primus enim portat imaginem terreni, secundus autem portat imaginem cœlestis : et ideo tota die decipitur in seipso.

« Ascenderunt »

Ambo. Oratio enim, ut dicit Damascenus, est ascensio intellectus in Deum : et ideo omnem orantem oportet ascendere. Et ideo Abraham Patriarcha ascendit in montem visionis cum vellet orare [2]. Dominus etiam ascendit in montem Thabor, ubi transfiguratus est [3]. Moyses etiam, cum pugnaret Israel contra Amalec, ascendit in montem : et elevatis in cœlum manibus in oratione, vincebat Israel : descendentibus autem manibus, vincebat Amalec [4]. Isa. II, 3 : *Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

Tangit etiam locum orationis, dicens :

« In templum. »

[1] Psal. XLVIII, 13.
[2] Cf. Genes. XXII, 2.
[3] Cf. Matth. XVII, 1 et 2.
[4] Cf. Exod. XVII, 10 et 11.

Templum autem a *templor* derivatur, quod quamvis in simplici non sit in usu, tamen in composito invenitur, *contemplor* enim dicitur. Et vocatur *templum*, ubi theophaniæ, et cultus, et laus, et devotio Dei apparent, et ubi totos nos conferimus ad ea quæ Dei sunt videnda et percipienda. Matth. XXI, 13 : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Psal. LXIV, 5 et 6 : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Et admonet nos ipse locus terroris ad majestatem, sanctitatis ad vitam, divinorum ad contemplationem, laudis ad cultum, januæ cœlestis ad devotionem, et ornatus decentis ad Domini honestatem.

Propter primum horum dicitur, Genes. XXVIII, 17 : *Pavensque Jacob : Quam terribilis est, inquit, locus iste!*

De secundo dicitur in Psalmo XCII, 5 : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.*

De tertio dicitur, Isa. VI, 1, ubi loquitur de templo : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum : et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Solium enim excelsum contemplandum in templo, cœlum est : elevatum in cœlestibus spiritibus, et sanctis animabus, quarum conversatio in cœlis : et exinde resplendens omnis terra, majestate ejus plena est : quia sicut dicitur, Ezechiel. XLII, 2 . *Terra splendebat a majestate ejus.* Et ea quæ sub ipso in gratiarum ordinibus, replent templum Ecclesiæ. Ezechiel. XLIII, 10 : *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis.* Sic, Act. III, 1 : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Sic dicitur, Ezechiel. XL, 31 et seq., quod octo gradibus ascendebatur in templum, tribus scilicet gradibus in contemplatione, scilicet, contemplatione visionis corporalis, et imaginariæ, et intellectualis, quæ contemplationes sunt tres cœli, in quos rapitur Paulus [1] : tribus autem in amore, diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente [2] : et duobus in devotione orationis, et altitudine rectæ intentionis [3].

Ascenderunt autem isti,

« Ut orarent. »

Et est finis istorum. Est autem oratio pius affectus in Deum directus. Et est oratio ascensus intellectus in Deum. Et est oratio petitio decentium a Deo.

Et secundum primam istarum diffinitionum, affectus ascendit devote in Dei bonitatem. Secundum autem secundam, quæ est Damasceni, intellectus ascendit limpide in veritatem. Secundum tertiam, quæ item est Damasceni, desiderium ascendit in bonorum Dei plenitudinem. Et sic, ut dicit Psalmus XXIV, 13 : *Anima orantis in bonis demorabitur,* scilicet per tertium : et excedit in lumine per secundum. Joan. IV, 24 et 23 : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum.* Per primum tota intenditur in bonitatis divinæ dulcedine. Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

In hoc loco orationis, laudis memoria est ad Dei cultum, quod fuit de superius introductis. Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus : et qui timetis eum, pusilli et magni.*

Quinto etiam januæ cœlestis recordandum est ad devotionem. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.*

Sexto autem ornatus decentis recordandum est ad illius honorem, et Angelorum suorum, qui Dominus est domus : ut habitus decens mulieres operiat, exterior honor viros exhibeat, religiosa ve-

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 2 et seq.

[2] Cf. Matth. XXII, 37.

[3] Cf. finem explanationis ad finem sequentis : *Ut orarent.*

stis clericum in reverentiam laicorum ponat. Psal. xxv, 8 : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Hinc est quod Moysi, Exod. III, 5, et Josue, v, 16, dictum est : *Solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim in quo stas, terra sancta est.* Cum reverentia enim et honore quilibet se ibi secundum suum gradum debet exhibere, ne dicatur ei illud Matthæi, XXII, 12 : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ?*

Sic ergo « *duo homines ascenderunt in templum ut orarent.* »

« Unus pharisæus, et alter publicanus.

11 Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.

12 Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. »

Ecce differens professio. Pharisæus enim divisus fuit, qui consideratione apparentis justitiæ gloriabatur. Religionis enim Pharisæorum erat, in manu et in fronte habere membranulas, in quibus scripta erant legis mandata ad legis recordationem, vel potius ad ostentationem. Si aliquando legis obliviscerentur, habebant spinas in oris vestimentorum, quibus puncti iterum redirent ad legis recordationem et observationem. Et ideo significat hypocritas, qui omnia ista faciunt ad ostentationem. Matth. XXIII, 5 : *Dilatant phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Ideo, ibidem, infra, ℣. 27, dicitur, quod *similes sunt sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.* Talis igitur erat Pharisæus, quod quidquid humanitatis habuit, quidquid ascensionis in templum, totum ad laudem hominis retulit : et complacuit sibi in tali similitudine justitiæ, vel potius in idolo similitudinis exterioris.

« Et alter publicanus, »

Qui publicis præfuit vectigalibus, quæ vix, aut numquam juste exercentur : semper tamen sunt cum violentia et oppressione. Et ille talis quasi publicus tyrannus et oppressor habebatur. Iste autem quidquid recognitionis habuit ex humanitate, quidquid ascensionis in templum, totum retulit in Deum, quærens pro his quæ in se recognovit, indulgentiam et misericordiam a Deo.

Isti ergo tales ad templum ascendunt. De Pharisæo dicitur, Matth. VI, 5 : *Amant in angulis platearum stantes orare.* Et ideo etiamsi ad templum ascendit, coram multitudine ascendit, ut videretur ab hominibus. Publicanus autem ex verecundia non patiens seipsum, clam ascendit, et intra secretum cordis sicut in cubiculo oravit. Matth. VI, 6 : *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Isa. XXVI, 20 : *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te,... donec pertranseat indignatio mea.*

« Pharisæus stans. »

Hic tangit orationum istarum diversitatem.

Et habet partes duas : unam quidem Pharisæi, alteram autem publicani.

De oratione autem Pharisæi dicit tria : dispositionem orantis, titulum orationis, et seriem ejusdem.

Dicit igitur de primo horum : « *Pharisæus stans.* » Pharisæus divisus, divisam ab aliis orationem se habere significabat. Putabat enim quod multiloquio in commendatione sui modo rhetorico indigeret : contra hoc quod dicitur, Matth. VI, 7 : *Orantes autem nolite mul-*

tum loqui. Isti sunt Sacerdotes Baal[1], qui cultris et lanceolis se in conspectu plebis vulnerabant. Pro cultris enim et lanceolis isti phylacteria et spinas habebant.

Talis igitur fuit Pharisæus.

Hic autem « *stans* » orabat, cum procumbens et pronus debuisset orasse. Exod. IV, 31 : *Proni adoraverunt.* Isa. XLIX, 23 : *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Iste autem « *stans,* » elationem mentis indicans, orabat. Oratio enim propria humiliantis se, postulatio est.

Dicit autem titulum suæ orationis Evangelista, cum subjungit :

« Hæc apud se orabat. »

Tangit autem duo : quod scilicet quædam quæ sibi videbantur oravit, cum potius orare debuisset quæ revelavit Spiritus sanctus. Ad Roman. VIII, 26 : *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et ideo non hoc orare debuit quæ sibi videbantur. Nam et Paulus pro stimulo petiit[2], et non exauditus fuit : sed Domino docente didicit, quod gratiæ Domini oratio committenda fuit dicente : *Sufficit tibi gratia mea.*

Secundum in quo reprehenditur, est quo « *apud se orabat,* » et non apud Deum. Apud se enim orat qui se, et quod sibi placens est, orat. Ad Roman. XV, 1 et 2 : *Non debemus nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Quid enim orat qui sibi placet? Ille enim jam habet quod vult, nec oportet ut oret. Aliter orabat Job, qui dixit : *Non inveniat in terra locum latendi clamor meus : ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis*[3]. In terra enim latet oratio de se præsumentis : quia sub terreno affectu, quo ipse sibi placet, absconditur. Apud Deum autem habet orationem, qui totam suam petitionem Deo committit. Aliter tamen apud Sanctos oratio dicitur : quia semper est vicina ori eorum, et cordi. Psal. XLI, 9 : *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Hæc enim oratio humiliantis se, semper proxima per assiduitatem ori eorum, in sinum eorum convertetur : quia utilis est conscientiis eorum. Psal. XXXIV, 13 : *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Hæc enim *oratio humiliantis se nubes penetrat,* ut dicitur, Eccli. XXXV, 21. Et tamen apud Sanctos est per devotionem, et in sinum eorum convertitur per utilitatem, et Deo approximat per animæ in Deum ascensionem, et nullo modo est apud orantem per suiipsorum placentiam. Hic autem sibi placebat, et ideo apud se orabat : quia in oratione, quæ videbat apud se bona, allegabat. Psal. LII, 6 : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

Qualiter autem sibi placeat in orationis serie ostenditur, quam continuo interserit, dicens :

« Deus, gratias ago tibi. »

In quatuor reprehensibilis invenitur hæc oratio : in principio, in progressu, in fine, et in quarto quod subintelligitur, quia in oratione nullo indigere recognoscens, nihil penitus petebat. In principio enim gratias agit, cum accusare se deberet. Proverb. XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui.* In progressu autem cæteros aspernatur. Malach. II, 10 : *Quare despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* In fine autem commendat seipsum. Proverb. XXVII, 2 : *Laudet te alie-*

[1] Cf. III Reg. XVIII, 28.

[2] II ad Corinth. XII, 8 et 9.

[3] Job, XVI, 19 et 20.

nus, et non os tuum : extraneus, et non labia tua. Quod autem subintelligitur ex his, quia ita se abundare in bonis et deficere in malis reputat, quod nihil a Deo petit in oratione. Apocal. III, 17 : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

In principio ergo dicit : « *Gratias ago tibi, Deus.* » Gratias autem agere non est pauperis, sed multarum gratiarum animæ. Nam qui penitus destitutus est, de quo gratias agit? Sicut enim ingratus est, qui de percepto munere gratias non agit : ita stultus et cæcus est, qui gratias egit de hoc quod numquam percepit. Unde, Eccli. XXV, 4, inter ea quæ odit Deus, ponitur pauper superbus. Qualiter enim gratias agit, qui gratias non accepit, et Deo non est gratus? Potius cum David dicere deberet : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*[1]. Et illud Judicum, I, 15 : *Terram arentem dedisti mihi, da et irriguam aquis.*

Inconvenienter ergo iste a gratiarum actione incepit.

« Quia non sum sicut cæteri hominum. »

Ecce quod cum aspernatione aliorum procedit : et in communi, et in speciali homines aspernatur.

In communi quidem cum dicit : « *Non sum sicut cæteri hominum.* » Dicit autem Philosophus, quod qui non est sicut homines, aut aliquid melius est omni homine sicut Deus, aut aliquid vilius omni homine, sicut bestia. Deus autem iste non fuit : ergo in bestiam est conversus. De hoc igitur stultus gratias agit. Daniel. IV, 13 : *Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei.* Hoc dictum est Nabuchodonosor, qui sibi placuit in robore suo, et in decore regni sui. Psal. XLVIII, 13 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* In hoc enim verbum suum est verum : « *Quia non sum sicut cæteri hominum.* » Vides qualiter supra diximus, quod duo homines ascenderunt in templum, naturam humanam non æqualiter participantes. Job, XII, 2 : *Vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia.* Iste enim bestia se solum hominem reputavit, et secum mori quidquid est humanæ sapientiæ. III Reg. XIX, 14 : *Derelictus sum ego solus.* Job, I, 19 : *Effugi ego solus ut nuntiarem tibi.* Cum tamen hoc sit falsum, et magnæ præsumptionis indicium.

Hic autem specificat, dicens :

« Raptores, etc. »

Tangit autem quatuor hic peccatorum differentias.

Et primo ponit : « *Raptores,* » qui cum violentia in alienis bonis injusti sunt, qui sine dubio mali et condemnandi sunt : sicut significatum est, Levitic. XI, 13 et 16 : *Haliætum... et accipitrem non comedas juxta genus suum.* Haliætus parva rapit, accipiter autem magna : quia utrumque genus raptorum immundum est, et nobis per imitationem non incorporandum : quia non census in crimine est, sed rapiendi affectus.

Et revera iste Pharisæus raptor fuit et fraudulentus, quia et ab hominibus rapuit. Matth. XXIII, 14 : *Comedilis domos viduarum orationes longas orantes.* Et a Deo gloriam rapiunt, de qua dicit Dominus, quod eam alteri non dabit, nisi rapiat. Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus.* Job, XXVII, 8 : *Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus?* Mentitur ergo dicendo se non esse raptorem : quia et hominum raptor est, et Dei.

[1] Psal. CXLII, 6.

« Injusti. »

Injusti sunt qui fraudibus et peccatis injurias committunt. Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua! usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Eccle. IV, 8 : *Non satiantur oculi ejus divitiis.*

Iste autem iterum mentitur, Matth. XV, 5 et 6 : *Qui dicitis : Munus quodcumque est ex me tibi proderit : et non honorificabit patrem suum aut matrem suam.* Isti enim propter suam avaritiam traditiones ad lucrum fecerunt, et illas contra Dei præcepta servari fecerunt. Et ideo injusti sunt, et in homines, et in Deum. Proverb. XXI, 7 : *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.* Propter hoc Isaias, Isa. XIV, 4, deridet istos et prædicit pœnam eorum, dicens : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ?* Et subdit, ℣. 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.* Exactor enim rapit : tributarius autem injurias infert. Et ideo tinea de veste corporis subjecti rapinæ oritur, et vermis de cadavere injustitiæ fœtentis nascitur,

« Adulteri. »

Adulterium dicitur : quia cum fornicatio simplex sit ultra concessum a lege concubitum usurpata, violatio thori est cum hac deformitate, addens violationem bonorum matrimonii, quæ sunt tria, sacramentum, fides, et proles. Et hoc est quod dicitur, Eccli. XXIII, 32 et 33 : *Mulier omnis relinquens virum suum peccabit, statuens hæreditatem ex alieno matrimonio : primo enim in lege Altissimi incredibilis fuit.* Et in hoc contra bonum sacramenti peccavit. Secundo, quia virum suum dereliquit. Et in hoc bonum fidei violavit. Tertio, quod in adulterio fornicata est, et ex alio viro sibi filios statuit. Et in hoc contra bonum prolis peccavit. Et de viro dicitur, Ibidem, V, 25 : *Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam,* etc. Iste autem qui verum animæ virum ex cupiditate dereliquit, non se putat adulterum. Contra quod dicitur, Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis.* Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit.* Isa. LVII, 3 : *Accedite huc, filii auguratriciis, semen adulteri, et fornicariæ.* Sed iste non reputat, nisi exterius in opere corporali committantur : quia errabat in hoc quod dixit, quod lex cohiberet manum, et non animum. Et ideo se justum in hac parte justitiæ reputavit, quoniam exteriora maxima facinora non fecit.

« Velut etiam hic Publicanus. »

Hoc cum aspernatione et stomacho dictum est. Et ideo utitur demonstratione ad ipsum. Contra quod dicitur, Eccli. VII, 12 : *Non irrideas hominem in amaritudine animæ : est enim qui humiliat et exaltat circumspector Deus.* Malach. II, 10 : *Quare despicit unusquisque nostrum fratrem suum ?* Deuter. XXIII, 7 : *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est : neque Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus.* Nec sufficit sibi se justificare coram Deo, secundum illam justitiæ partem, quæ est declinare a malo, nisi etiam jactet se secundum aliam, quæ est facere bonum : contra id quod dicitur, Eccli. VII, 5 : *Non te justifices ante Deum : quoniam agnitor cordis ipse est.*

Dicit autem de afflictione corporis :

« Jejuno bis in sabbato, »

Hoc est, in septimana, quæ a sabbato denominatur, propter hoc quod secundum eos prima dies fuit sabbati. Et quidem jejunium bonum est si sanctificatum sit abstinentia vitiorum, si adjutum sit oratione, et largitione eleemosynarum.

De primo istorum dicitur, Joel, I, 14 : *Sanctificate jejunium.*

De secundo autem, Isa. LVIII, 6, postquam dixit de jejunio, dicit : *Nonne hoc*

est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Et, infra, ℣. 7: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.* Et, infra, ℣. 9, de oratione : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum.* Non enim non solum prodest alicui jejunare, sed etiam multum nocet, quando ex avaritia jejunatur, ut marsupia per parcitatem impleantur. Et hoc modo jejunabat iste, quia de propriis bonis non saturabatur, ut magis saturaretur crumena. Isa. LVIII, 5 : *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput?*

Dicit autem : « *Jejuno bis in sabbato,* » quia semel jejunabat ad ostentationem, et semel ad avaritiam. Has enim duas causas habuit jejunii sui. Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.*

« Decimas do omnium quæ possideo. »

Qui Deo servivit de corpore, dicit se etiam servisse de rebus. Decima autem solvitur, ut decima perfectionis, apud accipientem decimam esse recognoscatur, hoc est, apud Deum, cujus vicarius et minister accipit decimas. Novem autem partes retentæ, significant imperfectionem esse apud eum qui dat decimas, et sic indigere illum liberatione ab imperfectione, et quod ille liberator sit qui decimas accipit. Malach. III, 10 : *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea,* hoc est, in Ecclesia. Augustinus : « Redde decimas : « alioquin deduceris ad partem deci- « mam Angelorum, quæ de cœlo ceci- « dit in infernum. »

Attende autem quod creatura decima inter intellectuales creaturas est homo : quia Angeli sunt in novem ordinibus. Decimus autem ordo est hominum ; et ideo hominis est decimam solvere, ut ruinam angelicam suppleat. Et census de terra, quam dedit Dominus homini, est decima. Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis hominum.* Lex autem est, quod qui censum non solvit, agrum perdidit. Unde Dominus dicit se affligi in hoc peccato, quod est non solvere decimas. Malach. III, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis : In quo configimus te ? In decimis et in primitiis*, supple, quas non redditis.

Iste autem Pharisæus jactando hoc dicit, et graviora omisit, sicut judicium, et misericordiam in parentes, quos non sustentavit, neque pauperes. Unde, Matth. XXIII, 23 : *Decimatis mentham, et anethum, et cyminum : et reliquistis quæ graviora sunt legis.* Decimas autem iste solvit, ut apud Sacerdotes de justitia haberet laudis præconium.

« Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. » **13**

Tangit orationem publicani.

Duo autem dicit. Describit enim primo dispositionem orantis, et secundo inducit seriem orationis.

Dispositio orantis describitur in tribus : in recognitione suæ indignitatis, in abjectione suæ humiliationis, et in modo suæ afflictionis.

De primo dicit : « *Publicanus a longe stans,* » quia reputabat se indignum ut prope accederet, cum publicanus esset. Luc. V, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Sciebat enim quod, II Reg. VI, 7, Oza occisus est, quod arcæ Domini inclinatæ indignus appropinquavit. Sciebat quod David dixit : *Longe a*

peccatoribus salus[1]. Et hanc indignitatem sui etiam loco longe stans ostendit : et cum longe esset, tamen stetit, et non in fastu processit sicut Pharisæus. Stans autem, a peccato surrexit, et rectitudinem justitiæ apprehendit. Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?*

Sic ergo « *a longe stans,* »

« Nolebat nec oculos, »

Hoc est, saltem oculos, « *ad cœlum levare,* » in hoc sui cordis ostendens humiliationem, sciens et dicens illam salutarem orationem Ecclesiastici, XXIII, 4 et 5 : *Domine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum,* superborum scilicet. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me.* Sciebat enim iste, quod signum a Deo fornicantis animæ, est in extollentia oculorum. Eccli. XXVI, 12 : *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscetur.* Et ideo oculos depressit, et ad cœlum quod offendit levare oculos ausus non fuit, dicens in corde suo illud Lucæ, XV, 21 : *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Unde Beatus Bernardus : « Nolebat oculos ad cœlum levare, ut « per humilitatem cœlum ad se posset « inclinare. » Psal, CXLIII, 5 : *Domine, inclina cœlos tuos, et descende.*

« Sed percutiebat pectus suum. »

Ecce qualis fuit in sui afflictione. Pectus autem percutiebat, quia peccata quæ fecerat, de pectore exierant. Matth. XV, 18 et seq. : *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

In pectoris autem tunsione, et afflictio est, et sonus, et manus appositio. Per afflictionem quidem significatur compunctio, quæ est cordis afflictio : in tunsione autem sonus, qui significat confessionem : et in manus appositione significatur satisfactio. Exod. III, 18 : *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.* Jerem. XXXI, 19 : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum, et erubui : quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Ibi enim percussit, ubi conceptus peccati fuerat.

Percussio enim pectoris unum est de delentibus peccatum, et maxime venialia, quæ multis remediis absolvuntur, scilicet, tunsione pectoris, oratione dominica, signo crucis, aspersione aquæ benedictæ, confessione communi quæ fit in Prima, et Completorio, et ante Missam, et benedictione episcopali. Præter hæc autem, habet remedia communia cum mortali : sicut contritionem, et communionem Eucharistiæ, et confessionem specialem, et eleemosynæ largitatem, et condonationem injuriæ quam intulit frater, et multa alia habet remedia. Sed hic non est hoc de proposita intentione.

Est autem adhuc notandum in percussione pectoris, quia in pectore est discretio, quod in hoc significatur, quod rationabiliter ad peccati quantitatem debet esse proportionata pœnitentia. Ad Roman. XII, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum.* Unde, Levit. VII, 34 : *Pectusculum elevationis, et armum separationis... dedi Aaron sacerdoti* : quia apud sacerdotem absolventem a peccatis, et ligantem ad satisfactionem condignam, præcipue debet vigere hujusmodi discretio.

Sic ergo « *percutiebat pectus suum, dicens* : »

« Deus. »

[1] Psal. CXVIII, 155.

Tangit hic seriem orationis, in qua tangit propitiantem ex misericordia, propitiationem, et sui accusationem.

Propitiantem Deum tangit, cum dicit : « *Deus,* » cujus est providere ex misericordia, cujus est videre cor ex deitatis et scientiæ eminentia, cujus est circuire per beneficentiam omnia. Hæc enim tria sonat nomen Dei : sicut sæpe diximus.

De cura quidem providentiæ dicitur : *Jacta super Dominum curam tuam*, etc.[4]. Et ita iste, se in curantem de se Deum jactavit. Augustinus: « Projice te in Deum: « quia non est ita crudelis, ut se subtrahat, « et te cadere permittat. » I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

Deo autem omnia videnti se ostendit, et non abscondit sicut primi peccatores, Genes. III, 10 : *Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me.* Luc. XVII, 14 : *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Peccator enim se sacerdoti loco Dei ostendit.

Deus etiam circuit omnes per beneficia sua, monens nos ad similia, ut omnibus de cætero simus benefici. Luc. VI, 36 : *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Matth. X, 45 : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

Sic ergo dicit : « *Deus,* »

« Propitius esto mihi peccatori. »

Hic tangit propitiationem. Propitiatio autem est clementia judicis ad peccati veniam et indulgentiam. Unde dicitur de Christo, qui indulgentiam et veniam nobis obtinuit, I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Psal. LXXVIII, 9 et 10 : *Propitius esto, Domine, peccatis nostris propter nomen tuum, ne forte dicant in Gentibus : Ubi est Deus eorum ?* Et, Exod. XXXVII, 6, dicitur *propitiatorium* locus, ubi se Dominus ostendit propitium.

« *Peccatoris* » dicit, ut se accuset. Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Non enim dicit, mihi peccanti, sed *peccatori*, qui ex habitu et consuetudine se peccatorem confitetur. Daniel. IX, 15 et 16 : *Peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem justitiam tuam.* II Reg. XXIV, 17 : *Ego sum qui peccavi, ego inique egi.* In oratione Manassæ, circa finem : *Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco.*

« Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. » 14

Sententia Domini est per inductam similitudinem probata.

Dicit igitur : « *Dico vobis,* » quæ veritas non fallit, « *descendit hic,* » scilicet publicanus, « *justificatus,* » quia pœnitentia justificat impium. Ezechiel. XVIII, 21 : *Vita vivet, et non morietur.* Et præmittit : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

Quod autem dicit quod « *descendit* » a templo, notatur quod in consideratione sua semper humilior et humilior fuit. II Reg. VI, 22 : *Ludam, et vilior fiam,* scilicet in conspectu Domini, qui elegit me. Jacob. IV, 6, et I Petr. V, 5 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Justitiæ ergo meritum est in humilitate pœnitentium.

« Ab illo, »

Pharisæo tumido et inflato. Sicut enim

[4] Psal. LIV, 23.

dicit Gregorius : « Tumor mentis obsta- « culum est veritatis. » Dicit etiam Gregorius, quod quatuor sunt species tumoris : quorum primus est, quando aliquis ex seipso putat habere bonum quod habet. Daniel. IV, 27 : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ ?* Et contra hoc dicitur, I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

Secundus autem tumor est, quando quidem a Deo se habere recognoscit, sed pro meritis se habere dicit. Matth. XX, 12 : *Pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* Contra quod dicitur, I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.* Sic etiam superbi erant, et tumidi illi qui, Isa. LVIII, 3, dixerunt : *Quare jejunavimus, et non adspexisti ? humiliavimus animas nostras, et nescisti ?*

Tertius fastus est, cum aliquis sibi falso jactando attribuit quod non habet. Apocal. III, 17 : *Dicis quod dives sum, et locupletatus; et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

Quartus fastus est, cum putat se habere plus aliis : vel omnibus, vel quibusdam, et illos despicit : sicut hic Pharisæus. Et hæc est causa, quod ab illo fastuoso Pharisæo publicanus humilis se recognoscens, et veniam petens, descendit justificatus.

Rationem autem et causam omnium eorum quæ dicta sunt, Dominus subjungit, dicens :

« Quia omnis qui se exaltat, »

Fastu mentis sicut Pharisæus, « *humiliabitur*, » hoc est, ad humum prosternetur. Proverb. XVIII, 12 : *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis.* Luc. XIV, 11 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Sic, Isa. XIV, 12 et 13, cecidit Lucifer, qui in cœlum conscendit, super astra cœli volens exaltare solium suum. Et hoc est dictum de Pharisæo.

De publicano autem dicit :

« Qui se humiliat, »

Sicut publicanus, « *exaltabitur.* » Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria : et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Eccli. XX, 11 : *Propter gloriam minoratio : et est qui ab humilitate levabit caput.*

Hoc est ergo quod dicit.

« Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. » 15

Hic docet simplicitatem humilitatis.

Et dicuntur hic duo : quorum primum est historia, de qua sumit occasionem doctrinæ. Et deinde ponit doctrinam.

In prima harum partium tria dicuntur, oblatio scilicet parvulorum simplicium et humilium, et prohibitio discipulorum a fatigatione Domini, et correctio erroris discipulorum per Dominum.

In primo horum tria dicuntur : parvulorum allatio, et parvulorum in simplicitate dispositio, et oblationis parvulorum intentio.

De primo dicit : « *Afferebant autem.* » Matth. XIX, 13, dicitur quod *offerebant.* Et notatur quod Christo infantes suos dedicaverunt, sicut et nunc Ecclesia parvulos suos affert, et offert Christo. Psal. XXVIII, 1 : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Filii arietum sunt filii ducum gregis, hoc est, bonorum sacerdotum, qui gregem Domini ducunt, et pueros Ecclesiasticis imbuunt sacramentis. Isa. LX, 7 : *Offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.* Altare enim Christus est, et domus Ecclesia, quæ in talibus glorificatur.

« Infantes, » nihil fantes propter simplicitatem. I Petr. II, 2 : *Sicut modo geni-*

ti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Lac autem est doctrina, et gratia sacramentorum Ecclesiæ. Tales igitur afferebant ad Christum. I ad Corinth. XIV, 20 : *Malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote.*

« Ut eos tangeret. »

Ecce oblationis intentio. Sciebant enim quod tactus in se haberet virtutem divinitatis : et sic sanarentur a languoribus suis, et omnibus bonis informarentur. Marc. V, 28, et Matth. IX, 21 : *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* Marc. VI, 56 : *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant,* a quacumque etiam infirmitate detinebantur. Ideo dicit, Genes. XXVII, 21 : *Accede huc ut tangam te, fili mi.* Tangens enim consolatur. Daniel. VIII, 18 : *Tetigit me, et statuit me in gradu meo.* Tangit aliquando dure, cum peccatum tollit. Job, XIX, 21 : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Tangit, cum virtutem influit. Luc. VIII, 46 : *Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exiisse.*

« Quod cum viderent discipuli, »

Et factum non intelligerent, « *increpabant illos,* » compatientes Domino lasso ex instantia prædicationis, et volentes eum paulisper requiescere. Sed Dominus, ut dicit Beda, salutem omnium sitiens, fatigari non poterat desiderio salutis, quamvis corporaliter aliquando fatigaretur. In hoc enim Gentium vocatio figurabatur. Simile autem aliquid passi sunt discipuli Josue, qui, Numer. XI, 28, dixit de prophetantibus : *Domine mi Moyses, prohibe eos.*

Attende autem quod discipuli intercedebant pro Syrophœnissa deprecanti pro filia [1]. Hic autem increpant afferentes parvulos, in utroque compatientes Domino, scilicet, ne illa diu importuna esset, quæ levi verbo absolvi poterat : et ne hic Dominus multitudine fatigaretur facto, per quod diu laborare oportebat. Tamen dicunt Ambrosius et Beda, quod Apostoli prius volentes gentem suam salvari, prohibebant oblationem parvulorum, per quos intelligebant Gentes esse salvandas. Ad Roman. IX, 3 : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

« Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei. » **16**

Dicit autem hic quatuor : quorum primum est, quod omnes in communi de facto hoc instruxit : secundum autem, quod parvulos ad se venire permitti voluit : tertium, quod arceri tales ab adventu ad ipsum noluit : quartum autem, quod omnium istorum causa fuit.

Dicit igitur : « *Jesus autem convocans illos,* » magis in unum cordis intellectum et consensum, quam in unum locum. Discors enim erat intellectus discipulorum ab intellectu mysterii. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

« Dixit : Sinite pueros, »

Non tam ætate quam simplicitate innocentiæ, « *venire ad me.* » Proverb. IX, 16, dixit Dei sapientia : *Qui est parvulus, declinet ad me.* Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et con-*

[1] Cf. Matth. XV, 23.

tritum spiritu, et trementem sermones meos.

« Et nolite vetare eos, »

Removendo etiam obstaculum, si quod est ad veniendum. Non enim sufficit sinere venientem, nisi etiam removeatur adveniendi obstaculum. Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.* Hæc est enim Herodiana malitia, persequi parvulos ad Christum venientes cum Christo natos. Matth. II, 16 : *Tunc Herodes... mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Hæc est etiam Ægyptiaca crudelitas, parvulos populi Dei exstinguere : quia dicitur, Exod. I, 22 : *Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite.*

« Talium est regnum Dei. »

« *Talium,* » simplicium scilicet, et humilium, qui seipsos parvos reputant, et minores ad omnia Dei dona.

De primo dicitur, Proverb. III, 32 : *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Sapient. I, 1 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum.* I Paralip. XXIX, 17 : *In simplicitate cordis mei lætus obtuli universa.*

De humilitate autem dicitur, Proverb. XXIX, 23 : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Matth. XVIII, 4 : *Quicumque vero humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.*

De minoratione autem ad Dei dona dicitur, Genes. XXXII, 10 : *Minor sum cunctis miserationibus tuis.*

Adhuc autem parvus est, et parvulus minor parvo, et ideo humilibus humilior. Et ideo ad receptionem Dei habilior, et ad notitiam sapientiæ Dei perspicacior, et ad revelationes Dei magis idoneus. De primo dicitur, Luc. XIX, 3, 5 et 6 : *Quærebat videre Jesum quis esset, et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Et ideo Dominus dixit : *Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit,* scilicet per humilitatem, *et excepit illum gaudens.* De secundo, Proverb. IX, 16, dicit Sapientia : *Qui parvulus est, declinet ad me.* De tertio, Matth. XI, 25 : *Revelasti ea parvulis.*

Adhuc autem, sicut hic dicitur, « *talium est regnum cœlorum.* » Hi etiam veraces sunt dum quæritur ab eis, et injuriæ non sunt memores. De primo horum dicitur, Numer. XIV, 31 : *Parvulos vestros,* qui nesciunt distantiam boni et mali, *introducam, ut videant terram quæ vobis displicuit.* De secundo, Apocal. XIV, 5 : *In ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum Dei.* De tertio, ad Ephes. IV, 26 : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* I ad Corinth. XIV, 20 : *Malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote.*

« *Talium* » igitur innocentium « *est regnum Dei* » ad litteram, regnum cœlorum : quia perfectio gaudii et justitiæ committitur illis in cœlo : et debet talibus committi in terra, ut in utroque regno semper sint perfecti.

« Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. » 17

Hic incipit doctrinam juxta similitudinem inductam.

Et præmittit confirmationem, dicens : « *Amen,* » hoc est vere « *dico vobis : Quicumque,* » sine personarum acceptione. Act. X, 34 et 35 : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.*

« *Non acceperit regnum Dei sicut puer,* » hoc est, in humilitate, et inno-

centia, et obedientia : quia puerorum est obedire. Ad Galat. IV, 1 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* De innocentia, Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.* De humilitate autem dicitur, Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

« *Non intrabit in illud.* » Per foramen enim acus transire oportet : et nisi parvulus sit, ad tam arctum foramen impinget Matth. VII, 13 et 14 : *Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem... Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam* [1]. Parvulus ergo intrat, et magnus impingit. Efficiamur ergo parvuli cum parvo Domino, de quo dictum est, Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Sic parvificatus est qui dixit, I ad Corinth. XV, 9 : *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et, ad Ephes. III, 8 : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc.* Matth. XI, 11 : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.* Sic enim gradus honoris sui humilis Dominus disposuit, dicens : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator* [2].

18 « Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? »

Hic incipit agere de perfectione mandatorum, postquam præmisit quidquid erat de humilitate dicendum.

Dividitur autem hæc pars in duas : in quarum prima quæstio ponitur de via perfectionis : in secunda autem ponitur instructio.

De primo dicit : « *Interrogavit eum quidam.* » Matth. XIX, 16, autem dicitur, quod Dominus erat in domo, et cum exisset, interrogavit eum quidam adolescens hujusmodi quæstionem. Sed ex hoc patet, quod Lucas non sequitur ordinem historiæ : sed gesta Domini ordinat, et inducit secundum quod ad sui propositi faciunt declarationem. Iste autem qui hic *princeps* vocatur, etiam ætate fuit adolescens. Iste autem secundum Ambrosium et Hieronymum videtur tentando quæsiisse. Cujus signum dicunt esse, quia reprehendit eum Dominus, dicens : *Quid me dicis bonum ?* Aliud signum dicunt, quia fuit contristatus. Beda autem videtur velle, quod fuerit simplex, et non tentans : cujus signum dicit esse, quia, Marc. X, 21, dicitur, quod *intuitus est eum Jesus.* Nec Dominus legitur intuitus aliquem esse nisi bonum. Luc. XXII, 61 et 62 : *Respexit Petrum... Et egressus foras Petrus flevit amare.* Et, Sapient. IV, 15 : *Respectus in electos illius.* Potuit autem esse quod primo tentavit, et postea verbis Domini ad benevolentiam inductus est, et tunc non tentavit. Vel forte diversi fuerunt hic, et in Matthæo.

Iste ergo quicumque fuerit, sive tentando, sive simpliciter accesserit, occasionem ex verbis Domini accipit, ubi perfectionem in simplicitate et humilitate posuit : quia perfectio potius in sapientia legis esse secundum antiquos videbatur.

Dicit ergo :

« Magister bone. »

Tria dicit in quæstione : præmittit enim benevolentiæ captationem, quærit de operibus perfectionem, et operum perfectorum congruam remunerationem.

Dicit igitur captando benevolentiam : « *Magister bone.* » Chrysostomus dicit, quod significat laudatores Sanctorum, et non imitatores. Laudat enim eum a perfectione sapientiæ, cum dicit : « *Magister.* » Joan. III, 2 : *Rabbi, scimus quia*

[1] Luc. XIII, 24.

[2] Luc. XXII, 26.

a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

« *Bone.* » Laudat eum a perfectione virtutis. Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

« Quid faciens. »

Ecce quærit de perfectione operum. Virtus enim in operatione et non in sermone consistit, ut dicit Philosophus. Fides etiam sine operibus, et sine motivo ad opera, quod est charitas, mortua est [1]. Ergo quia non est in sermone sed in virtute, non quærit iste quid dicendo, vel sciendo : sed potius quid faciens, possit habere perfectionem. Jacob. I, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmet ipsos.* II ad Corinth. VIII, 11 : *Facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi quod habetis.*

« Vitam æternam possidebo. »

Ecce congrua operis remuneratio. Et dicit tria : vitam in qua est remunerationis substantia, et æternitatem in qua est mercedis duratio, et possessionem quæ est in hoc quod ad nutum habeatur remuneratio.

Dicit igitur : « *Vitam* » beatam : quia alia vita non est summum bonum quod exspectatur. Hæc autem vita est actus et influentia vitæ divinæ in animam. Eccli. IV, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspiravit.* Sic enim Deus fons vitæ, *non est Deus mortuorum, sed viventium* [2]. Deuter. IV, 4 : *Vos qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Sic dicitur in Psalmo XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

Hæc vita petitur « *æterna,* » ut numquam deficiat. Joan. III, 15 : *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hoc est, quando mors a Sanctis propelletur et destruetur. I ad Corinth. XV, 26 : *Novissima autem inimica destruetur mors.* Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne!* Isa. XXV, 8 : *Præcipitabit mortem in sempiternum.*

Hanc autem vitam « *possidere,* » hoc est, ad nutum habere quærit iste, quæ sit hæreditas ab hærendo dicta. I Petr. I, 3 et 4 : *Regeneravit nos in spem vivam,... in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in cœlis.* Hæc est possessio omnium facientium Dei voluntatem. Matth. XIX, 29 : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* In hac enim vita pedes ponent, quia possessio quasi pedum positio dicitur. I Reg. II, 9 : *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent.* Affectus enim sanctorum ita in illa hæreditate requiescent.

Hæc est ergo quæstio istius principis. Sicut enim dicitur, Isa. XXXII, 8 et 5 : *Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit... Et non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps.*

« Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum : Nemo bonus nisi solus Deus. »

Secundum est, ubi ponitur responsio quæstionis.

Et dicit duo : quorum primum est responsio quærentis : secundum autem solutio quæstionis.

De primo dicit duo : reprehensionem laudantis, et convictionem blanditoris.

Dicit igitur : » *Quid me dicis bonum ?* » Quasi dicat : Cum me credis hominem vanitati et malitiæ subjectum, sicut est omnis homo purus. Psal. XIII, 1 : *Non est qui faciat bonum, non est*

[1] Cf. Jacob. II, 26.

[2] Matth. XXII, 32.

usque ad unum. Et ideo, supra, XI, 13, dixit Apostolis : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris,* etc. Comparatione enim Dei nulla creatura est bona. Job, IV, 17 : *Numquid homo Dei comparatione justificabitur ?* Gregorius : « Humana justitia divinæ com- « parata, injustitia est. » Job, XXV, 4 : *Numquid justificari potest homo comparatus Deo ?*

« Nemo bonus nisi solus Deus. »

Hoc enim est bonum, omnis boni bonum, et sine quo nihil est bonum, et ideo essentialiter est bonus. Omnia autem bona sunt accidentaliter et participatione boni. Marc. X, 18 : *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Matthæi, XIX, 17, autem dicitur : *Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus.* Et respicit ad hoc quod ille quæsivit. *Quid faciens,* etc. Hoc autem quod dicit hic : *Quid me dicis bonum ?* respicit ad hoc quod dicit : *Magister bone.* Solus autem dicitur bonus, qui est causa boni. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Et hoc modo non est bonus nisi solus Deus.

« Mandata nosti : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum et matrem.

« Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea. »

Hæc est responsio quæstionis.

Et habet partes duas : in quarum prima docet perfectionem justitiæ in mandatis : in secunda vero, perfectionem vitæ privilegiatæ in consiliis.

In prima harum duo facit : in quorum primo perfectionem ostendit mandatorum in opere existentium : in secundo autem ponitur responsio de perfectione ista.

In priori harum adhuc duo dicit : in quorum primo notitiam mandatorum apud illum esse ostendit : in secundo autem mandata operis enumerat.

Dicit igitur :

« Mandata nosti. »

Cum enim mandata moralia de naturali jure sint, omnis homo usum rationis habens, mandata novit.

Et hoc est quod dicit : *Mandata nosti,* » hoc est, notitiam habes mandatorum. Et ideo quid agere debeas, quærere non oportet. Psal. IV, 6 et 7 : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine :* quod scilicet ostendit quid faciendum, et quid non faciendum sit. Baruch, IV, 4 et 5 : *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis. Animæquior esto, populus Dei.* Ideo, Exod. XX, 18, dicitur : *Cunctus autem populus videbat voces* : quia vox mandatorum per naturale judicium rationis ad omnes pervenit.

Sic igitur « *mandata nosti.* »

« Non occides. »

Attende quod quia ista quæsivit : *Quid faciens vitam æternam,* etc., ideo Dominus non facit mentionem, nisi de his mandatis quæ consistunt in exteriori opere : et ideo de his tribus mandatis, quæ ordinant ad Deum, nullam penitus facit mentionem : nec de duobus ultimis qui consistunt in concupiscentia cordis. Quamvis enim secundum mandatum videatur esse in verbo, non tamen est in verbo : quia in vanum accipere nomen est in cordis vanitate. Ea autem quæ consistunt in opere, ordinant secundum duas partes justitiæ, quæ sunt declinare a malo, et facere bonum. Et apud nos quidem prius est declinare a malo quam facere bonum. In hac autem parte justi-

tiæ, quæ est declinare a malo, ordinant mandata quatuor, secundum quod sunt majoris nocumenti contra proximum.

Et primum quidem, quod est contra nocumentum personæ proximi, est : « *Non occides.* » In quo omne nocumentum, quod in personam proximi cadere potest, prohibetur. Fit autem duobus modis nocumentum in personam proximi : nocumenti scilicet irrogatione, et beneficii subtractione. Nocumenti irrogatione : sicut quando consilio, vel voluntate procurante, vel verbere persona proximi læditur. Matth. v, 21 : *Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio.* Beneficii autem subtractione : sicut quando liberare possum, et non libero : vel pascere possum, et non pasco : et sic moritur homo, per mei beneficii subtractionem, sicut dicit Augustinus : « Pasce fame morientem : « quod si non paveris, occidisti. » Proverb. xxiv, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.*

Hoc est igitur quod dicit : « *Non occides.* »

« Non mœchaberis. »

Mœchia adulterium est, quod secundum locum tenet in nocumento proximi : quia illud est nocumentum quod infertur in fide thori, in adjutorio quod datum est homini ad salutem speciei, ex quo capere debet naturæ fugientis pignus. Matth. v, 27 et 28 : *Dictum est antiquis : Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et ideo mœchia committitur opere, et voluntate, et machinatione.

« Non furtum facies. »

Hoc est tertium contra nocumentum, quod irrogatur proximo in his quæ concessa sunt proximo ad solatium vitæ, et ad substantiæ individualis sustentationem. Et prohibetur in eo omnis modus rapinæ, scilicet furti, fraudis, doli, seu quocumque modo aliquis potest ab alio in bonis damnificari. Ad Roman. xiii, 9 : *Non furaberis* [1]. Idem, Joan. x, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Et sic multi latrones sunt in bonis Ecclesiarum, qui nihil juris habent,sed invito Domino cujus sunt bona aliena contrectantur.

« Non falsum testimonium dices. »

Hoc est contra nocumentum in verbo. Et prohibetur omne mendacium, præcipue tamen prohibetur mendacium perniciosum, et hoc est quod omnibus nocet, et nulli prodest. Fit autem tribus modis ut dicit Augustinus in libro de *Mendacio*, scilicet, cum mendacio alicujus aliquis perdit virtutem, vel honorem, vel aliquam virtutis conditionem, sicut virginitatem. Secundo autem modo, quando mendacio alicujus aliquis perdit vitam, vel sanitatem, vel aliquid hujusmodi in corpore. Tertio modo, cum mendacio alicujus aliquis perdit bona fortunæ. Hoc enim mendacium nocet mentienti, nocet damnum patienti, nocet etiam damnum inferenti, quia perdit animam. Et de hoc intelligitur quod dicitur, Sapient. i, 11 : *Os autem quod mentitur, occidit animam.* Psal. v, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Deinde ponit unum quod est secundum partem illam justitiæ, quæ est facere bonum, dicens :

« Honora patrem tuum et matrem. »

Hoc autem ideo præcipitur, quia debilitatur virtus in parentibus : et ideo in-

[1] Exod. xx, 15.

digent sustentatione filiorum. Honor autem ille consistit in reverentia debita, et obedientia devota, et sustentatione corporali. Eccli. III, 7 : *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore : et qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Tobiæ, IV, 3 et 4 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.* Eccli. III, 8 et 9 : *Qui timet Dominum honorat parentes : et quasi dominis serviet his qui se genuerunt in opere, et sermone, et omni patientia.*

Hæc igitur sunt illa mandata in factis, de quibus ille quæsivit consistentia. Et quia nihil quæsivit de cordis perfectione, constat istum, sicut dicit Chrysostomus, fictum fuisse. Credens enim fuit, quod lex esset in factis, et non in cordis devotione.

« Qui ait, »

Scilicet princeps : « *Hæc omnia custodivi,* » in opere, « *a juventute mea.* » Et sic se ad proximum ostendit innocentem. Psal. LXX, 17 : *Deus, docuisti me a juventute mea : et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.* Thren. III, 27 : *Bonum est viro, cum portaverit jugum,* scilicet Domini, *ab adolescentia sua.* Psal. CXVIII, 128 : *Ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.*

22 « Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo. »

Hic incipit tangere viam perfectionis consiliorum.

Et habet partes duas : in quarum prima viam perfectionis proponit : in secunda autem, ex refutatione viæ illius, discipulos instruit.

De prima dicit : « *Quo audito.* » Quod tamen ante scivit, sed audiri ab aliis ex hoc instruendis, voluit.

« *Jesus ait ei,* » instruens eum de ulteriori perfectione : sicut petit Psalmista, Psal. XVI, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea,* hoc est, perficiendos doce.

« Adhuc unum tibi deest. »

Tria dicit : in quorum primo, mandata factorum exteriorum perfectioni non sufficere ostendit : in secundo, impedimenta perfectionis amovere instruit : tertio, quod perfectum est adjicit.

Dicit igitur : « *Unum tibi deest,* » hoc est, unum quod reddit hominem totum indivisum in corde. Et hoc est unum vere uniens, quod suis petit Dominus, Joan. XVII, 22 : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Luc. X, 42 : *Unum est necessarium.* Ut scilicet homo non divisus sit in ea quæ sunt mundi, et in ea quæ sunt Dei. I ad Corinth. VII, 33 : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori suæ, et divisus est.* Econtra de divinis hominibus, qui non cogitant nisi quæ sunt Dei, dicitur, Joan. XVII, 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Sic, Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum,* hoc est, indivisum : *et anima una,* scilicet per diversas sollicitudines et curas et affectiones indivisa. Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

« Omnia quæcumque habes vende. »

Ecce remotio impedimenti perfectionis.

Dicit autem duo, scilicet, distractionem rerum, et collocationem earum in tuto.

De distractione dicit : « *Omnia quæ-*

cumque habes vende. » Hieronymus in *Proœmio galeato :* « Si habes in pote-
« state tua rem tuam, vende : si non
« habes, projice. Credenti totus mundus
« divitiarum est : infidelis etiam obolo
« indiget. »

Dicit autem : « *Omnia vende,* » quia si partem retineat, accidit ei sicut Ananiæ et Saphiræ qui fraudaverunt de pretio agri : et ideo percussi sunt sententia Domini [1]. II ad Corinth. VI, 10 : *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.*

Hac igitur de causa dicit : « *Omnia quæcumque habes.* » Si enim aliqua abstulit violenter ei mundus, non poterit vendere : sed patientia damni est pro merito eleemosynæ. Ad Hebr. X, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.*

Sic igitur dicit : Omnia quæ habes « *vende,* » ad formam Apostolicam. De qua dicitur, Act. IV, 34 et 35 : *Quotquot possessores agrorum erant aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum : dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Vendebatur ergo non pro avaritia, sed ut melius pretium quam prædium dignis pauperibus distribueretur.

Et hoc est quod sequitur :

« Et da pauperibus. »

Et tangit, qualiter in tuto res debeat collocari. Et dicit duo, unum scilicet, quod manibus pauperum distribuatur : alterum, quod fiat intentione cœlestis remunerationis.

De primo dicit : « *Da pauperibus.* » Datur autem, quod gratis exhibetur, libere, et libenter, et sine improperatione. II ad Corinth. IX, 7 : *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

Dicit autem : « *Pauperibus,* » non divitibus, sed indigentibus, et qui veri pauperes sunt propter Evangelium. Isa. XXIII, 18 : *His qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem.* Glossa : « His qui habitaverint coram Domino, hoc est, veris pauperibus. » Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur : et laudabunt Dominum qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Hi sunt enim veri pauperes, qui requirunt Dominum, et laudant eum, et quorum corda vivunt in gratia. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.* His ergo non divitibus dandum est. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.* Luc. XIV, 13 : *Voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos.*

« Et habebis thesaurum in cœlo, »

Per intentionem : quia non nisi intentione cœlestium das. Matth. VI, 20 et 21 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur : et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Isa. XLV, 3 : *Dabo tibi thesauros absconditos.* Iste enim est pretiosus thesaurus, quando congregatur in cœlo ad visionem fulgor sapientiæ divinæ splendentis, nitor candentis luminis ad illuminationem animæ et corporis, copia virtutum angelicarum et divinarum pro lapidibus pretiosis, dulcedo divini Spiritus ad fruitionem, et omnes divitiæ Dei ad possessionem, et regnum decoris ad gloriam. Psalmus LXVII, 14, de primo dicit : *Posteriora dorsi ejus,* scilicet columbæ, *in pallore auri.* Posteriora au-

[1] Cf. Act. V, 2 et seq.

tem spiritus sunt, qui erunt in gloria. De secundo dicit, Psal. LXXXVIII, 16 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* De tertio, Psal. XVIII, 11 : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* De quarto, Psal. XVIII, 11 : *Dulciora super mel et favum.* De quinto, Psal. VIII, 7 : *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* De sexto, Psal. XX, 6 : *Gloriam et magnum decorem impones super eum.* Job, XXII, 24 : *Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos.*

« Et veni, sequere me. »

Hic adjungit quod perfectum est. Dicit autem duo : profectum in bono, et imitationem. De profectu dicit : « *Et veni* : » continuo proficiendo, te et tua derelinquendo, et ad me accedendo. Sic enim venies. De primo, Luc. II, 52 : *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Luc. II, 40 : *Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* De secundo dicit Psalmista, Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.* De tertio dicitur in Psalmo XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

« *Sequere me,* » imitando formam quam exhibeo. Joan. XXI, 19 : *Sequere me.* Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi.* Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.* Judic. IX, 49 : *Certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.* Matth. VIII, 19 : *Sequar te, quocumque ieris.*

23 « His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde. »

Hic tangit juvenis vel principis istius contristationem.

Et dicit duo, quorum primum est factum : secundum autem, doctrina ex ipso facto occasionata.

De facto dicit duo : contristationem, et causam contristationis.

De contristatione dicit : « *His ille auditis, contristatus est.* » Et erat ei auditus causa contristationis, cum potius deberet esse causa lætitiæ et exsultationis : sicut fuit illi qui dixit, Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis.* Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Iste autem quærebat audire a Domino, non quod Dominus vellet, sed quod esset secundum desiderium proprium : et ille malus minister fuisset. Unde dicit Beatus Bernardus : « Ille tuus minister erit, qui non « quærit audire quod voluerit, sed velle « quidquid audierit. » Et quia contra voluntatem cupiditatis suæ verbum audivit, ideo « *contristatus est.* » Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius : et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Proverb. XVIII, 2 : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.*

« Quia dives erat valde. »

Ecce causa tristitiæ, cupiditas divitiarum quas amavit ad retinendum, et perfruendum eisdem. Divitiæ enim facilius relinquuntur quam amor divitiarum : quia multi non habentes divitias, amorem tamen divitiarum non deserunt. Et illi sunt *viri divitiarum* [1], qui divitiarum sunt proprii, et divitias reputant summum bonum in vita : sicut ille de quo dicitur, Luc. XII, 19, qui dixit : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, et epulare.* Contra quod dicitur in Psalmo LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

[1] Psal. LXXV, 6.

24 « Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit : Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei intrabunt ! »

Hic ex occasione facti accipit doctrinam discipulorum.

Et dicit hic duo : doctrinam, et solutionem dubii, quod ex doctrina ortum fuit in cordibus audientium.

In doctrina dicit tria : primum est quod dat occasionem docendi : secundum est ipsa doctrina de divitiis : tertium est modus ejus, quod dicit in difficultate.

Tangit ergo primum, et dicit : « *Videns autem Jesus illum,* » magis interius perspiciens lumine divinitatis, quam exterius oculo corporis, « *tristem factum.* » Ezechiel. III, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei.* II ad Corinth. VII, 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur.* Hæc enim tristitia fuit ex absentia illiciti delectabilis, quod illicite amabatur. Genes. IX, 6 : *Cur concidit facies tua ?*

« *Dixit,* » docendo discipulos, qui divitiarum erant contemptores :

« Quam difficile qui pecunias habent, »

Quia habere pecuniam econtra habet cor. Habere enim generat difficultatem, et amare supra Deum generat impossibilitatem intrandi in regnum. Eccle. V, 9 : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

Difficulter ergo « *qui habent pecunias* »

« In regnum Dei intrabunt. »

Sed impossibile quod intret ille qui amat divitias. Et ideo sunt periculosæ. Propter quod regnum cœlorum dicitur esse pauperum, Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* De divitibus autem non subjicientibus divitias, sed subjectis divitiis dicitur, Jacob. II, 6 et 7 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia ? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos ?*

« Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. » 25

Tangit modum difficultatis : et est abusio in comparativo, et est sensus : « *Facilius,* » hoc est, minus difficile. Quia quamvis impossibile sit camelum per foramen acus transire, huic tam impossibili non obstat, nisi impossibilitas naturalis. Sæpe autem diversis de causis a Deo fiunt, quæ secundum naturam impossibilia sunt. Sed quod taliter, ut dictum est, dives intret in regnum cœlorum, obviat justitiæ divinæ : et hoc numquam fit, neque a natura, neque a Deo. Matth. VI, 24 : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Et sic facilius est istud quam illud. Cum enim camelus unum habeat pondus corporale, propter quod non potest transire, dives duo habet pondera, ut dicit Beatus Bernardus. Unum est onus divitiarum : aliud autem onus peccatorum. Pondus quidem divitiarum in morte deponit : sed onus peccatorum, quod ex amore divitiarum contraxit, secum defert, et cum illo intrare non poterit per arctam viam, et angustam portam quæ ducit ad regnum.

Quod autem primum in morte deponit dicitur, Job, I, 21 : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* I ad Timoth. VI, 7 : *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec portare quid possumus.* Eccle. V, 12 et seq. : *Est et alia infirmitas quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflic-*

tione pessima... Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, et nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas : quomodo venit, sic revertetur. Et ideo consilium datur quod ante mortem, et divitiæ dimittantur, et pondus amoris deseratur. Ad Hebr. XII, 1 : *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Ad Hebr. XI, 24 et seq. : *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis : magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem : majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi. Adspiciebat enim in remunerationem.*

Sunt autem qui istud exponunt aliter. Dicunt enim quod quædam porta est Jerusalem stricta, et arcta, quæ vocatur *Foramen acus,* ad quam cum sarcinis cameli venientes transire non possunt, nisi deposita sarcina. Et dicunt quod de hac porta Dominus loquitur. Sed hoc non est verum, sed potius intelligendum sicut dictum est.

Allegorice autem loquentes, dicunt, quod acus est Christus, in prima parte acuta acumine deitatis : in corpore recta, per conversationis justitiam : posterius grossior, per assumptam humanitatem, et ibi perforata per passionis vulnera. Hæc acus est quæ resarcivit tunicam nostræ mortalitatis in Adam conscissam, et consuit Gentilem cum Judæo in unam Ecclesiæ vestem, et Angelum cum homine ad ruinæ angelicæ reparationem. Et hoc significatum est, Exod. XXVI, 31 et 36, ubi vestis sacerdotis et cortinæ tabernaculi præcipiuntur fieri opere plumario, hoc est, acuali. Et per hoc foramen, camelus deposita sarcina peccati, et inclinato dorso superbiæ, transire potest mirabili misericordiæ Dei facilitate. Sed dives manens in amore divitiarum, ad foramina vulnerum Christi non venit : et ideo per ea ad regnum non transit. Unde de bonis transeuntibus in Canticis, II, 14, dicit : *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Et, I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Maceria autem, macer murus Christus, in morte maceratus. Et caverna est foramen lateris, quod post infixum fuit. Jerem. XLVIII, 28 : *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.*

Secundum istam expositionem quæ Chrysostomi est, camelus significat peccatorem qui habet septem proprietates cameli, quas ipse Chrysostomus enumerat. Quarum prima est gibbi erectio et dorsi depressio, ut sit per modum sellæ : et quia ut cætera animalia collum non potest erigere : et quia erecto collo deorsum non potest adspicere : adhuc autem, crura habet enormiter excedentia : adhuc autem, quia secundum legem semiplena est ejus munditia, quia ruminat, et ungulam non findit : adhuc autem, pedem habet mollem terram amplectentem, quia cedit terræ, et circumstat terræ receptæ in pede.

Primum autem horum fastum, vel superbiam significat. Luc. XIV, 11 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra et cinis?* Sella autem suavem insessionem significat diaboli, qui insidet peccatoribus. Psal. LXXX, 7 : *Divertit ab oneribus dorsum ejus.* Psal. LXVIII, 24 : *Dorsum eorum semper incurva.*

Quod autem incurvatum habet collum, nec potest erigere ut cætera animalia, significat aversionem peccatorum a cœlestibus. Luc. XIII, 11 : *Mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.*

Quod autem et directe non potest collum dirigere deorsum, significat quod peccator suos gressus non confiderat. Thren. I, 14 : *Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.*

Crurium autem enormis longitudo si-

gnificat in peccatoribus desideriorum longitudinem ad vitam quam sibi promittunt : sicut dives, Luc. XII, 19, dixit : *Habes multa bona posita in annos plurimos.* Isa. LXV, 20 : *Peccator centum annorum maledictus erit.*

Semiplena autem munditia, significat quod etsi peccator dives, aliqua bona facit exterius, interius tamen conscientiam non emundat, et exteriora fiunt per hypocrisim. Matth. XXIII, 28 : *Sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi : intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.*

Quod autem pes mollis est, significat affectus molles cuilibet delectabili cedentes. Hic pes terram amplectitur per dilectionem terrenorum. Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.*

Sic ergo dicit, quod « *facilius est camelum,* » id est talem peccatorem deposito onere peccatorum, « *per foramen acus* » Christi passionum transire, «*quam divitem intrare in regnum Dei.* »

26 « Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri ?

27 Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. »

« *Et dixerunt qui audiebant,* » scilicet discipuli, et alii quidam admiratione stupefacti. Joan. VI, 61 : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* Ad Hebr. XII, 21 : *Terribile erat quod videbatur.*

« Et quis potest salvus fieri ? »

Ecce perversus sensus audientium.

Et habet duo : quæstionem et solutionem.

Quæstio est quæ dicta est. Videbant. enim multos habere divitias : omnes autem fere amare divitias. Et ideo raritatem salvandorum considerantes, dicunt : « *Quis potest salvus fieri ?* » Quasi dicant : Rarus est ille. Augustinus : « Cum « plures sint pauperes quam divites, non « hoc dixissent Apostoli, nisi in numero « divitum intellexissent omnes qui divi- « tias adipisci vellent. » Matth. XX, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

« Et ait illis, »

Satisfaciendo quæstioni inductæ, ne in dubio relinquantur quærentes. Eccli. XXIV, 45 : *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* Joan. I, 9 : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

« Quæ impossibilia, etc. »

Duo dicit : primo, solutionem : et quia Petrus ex solutione recepit spem, ideo ex dicto Petri ostendit apostolicæ perfectionis remunerationem.

Dicit igitur : « *Quæ impossibilia sunt apud homines,* » qui corda convertere non possunt, « *possibilia sunt apud Deum,* » qui corda potest convertere. Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Deus enim potest superbum humilem facere : et amatorem divitiarum potest facere spiritu pauperem, et tunc intrabit in regnum cœlorum. Et ideo non est desperandum quia Deus sæpe talia facit : sicut patet in Zachæo et multis aliis.

« Ait autem Petrus : Ecce nos dimi- **28**
simus omnia, et secuti sumus te. »

Hic proponitur via perfectionis apostolicæ.

Et habet duo : propositionem Petri, et remunerationem a sermone Domini.

Petrus quidem sic dicit : « *Ecce nos,* » Apostoli ex corde, « *dimisimus omnia,* » quæ concupiscere poteramus, vel habere

Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis ?* Ubi dicit Hieronymus : « Grandis « fiducia : Petrus piscator erat, victum « manu et arte quærebat, et tamen con- « fidenter dicit : *Reliquimus omnia.* » Et solvit : quia tot et tanta a sequentibus relicta sunt, quot et quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. II ad Corinth. VI, 10 : *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Omnia enim relinquit, qui de amore omnium nihil retinet, dicens cum Psalmista, Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ?* Hieronymus : « Quia autem non sufficit dimittere « omnia, et contemnere : hoc enim et « Socrates fecit philosophus, et multi « alii,... jungit quod perfectum est : »

« Et secuti sumus te. »

Qui enim omnia propter Deum relinquit, nihil computat se reliquisse respectu ejus quod invenit. Cantic. VIII, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Quia tot et tanta invenit in eo quem sequitur, quod alia omnia pro nihilo computabit. Unde, Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

« *Secuti sumus,* » inquam, non tantum gressu corporis, sed etiam affectu cordis, et imitatione operis et assimilatione virtutis.

De gressu quidem corporis jucundum fuit sequi tantum ducem. Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me,non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Affectu autem cordis dulce est sequi præcedentis odorem. Cantic. I, 3 : *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Imitatione operis optimum est sequi tantum informatorem. Joan. XIII, 15 ; *Exemplum enim dedi vobis : ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* De assimilatione autem virtutis, honestissimum est sequi tantum Doctorem. Jerem. XVII, 16 : *Ego non sum turbatus te pastorem sequens, et diem hominis non desideravi.* Sic ergo « *secuti sumus te,* » crucem tuam portando, et gloriam crucis assequendo. Luc. XIV, 27, et IX, 23 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me :* et his consequetur gloriam. Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?*

Sic ergo « *dimisimus omnia, et secuti sumus te.* » Nec redire disponimur retrorsum. Ad Hebr. XI, 15 et 16 : *Si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi : nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.*

« Qui dixit eis : Amen dico vobis, **29**
nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

Et non recipiat multo plura in hoc **30**
tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. »

Quia Petrus quærebat pro omnibus, ideo Christus respondet omnibus, dicens : « *Amen dico vobis.* » Marc. XIII, 37 : *Quod vobis dico, omnibus dico.*

« Nemo est, etc. »

Quatuor hic dicit : in quorum primo ostendit, quod personam non accipit : in secundo, meritum relictionis ponit : in tertio autem, præmium præsentis temporis subjicit : in quarto autem, adjungit præmium æternitatis.

De primo dicit : « *Nemo est,* » sine personarum distinctione. Jacob. II, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter illi est cura de omnibus.*

« Qui reliquit domum. »

Differentias ostendit relinquendorum carnali affectu dilectorum. Et ponit sex differentias, quorum primum est commune : quia domus est et continens et contentum. Hæc est domus habitationis, et familiæ habitantis, et divitiarum familiam sustentantium. Jerem. XII, 7 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.*

Deinde tangit ea quæ ad domum ordinantur, sicut familia. Principales autem in domo sunt « *parentes.* » Parentes enim sunt a quibus descendimus.

« *Aut parentes,* » qui discordant, nobiscum Christum sequi nolentes, et illi sunt relinquendi. Psal. XXVI, 10 : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* Ezechiel. XVI, 45 : *Mater vestra Cethæa, et pater vester Amorrhæus.*

« *Aut fratres,* » secundarii in domo ab eodem trunco nobiscum descendentes, qui quidem socii sunt erroris, sed Christum sequi nolunt nobiscum. Matth. X, 37 : *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Isti sunt de quibus dicitur, Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

« *Aut uxorem,* » volentem cohabitare nisi in contumeliam Creatoris. I ad Corinth. VII, 15 : *Si infidelis,* scilicet uxor, *discedit, discedat. Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.*

« *Aut filios,* » quos genuit, in infidelitate remanere volentes. Psal. XVII, 46 : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.* Sic Rabsaces filius Isaiæ recessit a patre : et Jasub ejusdem Isaiæ filius cum Domino remansit. Isa. VII, 3 : *Egredere in occursum Achaz, tu et qui derelictus est Jasub, filius tuus.*

« *Aut agros* [1], » qui ad ejusdem domus ordinantur sustentationem. Qui agri significant terrenorum bonorum occupationem, et impediunt ne Christum sequamur. Genes. III, 17 et 18 : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi.* Proverb. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Urtica enim concupiscentiæ et spinæ sollicitudinis crescit in agro laboris terrenorum hominis pigri, qui Christum non sequitur.

« Propter regnum Dei »

Consequendum : quia aliter relinquendo non esset bona intentio. Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Hoc etiam mater filiorum Zebedæi petivit filiis suis, qui et ipsam et patrem et omnia reliquerant, et secuti sunt Christum. Matth. XX, 21 : *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.*

« Et non recipiat. »

Ecce merces hujus temporis. « *Multo plura in hoc tempore,* » quia pro parentibus Deum patrem, pro filiis carnis filios gratiæ, pro carnalibus spiritualia, pro hominibus Angelos.

De primo dicit, Genes. XV, 1 : *Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Psal. XXVI, 10 : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* II Reg. VII, 14 : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.*

De secundo, ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio.*

De tertio dicit, Genes. XXVI, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.*

De quarto dicitur, IV Reg. VI, 16 : *No-*

[1] Hæc verba, *aut agros,* non sunt in Evangelio Lucæ, sed in Evangelio Marci, X, 29.

li timere : plures enim nobiscum sunt quam cum illis. Deuter. xxxii, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

Sic ergo recipit multo in infinitum meliora in hoc tempore,

« Et in sæculo venturo vitam æternam. »

Joan. x, 28 : *Ego vitam æternam do eis.* Joan. iii, 16 : *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*

De hac autem vita sæpe dictum est in antehabitis.

31 « Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. »

Cum omnis perfectio trahat virtutem a passione Christi, per quam omnes electi perveniunt ad regnum, ideo hic annectit de revelatione passionis.

Et tangit duas historias, quarum prima est de revelatione ipsius passionis : secunda autem de illuminatione cæci, quæ est proprius passionis effectus.

Dicit autem tria circa primum : in quorum primo ostendit, quod hæc revelatio secretariis suis facta fuit : in secundo, ipsam revelationem seriatim ponit : in tertio autem, quod impediente carnali affectu, nullus eorum hanc revelationem intellexit.

De primo dicit : « *Assumpsit Jesus,* » hoc est, ad se sumpsit ut amicos et familiares quos maxime contra periculum incredulitatis præmunire voluit : ut dum eum morientem cernerent, de resurrectione ejus, qui ista prædicere potuit, non dubitarent.

« *Duodecim, et ait illis.* » Joan. xv, 15 : *Vos dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Genes. xviii, 17 et 19 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum ?... Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

« Ecce ascendimus. »

Tangit autem tristem revelationem passionis primo : et deinde lætam revelationem resurrectionis.

De passione autem dicit locum, tempus, et Scripturæ præordinationem, et modum.

De tempore dicit : « *Ecce.* » Quasi dicat : In evidenti est, jam in præsenti colligunt concilium, dant consilium quomodo me tradant. Joan. xi, 47 : *Collegerunt ergo pontifices et pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit,* etc. Facit autem hoc Dominus, dans nobis exemplum, ne conversionem nostram differamus, sed statim incipiamus. Eccli. v, 8 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Et ideo statim in juventute est faciendum. Eccli. xxxix, 6 : *Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.*

Hac ergo de causa in evidenti ponit : « *Ascendimus,* » quia passionem suam ascensionem esse reputavit : quia in virtute redemptionis, et vincendi mortem et diabolum, in ea exaltatus fuit. Unde, Psal. xx, 14 : *Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Et ideo etiam tale genus mortis elegit. Job, vii, 15 : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.* Joan. iii, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* [1]. Joan. xii, 32 :

[1] Cf. Numer. xxi, 9.

Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. In hoc autem docuit, quod et nos in passionibus nostris ascendere sciamus. Psal. LXXXIII, 6 et 7 : *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum*, etc. Hinc est quod II ad Corinth. XII, 2, post multas passiones, Paulus in tertium cœlum, et in paradisum raptus ascendit.

« Jerosolymam. »

Ecce locus passionis, ubi in loco passionis visio æternæ pacis patefacta fuit. Pacem enim nobis sua passione fecit. Isa. LIII, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* Psal. LXXV, 3 : *Factus est in pace locus ejus.* Ideo ibi in pace obdormivit. Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Sic etiam nos per patientiam passionum docet pacem accipere secundum conscientiam, et eam quæ est ad Deum reconciliationem. Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Sic, Luc. II, 14, pax nuntiatur *hominibus bonæ voluntatis.*

Sic ergo determinat instans tempus, et locum passionis.

Tangit autem passionis per Scripturas præordinationem, dicens :

« Et consummabuntur. »

Et dicit quatuor, modum impletionis, generalitatem impletorum, modum prænuntiationis, et materiam.

De modo impletionis dicit : « *Consummabuntur,* » hoc est, ad summum perfectionis implebuntur : quia plus in omnibus implevit quam dictum fuit. Joan. XIX, 30 : *Consummatum est.* Isa. X, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Ostendit autem quod et nos ad summum ea quæ facimus reducere debemus. Summa autem brevissima est charitas patientis Domini. Psal. CXVIII,96 : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In charitatis consummatione clamat, Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio.*

« Omnia. »

Ecce consummatorum generalitas. Mich.VI, 3 : *Quid enim facere tibi debui, et non feci?* Isa. V, 4 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ?* Omnia ergo consummata sunt. Nostra autem non sunt consummata. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Dicamus ergo cum Psalmista, Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Tamen, ne nihil respondeamus sicut piger, qui in nuptiis obmutuit [1], dicamus cum David, Psal. CXV, 12 et 13 : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem salutatis accipiam, et nomen Domini invocabo,* communicando passionibus Christi. Sicut enim ipse dicit filiis Zebedæi, Matth. XX, 23 : *Calicem quidem meum bibetis*, etc.

« Quæ scripta sunt per prophetas. »

Patriarchæ facto, Prophetæ autem verbo sacramenta Christi prophetaverunt. I Petr. I, 10 : *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ.* II Petr. I, 21 : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et etiam quidam sacramenta compleri desiderans dicit,

[1] Cf. Matth. XXII, 12.

Eccli. xxxvi, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Luc. xxiv, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Per hoc autem et nos docet, quod omnia nostra secundum Scripturas dirigamus. Ad Roman. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scipturarum spem habeamus.*

« De filio hominis. »

Ecce materia Scripturarum, Verbum incarnatum cum suis membris, et suis sacramentis. Hoc enim omnis Scriptura loquitur. Act. x, 43 : *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus.* Filius etiam hominis quamvis passionem in seipso consummavit, tamen in membris pro uniuscujusque membri proportione, adhuc consummandam reliquit. Unde, II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Cum ipso ergo et nos secundum Scripturam patiamur. Apocal. v, 12 : *Dignus est agnus, qui occisus est,* scilicet ab origine mundi, ut et nos in nobis Scripturas impleamus, et simus de membris ejus patientibus. Psal. ci, 4 : *Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt*[1], hoc est, fortiora membra mecnm, et pro me sustinentia.

32 « Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur :

33 Et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget. »

Tangit hic quinque genera passionis : et post illa gloriam resurrectionis.

Genera autem passionis sunt traditionis, illusionis, flagellationis, conspuitionis, et occisionis.

De primo quidem dicit : « *Tradetur enim Gentibus,* » hoc est, potestati Gentilium, cujus præses fuit Pontius Pilatus. Tradetur autem a Patre quidem Deo dispensative pro nostra salute. Ad Roman. viii, 32 : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tradetur etiam a seipso oblative : quia se voluntati Patris obtulit pro nostra redemptione. Isa. liii, 12 : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est : ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit, ut non perirent.* Tradidit gens Judæorum consilio, et sanguinis pretio, et accusatione. Joan. xviii, 35 : *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti?* Tradidit Judas perfidiæ proditione. Joan. xiii, 2 : *Cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.*

Ab omnibus ergo tradetur « *Gentibus,* » hoc est, gentili potestati, quæ tunc in Judæa dominabatur. Adhuc autem Verbum Dei traditur, quando crudelibus et immundis in se, et in suis membris exhibetur. Et hoc fit, quando cura pastoralis gentiliter viventibus porrigitur. Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Hoc conqueritur Psalmista, Psal. lxxviii, 1 : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.*

« Et illudetur. »

Thren. iii, 14 : *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Hoc dicit adhuc fieri Chrysostomus, quando Christus verbum veritatis traditur in manus falsorum sacerdotum, qui projiciunt ipsum post dorsum suum, et derident. Psal. lxviii, 13 : *Adversum me*

[1] Vulgata habet, Psal. ci, 4 : *Ossa mea sicut cremium aruerunt.*

loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum. Thren. III, 63 : *Vide, Domine, ego sum psalmus eorum.*

« Et flagellabitur. »

Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Hoc autem usque hodie fit, quia flagellati Apostoli dixerunt : *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* [1]. Et ad minus a flagello linguæ nullus amicorum Dei eripitur. Job, V, 21 : *A flagello linguæ absconderis.* II ad Corinth. XI, 24 : *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.*

« Et conspuetur, »

Ut non solum puniant, sed etiam turpent Dominum majestatis, qui speciosus erat præ filiis hominum. Isa. L, 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Hoc etiam fit membris, quando fluxa verba quasi fluentes salivas in membra Dei, mali emittunt ex ore. Job, XXX, 10 : *Faciem meam conspuere non verentur.* Ibi Gregorius in Glossa : « Faciem conspuere, « est justos etiam in præsentia confutare, « et in eorum contumelias verba fluxa « quasi fluentes salivas emittere. »

« Et postquam flagellaverint, »

Livorem verberibus infligentes. Isa. *Livore ejus sanati sumus.*

« *Occident eum,* » mulctæ mortis turpitudinem crucis sociantes. Isa. LIII, 8 : *Abscissus est de terra viventium.* Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Sic autem et in membris occiditur, cum per malum exemplum in cordibus fidelium interficitur. Malach. III, 8 : *Si affiget Deum homo, quia vos configitis me.*

Sic ergo revelata est passio.

Post tot autem tristia, læta supponit de revelatione resurrectionis. *Ad vesperum enim demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* [2]. Et hoc est :

« Et tertia die resurget. »

Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Quare autem die tertia, jam superius capitulo IX, ℣. 22, dictum est. Per suam enim simplam, plenam luce mortem, duas nostras mortes absorbuit : et ideo uno die et duabus noctibus in sepulcro fuit. Et ideo tertia die resurgere conveniens fuit. Hoc est igitur signum Jonæ Prophetæ, quod generationi datur incredulæ, ut per hoc ad pœnitentiam revocetur. Matth. XII, 39 et 40 : *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* [3].

« Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. » 34

Hic tangit revelationis istius a discipulis suis occultationem.

Tangit autem triplicem modum et causam occultationis. Una quidem fuit contrarietas voluntatis ad ea quæ dicebantur. Unde et Petrus dixit, Matth. XVI, 22 : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc.* Et ideo dicit : « *Ipsi nihil horum intellexerunt.* » Adhuc autem et carnales erant, et sacramenta Dei ignoraverunt. Et ideo dixit eis, Luc. XXIV, 25 : *O stulti et tardi corde ad credendum in*

[1] Act. XIV, 21.
[2] Psal. XXIX, 6.
[3] Cf. Matth. XVI, 4.

omnibus quæ locuti sunt prophetæ ! Tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, quas ante passionem et resurrectionem non intellexerunt.

Et ideo dicit hic :

« Et erat verbum istud absconditum ab eis. »

Tertia vero causa fuit, quia Dominus parabolice multa dixit eis : et putabant eum etiam istud in parabolis loqui, et per similitudines debere intelligi. Luc. XII, 41 : *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes ?* Joan. XVI, 17 et 18 : *Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum et non videbitis me : et iterum modicum et videbitis me : et : Quia vado ad Patrem ?... Nescimus quid loquitur.*

Et ideo tertio adjungit : « *Et non intelligebant quæ dicebantur.* »

15 « Factum est autem, cum appropinquaret Jericho. »

Hic ultimo ponitur effectus passionis, qui est illuminatio.

Tanguntur autem hic sex : locus conveniens, opportunitas infirmi cæci, instantia clamantis, status Domini miserentis, perfectio miraculi, et utilitas ex miraculo causata.

De primo autem horum duo dicit : dispositionem sapientiæ ordinantis omnia Christi opera, et de hac dicit : « *Factum est autem.* » Omnia enim sapienter ordinavit. Ad Roman. XI, 36 : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.*

« Cum appropinquaret Jericho. »

Secundum est de loco, in quo Dominus miraculum fecit : quia in via, cum ad civitatem Jerichuntinam appropinquavit. Dicit autem Hieronymus, quod in Jericho latrones habitaverunt insidiantes, ut eos qui de Jerusalem per desertum transibant interficerent. Dominus autem ideo Jericho venit, ut se illis ad curam præsentaret.

Secundum mysterium autem est, quia Jericho interpretatur *luna*, vel *defectus :* et significat defectus passibilis nostræ naturæ, quibus cum Dominus assumendo appropinquasset, statim illuminatum est genus humanum. Eccli. XLIII, 7 : *Luna... luminare quod minuitur in consummatione.* Diminutio enim Domini, causa est nostræ consummationis. Et ideo ibidem, ℣. 7, dicitur : *A luna signum diei festi.* Festiva enim solemnitas a defectibus incepit Salvatoris. Quia enim primus Adam, ut stultus ad mutabilitatem ab immutabilitate accessit, de quo dicitur, Eccli. XXVII, 12 : *Sapiens in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur:* ideo secundus Adam qui est sol, sicut dicitur, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus :* lunæ, hoc est, defectui appropinquavit, ut lunæ defectum in solis plenitudinem reduceret : et sic totam Ecclesiam sole vestiret. Apocal. XII, 1 : *Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* Et ideo sicut sol lumen in lunam infundit, ut luminosa fiat quæ in se tenebrosa est : ita Dominus lumen tunc sparsit, et cæcos tres illuminavit : unum in ingressu, de quo agitur hic : et duos in egressu, de quibus agitur, Matth. XX, 29 et 30, et Marc. X, 46.

Sic igitur dicitur : « *Cum appropinquaret Jericho.* » Est autem civitas Jericho, quam Jordane transmisso filii Israel subverterunt [1], quam et ipse Josue sub anathemate posuit, ne rursus ædificarent : quia semper civitas latronum fuit : pro qua alia postea exstructa est, sicut legitur, III Reg. XVI, 34. Et hanc Deus sua præsentia sanare volens, omnes vi

[1] Cf. Josue, VI, 26.

sitavit : probans impleri quod dicitur in Psalmo XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias latronis* [1]. Hanc autem etiam postea Romani propter multa homicidia, quæ ab eis in deserto juxta Jericho sito procurabantur, subverterunt : pro qua tertia ædificata est, quæ usque hodie permanet ex ruinis duarum : quæ ruinæ adhuc in magna parte permanentes duarum præcedentium eversionem ostendunt.

Hoc ergo est quod dicit : « *Cum appropinquaret Jericho.* »

« Cæcus quidam. »

Ecce cæci ad curandum opportuna inventio.

Circa hoc autem dicit quatuor, scilicet cæci miseriam, cæci in via præsentiam, cæci paupertatem mendicam, cæci in interrogando solertiam.

De primo dicit : « *Cæcus quidam,* » nomine carens, quia de pauperum nomine non curatur, sed miseria patens fuit, quia cæcus erat.

Cæcitas autem contingit quinque modis : uno quidem, quando oculo manente, subtrahitur visus : et iste vocatur proprie *cæcus*. Secundo vero quando perit oculi corpus, et convertitur quasi in hyacinthi colorem, et confunditur humor, et congelatur in corpus oculi. Tertio autem modo, quando ungula, vel pelle tegitur oculus. Quarto autem modo, quando aliquo projecto in oculum, sicut pulvere, vel humore defluente, inficitur oculus ad suæ substantiæ corruptionem. Quinto autem modo, quando totus extrahitur oculus : et iste proprie vocatur *orbus*, quasi orbatus.

Hi autem modi maxime fiunt in cæcitate spirituali.

Isti enim qui oculos habent et non vident propter spiritus visivi defectum, sunt qui sapientia sæculari vel litterali pollent, et spiritum ad videndum lumina divina non habent. Psal. CXIII,5,et CXXXIV, 16 : *Oculos habent, et non videbunt.* Et ideo dicit, Psal. CXXXIV, 17 : *Neque enim est spiritus in ore ipsorum.* Isa. XLIII, 8 : *Educ foras populum cæcum, et oculos habentem : surdum, et aures ei sunt.*

Illi autem qui habent oculos glaciliter ad modum lapidis corruptos, significant duros corde, qui præ duritia sui, divina et conferentia videre non possunt. Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

Tertio modo cæcus habet ante oculos pellem, et significat eos qui pelle carnalis affectus vel incredulitatis habent oculos cordis velatos : quia lumen gratiæ et veritatis videre non possunt. II ad Corinth. III, 15 : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Esther, VII, 8 : *Necdum verbum de ore regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus,* et suspenderunt Aman, qui interpretatur *iniquus.* Hoc impedimentum petit a se removeri Psalmista, Psal. CXVIII, 18, cum dicit : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Ad hoc etiam venit Dominus in mundum. Isa. XLIX, 9 : *Ut diceres his qui vincti sunt : Exite : et his qui in tenebris : Revelamini.* Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.*

Quartus modus cæcitatis accidit duobus modis. Aliquando fit a causa interiori : aliquando autem a causa exteriori. A causa interiori, quanda humor aliquis a corpore vaporat ad caput, et a capite distillat in oculum : et rubens, et sanguine malo infectus efficitur oculus, et amittit visum, et significat eos, quos peccata carnis et sanguinis excæcant in corde : ne recta et vera considerare possint. Daniel. XIII, 56 : *Semen Chanaan et non Juda, species decepit te, et concupiscentia sub-*

[1] Vulgata habet *vias duras.*

vertit cor tuum. Et ibidem, ℣. 9 : *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Alia autem causa est ab exteriori, quando aliquis pulvis in oculum cadens, oculos destruit : et significat eos, quibus avaritia terrenorum oculos excæcat, ne videant spiritualia. Psal. xvi, 11 : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Hæc est cæcitas Tobiæ, qui per calida hirundinum stercora excæcatus est [1]. Hirundo avis est instabilis, et significat temporalium fugacitatem. Stercora autem temporalium significant vilitatem. Ad Philip. iii, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum... ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Calor autem stercorum, calorem significat cupiditatis ad lucrandum et retinendum.

Quintus modus, quando totus extrahitur, competit hæreticæ pravitati : quia illa totum extrahit mentis oculum, ne aliquando cæcus orbus ad lumen valeat redire. I Reg. xi, 2 : *In hoc feriam vobiscum fœdus, et eruam omnium vestrum oculos dexteros,* hoc est, eos qui ea quæ dextera Dei sunt, in quibus Christus sedet, possent corde videre. Zachar. xi, 17 : *Brachium ejus ariditate siccabitur, et oculus dexter tenebrescens obscurabitur.*

Isti cæci, vel excæcationis modi, dum cæcitatis suæ modos et causas cognoscunt, Domino se præsentant.

Et hoc est quod sequitur :

« Sedebat secus viam, mendicans, »

Tria dicit : primo, quod « *sedebat* : » in tenebris licet fuerit, tamen sedens et a peccato quiescens non impingit : et significat eos, qui ulterius peccatis non indulgent, et in tristitia sunt suarum tenebrarum. Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video.* Et ideo ab Angelo confortari meruit, ibidem, ℣. 13 : *Forti animo esto : in proximo est ut a Deo cureris.* Qui autem in tenebris vagantur, impingunt, et offendunt, et cadunt. Joan. xi, 10 : *Si ambulaverit in nocte, offendit.*

Secundum autem, quod « *secus viam,* » non longe sedit : quia lumini et præceptis Dei appropinquavit. Quasi diceret illud Job, xxxviii, 24 : *Indica mihi per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram.*

Sedit autem « *secus viam,* » juxta sanctorum semitam. Non quidem in via, sed prope. Scivit enim quod ibi fulgeret lux sanctitatis et exempli Sanctorum, de quo si acciperet, illuminaretur. Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ,* dicit Dominus. Aliqui autem cæci fugiunt, et elongant se a via lucis, et semita lucentium : et ideo numquam illuminantur. Job, xxiv, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.*

« Mendicans. »

Ecce mendica paupertas illius. Componitur autem mendicus, a *manu,* et *dico, dicis,* quasi manu dicens se pauperem, quia extendit manum ad accipiendum. Et hoc proprie competit cæco : qui cum nescit ubi, et quando accipiat, semper habet manum extentam ad accipiendum. Hoc modo mendicus fuit Lazarus, qui quærere non poterat, sed jacens, manum danti extendebat [2]. Hic autem mendicus causas suæ paupertatis et cæcitatis dolens, manum quærens auxilium extendebat. I ad Timoth. ii, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* De his dicitur, Matth. v, 3, secundum veram litteram :

[1] Cf Tobiæ, ii, 11.

[2] Cf. Luc xvi, 20.

Beati mendici spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1]. Qui autem non mendicat sic, illuminationem non accipit : quia palmas ad accipiendum non extendit. De forti muliere enim dicitur, Proverb. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Horum sic mendicantium defensor et illuminator est Dominus, et indignatur lædentibus eos. Psal. cviii, 15, 16 et 17 : *Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum : pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, et persecutus est hominem inopem, et mendicum et compunctum corde mortificare.*

36 « Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37 Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. »

Hic tangit quartum, scilicet, cæci in interrogando sollicitudinem, et solertiam.

Circa hoc autem dicuntur tria : excitans enim ad interrogandum, fuit auditus turbæ : excitans autem, interrogavit quid esset ? Et tertio, responsum turbæ de transitu illuminatoris accepit.

De primo igitur dicit : « *Et cum audiret turbam prætereuntem.* » Turba autem multitudo fuit quærentium, et sequentium Dominum : quorum quidam miracula videre venerant, ut curiosi : quidam autem curari, ut infirmi : quidam autem doceri verbis ejus, ut studiosi : quidam vero imitari vestigia ejus, ut pii et virtuosi : quidam vero ministrare sibi de facultatibus suis, ut devoti : quidam autem refici ab eo cupientes, ut otiosi : quidam autem capere in sermone eum volentes, ut insidiosi : quidam autem gratam et dulcissimam faciem ejus videre desiderantes, ut amici. Et ideo cum multas causas sequendi habuerit, multi fuerunt, et fuit magnus strepitus transeuntium.

De his qui miracula videre voluerunt, dicitur, Joan. vi, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

De his autem qui curari venerant, dicitur, Luc. iv, 40 : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum,* et curabantur.

De his qui doceri volebant, dicitur, Joan. vi, 69 : *Ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes.*

De sequentibus dicitur, Matth. viii, 19 : *Sequar te quocumque ieris.*

De ministrantibus dicitur, Luc. viii, 2 et 3 : Mulieres aliquæ... *ministrabant ei de facultatibus suis* [2].

De quærentibus refectionem, quam pluries exhibuit lassis, dicitur, Joan. vi, 26 : *Quæritis me : non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

De insidiosis dicitur, Matth. xxii, 15 : *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone.*

De his autem qui visu ejus non poterant satiari, dicitur, Joan. xii, 21 : *Domine, volumus Jesum videre.*

Hanc ergo turbam prætereuntem audivit cum Domino. Hoc enim maxime valuit ad illuminationem, ut luminosorum turbam Sanctorum observaret, et audiret.

De omnibus enim hujusmodi dicitur, Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Psal. lxxxviii, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die,* hoc est, plena luce sive illuminatione. Hanc ergo turbam audivit aure interiori, potius quam exteriori, sciens dictum esse, Apocal. ii, 7 et seq. : *Qui habet aurem, audiat.*

[1] Vulgata habet : *Beati pauperes spiritu,* etc.

[2] Cf. Marc. xv, 40 et 41.

« Interrogabat, etc. »

Interrogans enim addiscere quærit. Jerem. VI, 16 : *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.* Eccli. VI, 35 : *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere : ut omnem narrationem Dei possis audire.* Item, ibidem, ℣. 28 : *Investiga sapientiam, et manifestabitur tibi.*

Interrogavit igitur « *quid hoc esset.* » Sic interrogabant, Exod. XVI, 13, refectionem et illuminationem de cœlo accipientes, cum manna missum esset a Patre luminum, a quo omne bonum descendit, sicut dicitur, Jacob. I, 17, dicentes : *Mahnu,* hoc est, Quid est hoc? Joan. IX, 36 : *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Jam enim iste cæcus, quasi manu palpans, incipit attrectare si forte illuminatorem inveniat. Act. XVII, 27 et 28 : *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant et quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

« Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. »

Prætereuntes jam de illuminatoris transitu cæcum intus illuminaverunt. Cantic. III, 3 : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Æstimandum enim est quod isto tempore ad præsentiam illuminatoris suspensus fuit : et ideo statim ut aliquem audivit, quæsivit.

Congruis autem nominibus illuminator describitur, nomine proprio, et nomine patriæ. Proprio, quia « *Jesus,* » qui *Salvator* interpretatur, qui salute sua lumen est, quod in tenebris lucet ad tenebrarum dissipationem, sicut dicitur, Joan. I, 5. Qui salvans omnes, qui in tenebris fuerunt, dicit de se, Joan. IX, 39 : *In judicium ego veni in hunc mundum : ut qui non vident, videant : et qui vident, cæci fiant.*

Nomen autem patriæ est « *Nazarenus,* » qui *florens,* vel *floridus* interpretatur, qui semper floret in omnem salutis odorem, et in omnem gratiæ spem, et in omnem conversationis et pulchritudinis honestatem.

De primo horum dicitur, Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et ideo odore suo trahit cæcum.

De secundo dicitur, Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Et ideo generatur spes virtutis visivæ et vitæ, quæ est in lumine.

De tertio dicitur, Cantic. II, 1 : *Ego flos campi.* Et ideo fiduciam habet cæcus reflorere in flore Nazareni.

Hic ergo nuntiatus est « *transire,* » quia semper transit beneficia impendendo. Act. X, 38 : *Hic pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* IV Reg. IV, 9 : *Animadverto quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter.*

« Et clamavit dicens : Jesu, fili David, miserere mei. » **38**

Hic ostenditur istius mendici cæci instantia in quatuor, scilicet, in vocis exaltatione : in, ad eum a quo petit, devotione : in petitionis supplicatione : in eo quod repulsus, non cessat a petitione.

De primo dicit : « *Et clamavit dicens* : » quod intentionem significat cordis. Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Baruch, III, 1 : *Domine, omnipotens Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.*

« Jesu, fili David. »

Ostendit ad eum, a quo petit, devotionem : vocans eum Jesum, ut ex officio et nomine recordetur salvationis. Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesu* :

Beati mendici spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1]. Qui autem non mendicat sic, illuminationem non accipit : quia palmas ad accipiendum non extendit. De forti muliere enim dicitur, Proverb. xxxi, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Horum sic mendicantium defensor et illuminator est Dominus, et indignatur lædentibus eos. Psal. cviii, 15, 16 et 17 : *Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum : pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, et persecutus est hominem inopem, et mendicum et compunctum corde mortificare.*

36 « Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37 Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. »

Hic tangit quartum, scilicet, cæci in interrogando sollicitudinem, et solertiam.

Circa hoc autem dicuntur tria : excitans enim ad interrogandum, fuit auditus turbæ : excitans autem, interrogavit quid esset ? Et tertio, responsum turbæ de transitu illuminatoris accepit.

De primo igitur dicit : « *Et cum audiret turbam prætereuntem.* » Turba autem multitudo fuit quærentium, et sequentium Dominum : quorum quidam miracula videre venerant, ut curiosi : quidam autem curari, ut infirmi : quidam autem doceri verbis ejus, ut studiosi : quidam vero imitari vestigia ejus, ut pii et virtuosi : quidam vero ministrare sibi de facultatibus suis, ut devoti : quidam autem refici ab eo cupientes, ut otiosi : quidam autem capere in sermone eum volentes, ut insidiosi : quidam autem gratam et dulcissimam faciem ejus videre desiderantes, ut amici. Et ideo cum multas causas sequendi habuerit, multi fuerunt, et fuit magnus strepitus transeuntium.

De his qui miracula videre voluerunt, dicitur, Joan. vi, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

De his autem qui curari venerant, dicitur, Luc. iv, 40 : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Jesum,* et curabantur.

De his qui doceri volebant, dicitur, Joan. vi, 69 : *Ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes.*

De sequentibus dicitur, Matth. viii, 19 : *Sequar te quocumque ieris.*

De ministrantibus dicitur, Luc. viii, 2 et 3 : Mulieres aliquæ... *ministrabant ei de facultatibus suis* [2].

De quærentibus refectionem, quam pluries exhibuit lassis, dicitur, Joan. vi, 26 : *Quæritis me : non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

De insidiosis dicitur, Matth. xxii, 15 : *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone.*

De his autem qui visu ejus non poterant satiari, dicitur, Joan. xii, 21 : *Domine, volumus Jesum videre.*

Hanc ergo turbam prætereuntem audivit cum Domino. Hoc enim maxime valuit ad illuminationem, ut luminosorum turbam Sanctorum observaret, et audiret.

De omnibus enim hujusmodi dicitur, Joan. viii, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Psal. lxxxviii, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die,* hoc est, plena luce sive illuminatione. Hanc ergo turbam audivit aure interiori, potius quam exteriori, sciens dictum esse, Apocal. ii, 7 et seq. : *Qui habet aurem, audiat.*

[1] Vulgata habet : *Beati pauperes spiritu,* etc.

[2] Cf. Marc. xv, 40 et 41.

« Interrogabat, etc. »

Interrogans enim addiscere quærit. Jerem. VI, 16 : *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona.* Eccli. VI, 35 : *In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere : ut omnem narrationem Dei possis audire.* Item, ibidem, ℣. 28 : *Investiga sapientiam, et manifestabitur tibi.*

Interrogavit igitur « *quid hoc esset.* » Sic interrogabant, Exod. XVI, 13, refectionem et illuminationem de cœlo accipientes, cum manna missum esset a Patre luminum, a quo omne bonum descendit, sicut dicitur, Jacob. I, 17, dicentes : *Mahnu,* hoc est, Quid est hoc? Joan. IX, 36 : *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Jam enim iste cæcus, quasi manu palpans, incipit attrectare si forte illuminatorem inveniat. Act. XVII, 27 et 28 : *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant et quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus.*

« Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. »

Prætereuntes jam de illuminatoris transitu cæcum intus illuminaverunt. Cantic. III, 3 : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Æstimandum enim est quod isto tempore ad præsentiam illuminatoris suspensus fuit : et ideo statim ut aliquem audivit, quæsivit.

Congruis autem nominibus illuminator describitur, nomine proprio, et nomine patriæ. Proprio, quia « *Jesus,* » qui *Salvator* interpretatur, qui salute sua lumen est, quod in tenebris lucet ad tenebrarum dissipationem, sicut dicitur, Joan. I, 5. Qui salvans omnes, qui in tenebris fuerunt, dicit de se, Joan. IX, 39 : *In judicium ego veni in hunc mundum : ut qui non vident, videant : et qui vident, cæci fiant.*

Nomen autem patriæ est « *Nazarenus,* » qui *florens,* vel *floridus* interpretatur, qui semper floret in omnem salutis odorem, et in omnem gratiæ spem, et in omnem conversationis et pulchritudinis honestatem.

De primo horum dicitur, Genes. XXVII, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Et ideo odore suo trahit cæcum.

De secundo dicitur, Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Et ideo generatur spes virtutis visivæ et vitæ, quæ est in lumine.

De tertio dicitur, Cantic. II, 1 : *Ego flos campi.* Et ideo fiduciam habet cæcus reflorere in flore Nazareni.

Hic ergo nuntiatus est « *transire,* » quia semper transit beneficia impendendo. Act. X, 38 : *Hic pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* IV Reg. IV, 9 : *Animadverto quod vir Dei sanctus est iste qui transit per nos frequenter.*

« Et clamavit dicens : Jesu, fili David, miserere mei. » 38

Hic ostenditur istius mendici cæci instantia in quatuor, scilicet, in vocis exaltatione : in, ad eum a quo petit, devotione : in petitionis supplicatione : in eo quod repulsus, non cessat a petitione.

De primo dicit : « *Et clamavit dicens* : » quod intentionem significat cordis. Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Baruch, III, 1 : *Domine, omnipotens Deus Israel, anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.*

« Jesu, fili David. »

Ostendit ad eum, a quo petit, devotionem : vocans eum Jesum, ut ex officio et nomine recordetur salvationis. Matth. I, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesu* :

ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non enim vacuo nomine Jesus vocatur : sicut dicitur, Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Magnus secundum nomen suum, maximus in salutem gentis suæ.*

« *Fili David,* » secundum carnem. Ad Roman. I, 3 : *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*

Imitatione vero est filius David, qui etiam in inimicos misericors fuit quærentes animam ejus, sicut in Saul, et Absalom. Et ideo vocat eum filium David. Jerem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit.* Matth. XV, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David.*

Tertio etiam vocat eum filium David : quia ad ipsum pertinet collapsa regni restituere. Amos, IX, 11 : *Suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus.* Luc. I, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.* Ex hoc ergo excitat Christum, ut restituat in eo quod ruinosum est.

Hæc ergo est causa quod dicit : « *Fili David.* »

« Miserere mei. »

Ecce petitionis supplicatio. Miseriæ enim cæcitatis (quæ omnibus major est miseriis) debetur misericordia. Decus enim naturæ aufert cæcitas, lumen vitæ, et pulchritudinem omnis creaturæ : et ideo maxima est miseria.

Faciei enim decus est oculorum luminositas. Thren, I, 6 : *Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus.*

De lumine autem vitæ hujus dicitur, Job, XXIX, 3 : *Ad lumen ejus ambulabam in tenebris.*

Hoc etiam lumen est manifestatio omnis creaturæ spiritualis et corporalis. Psal. XXXV, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.*

Carens igitur his, omnibus est miserabilibus miserabilior. Ergo, « *miserere mei,* » miseriam meam attendens, et miseriam meam tuam faciens. Psal. LXV, 20 : *Non amovit orationem meam et misericordiam suam a me.*

Sic igitur dicit : « *Miserere mei.* »

« Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. »

Hic tangitur, quod adversatus a prætereuntibus non destitit.

Et dicit tria, scilicet, quod adversabantur sibi turbæ per increpationem, quod ex hoc ad clamoris incitabatur ingeminationem, et quod reiterabat misericordiæ rationem.

De primo dicit : « *Et qui præibant,* » ante Dominum. Et illi significabant legis duritiam. Similiter etiam qui præibant, significant eos qui peccata sua præcedentia considerantes, indignum reputabant eum misericordia : et « *increpabant eum,* » et taciturnitatem imponebant : quia dicebant, quod iniquitas sua taciturnitatem imponebat eidem. Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret.* Chrysostomus etiam dicit, quod præeuntes, Prælatos significant, qui non permittunt pauperes venire ante faciem dominorum dicentium illud Exodi, XXIII, 15 : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Et illud Matthæi, XXII, 12 : *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ?*

« Ipse vero multo magis clamabat. »

Ecce quod increpatio silentii facit clamoris ingeminationem. Thren. I, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.* Psal. XXI, 3 : *Deus meus, clamabo per diem, et non,* hoc est, forsan non *exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Imo

ad sapientiam : quia ex hoc tuam impetrabo miserationem.

« Fili David, miserere mei. »

« *Fili,* » inquam, « *David,* » adspectu desiderabilis, vide miseriam te adspicere non valentis. Eccle. I, 8 : *Non saturatur oculus visu.* Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam... Facies enim tua decora.* Isa. LXVI, 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.* I Petr. I, 12 : *In quem desiderant Angeli prospicere.* Quia igitur oculus nullus visu faciei tuæ satiatur : quia etiam tua facies est decora : et quia Angeli desiderant faciem tuam videre : non permittas me manere in hac miseria. Quia, sicut dixisti, Luc. X, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos,* Apostoli, *videtis.* Ego autem te non videam adspectu tam desiderabilem.

« *Fili David.* » Tu etiam es manu fortis : et ideo, sicut dixisti, Isa. LXIII, 1 : *Propugnator es ad salvandum.* Salva ergo me miserum. Quia sicut dicit pater tuus David, Psal. IX, 14 : *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Matth. XXI, 9 : *Hosanna filio David ! benedictus qui venit in nomine Domini.* Hosanna autem idem est, quod salva, obsecro.

Et hoc est : « *Fili David, miserere mei.* »

40 « Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum,

41 Dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam.

42 Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit.

43 Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. »

Hic agitur de perfectione miraculi.

Et dicuntur hic quinque : qualiter scilicet Dominus substitit ex misericordia, qualiter jussit cæcum adduci ex compassione, qualiter quæsivit ut notam faceret confessionem, qualiter cæcus suam coram omnibus exposuit petitionem, qualiter Dominus miraculi operatus est perfectionem.

Dicit igitur : « *Stans autem Jesus.* » Stetit, qui prætereundi fixit gressum, et ad misericordiam exspectavit. Isa. XXX, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Psal. XXXIX, 2 : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.*

« Jussit cæcum adduci ad se. »

Quia per seipsum venire nescivit. Manibus autem jussit adduci eum, manibus scilicet se sequentium : significans quoniam cæcus laicus manu clerici debet adduci ad Dominum. Matth. XXI, 2, dicitur hoc idem sub alia metaphora de asino : *Solvite, et adducite mihi.* Et ideo ducens cæcum debet esse videns per cognitionem intellectus : et esse cum Domino, amore affectus : et sequi Dominum, imitatione effectus. Psal. XC, 12 : *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

« Et cum appropinquasset, »

Cæcus scilicet ad Jesum per contritionem, et cordis devotionom. Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

« Interrogavit illum, dicens. »

Non ut ignorantem instrueret, sed potius ut palam devotionem suam et defectum confiteretur. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem*

confessio fit ad salutem. Hæc enim confessio valuit ædificationi proximorum. Josue, VII, 19 : *Da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* scilicet peccatum tuum, *atque indica mihi quid feceris.* Job, XXXVIII, 3 : *Interrogabo te, et responde mihi.*

« Quid tibi vis faciam? »

Attende magnam dantis beneficium liberalitatem. Quid, vel quantum det, in voluntate constituit petentis. Et ideo dicit : « *Quid tibi vis faciam?* » IV Reg. II, 9 : *Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te.* Sapient. XVI, 21 : *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Quid tibi vis faciam?* » Ac si dicat : Jam video dovotionem tuam, jam intueor fidem, jam considero spem, jam sentio charitatem. Petitio tua in tua sit voluntate et optione.

« At ille dixit, »

Cæcus scilicet, Domino : « *Domine, ut videam.* » Non tam extra, quam intus. Visio enim tota merces est. Et videre Deum beatitudo est. Isa. LXVI, 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum : et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Hæc visio cognitio Dei est, de qua dicitur, Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* In his consistit petitionis determinatio.

« Et Jesus dixit, »

Verba pacifica et consolatoria respondens. Zachar. I, 13 : *Respondit Dominus... verba bona, verba consolatoria.* Eccli. IV, 8 : *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam,... et responde illi pacifica in mansuetudine.*

« Respice. »

Tangitur hic perfectio miraculi in tribus : in verbo curante, in causa interius obstaculum removente, et in effectu miraculum comprobante.

Dicit igitur : « *Respice,* » hoc est, potentiam perfectam respiciendi accipe. Isa. XXXV, 5 : *Aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.* Matth. XI, 5 : *Cæci vident..., surdi audiunt.* Luc. XXI, 28 : *Respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra.*

« Fides tua te salvum fecit, »

Quantum ad obstaculi interioris remotionem. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Luc. VII, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Fides est lumen, interius cor a tenebris cæcitatis emundans. Et hæc oculum exteriorem videre facit. Matth. V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

« Et confestim vidit, »

Quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Vidit autem sicut dixit Simeon, Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Ecce miraculi perfectio.

« Et sequebatur illum, etc. »

Hæc est miraculi sequela, et utilitas duplex : in eo in quo miraculum est perfectum, et in aliis videntibus effectum ipsius.

De primo dicit duo : unum in operis devotione, aliud autem in laude.

De primo dicit : « *Et sequebatur illum.* » Unde Chrysostomus dicit, quod bonum munus obtulit Christo, quia seipsum obtulit ad sequendum. Jerem. XVII, 16 : *Non sum turbatus, te pastorem sequens.* Joan. X, 4 et 5 : *Cum proprias*

oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Quem enim alium sequi deberet quam curatorem suum. Quinimo dicit cum Naaman Syro : *Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel*[3].

« *Magnificans,* » hoc est, magna laude extollens « *Deum.* » Eccli. XLIII, 33 : *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis : major enim est omni laude.* Psal. XXXIII, 4 : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum.*

« Et omnis plebs, etc. »

Ecce ædificatorum ad fidem generalis laudatio. Dicit : « *Et omnis plebs,* » quia Pharisæi ex invidia non laudaverunt. Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur : dentibus suis fremet, et tabescet : desiderium peccatorum peribit.* Plebs autem simplicium videns miraculum, benedixit Dominum. Joan. XII, 12 et 13 : *Turba multa quæ venerat ad diem festum... clamabant Domino : Benedictus qui venit in nomine Domini!*

Dicit autem : « *Ut vidit,* » scilicet miraculum : quia hoc ad fidem, et ad laudem excitavit. Sicut, Exod. XV, 1 : *Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est.* Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.*

« *Dedit laudem Deo.* » Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni.* Laudabant igitur Deum in omnibus operibus suis. Psal. CII, 22 : *Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.* Vel, laudabant pro fide, quæ sic ex insperato miraculum impetravit. Psal. CL, 2 : *Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

[1] IV Reg. V, 15.

CAPUT XIX.

Ad Zachæum plurimis murmurantibus divertit : parabolam refert de homine nobili, qui abiens ad regnum accipiendum, tradidit decem servis decem mnas, quem cives super se regnare nolebant : super pullum asinæ intrans cum honore Jerosolymam, flet super illam, prædicitque evertandam, et ingressus in templum ejicit ementes ac vendentes.

1. Et ingressus perambulabat Jericho.
2. Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives :
3. Et quærebat videre Jesum, quis esset : et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.
4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus.
5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.
6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.
7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.
8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.
9. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ.
10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat[1].
11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem, et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.
12. Dixit ergo : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti[2].
13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio.
14. Cives autem ejus oderant eum : et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos.
15. Et factum est ut rediret accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.
16. Venit autem primus, dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit.
17. Et ait illi : Euge, bone serve :

[1] Matth. XVIII, 11.

[2] Matth. XXV, 14.

quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario :

21. Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.

22. Dicit ei : De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi :

23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24. Et adstantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo [1].

27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se adducite huc, et interficite ante me.

28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.

29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos [2],

30. Dicens : Ite in castellum quod contra est : in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit : solvite illum, et adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum?

34. At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jesum [3]. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus,

38. Dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini! pax in cœlo, et gloria in excelsis!

39. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens :

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique,

44. Et ad terram prosternent te, et

[1] Matth. XII, 12 et XXV, 29, Marc. IV, 25 ; Supra, VIII, 18.

[2] Matth. XXI, 1 ; Marc. XI, 1.

[3] Joan XII, 14.

filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem [1], eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.

45. Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes [2].

46. Dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum [3].

47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et scribæ, et principes plebis quærebant illum perdere :

48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

IN CAPUT XIX LUCÆ

ENARRATIO.

« Et ingressus perambulabat Jericho. »

In hac parte ostendit, quod bonus usus doni commissi causa est electionis ad præsentem justitiam : et malus usus doni ejusdem, causa est reprobationis.

Dividitur autem in partes duas. Quia hoc primo ostendit per exemplum Zachæi. Secundo autem, ostendit hoc in parabola regis committentis servis suis bona sua ad negotiandum.

Exemplum autem quod primo inducit habet partes duas : in quarum prima ostendit qualiter ad istam doctrinam est deventum : in secunda autem, ipsum inducit exemplum.

Circa primum dicit duo, scilicet, temporis continuationem ad præcedens miraculum, et opportunitatem veniendi ad Zachæum.

De primo dicit :

« Et ingressus, »

Scilicet confestim post perfectam cæci illuminationem, quæ facta est in via veniendi Jericho. Salvator enim nihil interponit, sed de salute unius ad salvandum alium procedit. Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizati, et quomodo coarctor usquedum perficiatur?* Hoc enim baptisma non fuit purificatio capitis, sed membrorum. Et ideo quasi coarctatus spiritu, uno perfecto mox procedit ad aliud. II ad Corinth. V, 14 : *Charitas Christi urget nos.* Proverb. XXII, 29 : *Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, et non erit ante ignobiles.*

« Ingressus, »

Hoc est, totum ad ingrediendum et discurrendum dispositus. Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant et revertebantur ad similitudinem fulguris coruscantis.* Proverb. VI, 3 et 4 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum, non dederis somnum oculis tuis.* Psal. CXXXI, 4 et 5 : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem,... donec inveniam locum Domino.*

« Perambulabat, »

Continuis profectibus omnes visitans, et omnibus salutem nuntians. Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates et*

[1] Matth. XXIV, 2 ; Marc. XIII, 2; Infra, XXI, 6.
[2] Matth. XXI, 12 ; Marc. XI, 15.
[3] Isa. LVI, 7 ; Jerem. VII, 11.

castella, docens in synagogis corum, et prædicans Evangelium regni. Tob. v, 8 : *Omnia itinera ejus frequenter ambulavi.*

Sic ergo « *perambulabat* »

« Jericho, »

Ut ibi salutem indigentibus procuraret : sicut jam in ante habitis dictum est, profectum nostrum assumens. Psal. VIII, 6 : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Ad Hebr. II, 9 : *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Defectibus nostris enim appropinquans, statim facit ea quæ impossibilia sunt apud homines, quod scilicet camelus deposita sarcina transit per foramen acus : et ideo etiam Jericho perambulavit. Hæc est igitur opportunitas veniendi ad id quod intendit exemplum.

2 « Et ecce vir nomine Zachæus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. »

Hic tangitur exemplum.

Dividitur autem in quatuor partes : in quarum prima, desiderium divitis dona Dei abundanter habentis ostenditur : in secunda, hæc devotio per declinationem Domini in domum suam remuneratur : in tertia, murmuratio nescientium sacramenta Dei contra hanc Domini susceptionem excitatur : in quarta per usum optimum commissorum bonorum hoc sacramentum aperitur.

In primo horum tria dicuntur : in quorum primo, quis sit desiderans Dominum describitur : in secundo, desiderii ad complendum impotentia aperitur : in tertio, mirabilis industria ad perficiendum quod desiderabat ostenditur.

In primo autem describit a dignitatis demonstrabilitate, a strenuitatis virilitate, a nomine, ab officii potestate, et a fortunæ successione.

De primo dicitur :

« Et ecce vir, »

Demonstrabilis claræ dignitatis in civitate. Isa. XLV, 14 : *Viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt : post te ambulabunt.*

« *Vir,* » strenuitate animi potius quam sexu. Hic enim est, de quo dicitur, Eccli. XXXI, 8 et 9 : *Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum ? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quia sicut dicit Beatus Bernardus : « Non minoris strenuitatis est, qui « quamvis post aurum abiit, tamen virili- « liter redivit : quam qui post aurum « non abiit. Nec minus est miraculum « sed majus, pecuniam acquisitam in « usus pauperum dispersisse, quam non « habitam non curasse. »

Ecce igitur vere vir.

« Nomine Zachæus. »

Ecce describitur a nomine. Zachæus autem, *justificatus festinans* interpretatur : quia festinabat ad Dominum, ut justificaretur. Ezechiel. XVIII, 22 : *In justitia sua quam operatus est, vivet.* Ad Roman. VIII, 30 et 31 : *Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

Hoc est nomen quod os Domini nominavit. Isa. LXV, 15 et 16 : *Servos suos vocavit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen.* Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine.*

Sic « *nomine,* » hoc est, notamine quod futurorum erat præsagium, « *Zachæus,* » quia ad justitiam per Dominum justificantem festinavit. Isa. LIII, 11 :

In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos.

« Et hic princeps erat Publicanorum. »

Ecce descriptio ab officio. Publicani autem, sicut sæpe diximus, illi erant qui publica vectigalia colligebant, et exigebant. Quod duplex erat iniquitas. Una quidem communis apud omnes : quia scilicet extorquebant ultra constitutum, et defensionem viarum quam tenebantur facere, non faciebant : in quo peccato adhuc multum peccant publicani nostri. Unde, Luc. III, 14 : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* Aliud autem peccatum erat speciale apud Judæos : quia ab eis acceperunt, quorum bona debebant a telonio esse libera, sicut a ministris Dei. Unde etiam a Domino acceperunt. Matth. XVII, 24 et 25 : *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum ? a filiis suis, an ab alienis ? Et Petrus dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii.* Et hoc plangit Jeremias in Threnis, I, 1 : *Princeps provinciarum facta est sub tributo.*

Propter duo peccata reputabantur isti publici peccatores. Quasi dicat : publicus canis erat, qui publicanus vocabatur.

Horum igitur iste Zachæus fuit princeps, non vero nomine, sed eo modo quo tyrannus princeps vocabatur. Et sicut dicitur princeps latronum esse princeps : quia, sicut dicitur, Isa. XXXII, 5 et 8 : *Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur major... Princeps vero ea quæ digna sunt principe cogitabit.*

Hoc est igitur quod dicit : « *Princeps publicanorum,* » hoc est, qui alios publicanos per provinciam illam dispersos, ex ordinatione publicæ potestatis Romanorum habebat subjectos. Talis fuit qui ex crudelitate erat immisericors, et nihil dimittebat non extortum. Jerem. VI, 23 : *Crudelis est, et non miserebitur.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

Hoc igitur istius fuit officium.

« Et ipse dives. »

Descriptio est a fortunæ successu. Dives autem, sicut dicit Augustinus, aut iniquus est, aut hæres iniqui. Iste autem utroque modo dives erat, quia inique acquisivit, et sic fuit iniquus : et avare retinuit, et si hæres iniqui fuit. Eccli. XI, 10 : *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Et ideo divitiæ dicuntur *spinæ*, Matth. XIII, 22, suffocantes verbum. Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua : usquequo et aggravat contra se densum lutum ?* Suffocant ergo verbum convertens ad Dominum : sicut lutum glutinosum tenent ne convertatur. Et iniquæ sunt in acquisitione : hæreditas iniquitatis in retentione : et ideo locum habent in inferno, non in cœlo. Luc. XVI, 22 : *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.*

Talis igitur, magna Dei misericordia trahente,

« Et quærebat videre Jesum, quis esset : et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. » 3

Ecce desiderium veniendi ad Salvatorem.

Et dicuntur hic quatuor, quorum primum est ipsius desiderii expressio : secundum, explendi desiderium impotens pusilli in corpore dispositio : tertium autem, ut desiderio satisfaceret in celsam arborem ascensio : quartum vero,

transitus Domini per viam illam sollicita observatio.

De primo dicuntur quatuor, scilicet, desiderii sui in opere exhibita significatio, et desiderati visio, visi Salvatoris in salute nominatio, et quis esset in effectu tanti nominis cognitio.

Dicit igitur : « *Et quærebat,* » exterius investigando, in agendo, et laborando. Piger enim est qui desiderat, et non quærit. Proverb. XXI, 25 : *Desideria occidunt pigrum.* Talis enim, sicut, Proverb. XIII, 49 : *Vult, et non vult.* Vult quidem tenuiter in corde, sed non vult laborare et quærere quod desiderat, nec agere et operari ut consequatur. Iste autem agendo, et operando, et laborando quærebat. Psal. XXII, 6 : *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.* Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.*

Quærendus est enim Dominus sine fictione in opere, et confirmata inquisitione, et in locis in quibus potest inveniri.

De primo horum dicitur, Sapient. I, 1 et 2 : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum : apparet autem eis qui fidem habent in illum.*

De secundo dicitur, Isa LVIII, 2 : *Me de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et judicium Dei sui non dereliquerit.* Per justitiæ enim opus debet quæri Dominus.

De tertio dicitur in Psalmo CIV, 4 : *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper.*

De quarto dicitur, Job, XXVIII, 13 : *Non invenitur in terra suaviter viventium.*

Sic ergo quærendus est dum inveniri potest : invocandus dum prope est [1].

Quod iste attendens,

[1] Cf. Isa. LV, 6.

« Quærebat videre. »

Volebat enim videre eum, de quo dicitur, Aggæi, II, 8 : *Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Scivit enim pro certo quod facies illa esset speciosa, decora, mirabilis : et gratia esset diffusa in labiis illius qui desideratus est omnibus gentibus, in quem, sicut dicitur, I Petr. I, 12, *desiderant Angeli prospicere.* Et ideo « *quærebat videre.* »

Quod enim decora fuerit, dicitur, Cantic. II, 14 : *Facies tua decora.* Quod speciosa, dicitur in Psalmo XLIV, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Imo etiam præ vultibus Angelorum. Isa. LXIII, 1 : *Iste formosus in stola sua.* Quod mirabilis et gratia plena, dicitur, Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.* De gratia dicitur in Psalmo XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.*

Et ideo iste tenebatur desiderio illorum, qui dicebant ad Philippum, Joan. XII, 21 : *Domine, volumus Jesum videre.*

« Jesum, »

Salvatorem, propter salutis effectum. Jam enim præsago desiderio sentiebat, quod in ipsius salute aliquando exsultaturus erat. Habacuc, III, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* Psal. XLIII, 8 : *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.* Iste enim secundum suum nomen Salvator est, qui in domum fortis intravit, et vasa iniquitatis ejus rapuit : sicut Zachæum, et Magdalenam, et Saulum, et ex eis vasa electionis effecit. Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Unde et Paulus, II ad Timoth. II, 20, dicit : *In magna autem domo,* etc., ubi loquitur, quod in magna domo Dei, quædam sunt

vasa in honorem, quædam vero in contumeliam. Postea subjungit, quod si quis emundaverit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum ad omne opus bonum paratum. Iste ergo vero nomine est Jesus, salvans quod perierat. Isa. XLIX, 25 : *Equidem et captivitas a forti tolletur, et quod ablatum fuerit a robusto salvabitur :* quia Jesus *Salvator* interpretatur.

Quærebat ergo videre Jesum,

« Quis esset, »

Hoc est, ut eum determinare nosset. Scivit enim quadam spiritus inspiratione, quod cognitio illa esset sibi causa consummatæ justitiæ, et esset sibi causa vitæ æternæ.

De primo horum dicitur, Sapient. XV, 3 : *Nosse te consummata justitia est : et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.*

De secundo dicitur, Joan. XVII, 3 : *Hæc est autem vitæ æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.*

Ideo ergo « *quærebat videre Jesum, quis esset.* »

« Et non poterat præ turba. »

Turba enim turbata est multitudo, quæ inconstantibus motibus modo ad devotionem, modo ad persecutionem movetur. Unde, Joan. XII, 13, turba quæ clamabat : *Hosanna Filio David!* statim infra sex dies clamabat : *Crucifige, crucifige eum.* Matth. XXVII, 24 : *Videns Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret,* etc. Luc. XXIII, 24 : *Adjudicavit fieri petitionem eorum.*

Hæc etiam turba languidum impedivit ne reciperet sanitatem. Joan. V, 3 : *In porticibus jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum.* Et subjungit de languido, ℣. 7 : *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.*

Hæc turba cæcum invocantem Dominum increpat ut taceat [1]. Hæc paralyticum excludit, ne ante Jesum veniat [2]. Quærebant introferre paralyticum, et non valentes præ turba, ascenderunt in tectum, et summiserunt eum per tegulas. Hæc etiam parentes ipsius Domini retardat ne veniant ad Jesum. Nuntiatum est Jesu : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te* [3]. Hæc iterum puellæ suscitationem retardat [4]. Hæc Jesum affligit et comprimit. Luc. VIII, 45 : *Turbæ te comprimunt, et affligunt.*

Non est ergo mirum si Zachæum impedit ne Dominum videre possit : quia qui turbationem turbatorum et confusione dignorum sequitur, a Domino retardatur. Joan. VII, 49 : *Turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

Oportet igitur, vel a turba separari, vel præcurrere. Separatur qui fugit et deserit. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum.* Psal. LIV, 8 : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Præcurrit autem qui velocior quam turba currit semitam consiliorum. Psal. XVIII, 6 et 7 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus.*

His ergo de causis, « *non poterat præ turba.* »

Causam autem subjungit :

« Quia statura pusillus erat. »

Pusillos autem non curat turba, sed de magnis curam gerit. Pusillus autem humilitate, pusillanimitate, et fide adhuc : quia novus fuit.

[1] Cf. Luc. XVIII, 39.

[2] Cf. Matth. IX, 2 ; Marc. II, 3 et 4 ; Luc. V, 18 et 19.

[3] Matth. XII, 47. Cf. Luc. VIII, 20. ; Marc. III, 32.

[4] Cf. Marc. V, 40.

De pusillitate humilitatis dicitur, Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Tales autem pusillos turba conculcat. Psal. LV, 3 : *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.*

De pusillitate pusillanimitatis dicitur, Isa. XXXV, 4 : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere.* Et tales pusillos turba deterret. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.*

De pusillitate autem fidei dicitur, Matth. XVI, 8 : *Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis ?* Et talis pusillus adhuc de Domino plene non confidit. Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti.* Hunc enim pusillum mundus scandalizat et confundit. Matth. XVIII, 10 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.*

Hoc est igitur quod dicit : « *Quia statura pusillus erat.* Statura enim corporis indicabat pusillitatem mentis. Sed tamen hæc est consolatio quod pusillis humilitate Dominus gratiam donat. Jacob. IV, 6 : *Humilibus dat gratiam.* Pusillos autem pusillanimitate confortat. Josue, I, 9 : *Confortare, et esto robustus.* Pusillis autem fidei etiam per miraculorum adjutorium fidem augmentavit. Et hoc significavit, Matth. XIV, 31, quando extendens manum ad adjutorium et miraculum, apprehendit Petrum, et de fluctibus eduxit eum. Sic ergo non indecenter sibi statura pusillus erat. David enim etiam statura pusillus erat. I Reg. XVI, 11 et 12 : *Adhuc reliquus*, scilicet David, *est parvulus... Erat autem rufus, et pulcher adspectu, decoraque facie :* et tamen ipse gigantem stravit, et invincibilem omnibus superavit.

4 « Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus. »

Ecce tangitur sagacitas videndi Dominum.

Tanguntur autem hic tria, scilicet, quod turbæ frequentiam præcurrit, quod in sycomorum ascendit, et quo fine sive utilitate hoc fecit.

Præcurrit autem cæteros qui plus amavit, qui viam consiliorum quasi quoddam compendium cucurrit, qui in cursu velocior fuit.

De primo horum dicitur, Joan. XX, 4 : *Ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.* Super quod verbum dicit Beatus Bernardus : « Qui plus amavit, velocius « cucurrit, et citius pervenit. Amanti « enim nihil satis velox est. » Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

De cursu autem consiliorum dicitur, II Reg. XVIII, 23 : *Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi.* Achimaas *fratris mei assumptio* interpretatur, et significat eos qui a Christo consiliorum impletionem assumunt, qui est frater noster. Chusi autem interpretatur *niger meus*, vel *tenebrans me*, et significat turbam communem in via tenebrarum incedentem. Sic cucurrit Paulus, I ad Corinth. IX, 26 : *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.* Qui enim in via consiliorum currit, nihil incertitudinis habet. Sed qui currit in via turbæ communis, multa dubia patitur et multa incerta.

De tertio modo currendi, scilicet, qui devotione velocior est, et ad currendum paratior, dicitur, Jerem. II, 23 : *Cursor levis explicans vias suas.* Eccli. XXXII, 13 et 16 : *Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo.* Præcurrens enim in domum conscientiæ postquam advocaverit seipsum, hoc est, omnes vires et intentiones congregaverit, et luserit in delectatione et devotione conscientiæ, et

egerit omnes et expedierit conceptiones suas ad Deum, et in delictis nihil commune habuerit, nec in aliquo verbo superbiæ participaverit, vehementissime currit.

His ergo tribus modis præcurrens fuit.

Sic autem præcurrens,

« Ascendit in arborem sycomorum. »

Sycomorum autem quidam virtutem vocabuli ignorantes, dicunt arborem quæ est sicut morus : et ideo dictam *sycomorum*, eo quod sit sicut morus. Hoc autem totum est fictum. Dicit enim Beda quod sycomorus est ficus fatua. Σῦκον enim græce, latine dicitur *ficus*. Μῶρος græce vocatur *fatuus*. Unde moriones naturaliter *fatui* dicuntur. Unde græce σῦκόμορον *ficus fatua* vocatur, quam nos *sycomorum* dicimus : latinam terminationem, et latinam declinationem græco vocabulo imponentes. Hoc igitur est sycomorus. Causa autem est, quod ficus quidem est grossi et viscosi humoris, qui quando accipit calidum subtilians et attenuans plusquam digerens, tunc humidum ejus subtiliatur, attenuatur, et extenditur. Et sic arbor in celsitudinem magnam elevatur, et folia magna stringuntur et rotundantur : et ideo foliis scilicet mori assimilantur, et tunc arbor sine fructu efficitur. Quia generale est in omni natura generabilium, quod quanto aliquid magis ponit in substantia, tanto minus ponit in fructu et in semine. Et e converso, quanto plus ponit in semine, tanto minus ponit in substantia.

In talem igitur arborem quia excelsa fuit ascendit, ut tanto melius id quod vellet, ab alto contemplaretur. Hoc est igitur quod secundum litteram intendit.

Spiritualiter jam superius, XIII, 6 et seq., diximus sycomorum Prælatum, vel hominem fatuum significare : qui quamvis natus sit ad divinam concipiendam dulcedinem, et fructum dulcedinis ferendum : tamen calore cupiditatis mundi extenuatur, et fructum nullum portat. Matth. XXI, 19, non invenit Christus in ficulnea nisi folia tantum : et ideo maledixit ei, dicens : *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Inde dicitur, Judæ, ℣. 12 : *His sunt arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ.*

In hanc ergo arborem Zachæus ascendit, qui se virtute super eum scandens exaltavit, et ad exemplum ejus se correxit, et fœcunditatem accepit, dum se sterilem esse sicut illi sunt erubuit. Unde Ptolomæus Philosophus in *Proverbiis Philosophorum* dicit : « Qui ad « exemplum alterius non corrigitur, alii « exemplo suo corriguntur. » Unde, Luc. XVII, 32, Dominus dicit suis : *Memores estote uxoris Lot.* Cantic. VII, 8 : *Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus.* Sed alia est similitudo ibi de arbore fructifera, super quam etiam per exemplum scandendum est.

Sic ergo « *ascendit in arborem sycomorum.* »

Qua autem utilitate subjungit :

« Ut videret eum. »

Tangit autem duo : finem intentionis, et opportunitatem consequendæ voluntatis.

De primo dicit : « *Ut videret eum.* » Desiderabat autem videre eum, et ideo ascendit in sycomorum. Sycomorus enim cum sit ficus fatua, ut dicit Beda, ex ficu habet dulcedinem : et quia fatua est, habet derisionem : et sic significat crucem, quæ quidem habet dulcedinem in se, sed ex infirmitate habet derisionem. Dulcedinem habet, ad Galat. VI, 14 : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Derisionem habet sicut dicitur, I ad Corinth. I, 23 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Et est una ascensio sycomori, de qua videtur Christus in cruce. Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion,*

regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua, hoc est, spinis in cruce coronatum. Sic enim videre Jesum humiliat, de passione admonet, et verecundiam de causa passionis inducit, et formam dat imitandi, et spem gloriæ resurrectionis. Quem enim non humiliant illa quæ dicuntur, ad Philip. II, 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quis etiam de Passione per compassionem non recordetur, audiens in cruce clamantem ad nos Dominum illud Threnorum, III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis.* Quis non verecundetur ante faciem suam pro peccatis suis captum, et despoliatum, et morte mulctatum, et cruce turpatum majestatis Dominum? Thren. IV, 20 : *Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in Gentibus.* Sed formam imitationis accipientes, præcurramus ad ipsum cum Zachæo, in arborem dulcissimæ fatuitatis ascendentes. Si quis enim vult post eum venire, tollat crucem suam, et sequatur eum [1]. Ad Hebr. XIII, 12 et 13 : *Ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Hoc enim firmam spem generat resurrectionis et gloriæ. Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.*

Sic ergo ascendit « *ut videret eum.* »

« Quia inde erat transiturus. »

Per viam enim crucis ambulavit, per quam nos oportet ambulare. Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis*, hoc est, in fluctibus amaræ passionis. Et cum dolore dicendum est quod sequitur : *Et vestigia tua non cognoscentur.* De tanta enim turba non cognovit nisi Zachæus : cum tamen Petrus dicat, I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Sic ergo inde erat transiturus. Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?*

« Et cum venisset ad locum. »

Hic tangitur de receptione Domini a Zachæo.

Et tanguntur duo, quorum primum est, qualiter Zachæo se Dominus exhibuit : secundum autem, qualiter exhibentem se Dominum Zachæus recepit.

In priori autem paragrapho duo dicuntur : quorum primum est, loci ad exhibendum se opportunitas : secundum autem, exhibitionis suæ benignissima et dulcis voluntas.

De primo dicit : « *Et cum venisset ad locum,* » ad quem scilicet Zachæus præcurrerat. Præcurrenti enim semper se objicit et ingerit Dominus. Sapient. VI, 14 : *Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Isa. LXIV, 5 : *Occurristi lætanti et facienti justitiam : in viis tuis recordabuntur tui.* Sic occurrit in consolatione Magdalenæ, quando eum videre quæsivit [2]. Sic occurrit mulieribus, quando quærentes eum, postea pedes ejus tenuerunt, ut ejus vestigia observarent [3]. Sic omnibus præcurrentibus in devotione, occurrit in gaudio Dominus in spiritu et in consolatione dulcedinis et devotionis. Sic et hic fecit Zachæo. Unde quidam dicunt, quod devotioni Zachæi condescendens, a via divertit in agrum : quia sycomorus in agro, non in via stetit.

« Suspiciens Jesus vidit illum. »

Ecce benignissima voluntas Domini,

[1] Cf. Matth. XVI, 24 ; Luc. XIV, 27.
[2] Cf. Joan. XX, 15.
[3] Cf. Matth. XXVIII, 9.

prius suscipiens Zachæum in visceribus misericordiæ, quam suscipiatur ab ipso exteriori hospitalitate.

Dicit autem tria : suspexit enim, vidit, et allocutus benignissime fuit. Suspexit ad Patrem, Patrem pro eo exorans : vidit, lumen suæ cognitionis infundens : allocutus est, charitatem quam habuit ad conversionem ipsius ostendens.

Dicit igitur : « *Suspiciens,* » hoc est, in altum prospectum erigens. Sic suspexit quando Lazarum suscitavit, dicens : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis* [1]. Non enim erat minoris potentiæ, vel misericordiæ, Lazarum de inferno ad superos revocare ad vitam, quam Zachæum de barathro vitiorum revocare ad compunctionis et justificationis gratiam. Et ut hanc ostenderet difficultatem, ideo suspexit.

Adhuc autem suspexit, ut operationem talis gratiæ a Patre descendere significaret. Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

Adhuc autem suspexit, ut et Zachæum sursum adspicere doceret, et animum ad Patrem cœlestem dirigeret. Psal. cxxii, 1 et 2 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

Sic ergo suspiciens, « *vidit,* » lumen suæ gratiæ in eum radiando et infundendo. Sic enim respexit Petrum, Matth. xxvi, 75 : *Et egressus Petrus foras, flevit amare.* Sic dicitur, Sapient. iv, 15, quod est *respectus in electos illius.* Sic vidit Philippum sub ficu sedentem [2], hoc est, adhuc in dulcedine peccati requiescentem.

Sic ergo vidit « *illum,* » jam desiderio a terrenis elevatum, jam in figura crucis sursum exaltatum, jam ad ipsum videndum suspensum.

De primo dicitur, ad Coloss. iii, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

De secundo dicitur, ad Galat. ii, 19 : *Christo confixus sum cruci.*

De tertio dicitur, Job, vii, 15 : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.*

Sic ergo « *vidit illum* » in ramis arboris, sicut in brachiis suæ crucis extensum pendentem : sicut vidit Abraham *arietem inter vepres hærentem cornibus* [3], quem pro filio sacrificium Deo post modicum erat immolaturus.

« Et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. » 5

Ecce benigna allocutio.

Dicit autem tria : nominat eum, in signum specialis ad gratiam ordinatæ notitiæ : ut descendat imperat, ut humilitatis sit paratus obsequium præstare : quod apud eum hospitari oporteat indicat.

Dicit igitur : « *Zachæe.* » Jam te nomino in signum specialis notitiæ. Exod. xxxiii, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.* Et, ℣. 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Isa. xlv, 3 : *Scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel.*

« Festinans descende. »

« *Festinans,* » per charitatis fervorem et devotionem : « *descende,* » per tui humiliationem et cognitionem.

Charitatis enim devotio festinare facit Hoc est quod dicitur, Genes. xxiv, 61, quod *Eliezer festinus revertebatur ad*

[1] Joan. xi, 41 et 42.
[2] Cf. Joan. i, 50.
[3] Genes. xxii, 13.

dominum suum. Eliezer, *Deus meus adjutor* interpretatur. Et significat quem Deus sua adjuvat allocutione. Et ideo fervore charitativæ devotionis festinat ad recipiendum eum. Hæc est Rebecca, quæ jam secundum suum nomen multum accepit a Christo in visu et verbo ipsius, quæ cito operuit se teristro, hoc est, festivo et solemni charitatis et hospitalitatis pallio [1]. Ad Hebr. XIII, 1 et 2 : *Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« *Descende,* » tui humiliatione, et tui consideratione. Duos enim motus laudabiles Zachæus habuit : unum in figuram crucis per desiderium ascendendi, ut contemplari posset exaltatum : alium descendendi, ut Dominum reciperet humiliatum. Ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit.* Isti motus omnium bonorum Angelorum ascendendi in crucem per contemplationem crucifixi, et descendendi per humiliationem. Genes. XXVIII, 12 et 13 : *Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram...Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes in scala, et Dominum innixum scalæ.* Joan. I, 51 : *Videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.* Isti enim motus Angelorum demonstrantur præcipue in profectibus hominum, quibus ministrant Angeli. Descensio etiam ad cognitionem suæ fragilitatis utilis est aliquando. Sicut dicitur, Jerem. XVIII, 2 : *Descende in domum figuli, et ibi audies verba mea.* In domum enim figuli descendere, est ad considerationem fictilis naturæ inclinari, et ex hoc humiliari, et ibi in humilitate verba et mandata Dei percipere. II ad Corinth. IV, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictibilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.*

Sic ergo « *festinans descende.* »

« Quia hodie in domo tua oportet me manere, »

Gratia hospitalitatis. Tria autem dicit : illustrationem felicis et accepti temporis, dispositionem mansionis, et desiderium talis hospitalitatis.

Illustratio accepti temporis notatur in hoc quod dicit : « *Quia hodie,* » quando sol solito serenior tibi illucescit, qui prius nubilo peccatorum tuorum tibi absconditus fuit. II Machab. I, 22 : *Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Sic, Esther, X, 6 : *Parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est.* Fons enim fundens doctrinam est parva allocutio, qua Christus Zachæum allocutus est : et crevit in fluvium exuberantis in charitate hospitalitatis in multos pauperes : et in sereno cordis sui, pulsis nubilis sollicitudinum mundi, in lucem gratiæ solemque cognitionis divinæ conversus est, et fecit diem sibi quæ *hodie* vocatur.

« *Hodie* » dicitur hoc die clarificationis divinæ.

« In domo tua. »

Ecce dispositio mansionis in domo Zachæi, quæ injuriis et fraudibus plena fuit, in qua violentus exactor diabolus dominabatur. Sed, sicut dicitur, I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Et sic intravit in domum Zachæi, sicut intravit in infernum domum diaboli. Extraxit ea quæ diabolus ibi congregaverat. Et ita facit in domo Zachæi. Osee, XIII, 14 : *Morsus tuus ero, inferne.* Faux enim fuit diaboli domus Zachæi. Et hæc est enim domus, de qua dicitur, Osee, VI, 8 et 9 : *Sup-*

[1] Cf. Genes, XXIV, 65.

plantata sanguine, et quasi fauces virorum latronum, supplantatione pauperum dilata.

Domus hæc facta est inclyta per sudorem pauperum et sanguinem, quia sudorem et sanguinem pauperum auferebat : et particeps fuit ut princeps virorum strenue spoliantium homines. Sed Dominus in hanc domum ingreditur, ut disperdat iniquum cum iniquitate, et consecret eam sibi. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Molas commandentes pauperes, hoc est, publicos exactores : et de dentibus fortiter tenentibus auferebam prædam, hoc est, de tenaci avaritia, et edaci appetitu cupiditatis, bona illicite acquisita eruere, et unicuique quod suum est restituere. Sic ergo Jesus intravit in domum, ut ejecto domino domus diabolo, omnia vasa iniquitatis distribuat, et domum sibi perpetuam consecret mansionem.

Dicit ergo : « *In domo tua*, » quæ mea erit in proximo,

« Oportet me manere. »

Et hoc quidem charitate urgente me facere oportet : tibi autem hoc ipsum opem portat, et omnibus opes pauperibus et spoliatis præparabit. Oportet ergo propter me, ut charitati satisfaciam. Oportet propter te, ut opem tibi acquiram. Oportet propter pauperes, ut opes eis acquiram.

De primo, Luc. XII, 50 : *Quomodo coarctor, usque dum perficiatur* ? II ad Corinth. V, 14 : *Charitas Christi urget nos.* Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.*

De secundo dicitur, Luc. XV, 32 : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit.*

De tertio, Matth. XXIII, 23 : *Hæc oportuit facere*, scilicet pietatis opera : *et illa non omittere*, observantias minutarum decimarum.

Sic ergo tripliciter oportet me « *manere.* » Joan. XIV, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

« Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. » 6

Hic tangitur devota tanti hospitis receptio.

Et tangit duo occursum, et receptionem.

Occurrens enim Domino, « *festinans descendit*, » ad ministerium hospitalitatis se exhibens, coram ipso se humiliando : ut scilicet ministraret cui ante ministrabatur : accipiens formam ab eo qui dixit, Luc. XXII, 27, et Matth. XX, 28 : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Sic, ad Philip. II, 7, formam servi accepit, et ministravit. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi :* non ut dominantes in laboribus alienis. Sic ergo ut Martha sollicite festinans descendit, in ministerio occurrens Domino. Luc. X, 40 : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.*

« Et excepit illum gaudens. »

II ad Corinth. IX, 7 : *Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus.* Ad Roman. XII, 8 : *Qui miseretur in hilaritate.* Iste enim est de quo dicitur, Eccli. XXXI, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum,* qui hilari facie resplendent in receptione bonorum hospitum.

Sic ergo « *gaudens excepit.* » Et hoc notavimus super illud verbum : *Mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam* [1]. Ubi etiam de domo plura sunt notata, quæ hic repetere non oportet.

[1] Luc. X, 38.

[2] Cf. Enarr. in Evangelium Lucæ, X, 38. Tom. XXII Opp. B. Alberti in editione nostra.

« Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. »

Tangit hic tria : generalitatem murmurantium, murmurationem, et murmuris causam.

De primo dicit : « *Cum viderent omnes.* » In tactu quidem Magdalenæ murmuravit dominus domus [1] : in convivio Levi murmurant multi Pharisæi [2] : hic autem cum intrat ad Zachæum, murmurant omnes. Hujus autem causa est, quia tam famosus peccator fuit iste, quod omnibus stuporem incussit, quod Dominus ad ipsum divertere non invitatus voluit. Sed hoc fuit immensa Dei misericordia, de qua dicitur, ad Roman. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Et ideo implevit Dominus quod per Prophetam prædixerat, Psal. LXXXVI, 5 : *Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me.* Et ideo ubi majoris infirmitatis cura fuit, ibi major laus fuit medici, et major probatur virtus medicinæ. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Sic euntes discamus illud salubre verbum Dei, Osee, VI, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plusquam holocausta.* Dicamus igitur generalitati murmurantium : *Custodite vos a murmuratione quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ : quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit* [3]. Sed opera Dei in misericordia superexaltante judicium omnes laudate, dicentes illud Psalmi CXLIV, 9 : *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.* Psal. LXXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.*

« Murmurabant, dicentes. »

Murmur nomen est fictum a sono, quia qui murmurat, murmur in auribus sonat sub silentio. Et sunt murmuratores occulte sub susurro detrahentes. Ad Roman. I, 29 et 30 : *Susurrones, detractores Deo odibiles.* Isti sunt serpentes sub silentio venenum detractionis infundentes. Eccle. X, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Non enim audebant manifeste aliquid loqui : quia tam sæpe confutati fuerant, quod iterum confutari metuebant.

Causam autem murmuris subjungunt, dicentes :

« Quod ad hominem peccatorem divertisset »

Peccator autem dicitur hic a magnis peccatis, et a consuetudine peccandi. Et ad talem revera divertit : quia in tali misericordiam suam et salutem condere voluit. Ad Roman. IX, 25 et 26 : *Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit : in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi* [4]. Et hoc est quod contra taliter murmurantes hypocritas Dominus opponit, Deuter. XXXII, 21 : *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus : et irritaverunt in vanitabibus suis,* hoc est, illi qui mihi videbantur servire, sculptilia laudis elegerunt sibi in deos quibus serviant : et sculptilia vanitatis et cupiditatis suæ contra me ad provocandum adorant. Ergo recedam ab eis. Et, Ibidem : *Provocabo eos in eo qui non est populus, et in gente stulta irritabo illos,* hoc est, conjungam me publicanis et pœnitentibus, qui modo non populus meus, et in gente stulta mere-

[1] Cf. Luc. VII, 39.
[2] Cf. Matth. IX, 11.
[3] Sapient. I, 11.
[4] Cf. Osee, II, 24.

tricum et peccatorum conversa irritabo illos, cum eis manendo, et misericordiam illis faciendo. Et utinam hoc audiant Clerici et Religiosi, a quibus Deus sicut a Pharisæis recedit, et conjungitur publicanis conversis! Matth. xxi, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Sic dicit Paulus, I ad Timoth. i, 15 et 16 : *Venit Jesus in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.* Et præmittit, ibidem, ℣. 13 ; *Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

8 « Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum. »

Hic incipit ostendere hospitalitatis hujus fructum.

Dicit autem duo : quorum primum est dispositio pœnitentis, et secundum confessio et promissio satisfactionis.

De primo dicit tria : rectitudinis in pœnitente significationem, ejusdem per nomen exnunc demonstrationem, et ad Dominum per votum obligationem.

Dicit igitur : « *Stans autem,* » ut rectitudo positionis corporis directionem significaret virtutis. Stans enim rectus, est qui stat sicut homo. Psal. v, 5 : *Mane adstabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*, hoc est ipsa corporis rectitudine videbo, hoc est, videri faciam : et demonstrabo quia non vis iniquitatem sed rectitudinem. Quasi dicat : Diu jacui, terrenis cupiditatibus obrutus : sed audio te dicentem, Isa. lii, 2 : *Excutere de pulvere.* Diu sedi, cum Levi in lucris illicitis quiescens : sed audio te præcipientem in Psalmo cxxvi, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Hic enim est panis rapinæ, et fraudis, et usurarum. Nunc ergo surrexi, et sto in conspectu tuo. IV Reg. iii, 14 : *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto*, scilicet in rectitudine justitiæ.

« Zachæus. »

Festinus ad justificationem, quia festino ad rectitudinem. Psal. v, 9 : *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Quæro enim semitas æquitatis, et gradum rectitudinis. Proverb. iv, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui : et currens non habebis offendiculum.* Sic ergo festino ad justificationem.

« Dixit ad Dominum. »

Non enim advertit calumnias et detractiones peccatorum. Sic David, II Reg. xvi, 11 et 12 : *Dimitte eum ut maledicat juxta præceptum Domini : si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

Sic ergo conversus ad Dominum stetit in justitia Domini inter linguas maledicentium. Psal. xxxviii, 9 : *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me : opprobrium insipienti dedisti me.* Unde Glossa : « Stat, juxta (quam cepit) fidei veritatem persistens : non solum se ex peccato conversum, sed etiam inter innocentes se probat conversatum. » Hoc autem non ante fuit, sed post conversionem : cum omnibus distributis inter discipulos discipulus fuit.

Hac ergo confidentia justitiæ dixit ad Dominum :

« Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. »

Duo dicit : quorum unum pertinet ad eleemosynarum largitionem, per quod

curatur avaritiæ cupiditas, quæ, sicut dicit Apostolus, I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est.* Secundum autem pertinet ad injuriæ illatæ satisfactionem, quod est reddere illicite acquisita secundum justitiæ rationem et ordinem, et hoc pertinet ad proximi reconciliationem.

De primo dicit : « *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* »

Et in hoc notantur septem. Notatur enim exempli præbitio per hoc quod dicit : « *Ecce.* » Secundo, notatur abundans elargitio per hoc quod dicit : « *Dimidium.* » Notatur tertio, ejus quod datur nobilis conditio, per hoc quod dicit : « *Bonorum.* » Notatur quarto, justa dari possessio per hoc quod dicit : « *Meorum.* » Quinto, notatur dantis directa intentio per hoc quod dicit : « *Domine.* » Sexto, notatur gratuita erogatio per hoc quod dicit : « *Do.* » Septimo, notatur ei cui datur ex misericordia compassio, per hoc quod dicit : « *Pauperibus.* »

Dicit igitur :

« Ecce. »

Notans quod sicut publice omnes per avaritiam scandalizavit, ita publice vult misericordiæ in pauperes præbere exemplum. Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Quamvis enim Dominus, Matth. VI, 2 et 3, dicat, quod in eleemosyna non debeamus tuba canere ante nos : et debet nescire sinistra nostra quid faciat dextera : tamen hoc glossat Gregorius, quod « hoc non est ideo dictum, quod proximi opera nostra non videant : sed potius ideo quod opus nostrum sic sit in publico, quatenus intentio nostra semper maneat in occulto : ut et de bono opere proximo exhibeamus exemplum, et per intentionem, qua soli Deo placere desideramus, semper optemus secretum. »

Hoc est igitur quod demonstrando dicit : « *Ecce.* »

« Dimidium. »

Notat hoc abundantiam distribuendorum. Quidquid enim ultra necessitatem est, vocat *dimidium :* quia dimidium uniuscujusque integri secundum arithmeticum est altera pars ipsius. Et ideo una pars est præsentis necessitatis, et altera est distributionis in pias eleemosynas.

Et ideo dicit : « *Dimidium.* » Luc. XI, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis,* quæ sunt in altera parte. Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Luc. VI, 38 : *Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* II ad Corinth. IX, 6 : *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet,* scilicet vitam æternam.

« Bonorum. »

Notat dandorum utilitatem et nobilitatem contra errorem quorumdam crudelium in Christi pauperes, qui dicunt quod non deberent pauperibus delicata dari, ne consuescerent, propter verbum Augustini quod in antehabitis induximus. Sed mentita est iniquitas sibi. Ipsi enim et sui consortes de eleemosynis Ecclesiarum delicata recipiunt. Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 10 : *Comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Ecce de optimis præcepit dari partes. Isa. XXIII, 18 : *Erunt mercedes Tyri sanctificatæ Domino : non condentur, neque reponentur : quia his qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque*

ad vetustatem. Quod exponens Hieronymus ait : « Mercedes tuæ pretiosæ cum « labore et angustia acquisitæ, erunt « sanctificatæ Domino in eleemosynas, « quia pretiosæ sunt. Non condentur per « avaritiam, neque reponentur ad superfluitatem : quia his qui steterunt coram « Domino (Glossa, veris pauperibus) « erunt mercedes ejus ut comedant, « etc. »

« Meorum. »

Ut eleemosyna fiat de juste acquisito. Proverb. III, 9 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei,* scilicet pauperibus. Meum enim dare possum, sed non alienum.

« Domine. »

Ecce intentio pura. Propterea, Matth. XXV, 40 : *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sic enim dicit Sapiens, Proverb. XIX, 17 : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* I Paralip. XXIX, 17 et 18 : *Domine, in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc, et populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine, Deus Abraham,* et *Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem.*

« Do. »

Ecce gratuita donatio, et celer, quia in præsenti loquitur. Et non dicit, *dabo,* differens in futurum.

De primo dicitur, Matth. VI, 4 : *Sit eleemosyna tua in abscondito.* Luc. XIV, 12 et seq. : *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos,... neque vicinos divites... Sed cum facis convivium, voca pauperes,... quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

De celeritate autem dicitur, Proverb. III, 28 : *Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere, cras dabo tibi : cum statim possis dare.* Eccli. IV, 3 : *Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti.*

« Pauperibus, »

Sibi non sufficientibus. Daniel. IV, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Marc. XIV, 7 : *Semper pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis, potestis illis benefacere.* Tob. IV, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Job, XXX, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

Sic ergo dicit : « *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* »

Et attende quod ante restitutionem debiti ponit opus pietatis : quia quamvis in opere pœnitentiæ restitutio prior sit pietate, tamen in dignitate et in valore est pietas ante omnia alia. Et de dignitate quidem dicitur, Jacob. II, 13 : *Superexaltat autem misericordia judicium.* De valore autem dicitur, I ad Timoth. IV, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Ideo ergo proponit eam.

« Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. »

Exod. XXII, 1, præcipitur quod ovis in quadruplum reddatur, sed non alia. Sed dicendum quod judicialia præcepta variantur pro qualitate temporis, et locorum, et personarum. Et cum ad terrorem tempore Moysi præceptum fuerit reddi in quadruplum : procedente tempore invalescentibus latronibus, tempore Salomonis præceptum est, ut furtum reddatur in septuplum ei cui accidit damnum : ut totum residuum cedat judici : ut ille fur per hoc vitam redimat. Proverb. VI, 30 et 31 : *Non grandis est culpa cum quis*

furatus fuerit, furatur enim ut esurientem impleat animam : deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet, et sic liberabit se. Temporibus autem his suspenditur qui furatur. Et hoc ad terrorem indictum est, quia nimis multiplicati sunt latrones. Sed hic Zachæus fur non erat, sed fraudibus extorsit in publicis vectigalibus multa.

Et de illis dicit : « *Si quid aliquem.* »

Attende autem quod in talibus dupliciter fraus committitur. Primo quidem quando plus quam constitutum est accipitur, contra quod dicitur, Luc. III, 14 : *Contenti estote stipendiis vestris.* Secundo, quando quidem constitutum accipitur, et defensio viæ et securitas non exhibetur. Tunc enim acceptum est rapina. Isa. III, 12 : *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* Et iterum, ibidem, ℣. 15 : *Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis ?*

De his ergo duobus modis præcipue dicit : « *Si quid aliquem defraudavi.* »

Attende quod iste videtur etiam in fraudibus aliquid timoris Dei habuisse. Et ideo dicit : « *Si quid aliquem,* » quia sibi in fraudibus cavit, quantum in consuetudine publicanorum fieri potuit. Et hoc forte Dominus in eo respexit, quando aliis omissis, ad eum declinavit. Est enim inter latrones unus melior, et inter fraudulentos unus magis timens Deum quam alius. Job, XXXI, 23 : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* » Simplum scilicet, pro damno quod feci : duplum pro mora exspectandi, qua ablato caruit is qui fraudatus fuit : triplum autem pro injuria quam intuli, ut læso satisfacerem : quadruplum autem pro peccato quod commisi. Hæc enim quatuor in omni fraude sunt, et violentia male ablati : damnum, mora, injuria, et peccati deformitas. Matth. V, 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Sic restituere nolunt nostri temporis fraudulenti. Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.* Fraudulentus est etiam ille qui cum ante confessorem est, cogitat qualiter aliquid de male ablato retineat, et non restituat. Glossa autem quædam moralis dicit, quod restituit dolendo, confitendo, satisfaciendo, et pro reatu suo orando.

Hoc est igitur quod dicit : « *Reddo quadruplum.* »

« Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahæ. » 9

« *Ait Jesus ad eum,* » scilicet Zachæum, recipiens et oblationem, et approbans satisfactionem.

« Quia hodie, etc. »

Pleonasmos videtur in conjunctione quam præmittit, nisi suppleatur oratio, sic quod dicatur : Manifestum est per tuam conversionem « *quia hodie,* etc. »

Dicit autem tria, scilicet, salutem domui factam per introitum Domini, et in quo salus illa facta sit, et quod hæc salus fiat de intentione Domini in domum introeuntis.

De primo horum dicit quatuor, scilicet, salutem, tempus opportunum saluti, et cui data sit salus, et quod est facta salva domus de deperdita domo.

De salute quidem dicit :

« Quia hodie salus, »

Gratia scilicet salvans a peccato, et a recidivi periculo. Psal. XLIII, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos,* scilicet, dæmonibus et peccatis. Jerem. XVII, 14 : *Sal-*

vum me fac, et salvus ero, quoniam laus mea tu es. Psal. LIX, 7 : *Salvum fac dextera tua, et exaudi me.*

« *Hodie,* » tempore acceptæ pœnitentiæ. II ad Corinth. VI, 2 et 3 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

« Domui huic facta est. »

Quia eliminata spurcitia dæmonum facta est domus Dei, Christi, et sanctorum Apostolorum, et Angelorum, quam ipse Deus inhabitando consecravit sibi. Et magis hoc dicit de domo mentis, quam de domo exterioris habitationis. Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Domus ad secum habitandum : porta cœli ad intrandum in regnum. Domus (inquam) habens thalamum contemplationis, cœnaculum meditationis, mensam refectionis, aulam deambulationis cum amicis, consistorium discussionis, coquinam præparationis, lavatorium confessionis, et templum orationis, et speculam custoditionis ab insidiantibus inimicis. Hæ enim sunt officinæ magnæ domus. Et præter hæc omnia, habens apothecam optime fragrationis, et armamentarium militum ordinatorum in præsidium expugnationis, et thesaurariam summarum divitiarum divinæ ditationis, et domum disciplinæ et eruditionis.

Et de omnibus his dabimus exempla.

De thalamo enim castæ contemplationis, in qua sanctis Rachelis amplexibus vacandum est, dicitur in Psalmo XVIII, 6 : *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* In hoc thalamo est lectus sinceræ delectationis in veritate, et lucerna luminis in veritatis illustratione. Et de lecto quidem dicitur, Cantic. I, 15 : *Lectulus noster floridus.* De lucerna autem in Psalmo CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

Cœnaculum occupat sacra meditatio, quæ sternit totum discubitum ad recumbendum. Meditatio enim frequens reditus est mentis super audita prius vel inventa. In hoc enim reficitur Christus. Marc. XIV, 15 : *Ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum, et illic parate.* Sed, heu! hodie ista pastophoria domus sunt diruta : quia non est hodie qui in lege Dei (sicut deberet vir sanctus, ut dicit Psalmus I, 2) meditetur die ac nocte. Et illud plangit Judas Machabæus [1].

In hoc cœnaculo est mensa quidem Scripturæ, et mensa Eucharistiæ, et mensa eleemosynæ. De mensa Scripturæ dicitur, Luc. XXII, 29 et 30 : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo,* hoc est, in Ecclesia. De mensa Eucharistiæ dicitur in Psalmo XXII, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* De mensa pauperum quæ fit in eleemosyna, Tob. II, 2 : *Vade, et adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, ut epulentur nobiscum.* Job, XXXI, 17 : *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

Aula autem deambulationis cum amicis, est consideratio exemplorum, et conversationis Sanctorum. II ad Corinth. VI, 16 : *Inhabitabo in illis, et inambulabo.* Sic deambulavit David in aula solarii domus suæ, quando respexit Bethsabee [2], hoc est, Christus quando tulit Ecclesiam ab Uria, hoc est, a diabolo.

In hac domo est etiam consistorium discussionis rationis de omnibus omissis et commissis, sicut dicitur, Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

Ibi est coquina præparationis : sicut dicitur, Ezechiel. XLVI, 20, ubi dicit, quod

[1] Cf. I Machab. IV, 38 et 57.

[2] Cf II Reg. XI, 2.

coquinæ sunt in domo templi. Hæc autem coquina est compunctionis, coquens in igne doloris, et parans sapores optimos : sicut dicit Psalmus XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Hæc est Rebecca parans hœdos peccatorum, sicut libenter novit vesci patrem nostrum [1]. Hæc est Sara focaria faciens panes gratiæ sub cinere humilitatis pœnitentiæ, de simila mundissimæ conscientiæ [2].

Hic est lavatorium confessionis, in quo lavantur manus et membra omnia, significatum per labium sive luterem quem fecit Moyses [3] : et per mare æneum quod ante domum fecit Salomon [4].

Hic est templum orationis, consideratio cœlestis dispositionis, exemplificatum habens in se arcam continentiæ omnis sanctitatis : tabulas scilicet mandatorum in opere, manna in delectatione conscientiæ, urnam auream in divinitatis capacitate. Apocal. XI, 19 : *Apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.*

Habet etiam speculam altam, fastigium intelligentiæ, in qua custodiunt vigiles domum ab insidiantibus inimicis. Eccli. XXIV, 15 : *Sic in Sion firmata sum.* Sion autem *specula* interpretatur. Isa. XXI, 5 : *Contemplare in specula.*

Habet etiam apothecam (in qua sunt fragrantia) hoc est, virtutum custodiam: quæ habet tres cellas pigmentarias, rationalem, concupiscibilem, et irascibilem. Hæc est cella pigmentaria quam ædificavit Salomon.

Habet etiam armamentarium militum in strenuitate et firmitate armorum spiritualium, in quibus verbum est gladius, fides scutum, galea salus Dei nostri, lorica justitia : sicut dicitur, ad Ephes. VI, 13, 14 et 17. Lancea autem ira per zelum : sicut dicitur, Sapient. V, 18. Hoc armamentarium est descriptum, III Reg. XIV, 28.

Habet etiam thesaurariam, secretum cordis, in quo divitiæ Dei sunt reconditæ, in meritorum valore, in donis gratiæ, in auro sapientiæ, in argento eloquentiæ, in lapidibus operum. Matth. XII, 35 : *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Matth. XIII, 52 : *Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.*

Habet etiam promptuaria, studia bona, et consuetudinis facilitatem : ex quibus facile abundat in omnes sumptus. Psal. CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.*

Habet etiam scholam disciplinæ, sacram lectionem, vel auditum divinorum in prædicatione. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.*

Sic igitur domus ista disponitur in officinis.

Est autem hæc domus quadruplex in ædificii dispositione. Est enim superior, et inferior, et exterior, et interior. Superior quidem est cœlestis. III Reg. VIII, 30 : *Exaudies in loco habitaculi tui in cœlo.* Inferior autem est mundus, in qua in creatura sua cernitur Deus : et de hac ad litteram dicitur, Baruch. III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus !* De superiori autem dicitur etiam, Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Exterior autem est Ecclesia, de qua dicitur, Joan. II, 16, et Matth. XXI, 13 : *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Augustinus : « In oratorio nemo aliquid « agat, nisi ad quod factum est, unde et « nomen accepit : ut si forte præter horas « constitutas aliqui orare voluerint, non « eis sint impedimento qui ibi aliquid « agendum putaverunt. » De interiori autem quæ est conscientia, dicitur, Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa,* scilicet sapientia.

[1] Cf. Genes. XXVII, 9.
[2] Cf. Genes. XVIII, 6.
[3] Cf. Exod. XXX, 18 et 19.
[4] Cf. III Reg. VII, 23 ; II Paralip. IV, 2.

Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitia et gaudium.

Hæc domus gaudet patrono Domino, matrona regina cœli Virgine Maria, familia sanctis omnibus, et ministris sanctis Angelis. Habet autem figuram crucis. Et de omnibus his fit mentio in præfatione quam dicit Episcopus in consecratione Ecclesiæ.

De patrono quidem, Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei.* De familia in Psalmo LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Luc. XI, 7 : *Pueri mei mecum sunt in cubili.* Isa. VIII, 18 : *Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus.* De matrona dicitur, III Reg. II, 19, quod posita est sedes matri regis juxta thronum regis. Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* De ministris Angelis dicitur, ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis ?*

Horum ministrorum ordines ita mirabatur regina Saba, III Reg. X, 5, quod *non habebat ultra spiritum.* Regina autem significat Ecclesiam in omni congregatione fidelium. In hujus rei testimonium, in loco ubi fundandum erat templum in Bethel, quæ *domus Dei* interpretatur, vidit Jacob scalam, cujus summitas cœlos tangebat, et Dominum innixum scalæ desuper, et Angelos descendentes et ascendentes per eam [1] : ut ascendentes vota fidelium in cœlum ferrent, et descendentes gratias donorum et petitorum in oratione referrent exauditionis.

Hujus figura est crucis figura, propter quod omnis basilica in honorem sanctæ crucis consecratur principaliter : sicut patet in præfatione Episcopali dedicationis Ecclesiæ. Et est quidem caput crucis super sancta sanctorum, brachia in extensione latitudinis crucis, et longitudo stipitis per sancta, quæ sunt corpus Ecclesiæ, ubi est locus plebis : ut quasi Dominus extensus super domum, facie altare videatur respicere, et extensis manibus sancta sanctorum amplecti, et longitudine corporis sancta tegere videatur. Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Hoc litteraliter fuit super templum. *Et plena erat omnis domus majestate ejus,* hoc est, chorus, qui est sancta sanctorum. *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum*, hoc est corpus Christi a peccatore inferius. Sicut enim Dominus dicit : *Ego si exaltatus fuero a terra*, id est, in cruce, *omnia traham ad meipsum* [2]. Ita disponimus domum, et eum desuper extentum significamus : ad quam convenimus orantes, ut nos trahat ad seipsum.

Hæc domus adhuc habet fundamentum Apostolicam et Catholicam fidem stantem supra petram solidam confessionis Beati Petri, principis Apostolorum. Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, hoc est, in doctrinis Apostolicis. Et in hujus signum, cruces in Ecclesia fiunt in honore et numero Apostolorum.

Hujus Ecclesiæ parietes in altum surgentes sunt merita spei, quæ ex quatuor virtutibus eliciuntur. Eccli. L, 1 et 2 : *In vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, et excelsi parietes templi.* In vita enim fulcire domum, est domum inhabitationis divinæ in conversatione vitæ per virtutes construere. Fundare autem templum, est in fundamento veritatis fidei totam habitationem firmiter collo-

[1] Cf. Genes. XXVIII, 12.

[2] Joan. XII, 32.

care. Duplex ædificatio est, quod contemplativa quidem sancta sanctorum, activa autem sancta contineat. Excelsi parietes quatuor eriguntur, dum opera meritorum a quatuor cardinalibus virtutibus elicita, per spem altissimam in cœlum porriguntur. Sic enim spes elevat templum : quia sicut dicitur, ad Hebr. VI, 18 et seq. : *Nos confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis,* hoc est, in cœlum, *ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Compaginatio autem superior quæ per modum testudinis concludit totum et tegit, est charitas, de qua dicitur, ad Ephes. II, 21 et 22 : *Omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino : in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Spiritus autem sanctus charitas est.

Sic ergo ædificatur templum.

Ostium autem hujus templi est Christus cum omnibus suis sacramentis. Et ideo in consecratione Ecclesiæ, crux in nomine Christi fit super ostium : quia Christus dicit, Joan. X, 9 : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Cum autem Christus cum omnibus suis sacramentis sit ostium, intrat per ostium qui participationem et communionem habet sacramentorum. Psal. XCIX, 3 : *Introite portas ejus in confessione.*

Habet autem etiam hæc domus columnas septem quibus innititur, quæ sunt septem Christi sacramenta, quæ omnia sustinent et sanctificant quæ sunt in domo, quæ sunt Nativitas, Circumcisio, Baptismus quo baptizatus est Christus, Passio, Descensus ad inferos, Resurrectio, Ascensio, quæ stant in parte una : et septem sacramenta ab his virtutem trahentia, quæ stant in latere alio ex parte nostra, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium. Et de primis septem dicitur, Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* De secundis autem quantum ad effectum remissionis peccatorum dicitur, IV Reg. V, 10 : *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.*

Hæc domus consecratur oleo, aqua, cinere et sale et vino commixta. Oleo sancto altare bis cruciformiter ungitur, et chrismate tam altare quam domus tota cruciformiter consecratur. Alphabetum græcum et alphabetum latinum de angulo in angulum cruciformiter scribuntur. Pallis altare vestitur, et sic domus in habitaculum Dei perficitur.

Aqua quidem expiationis est fons de latere templi dextro egrediens, sicut dicitur, Ezechiel. XLVII, 1, est aqua sapientiæ et gratiæ divinæ, cum aqua lacrymarum, quæ a corde per oculos producitur. Psal. L, 9 : *Asperges me hyssopo, et mundabor :* quia hyssopus sanguinem purificat : *lavabis me, et super nivem dalbabor.* Hæc immixtum habet salem, ut diximus, divinæ sapientiæ, suo sapore omnia condientem. Matth. V, 13 : *Vos estis sal terræ.* IV Reg. II, 21, sanavit Eliseus aquas, immittendo in eas sal : quia non placent Deo aquæ nostræ expiationis, nisi sale sapientiæ sint conditæ. Job, VI, 6 : *Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum?* Habet etiam immixtum cinerem humilis recordationis nostræ futuræ incinerationis, ut contrahat acumen, et efficacius maculas nostras lavare possit. Et hoc significatum est, Levit. XVI, 27, ubi præcepit Dominus, quod cineres vitulæ rufæ in aquam expiationis tabernaculi immitterentur. Vitula enim rufa petulantiam significat, quæ temperatur et infrigidatur quando fit recordatio incinerationis. Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra et cinis?* Et sicut diximus, aqua ex hoc contrahit acumen abluendi sicut lixivia. Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis statum meum ri-*

gabo, hoc est, per singulas peccatorum obtenebrationes, et ubi molliter in peccato quievi. Vinum autem est commixtio cœlestium gaudiorum, in aquis expiationem facientium. Genes. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam,* hoc est, conversationem vitæ servavit.

Sic ergo expiatur domus intus et extra.

Ungitur autem oleo misericordiæ divinæ : quia spes misericordiæ divinæ et lenit dolorem compunctionis, et pascit mentem devotionis, et lucentem et claram facit faciem exhilarationis spiritualis : si ex ea in crucis, hoc est, redemptionis forma homo perungatur bis : semel ad remissionem peccatorum, et secundo ad lenimentum laborum et pœnarum. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Et hoc est oleum, quod Samuel effudit super David [1]. Chrisma autem odorem significat divinæ bonitatis, totum cœlum et totam terram implentis. Et ideo tota domus et altare cum isto cruciformiter unguntur : significando, quod nisi ungamur divina bonitate, odorem Dei non habemus in virtutum fragrantia. Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Altare autem significat cor humanum, super quod omnia illa fieri debent. Isa. XIX, 19 : *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus.* Altare enim cordis in medio est corporis, quod est terra Ægypti : quia non in corpore nisi mœror et tenebræ. Titulus tamen imaginis Dei est ad terminum ejus, hoc est, in summitate spiritus in mente. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Pallæ autem sunt albissimæ innocentiæ candores in conversatione vitæ. Apocal. III, 4 : *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.*

Hæc est igitur domus, de qua dicit : « *Quia salus hodie die huic domui facta est.* » Si autem facta est salus, ante non fuit ei salus, cum non esset domus Dei. Et hoc quidem est verum : quia sic salus fit ei, et efficitur salvans ad se fugientes. Et ideo Pontifex consecrator domus sub interminatione anathematis præcipit, ut sit salva a violentia cum rebus in se contentis, et cum omnibus ad eam confugientibus. Unde, III Reg. VIII, 38 et 39, dicitur : *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo, in loco habitationis tuæ.*

Sic ergo « *salus domui huic facta est.* » Cujus signum erat, ut Isaiæ, VI, 4, legitur, quia templum impletum est nebuloso fumo [2]. In cujus signum Pontifex incendit thura super altare, in tantum quod fumus omnibus apparet consurgens in domo : quia iste est fumus devotionis, qui consurgit ab altari cordis per ignem charitatis in oratione. Unde, III Reg. VIII, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:* Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris ?*

Sic ergo « *salus hodie,* » per ingressum summi Pontificis cum familia et ministris, « *domui huic facta est.* »

Quod autem hæc salus tota referatur ad hominem, ostendit, cum subdit :

« Eo quod et ipse filius sit Abrahæ. »

Per hoc autem quod dicit : « *Et ipse,* » quidam dixerunt, quod Zachæus esset Gentilis. Ac si dicat : Non tantum Judæus, sed etiam ipse qui Gentilis est, factus est filius Abrahæ per imitationem fidei et conversationis, et per hæreditatem promissionis. Sed hoc non est probabile :

[1] Cf. I Reg. XVI, 13.

[2] Isa. VI, 4 : *Et domus repleta est fumo.*

quia, Matth. xv, 24, dicit Christus : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Adhuc autem, Matth. x, 5, præcepit : *In viam Gentium ne abieritis.* Et quod ipse tunc ad Gentiles declinaverit, non est verisimile. Adhuc autem, Joan. iv, 8, primo noluit intrare ad Samaritanos, sed præcepit discipulis ut cibos emerent. Et hoc est concedendum : quia post ascensionem, cum pertinaciter et finaliter Judæi repulerunt verbum prædicatæ fidei, tunc primo Dominus spirituali gratia se convertit ad Gentes.

Unde sensus est : « *Eo quod et ipse,* » de magnis peccatis recenter conversus, « *filius sit Abrahæ,* » per fidei imitationem, et promissionis hæreditatem : sic ut alii qui innocentiam Abrahæ retinuerunt, et non solum Pharisæi, qui murmurant quod ad hominem peccatorem divertit, dicere nihil possunt, cum ipsum peccatorem vident in filium Abrahæ conversum. Ad Roman. ix, 6 et seq. : *Non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* Joan. viii, 39 : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

Sic ergo domus in domino domus consecuta est salutem. Hoc autem dicit finem esse sui adventus : et ideo non esse murmurandum, si ipse facit hoc propter quod venit in mundum.

Et hoc est quod sequitur :

10 « Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. »

Tangit duo, scilicet, naturam secundum quam venit, et finem ad quem venit.

Primum tangit cum dicit : « *Venit enim Filius hominis,* » quia secundum hoc quod est Filius hominis venit, cum in natura hominis apparuit : secundum autem quod est Filius Dei, ubique est, et nusquam venit, nec ab aliquo loco recedit. De hoc adventu dicitur, ad Galat. iv, 4 et 5 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Joan. xvi, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.*

Sic ergo venit « *quærere,* » ad vitam gratiæ, « *et salvum facere,* » per vitam gloriæ, « *quod perierat,* » per errorem et vitia conversationis vitæ.

Primum horum trium significatur, Genes. xxxvii, 16, ubi dicit Joseph : *Fratres meos quæro.* II ad Timoth. i, 17 : *Sollicite me quæsivit, et invenit.* Sic ergo circuiens in mundo, in se, et in suis, quod perierat quæsivit. Unde, Ezechiel. xxxiv, 11 : *Ecce ego ipse requiram oves meas.* Et, ibidem, ℣. 4, improperat malis Prælatis vicariis suis in cura pastorali, dicens : *Quod perierat non quæsistis.* Luc. xv, 32 : *Perierat, et inventus est.* Sic ergo quærit visitando per gratiam, vocando per verbum, trahendo per beneficium, flagellando per adversitatem. De primo dicitur, Luc. i, 78 et 79 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto : illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* De secundo, Job, xix, 16 : *Ore proprio deprecabar illum,* hoc est, servum meum. Matth. iv, 19 : *Ait illis : Venite post me.* Psal. xciv, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Joan. x, 3 : *Propoias oves vocat nominatim,* scilicet, per beneficia. Exod. xxxiii, 17 : *Invenisti enim gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine.* De quarto, Isa. xxviii, 15 : *Flagellum inundans non veniet super nos,* quia per omne flagellum Deus erudiet Jerusalem.

Sic ergo quærit « *salvum facere* » ad gloriam. Joan. iii, 15 : *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Matth. i, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« *Quod perierat,* » per errorem. Isa.

LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum.* Sic filius prodigus *perierat, et inventus est* [1].

Hoc est igitur quod dicit in hoc exemplo : ubi ostendit quod bona dispensatio commissi talenti in bonis exterioribus, causa est electionis secundum præsentem justitiam.

11 « Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem, et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.

12 Dixit ergo : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. »

Hic hoc idem, quod exemplo præostendit, parabala instruit.

Tangit autem duo. Unum quidem est quod præmittit, qua necessitate hanc parabolam inducit : et aliud est doctrina parabolæ.

Dicit igitur : « *Hæc,* » quæ dicta sunt, « *illis audientibus,* » et ore concluso tacentibus. Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.*

Illis audientibus, dico, ut etiam ingratos instrueret, regnum suum de hoc mundo non esse : « *adjiciens* » præhabitis, « *dixit parabolam,* » sermonem similitudinarium, ostendentem quod regnum suum non esset temporale.

Hujus autem causa erat, quod sequitur : « *Eo quod esset prope Jerusalem,* » ubi erat sedes regni terreni. « *Et quia existimarent* » discipuli, et alii qui audierunt eum, debere salvare quod perierat, « *quod confestim,* » quando veniret Jerusalem, « *regnum Dei,* » quod in potestate terrena, sicut fuit sub David, « *manifestaietur* » in ipso Christo. Unde etiam sacerdotes accusaverunt eum, Joan. XIX, 12 : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Ipse autem de regno terreni principatus non intellexit, sed de regno gratiæ : sicut diximus sæpe. Et ideo ad corrigendum errorem istum, inducit hanc parabolam.

Hæc autem parabola habet duas partes : in quarum prima ostenditur, qualiter quidam de suis ordinavit cum recessit : in secunda autem ostenditur, qualiter commissum exegit cum rediret.

In prima autem tria facit, in quorum primo ostendit, quare recessit : in secundo, qualiter de utilitate sua cogitans, bona sua per servos suos ad lucrandum ordinavit : in tertio, qualiter a quibusdam malevolis, insidiantibus honori suo quantum in ipsis erat, ab intentione sua impeditus fuit.

In primo horum dicit tria : altitudinem scilicet abeuntis, et quod abiit, et ad quid.

De primo dicit : « *Dixit ergo* » parabolice, significans quod prius esset in cœlum eundum, antequam regnum inciperet divinum. Et hoc dixit parabolice. Eccli. XXXIX, 3 : *Occulta proverbiorum exquiret sapiens, et in absconditis parabolarum conversabitur.*

« Homo quidam. »

Describit hunc dupliciter : a natura, et natalibus.

A natura cum dicit : « *Homo quidam.* » Est autem homo iste Christus, ab humanitate assumpta homo dictus. Psal. LXXXVI, 5 : *Homo natus est in ea.* Ad Philip. II, 7 : *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Homo etiam est ab hominis proprietate; quia humanus et mansuetus erat. Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

Sic igitur est homo « *quidam.* » Non

[1] Luc. XV, 32.

nominatur autem, quia nomen suum est ineffabile et inenarrabile. Genes. XXXII, 29 : *Cur quæris nomen meum*, quia ipsum est mirabile? Psal. CXLIII, secundum aliam translationem : Homo est, et quis cognoscet eum [1] ?

« Nobilis. »

A natalibus describit. Nobilis enim erat ex parte matris, et nobilior ex parte Patris. Ex parte matris pertinet ad eum nobilitas regni David. Luc. I, 32 et 33 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Ex parte autem Patris regnum habet cœleste, et est Filius summi Regis. Ad Philip. II, 9 et seq. : *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.*

Sic ergo est « *homo nobilis.* »

Talis igitur ac tantus

« Abiit in regionem longinquam. »

Hic est enim nobilis, de quo dicitur, Proverb. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* Eccle. X, 17 : *Beata terra cujus rex nobilis est.*

Hic ergo « *abiit.* » Non abiisset autem nisi prius venisset. Et ideo notantur hic quatuor, scilicet, unde abiit, et qualiter abiit, et quo abiit, et ad quid abiit.

Unde abiit : quia de mundo ad quem venit. Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Et hæc regio sibi peregrima fuit secundum divinitatem. Jerem. XIV, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?* Joan. XVI, 28 : *Exivi a Patre, et veni in mundum.*

Ab hoc ergo mundo « *abiit,* » quando de loco in quo fuit recessit. Et hoc dupliciter. In Judæa enim fuit, sicut dicitur in Psalmo LXXV, 2 : *Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.* Et ad gentes recessit per Apostolorum prædicationem. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.*

« *Abiit* » etiam a visibili mundo factus invisibilis. Joan. XVI, 16 : *Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.*

Ecce unde et qualiter « *abiit.* »

« *In regionem longinquam,* » hoc est, in cœlum. Quæ regio a carnis natura et actibus longe usque ad illud tempus distabat : quia non erat in cœlo aliqua conversatio hominis. Isa. LV, 9 : *Quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Proverb. VII, 19 et 20 : *Non est vir in domo sua,* hoc est, in Ecclesia : *abiit via longissima : sacculum pecuniæ,* hoc est, corpus gloriosum cum thesauro gloriæ, *secum tulit in die plenæ lunæ* : in consummatione sæculi *reversurus,* cum omnis mutabilitas cessabit, et stabit ad immutabilitatem. Sic etiam abiit in verbo fidei ad Gentes quæ longe erant. Eccli. XXIV, 44 : *Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum.*

Hoc est ergo quod dicit : « *In regionem longinquam.* »

« Accipere sibi regnum, et reverti. »

Duo tangit in intentione : unum est potestatis, alterum judicii.

[1] Vulgata habet, Psal. CXLIII, 3 : *Domine, quid est homo, quia innotuisti ei ?*

Potestatis quidem, « *accipere sibi regnum,* » hoc est, sicut sæpe diximus, completam potestatem regnandi in justitia in Ecclesia. Hoc autem regnum accepit quidem a Patre sicut a datore. Psal. II, 6 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Psal. II, 8 et 9 : *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea,* hoc est, in potestate domante eos. Hoc igitur licet acceperit a Patre per generationem æternam, tamen in jurisdictionem et possessionem perfectam intravit per Apostolorum prædicationem. Psal. XXI, 29 : *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur Gentium.* Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.*

Vel, « *accipere sibi regnum,* » non quidem sibi in se, qui semper hoc habuit : sed « *accipere sibi,* » hoc est, suis, « *regnum* » cœlorum. Et hoc fecit quando eos in die Ascensionis secum in regnum introduxit. Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Et hoc quasi in idem redit cum priori : quia sui ex parte maxima erant in gentilitate convertenda. Psal. CV, 47 : *Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.* Apocal. XII, 10 : *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus : quia projectus est accusator fratrum.* Tunc enim erit ablata diabolo potestas, et data Domino. Unde Augustinus : « Venale habeo, venale habeo. « Quæris quid ? Regnum cœlorum. Quo « emitur ? Paupertate regnum, labore « requies, dolore gaudium, vilitate hu- « militatis gloria, et morte vita. »

Sic igitur abiit accipere sibi regnum in se et in suis, « *et reverti* » in mundum ad judicium. Act. I, 11 : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Sic etiam redibit in Israel, qui in fine convertetur post conversionem plenitudinis Gentium. Ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Isa. X, 21 : *Reliquiæ convertentur : reliquiæ, inquam, Jacob, ad Deum fortem* exercituum.

Sic ergo intendit reverti.

« Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio.

Cives autem ejus oderant eum : et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. »

Ecce qualiter disponens de rebus suis post se, recessit.

Et tanguntur hic duo : qualiter scilicet bona sua tradidit fidelibus, et qualiter infideles se habuerunt ad ipsum.

In priori autem horum tria dicit, scilicet vocationem fidelium, commissionem talentorum, et indictionem negotiationum.

De primo dicit : « *Vocatis autem decem servis suis,* » hoc est, fidelium perfectione et universitate, qui decalogi operibus perfecti fuerunt : eo quod, sicut supra diximus, decem perfectiones habet quodlibet opus : tres quidem in corde, tres in virtute operativa, et tres in opere, et unam in intentione. Tres in corde, ut fiat ferventer, sapienter, et plena animi tranquillitate : tres in virtute, ut fiat virtute alta non declinabili, forti et invincibili, justa potestate et ordinata : tres in opere, ut fiat licitum secundum legem, consulte secundum deliberationem, et recte secundum virtutem : unam autem habet in intentione, ut fiat pure propter Deum. Ecce propter quid *decem* vocantur, qui de novo decalogi sunt subjecti.

Tunc enim cum abiit, neminem misit nisi de Judæis, qui omnes decalogo serviebant. Psal. XXXII, 2 : *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Psalterium autem, ut dicit ibidem Glossa, ad perfectionem refertur operationis.

Sic ergo « *vocatis decem servis suis,* »

« Dedit eis decem mnas. »

Utrum autem cuilibet decem dederit, vel cuilibet unam non est perspicuum. Nisi quod infra, ℣. 16, ubi vocantur ad reddendam rationem, quilibet dicit : *Mna tua decem mnas acquisivit* : ex quo videtur quod cuilibet unam dederit. Et hoc esse supponatur, quia hoc est ex littera acceptum.

Dicit autem Glossa quod mna pondus est decem drachmarum, et secundum hoc, cum decem mnas dedit, drachmas dedit centum. Per centenarium autem perfectio significatur decalogi : quia dum illa decem quæ diximus, in quodlibet opus decalogi fuerint multiplicata, surgit in quadrum : dicitur centenarius, in quo ratione jam dicta significatur operis perfecti universaliter conversatio. Isidorus autem dicere videtur, quod mna in ponderibus centum drachmis appenditur. Ezechiel. XLV, 12, autem dicitur, quod *viginti sicli, et viginti quinque sicli, et quindecim sicli mnam faciunt.* Sed ista non sunt ad propositum : quia hæc secundum diversa pondera sunt majora et minora, secundum quod pondus est legale, et usuale, et pondus sanctuarii : legale enim majus est usuali, et pondus sanctuarii majus est legali : et secundum diversitatem gentium et civitatum ista variantur.

Accipiamus ergo quod cuilibet dedit mnam in pondere et quantitate diversam, secundum proportionem virtutis eorum. Unde, Matth. XXV, 15, dicitur, quod *dedit unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.*

Tangit autem hic numerum, et pondus, et mensuram : quia in denario ponit numerum, in mna ponit pondus, in virtute servi ponit mensuram secundum diversitatem quantitatis ponderis. Sapient. XI, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.* Ita, IV Reg. IV, 5, vidua infudit oleum secundum capacitatem vasorum. Hæc autem significant dona gratiarum, quæ, I ad Corinth. XII, 8-10, enumerantur, quia *alii per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii sermo scientiæ in eodem Spiritu : alteri fides in eodem Spiritu,* et sic de aliis. Ita quod de servis domini, nullus est qui non de bonis domini mnas accipiat : ad numerum gratiarum, et pondus valoris, et mensuram suæ capacitatis.

« Et ait ad illos, »

Datis talentis pro quolibet : « *Negotiamini dum venio,* » rationem exacturus. Per negotiationem autem vult inducere talenti commissi multiplicationem. Sicut oleum viduæ per vasa est multiplicatum, et sicut semen multiplicatur seminatum : ita dona gratiarum multiplicantur in alios sparsa, et congesta putrescunt. Unde, Matth. XIII, 45, dicitur, quod *simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas,* hoc est, pretiosas animas, in quibus bona sua multiplicet.

Ex his igitur accipitur intellectus litteræ.

Spiritualiter autem dicuntur in hoc verbo sex, scilicet ministrorum vocatio, vocatorum conditio, ponderis acceptio, gratuita collatio, accepti numeratio, et negotiationis indictio.

Primum notatur per hoc quod dicit : « *Vocatis,* » tripliciter : per internam Spiritus inspirationem, per exteriorem admonitionem, et per officii injunctionem. De interna Spiritus inspiratione dicitur, Act. XIII, 2 : *Dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Sic enim sanctitate Spiritus ab aliis debet esse segregatus, qui ad prælationem

vocatur. De exteriori admonitione, quæ est electio, dicitur, Luc. VI, 13 : *Elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit.* De officii impositione, ad Titum, I, 5 : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ : ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi.* Aliter nisi sic vocatus, non constituitur in ministerio Domini. Ad Roman. X, 15 : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Ad Hebr. V, 4, 5 et 6 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum:... Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ecce modus vocationis.

« *Servis suis.* » Hæc est conditio vocatorum, ut se servos sciant, non dominos. Matth. XX, 25 et 26 : *Scitis quia principes Gentium dominantur eorum... Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.*

Ponderis autem acceptio notatur in hoc quod « *dedit eis decem mnas.* » Et de hoc satis sufficienter in expositione litteræ dictum est.

Gratuita autem collatio notatur in hoc quod dicit : « *Dedit,* » non vendidit : ut eos moneret, ne et ipsi sibi donata venderent. Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Et de hoc etiam sæpe satis dictum est.

De accepti etiam muneris numeratione per denarium, jam satis dictum est.

Negotiationis autem indictio notatur cum dicitur : « *Negotiamini dum venio.* » Sancta enim est ista negotiatio, qua ad usuram proximo impenditur talentum acceptum, ut fiat multiplicatum tam in intellectu quam in affectu, et in opere proximi. Proverb. XIX, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis,* hoc est, fœneratur ad utilitatem et lucrum Domini, qui pauperi spiritualiter vel corporaliter mutuat dona Domini. Sed, heu ! hodie servi Dei clerici et religiosi adhuc plus negotiationem spiritualem converterunt in temporalem, et domum Domini fecerunt domum negotiationis temporalis, quæ cum fraude et mendaciis exercetur : et ideo negligentes sunt in negotiatione spirituali. Eccli. XXVI, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia : et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.* Osee, XI, 12 : *Circumdedit me in negatione Ephraim.* Nahum, III, 16 : *Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cœli.*

« *Dum venio* » dicit, rationem habiturus de omni commisso, sive corporali, sive spirituali talento.

« Cives autem ejus oderant eum. »

Hic tangitur, qualiter ab indevotis recessit. Cives autem ejus specialiter dicuntur Judæi, de quorum civilitate natus est Christus. Ad Roman. IX, 5 : *Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem :* hi enim in civitate sua habitabant. Psal. LXXXVI, 4 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei :* sed postea facti sunt perversi. Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

Sunt aliter cives isti, dilectores mundi qui odiunt Christum. Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

Hi cives sunt civitatis mundi, de qua dicitur, Osee, VI, 8 : *Galaad, civitas operantium idolum, supplantata sanguine.* Idola enim vanitatis colit, et peccatis de corrupto sanguine exortis supplantatur. Osee, XI, 9 : *Deus ego, et non homo : in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.*

Cives autem hujus civitatis sunt iniqui : custodes ejus sunt cæci per ignorantiam, et claudi per rectum gressum virtutis. II Reg. V, 6 : *Non ingredieris in civitatem, nisi abstuleris cæcos et claudos,* scilicet qui sunt super murum, odientes animam David, hoc est, Christi.

Hi etiam sunt cives Christi. Joan. I, 10 : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*

Sic ergo dicitur, quod « *cives ejus oderant eum.* »

Ideo,

« Et miserunt legationem post illum. »

Hæc legatio est tota multitudo tyrannorum persequentium Christum in suis, et hæreticorum veritati ejus contradicentium, et falsorum Christianorum virtutes ejus corrumpentium. Usque hodie enim non cessant tales mittere legatos satellites diaboli. Hi significantur, Apocal. XII, 15, per flumen quod draco emisit ex ore suo, ut flumine mulierem parturientem, hoc est, Ecclesiam, faceret ad se trahi, et sic regnum Christi absorberet. II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

« *Dicentes,* » ipso facto :

« Nolumus hunc regnare super nos. »

Job, XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus.* Hoc significatum est, Isa. VIII, 6 et 7 : *Eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin et filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum.* Siloa interpretatur *missus*, et significat secundum intellectum litteralem, regnum David et Christi, quod cum pace et tranquillitate silentii conscientiæ imperat. Hoc autem abjicit populus Judæorum et mundi, et elegit magis esse sub regno Rasin, qui interpretatur *impius*, et significat diabolum. Elegit etiam esse sub regulo Romeliæ, qui interpretatur *supplantans laborantem*, et significat mundum, qui omnem in se laborantem supplantat. Ideo adducet Dominus post mortem super eos aquas tribulationum fluminis continuo affluentis in fluminibus inferni, qui sunt Cocytus, et Lethes, et Styx, et alii fluvii infernales, in rege Assyriorum diabolo, qui sicut dicitur, Job, XLI, 25, *Est rex super universos filios superbiæ :* quia Syria *sublimis* interpretatur.

Hoc est ergo quod tota die clamant verbis et factis : *Nolumus hunc regnare super nos* [1] *:* cum tamen servire sibi, regnare sit, sicut dicit Gregorius. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.*

« Et factum est ut rediret accepto regno. » 15

Hic agitur de reditu Domini ad rationem audiendam.

Tanguntur autem hic tria, scilicet, qualiter rediit : qualiter ab his, quibus bona commisit, rationem exegit : qualiter in odientes se vindicavit.

De primo dicit : « *Et factum est,* » dispositione divina, « *ut rediret.* » Tripliciter redit Dominus, mentaliter, temporaliter, et æternaliter : mentaliter, cum cujuslibet mentem visitat : temporaliter, cum in peccatores persecutionem temporalem procurat : æternaliter, cum post mortem aut æternaliter præmiat, aut æternaliter condemnat.

Mentaliter venit convertendo. Act. IX, 5 : *Quis es, Domine ? Et ille : Ego sum Jesus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Temporaliter venit super Judæos in potestate Titi et Vespasiani, quando Jerusalem destruxit. Luc. XIX, 43 et 44 : *Venient dies in te,... et coangustabunt te inimici tui undique, et ad terram pro-*

[1] Luc. XIX, 14.

sternent te, et filios tuos qui in te sunt.

Æternaliter. Matth. xxv, 31 et 32 : *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis.* Et, infra, ℣℣. 34 et 41 : *Et dicet his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum... Dicet autem his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

Redit enim « *accepto regno,* » hoc est, regnandi et judicandi potestate. Joan. v, 22 : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* I ad Corinth. xv, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus.*

Sic ergo redit « *accepto regno.* »

« Et jussit vocari servos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. »

Istud est secundum. Et dicit tria, scilicet, servorum citationem, servorum rationem, et immiscet huic tertium, quod ponit servorum pro stipendiis meritorum condignam remunerationem.

Citatio ponitur in hoc quod dicit : « *Jussit.* »

Duo dicuntur : citatio peremptoria, et ad quid citantur.

Citatio peremptoria notatur in hoc quod dicit : « *Jussit vocari.* » Jussit autem per Angelos fieri istam citationem. I ad Thessal. iv, 15 : *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* Vox autem Archangeli secundum unam expositionem est vox Angelorum vocantium ad judicium. Hæc vox est, ut dicit Hieronymus, quod virtute intellectuali dicent Angeli : Surgite, mortui, et venite ad judicium.

Sic ergo jussit vocari « *servos suos.* » Quia sicut dicit Psalmista, Psal. lxvii, 34 : *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,* ut hæc vox efficaciter faciat surgere mortuos. Hæc enim vox tubæ est vox Filii Dei, sonans ministerio Angelorum. Joan. v, 28 : *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.* Et supra, ℣. 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.*

Sic ergo vocabuntur « *quibus dedit* » bona sua, quam hic dicit « *pecuniam* » suam. Pecunia enim primo dicta est, ut dicit Augustinus, quæ ad commutationem pecorum est inventa. Bona autem Domini maxime dantur ad pecorum suorum, hoc est, animarum commissarum utilitatem. Psal. lxxii, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*

« *Ut sciret,* » hoc est, per ratiocinium sciri faceret, « *quantum quisque negotiatus esset,* » hoc est, negotiatione talenti accepti lucratus esset in profectibus subditorum. Hoc enim justum est : quia servus non habet aliquid nisi nomine domini sui : et ideo justum est, ut lucrum ad usus domini referatur. Matth. xxv, 19 : *Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.* Luc. xvi, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.* Matth. xviii, 23 : *Assimilatum est regnam cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

« Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. » 16

Hic tangitur de redditione rationis, et lucri.

Et dicuntur hic duo, scilicet, qualiter fideles remunerantur pro lucro, et qua-

liter pigri condemnantur pro malo merito.

In primo adhuc duo dicit, secundum duos qui duplicia lucra reportaverunt domino. Primus ergo inducitur, qui perfecto lucro venit ad dominum : et dicitur hic, et qualiter computavit, et qualiter receptus, et qualiter remuneratus est.

In computatione autem duo sunt : qualiter venit confidenter, et quod computavit sufficienter.

Primum autem notatur cum dicitur : « *Venit autem,* » confidenter, nihil dubitans, et nihil trepidans, et nihil excusationis prætendens. Dubius enim ignorat quid agere debeat in computando : sicut villicus iniquitatis, Luc. XVI, 3 : *Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem?* Et hoc modo sunt quidam, qui etiam non curant scire quid debeant Domino, vel in quanto teneantur : cum tamen lucrum quærat Dominus de omnibus annis vitæ. Isa. XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Multi etiam malam conscientiam habentes trepidant et timent. Sapient. XVII, 10 : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis,* hoc est, in signum futuræ condemnationis. Non etiam excusat torporem. Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Non enim fecit sibi perizomata, quibus verecunda tegerentur : sed ad lucem veniens, scivit quod dicitur, Joan. III, 21 : *Qui facit veritatem, venit ad lucem : ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.*

Sic igitur « *primus,* » dignitate et lucri perfectione.

« Venit. »

Computationem suam jam ante præparaverat quadrupliciter, scilicet, quis esset sumptus, quæ esset computatio, quid in quos expensum, et quod esset superexcrescens lucrum.

Qui sumptus, quia viæ erant periculosæ, et tempora mala in quibus oportebat occurrere hostibus, ædificia magna quæ domino in præsidia et tutelam bonorum ædificari oportuit. Unde, Luc. XIV, 28 : *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* Ita iste ante computaverat quidquid posuit in ædificio, et præsidio virtutis. Et, Ibidem, ℣. 31 : *Sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se.* Sic ergo computat quidquid in pugna pro Deo facit, et sic venit paratus. Hoc igitur modo computat sumptus.

Præordinat etiam quæ sit et de quibus computatio, ne impræmeditatus præoccupetur. Computat enim debita, ut satisfaciat. Computat commissa, ut rationem reddat. Habacuc, II, 1 : *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem meam, et contemplabor ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.*

Computat etiam, quid in quos sit expensum. Non enim in histriones, non in gloriam mundi, sed in pauperes indigentes de familia Domini existentes expendit bona Domini sui. Psal. CXI, 5 et 6 : *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Miseratio enim et commoditas quam fecit Sanctis, centuplum solvent in judicio : et ideo jam sermones computationis iste præordinavit et disposuit.

Superexcrescens etiam lucrum computat, videns quantum lucratus est. Matth. XXV, 20 : *Ecce alia quinque superlucratus sum.*

Et ideo iste paratus et securus venit, dicens :

« Domine, mna tua decem mnas acquisivit. »

Tria dicit : Dominum enim suum recognoscit, bona commissa domino attribuit, lucrum excrescens bonis domini concedit, et non sibi usurpavit.

De primo dicit : « *Domine,* » cujus servus sum ego, et nihil habere possum nisi in nomine tuo. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.*

« *Mna tua,* » non mea. I Paralip. XXIV, 14 : *Quæ de manu tua accepimus, hæc dedimus tibi.* Mna autem ista, donum Dei est quodcumque. In genere autem multiplicatur in tria : in bonum gentis, et hoc accipiunt reges et principes et Episcopi : et in bonum familiæ, et hoc accipiunt illi quibus familiæ committuntur, ut decani, et plebani, et patresfamilias domorum : et in bonum privatum, quod in sui regimine quilibet accipit. Acceptum est donum intellectus in fide, in sapientia, et intellectu, et scientia, et prudentia, et artibus, et consilio, et scientia gubernandi. Et donum affectus in virtute operativa fortitudinis, justitiæ, temperantiæ, spei, charitatis. Et in exterioribus bonis, sicut est nobilitas, sanitas, eloquentia, divitiæ, amicorum prosperitas, et hujusmodi.

Hæc igitur est « *mna tua.* » Joan. XVII, 6 : *Tui erant, et mihi eos dedisti.* Hæc enim filius non de se in se tantum dicit, sed etiam de se in membris.

Et profert lucrum dicens : « *Decem mnas acquisivit.* » Quasi dicat : Dona tua hæc effecerunt : non ego de mea industria, vel viribus hæc facere potui. I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et, Ibidem, ℣. 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.*

Dicit autem quod « *decem mnas,* » quia totum lucrum talenti commissi retulit ad perfectionem decalogi : vel retulit ad illas decem perfectiones, quas sæpius diximus, ita quo domne quod erat in opere, licitum fuit, et honestum, et expediens ad exemplum ædificationis proximorum. In virtute autem operativa sit ad ima indeclinabilis, in vigore virtutis invincibilis, et in potestate rationabilis. In corde autem sit fervens in bonum, lucens ad omne verum, et quietus sive tranquillus ad omnem impulsum. In intentione autem sit semper simpliciter ordinatus ad Deum. Iste enim talis summe lucratus est, ut omne suum lucrum referatur ad regni Dei profectum. Et istæ sunt decem mnæ, quas etiam bonus acquisivit, et in duplum multiplicavit : quia in se quod sic accepit, in alterum propagavit. In hac enim perfectione omnes regni Dei divitiæ consistunt. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

« Et ait illi : Euge, bone serve : quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. **17**

Et alter venit, dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. **18**

Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. » **19**

Hic tangitur receptio istius servi. Recipitur autem in gaudio et signo lætitiæ cordis, et in commendatione, et remuneratio sibi exhibetur.

Dicit igitur : « *Et ait illi* » dominus ejus, benigne suscipiens eum :

« Euge. »

Ecce signum lætitiæ cordis. Matth. XXV, 21 : *Euge, serve bone, et fidelis.* In hoc patet quantum Dominus amat lucrum animarum, quando studentem tali lucro, tanto recipit signo exsultationis. Luc. XV, 7 : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Significat enim hic, *Euge,* affectum gaudentis, et congratulantis. Luc. XV, 9 : *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Et hæc est exsultatio in bonis profectibus spiritualium lucrorum.

Maligni autem spiritus exsultant in profectu malorum, et destructione bonorum. Ezechiel. xxv, 3 : *Dixisti : Euge, euge, super sanctuarium meum, quia pollutum est.* Aliquando autem notat insultationem malorum, quà insultant bonis. Psal. xxxiv, 21 : *Dilataverunt super me os suum, dixerunt : Euge, euge.* Aliquando autem notat adulationem blandientium. Psal. xxxix, 16 : *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi : Euge, euge.* Aliquando autem notat admirationem. Ezechiel. xxvi, 2 : *Euge, confractæ sunt portæ populorum.* Hic autem notat applausum et congratulationem, sicut diximus.

« Serve bone. »

Commendatio est virtutis quadruplicis, justitiæ, benevolentiæ sive charitatis, prudentiæ, et fidelitatis.

Justitiam autem commendat, dicens : « *Serve.* » Justum enim est, quod ille serviat. Luc. xvii, 10 : *Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.* Iste est servus cognoscens se in habitu servi, et non quærens dominari. I Petr. v, 3 : *Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Isa. xlix, 3 : *Servus meus es tu, Israel,* hoc est, rectissime : *quia in te gloriabor.*

Sic ergo dicit : « *Euge, serve.* »

« *Bone,* » hoc est, ad obsequium meum benevole ex charitate quam habes ad me. Joan. xiv, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Iste enim honorem domini sui diligit, qui hunc ad præceptum ejus multiplicare studet, et non quæ sua sunt quærit, sed quæ domini sui. I ad Corinth. xiii, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt,* sed quæ aliorum. I ad Corinth. x, 32 et 33 : *Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Iste ergo est bonus. Malus autem qui quærit quæ sua sunt, et non quæ domini sui. Ad Philipp. ii, 21 : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Sicut sunt servi Jesu Christi, qui dominantur nostri in hoc tempore.

Subjungit autem :

« Quia in modico fuisti fidelis. »

Et in hoc quod modicum sic multiplicavit, notatur prudentia. Hoc enim prudentis servi est, modicum convertere in magnum et multum. Sicut quotidie videmus humiles doctores in plebibus ex parva scientia et eloquentia multum facere fructum, quando modici, hoc est, humiles sunt in oculis suis. I ad Corinth. i, 26 et seq. : *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Sic dicitur, Isa. lx, 22 : *Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.* Sic dicitur, Esther, x, 6 : *Parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit.* Sic dicitur, IV Reg. iv, 1 et seq., quod modicum olei quod vidua habet in lechyto cordis sui, per multiplicia vasa vacua auctum est in omnium debitorum solutionem, et vitæ sui et filiorum sufficientiam. Ecce prudentia maxima quæ hoc facere potuit.

« *Fidelis,* » quia fecit quod dixit. Non spopondit magna, et parva vel nulla fecit : sicut faciunt hodie qui curas animarum et dignitates suscipiunt : qui sicut dicit Psalmus xi, 5 : *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* Et ideo promittemus et non solvemus. Fidelis enim est, qui complet quod dicit. Proverb. xx, 6 : *Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis*

inveniet? Idem continetur, Matth. xxv, 21 : *Serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis.* Luc. xii, 42 : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* I ad Timoth. i, 12 : *Fidelem me existimavit, ponens in ministerio.*

« Eris potestatem habens super decem civitates. »

Ecce remuneratio.

Et notantur in ea quatuor : æternitas, potestas, magnitudo divitiarum, et gloria.

Æternitas notatur per hoc quod dicit : « *Eris.* » Erit enim, ut dicit Gregorius, quod numquam dederit. Et hoc erit æternum. Isa. lx, 21 : *Populus tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram.* Psal. ci, 29 : *Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum in sæculum dirigetur.*

« *Potestatem habens.* » Ecce potestas : quia ea quæ dat, habebuntur in potestate ad nutum : nec erit qui impediat vel exterreat. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus quod non corrumpetur.* Tob. i, 14 : *Dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.*

« *Super decem.* » Ecce divitiæ. Quidquid est in cœlo in decem generibus divitiarum continetur. Summæ enim divitiæ in Deo, et aliæ magnæ divitiæ gaudiorum sunt in novem ordinibus Angelorum. Psal. viii, 7 et 8 : *Constituisti eum super opera manuum tuarum : omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Omnia enim hæc decem genera divitiarum fundit in sinum fidelis servi. Eccle. vii, 20 : *Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.*

« *Civitates.* » Hoc refertur ad gloriam, dominari, et esse gloriosum super gloriosas Dei civitates. Psal. lxxxvi, 4 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Illa enim quæ sursum est Jerusalem, quæ est mater nostra, decem habet civilitates in se : unam quidem Patris et Filii et Spiritus sancti, secundam Seraphim, tertiam Cherubim, quartam Thronorum, quintam Dominationum, sextam Virtutum, septimam Potestatum, octavam Principatuum, nonam Archangelorum, et deciman Angelorum. Et boni servi eos quos convertunt, ad quemlibet ordinem Angelorum transmittunt. Et tunc omnes de gaudio Dei divites et gloriosi sunt. Et sic ipsi gloriosi in gloria illorum fiunt. Et sic in decem civitatibus gloriam habent. I ad Thessal. ii, 19 : *Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum?* Quasi dicat : Vos estis gloria nostra.

Sic igitur est « *super decem civitates.* »

« Et alter venit, dicens. »

Alter in profectu, sed tamen in eadem fide. In via enim Dei, ut dicit Augustinus, alius sic, alius sic ibat : ex quo mirabilis resultat pulchritudo, quando quod est in uno, non est in altero : ita tamen quod in omnibus sunt omnia. Ad Roman. xii, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

Talis igitur alter « *venit,* » præparatus ad computationem, confidens et securus, « *dicens,* » audacter. Job, xxxi, 35 et 36 : *Librum scribat ipse qui judicat, ut in humero portem illum.* Secundum enim quod scriptum fuit in libro bonæ conscientiæ, sic computavit dona commissa.

« Domine, »

In cujus nomine possideo quidquid habeo. Joan. xvii, 10 : *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et clarificatus sum in eis.*

« Mna tua, »

Quam mihi commisisti. Hæc autem mna quamvis jam exposita sit, tamen potest dici quod hæc mna minor est quam prima : quia hæc est ad providentiam domus ordinata, hoc est, familiæ : sicut Capituli vel Parochiæ. Donum autem est donum regiminis talis familiæ, quod quidem *mna* vocatur, sed ad minus pondus est quam præcedens. Ad Roman. XII, 6 : *Habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes.*

Hæc autem mna decem habet drachmas : sex quidem in intellectu, et quatuor in affectu.

In intellectu enim habet intellectum verbi, sapere et saporationem divinorum per experimentum enim didicit, revelationem secretorum, scientiam certorum, consilium dubiorum, et experimentum emergentium. Ex quo conficitur ars regiminis.

In affectu autem habet timorem a malo recedentem, charitatem ad bonum festinantem, cautelam tentationes excludentem, et affabilitatem, familiam in dulcedine alloquentem.

De primo dicitur, Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* De sapientia (quæ est per receptionem saporis) dicitur in Psalmo XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* De revelatione, item in Psalmo CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia tua.* De scientia dicitur, Osee, VI, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.* De consilio dubiorum dicitur, Isa. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius.* De experimento emergentium casuum dicitur, Eccli. XXXIV, 11 : *Qui tentatus non est, qualia scit?* De timore autem dicitur, Isa. XI, 3 : *Replebit eum spiritus timoris Domini.* De amore autem dicitur, Sapient. VII, 22 : *Amans bonum, acutus, quem nihil vetat benefaciens.* De cautela autem dicitur, Proverb. I, 4 : *Ut detur parvulis astutia.* Daniel. I, 4 : *Cautos scientia et doctos disciplina.* De dulcedine alloquii dicitur, Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.*

Istis enim decem omnis homo indiget, qui regit familiam : ut dulcedine alloquii trahat, cautela tentationes subditorum excludat, amore boni ad bonum inducat, timore a malo removeat, experimento temporis casus determinet, consilio dubitationes illuminet, scientia certa doceat, revelationes de secretis Dei erudiat, sapientia saporem divinorum et insipiditatem mundanorum ostendat, et verbi Dei intellectu certam viam doceat.

Et ex his decem drachmis hæc mna istius servi conficitur.

Hæc autem mna

« Fecit quinque mnas. »

In omni enim domo vel familia perfecta quinque personæ sunt : pater, mater, filius, filia, socrus quæ est mater, et nurus quæ in domum introducitur propter domus successionem. Sic fuit in familia Patriarcharum. Docet enim patrem ad filium, et ordinat filium ad patrem, sive corporalem sive spiritualem : matrem disponit ad filiam, et e converso : et maritum ad uxorem, et e converso : et socrum ad nurum, et e converso. Unde, Luc. XII, 52 : *Quinque erunt in domo una.* Vel secundum Chrysostomum : « Quinque sunt, qui doctrina « quinque librorum Moysi ad præcepta « Dei sunt imbuti. » I ad Corinth. XIV, 19 : *In ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Augustinus autem vult quod quinque mnæ sunt intellectus bonus in exercitium quinque sensuum diffusus in servitio Dei. Prima est melior expositio, et secunda post hoc : tertiam autem prose-

cuti sumus super Matthæum, xxv, 20 et seq. [1].

« Et huic ait »

Dominus, faciens mentionem de mercede : « *Et tu esto.* » Non dicit hic signum exsultationis : quia hic non venit ad perfectionem profectionis. In profectum tamen secundum mensuram qua meruit, retribuetur ei. Isa. III, 10 : *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.*

« *Super quinque civitates,* » hoc est, quandoque Ecclesiarum civilitates in subditis regendas : patrem scilicet ad filium, et e converso : et hæc est una. Secunda matris ad filiam, et e converso. Tertia nurus ad socrum, et e converso. Quarta viri ad uxorem, et e converso. Quinta patrisfamilias ad familiam, et e converso. Et non sunt plures in familiis civilitates, et curæ. Isa. XIX, 18 : *Erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan*, hoc est, transmutata : quia lingua eorum in Dei laudem transmutatur. Unde Glossa : « Ex earum animarum quas imbuisti fide et conversatione, magnus sublimisque eris, ut non tantum de tuis, sed et de auditorum profectibus honoreris. »

20 « Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.

21 Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti.

22 Dicit ei : De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi :

23 Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ? »

« *Et alter venit, dicens.* » Tertius non potuit esse secundum divisionem boni civilis, et œconomici, et monastici inductam, nisi qui privato bono studuit, et nulli profecit. Hic enim ab his duobus est tertius, de quo dicit Hieronymus in *Proœmio galeato :* « Sancta quippe ru-
« sticitas solummodo sibi prodest : et
« quantum ædificat Ecclesiam Dei ex
« vitæ merito, tantum nocet si destruen-
« tibus non resistat. »

« Domine. »

Hic tangitur tertii computatio, et remuneratio secundum stipendia suæ pigritiæ.

Dividitur autem in duo : in servi computationem, et in domini pro meritis dignam remunerationem.

Servi autem computatio habet tres partes : pecuniæ commissæ integram repræsentationem, pigritiæ et inertiæ excusationem, et domini cui lucrari debuerat, accusationem.

De primo dicit : « *Domine.* » Dominum vocat, cujus timori noluit obedire : quia dominus indixerat ei negotiationem, et iste neglexit. Malach. I, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Incongrue ergo dominum appellavit.

« Ecce mna tua. »

Hic pecuniam quam accepit integre repræsentavit, et eam domini sui esse cognovit : et in hoc quidem non peccavit. Mna autem ista est donum, quod ad profectum sui solius suffecit : quod vocatur bonum monasticum, quo sibi soli scientiis et virtutibus profecit. Hæc enim est mna, quam Dominus multis dedit : (ut cum tres partes sint in anima rationali,

[1] Cf. Opp. B. Alberti. Enarrationes in Evangelium Matthæi, xxv,20 et seq. Tom. XXI hujusce novæ editionis.

scilicet inferior, et media, et superior) quod inferiori dat quatuor passionum naturalium ordines : quando dat timere timenda, et non timere non timenda : tristari in tristabilibus, et non tristari in non tristabilibus : et gaudere in his in quibus gaudendum est, et non gaudere in quibus non est gaudendum : et sperare speranda, et non sperare non speranda. Per hæc enim quatuor sicut per quatuor drachmas inferior facies animæ ordinatur. Istæ enim sunt quatuor passiones naturales, et vires animæ inferiores.

De primo quidem dicit in malo, in Psalmo XIII, 5 : *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* In bono autem in Psalmo XVIII, 10 : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.*

De tristitia autem bona dicitur, II ad Corinth. VII, 11 : *Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem.* De mala autem tristitia, ibidem, ℣. 10 : *Sæculi tristitia mortem operatur.*

De gaudio malo, Proverb. II, 14 : *Exsultant in rebus pessimis.* De bono gaudio, ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.*

De spe autem mala, Sapient. V, 15 : *Spes impii tamquam lanugo.* De bona spe, ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit.* Timore igitur Dei, tristitia de malis sæculi, gaudio boni, spe gratiæ et veniæ, ordinatur pars animæ inferior in omni passione.

Media autem pars est rationalis, concupiscibilis, irascibilis : et est ordinata, quando in ratione habemus prudentiam, in concupiscibili desiderium virtutum, et in irascibili odium vitiorum. Luc. XIII, 21 : *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Sicut supra super eumdem locum notatum est.

Superior etiam ordinatur tribus : ut in intellectu fulgor sit divinæ veritatis, in voluntate amor divinæ bonitatis, et in memoria indelebilis notitia divinæ æternitatis. Ecce mna ex decem drachmis confecta. Per hæc enim homo in seipso perfectus est.

Hanc igitur profert, in evidenti eam ostendens, cum dicit : « *Ecce.* » Nihil enim in nobis boni demonstrati potest nisi donum Dei. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« *Mna tua.* » Suum enim est, quidquid boni in nobis est. Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.*

Et deinde ponit excusationem, dicens :

« Quam habui repositam in sudario. »

Habet autem per hujus conservationem in sudario, quia labore comparatam et sudore acquisitam : sicut multi ista quæ diximus magno sudore in studio acquisiverunt. Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.* Habet igitur hæc aliquis apudseipsum, et nulli prodest ex ista mna, dum nec prædicat, nec curam impendit : cogitans quod hoc, quod sudore acquisivit, sive sit bonum interius, de quo diximus : sive bonum exterius quod accepit, vult commoditatibus propriis impendere, et non proximo inde proficere, dicens illud Malachiæ, I, 13 : *Ecce de labore.* Et illud I Reg. XXV, 11 : *Tollam panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris quos nescio unde sint !* Quasi dicat : Non faciam. Sic enim dixit Nabal stultus, nolens dona Dei communicare David, et viris ejus.

Hoc est ergo quod dicit : « *Quam habui repositam in sudario.* »

« Timui enim te. »

Hic tangitur a servo propria accusatio domini.

Accusat autem eum de quatuor, scilicet, quod fuerit sibi causa timoris in districta computatione, quod austerus in dura præceptione, quod injustus in acceptione, quod nimis cupidus in fructuum messione.

De primo dicit : « *Timui enim te,* » quia tu nimis districte computas usque ad novissimum quadrantem [1]. Et dum proximorum utilitatibus intenderem, multos quadrantes perderem in meipso. Præcipue cum et Apostoli pulverem pedum excutere jubeantur [2], hoc est, purgare venialia, quæ per quadrantes significantur.

« Quia homo austerus es. »

In præceptis, et judicii districtione, dicens, Matth. XII, 36 : *Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Timui ergo ne dum proximorum utilitatibus intenderem, et commodum proprium perderem, et otiosa multa committerem. Præcipue cum dicatur, Isa. VI, 5 : *Væ mihi, quia vir pollutus labiis, ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Attendens etiam quod dicit Lot, Genes. XIX, 19 : *Non possum salvari in monte,* tantæ perfectionis, *ne forte apprehendat me malum,* quia debilis sum, et laborare non possum : et commoditatibus privatis oportet me intendere.

« Tollis ubi non posuisti. »

Tollit quod non posuit, quando eos quos in fidei verbo non collocavit, tamen ad judicium suum vocans tollit. Isa. VIII, 3 : *Voca nomen ejus : Accelera spolia detrahere, Festina prædari.*

« Et metis quod non seminasti, »

Hoc est, falce judicii præcidis eos, quibus per teipsum non seminasti verbum. Joan. IV, 38 : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.*

Ista est ergo excusatio servi, et in omnibus mentitur. Si enim eum timuit, præceptum custodire debuit : et hoc non fecit. I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.*

Quod autem dicit, quod est austerus in præcipiendo. Respondet Chrysostomus, quod austeritas contemni non debuit. Iste autem austeritatem illam contempsit. Jerem. V, 5 : *Confregerunt jugum, ruperunt vincula.*

Adhuc autem si tollit ubi non posuit, multo magis tollit ubi posuit. Posuit autem talentum ad lucrum, et ideo lucrum pro rata temporis justa ratione exegit.

Et quod dicit : « *Metis quod non seminasti,* » mentitur : quia in omnibus semen justitiæ naturalis sparsit, et ideo merito fructum pretiosum metere voluit.

In omnibus autem his, quia duritiam arguit, mentitus fuit : cum ipse dicat, Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Et ideo frustra Dominum accusavit. Job, XL, 3 : *Numquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris ?*

Dicit enim dominus servo, et convitianti :

« De ore tuo te judico, »

Hoc est, de verbis oris tui. Job, XV, 6 : *Condemnabit te os tuum, et non ego : et labia tua respondebunt tibi.*

« *Serve,* » nihil habens nisi servile. Genes. IX, 25 : *Servus servorum erit fratribus suis.*

« *Nequam :* » et quia piger et iners, et quia fructum subtraxisti quem facere debuisti, et quia proximo non subvenisti, et quia in me negligentias tuas retorsisti. Matth. XVIII, 32,33 : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi,... nonne ergo*

[1] Cf. Matth. V, 26.

[2] Cf. Matth. IX, 5 ; Luc. X, 14.

oportuit et te miseri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?

« Et quare non dedisti pecuniam meam ? »

Hoc est, donorum tibi commissorum, « *ad mensam,* » nummulariam, ut sub spe lucri spiritualis, et tu profecisses in melius, et aliis utilitas fuisset acquisita. II Reg. III, 1, David ibat proficiens, seipso robustior effectus. Sic ergo de profectibus aliorum, et tu et ego et illi ditati fuissemus. Genes. XXXI, 1 : *Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri, et de illius facultatibus ditatus, factus est inclytus.* Mensa enim ad quam datur pecunia Domini, est solemnis et aperta propositio donorum ejus ad lucrum animarum. I ad Corinth. IX, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

« Ut ego veniens, »

Vel visitando proficientes in gratia. Cantic. V, 1 : *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.* Vel rationem audiens in morte. II ad Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque,* scilicet computando, *propria corporis, prout gessit.*

« Cum usuris, »

Hoc est, excrescentibus lucris. Eccli. XXIX, 1 : *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo.* Sicut enim villico suo commendans semen ad seminandum, non recipit, vel requirit tantum semen si ille non seminaverit : sed et requirit fructum quem semen facere potuit, et cum hoc exigit damnum, quod terra sua inculta jacuit per villici inertiam : ita facit Dominus. Et ideo servus piger tripliciter culpabilis efficitur : quia scilicet cultum neglexit, quia fructuum damnum fecit, et quia propriæ inertiæ ex pusillanimitate studuit.

Sic ergo dicit, quod « *cum usuris exegissem illam.* » Matth. XXV, 27 : *Recepissem utique quod meum est cum usura.*

« Et adstantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. **24**

Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. **25**

Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo. » **26**

Hic incipit ponere istius servi condemnationem.

Duo autem tangit ; pœnam damni, et pœnam sensus ad quas condemnat.

In primo horum tria facit : mnam enim auferri præcipit, admirantibus facta sua rationem hujus ostendit, et ante hoc mnam ablatam, illi qui plus accepit addi præcipit.

Dicit igitur. « *Et adstantibus dixit.* » Adstantibus, inquam, Angelis, et Sanctis : qui bene adstantes dicuntur, qui cum Domino in rectitudine stant ad omnem boni profectum præparati. Tob. XII, 15 : *Ego sum Raphael Angelus, unus de septem qui adstamus ante Dominum.* Psal. V, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Sic, ad Hebr. IX, 11 : *Christus* est *assistens,* hoc est, adstans Patri *futurorum bonorum,* semper promovens lucra divina Patris sui. Sic dicitur, Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.*

« Auferte ab illo mnam. »

Aufertur mna, quando dona quæ de-

dit Dominus, per inertiam vel pereunt, vel minuuntur : sicut donum intellectus, quod minuitur et hebetatur per inertiam, et destruitur per oblivionem : et donum gratiæ et virtutis per inertiam paulatim obstruitur vitiis et tentationibus. Et sicut in horto bona semina et bonæ stirpes malis plantis suffocantur, ita accidit in corde de usu bonorum Dei donorum. Et sic continuo aufertur quoad usum et quoad habitum talentum concessum. Job, XXIV, 20 et 21 : *Conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* Sterilis quæ non parit est inertia et torpor, cui quidam deserviunt, sibi ipsis tantum viventes. Viduam autem animam proximi negligunt, cui proficere possent : et illi tamquam lignum infructuosum conteruntur. Proverb. XX, 16 : *Tolle vestimentum ejus qui fidejussor exstitit alieni, et pro extraneis aufer pignus ab eo.* Quando enim mnam in usum negotiationis sibi indictæ accipit, tunc pro aliis fidejussor exstitit : quia ipsa mna fidejussor est necessitatum proximi, cum non sibi propter se, sed sibi propter alios sit data : sicut dicit Philosophus, quod pecunia fidejussor est futuræ necessitatis. Et iste pro extraneis dedit fidem suam. Et ideo merito tollitur, quando sine utilitate invenitur. Luc. XIII, 7 : *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?*

« Et date illi qui decem mnas habet. »

Qui enim habet, in usum ponens ea quæ in spiritualibus accipit, continue crescit in eis et augetur. Et sic mnam pigri cum sua mna recipit : non quidem in numero, sed in quantitate et specie : quia ille continuo crescit, iste autem decrescit. Adhuc autem de bono quod piger accepit, in beatitudine non gaudebit : sed illi qui per usum in regnum veniunt, de omni bonitate et largitate Dei gaudebunt. Et sic etiam gaudebunt de larga Dei bonitate, quam fecit pigris, et torpentibus : et sic accipiunt gloriam de hoc, quod illi per inertiam perdiderunt. Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Sic Genes. XXVI, 31 et seq., primogenita Esau perdidit, et Jacob accepit. Sic Patriarcha Jacob manus super Manassen et Ephraim cancellavit[1] : quia senior inertes significat, sinistræ quoad commoda vitæ studentes : junior autem Ephraim significat eos, qui in spiritualibus proficiunt, et usu gratiæ redimunt quod ipsi non acceperunt.

Subjungit autem rationem horum per responsionem admirantium.

Et habet partes duas. Primo enim ponit dictum admirantium, et secundo rationem inductorum.

Dictum admirantium est in hoc quod dicit :

« Et dixerunt ei, »

Adstantes Domino per admirationem et devotionem : « *Domine, habet decem mnas.* » Quasi dicant : Mirum est qualiter ille ex usu in gratia crescit, et tot gratias habet, quot multis sufficerent : et alius destitutus nullam habet. Hoc enim est multorum usque hodie hoc dicentium. Job, XXI, 23 et seq. : *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix : viscera ejus plena sunt adipe, et medullis ossa illius irrigantur : alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus.* Robustus enim et sanus est, quem virtus Dei confortavit, et scientia Dei verbi sanam doctrinam habere fecit. Dives est in omni gratia Dei, et felix in bono successu lucri animarum : et viscera intima ejus plena sunt adipe devotionis. Et ossa ejus, hoc est, vires animæ suæ rationabilis, concupiscibilis, et irascibilis, medullis omnium

[1] Cf. Genes. XLVII, 14 et seq.

gratiarum irrigantur. Alius vero piger et iners ad bona studia et lucra se non exhibens moritur, quia omnis labor sibi amarus videtur, et destituitur in gratia de die in diem, donec sit absque ullis opibus gratiarum.

Et hoc est quod multi in admiratione dicunt Domino : « *Domine, habet decem mnas,* » hoc est omnem gratiarum perfectionem, cum alius nullam habeat.

Et ad hæc Dominus dicit :

« Dico autem vobis, etc. »

Ex hoc autem quod hic dicit, quod decem mnas habet, conjiciunt quidam quod decem servis ita decem mnas dedit, quod quilibet decem mnas accepit. Et hoc non variat quantum ad intellectum : quia una mna ex decem drachmis composita, idem munus significat, quod decem mnæ a quolibet acceptæ. Decem autem servi dicuntur ideo, quia servitium ad perfectionem decalogi refertur, secundum illas decem perfectiones quas supra induximus.

« *Dico* » ergo « *vobis,* » qui veritas sum, et cujus verba non defluunt. Psal. I, 3 : *Folium ejus non defluet.*

« Quia omni habenti dabitur, »

Hoc est, habenti in usu, non habenti in habitu solo, quia qui in habitu solo habet, non habet nisi per modum dormientis : sed habens in usu, habet per modum vigilantis et exercitantis. Ei ergo qui sic habet, « *dabitur* » profectus gratiæ in augmento in se, et in profectu habet ad proximum. Genes. XXX, 43 : *Ditatus est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas et servos, camelos et asinos,* hoc est, simplices conversos, et oneriferos, et servientes, et in omni domo Dei mobiles ad obsequia, et familias Ecclesiarum sicut greges, et omnes divitias gratiarum. Job, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.*

« Et abundabit, »

Sic sibi sufficiens, et aliis. Psal. CXLIII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.* Psal. CXLIV, 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt.*

« Ab eo autem qui non habet, »

In usu exercitii et lucri talentum divinum, « *et quod habet,* » in habitus receptione. Iste enim est de quo dicitur, Apocal. III, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Habens enim in habitu non differt a dormiente, ut dicit Philosophus. Dormiens est similis mortuo : et sic habens multa in habitu, et non in usu exercitii, nomen habet quod vivat, et non differt a mortuo.

Et hoc est quod dicit :

« Auferetur ab eo. »

Quia et hic destruitur, et in futuro inde non gloriabitur. Proverb. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Eccli. XX, 32, et XLI, 17 : *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ?* Exod. XVI, 20, manna congestum et absconditum computruit, propositum mensæ saporosum fuit. Frumenta seminata multiplicantur, congesta putrescunt. Proverb. XV, 7 : *Labia sapientium disseminabunt scientiam : cor stultorum dissimile erit.* Quia scilicet de die in diem deficit. Eccli. XXIX, 10 : *Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.*

« Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, 27

adducite huc, et interficite ante me. »

Hic tangit pœnam sensus. Et istum pigrum et inertem servum cum inimicis involvit : quia ab inimicis Dei per fructum bonum non recessit. Sicut enim dicitur, Luc. III, 9 : *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.*

Dicit autem hic tria : improperium peccatorum, punitionem, et pœnarum satietatem.

De primo dicit Dominus unum in communi, et aliud in speciali.

In communi dicit : « *Verumtamen.* » Quasi dicat : Quamvis remunerem ex pietate devotos, « *verumtamen,* » quia justus sum, ut dico, etiam in indevotos. Psal. XCIII, 1 : *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit.*

Igitur, « *inimicos meos* » in communi, qui sæculum hoc et non me dilexerunt. Joan. XV, 25 : *Odio habuerunt me gratis.* Et, Ibidem, ℣. 24 : *Oderunt et me, et Patrem meum.*

« *Qui noluerunt me regnare super se,* » secundum perfectam justitiæ meæ potestatem, sed de regno mundi et diaboli esse voluerunt. Job, XXII, 17 : *Qui dicebant Deo : Recede a nobis : et quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum.*

« *Adducite huc,* » ad judicium. Isa. XLI, 1 : *Simul ad judicium propinquemus.* Michææ, VI, 2 : *Judicium Domini cum populo suo, et cum Israel dijudicabitur.*

« *Et interficite.* » Exod. XV, 9 : *Evaginabo gladium meum, et interficiet eos manus mea.* Deuter. XXXII, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* Sic enim sententia condemnationis quasi gladio ancipiti omnes hostes suos in judicio interficiet. II ad Thessal. II, 8 : *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.* Isa. XI, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

« *Ante me :* » ut videam non in me solo, sed in oculis omnium electorum meorum : ut ipsi delectati in justitia mea, delectentur in pœnis eorum. Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Quia ex comparatione peccatorum, nitidæ manus bonorum videbuntur. Isa. LXVI, 24 : *Egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me : vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

Hoc igitur est quod dicit.

« Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolyman. »

Hic tangitur de ipsa electione et reprobatione.

Habet autem duas partes : in quarum prima ostenditur facto, quosdam esse eligendos, et quosdam reprobandos : in secunda, hoc ostendit verborum rationibus.

In primo horum tria facit : in quorum primo determinat qualiter de Jericho versus Jerusalem processit : in secundo, receptionem suam et adventum in civitatem ordinavit : et in tertio, indignos ejecit, et dignos in templo dimisit. Et per hoc quosdam eligendos, et quosdam reprobandos fore significavit.

Dicit igitur de primo sic : « *Et his dictis,* » in Jericho, et sanatis duobus cæcis : sicut dicitur, Matth. XX, 30 et seq., de quibus Lucas tacet, quos sanavit in exitu de Jericho.

« *Præcedebat,* » sicut dux gregem suum, festinans ad passionem. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Joan. X, 4 : *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur.*

« *Jerosolymam.* » Luc. XIII, 33 : *Non*

capit Prophetam perire extra Jerusalem. Et ideo ad locum passionis festinavit. Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur ?* Hoc est baptismo sanguinis. Psal. XVIII, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.*

« Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

Dicens. »

Hic tangit præparationem, qua recipiebatur in Jerusalem.

Dicit autem tria : qualiter scilicet venit, qualiter excidium futurum civitatis deplanxit, qualiter de templo indignos ejecit.

Circa primum adhuc facit quatuor, scilicet, qualiter discipulos misit pro pullo, qualiter pullo adducto pullo insedit, qualiter cum hymnis receptus fuit, qualiter murmur de hoc exortum fuit confutatum.

In primo autem horum quinque dicit, scilicet, unde misit, quot misit, quo misit, et ad quid misit, et dicentibus aliquid respondere docuit.

Dicit igitur : « *Et factum est,* » secundum prænuntiationem prophetiæ Zachariæ, IX, 9, et Aggæi, II, 8. « *Cum,* » festinans ad locum passionis, « *appropinquasset* » Jesus extra civitatem in via « *ad Bethphage et Bethaniam.* » Ordinem commutat : quia primo in sabbato ante ramos palmarum venit Jesus Bethaniam, et ibi factum est ei convivium : ubi Lazarus erat unus discumbentium, et Maria ibi effudit unguentum nardi spicati super caput ipsius recumbentis, sicut legitur, Joan. XII, 9 et seq. 2, et illuc convenit magna turbæ multitudo ad videndum Lazarum, quem quatriduanum suscitavit Jesus. Et in crastino exiens de Bethania, vadens Jerusalem venit Bethphage, quod fuit casale quoddam in monte Oliveti, et interpretatur *domus buccæ.* Prius enim veniendum est in domum obedientiæ quod interpretatur Bethania. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et deinde Bethphage in domum prædicationis, quia sic incepit Jesus facere, et docere. Matth. V, 2 : *Aperiens os suum, docebat eos.*

« Ad montem qui vocatur Oliveti. »

Mons ad litteram fuit in via veniendi Jerusalem. Significat autem mons suæ pietatis eminentiam. Cantic. II, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles :* in montibus excelsæ sanctitatis venit, et colles honoris mundani transilivit. Hic mons vocatur *Oliveti,* quia nota est misericordiæ, quam tunc venit ostendere : quia sic undique misericordia circumfusus fuit. Et etiam tunc novellas olivas plantare docuit discipulos. Psal. CXXVII, 3 : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Zachar. XIV, 4 : *Stabunt pedes ejus in die illa supra montem olivarum.* Ecce de eminenti misericordiæ suæ signo misit discipulos.

Et hoc est quod dicit :

« Misit duos discipulos suos. »

Ecce quot et quales misit. Quot, quia duos : quia dicit Gregorius, quod inter pauciores quam duos, charitas haberi non poterit. Eccle. IV, 9 : *Melius est duos esse simul quam unum, habent enim emolumentum societatis suæ.* Item, Ibidem, ℣. 11 : *Si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet ?*

Quales autem miserit, accipitur ex hoc quod dicit : « *Discipulos,* » jam sua disciplina imbutos, et in vita et fide probatos. Alii enim non sunt mittendi. De talibus dicitur, Isa. XLI, 27 : *Primus ad Sion dicet : Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo.* Tales enim sunt quos

misit : et ideo ignoti et non discipuli non sunt mittendi.

Qui autem sint quos misit, non est perspicuum : sed ex sequentibus patebit quod congruenter sciri potest.

Ecce quot et quales misit, dicens :

« Ite in castellum quod contra vos est : in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit : solvite illum, et adducite. »

De hoc autem dicit duo. Dicit enim primo quo misit, et adjungit quid in illo inventuri sint, ut magis certi sint de legatione.

De primo dicit tria : profectum itineris, locum qui est finis intentionis, et loci positionem.

Dicit igitur : « *Ite*, » passibus pedum proficite, et multo magis intellectu mysterii. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Fulgura discipuli dicuntur, signis micantes, et verbis tonantes, et fervore charitatis ignescentes, et impetu Spiritus in devotione festinantes et proficientes.

Quo autem vadant dicit : « *In castellum :* » quamvis modo esset civitas metropolis, tamen post destructionem Babylonicam pravissimi ad instar oppidi redacta fuit secundum Isaiæ vaticinium, qui dixerat, Isa. I, 8 : *Derelinquetur filia Sion..., sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas quæ vastatur :* et ideo *castellum* vocatur diminutissime. Incastrata autem fuit propter undique insurgentes hostes in circuitu. Thren. I, 5 : *Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt.* Quidam etiam dicunt quod dicitur *castellum*, quia jam incastellaverat se, hoc est, muniverat et armaverat contra Dominum. Isa. III, 8 : *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

Deinde tangit situm, dicens :

« Quod contra vos est, »

Secundum rectum situm : quia directo situ contra eorum viam fuit, hoc est, coram eis in via. Vel, « *contra vos est*, » quia ad litteram contrariæ fuit voluntatis ad Dominum, et ad omnes suos. I Esdræ, IV, 12 : *Venerunt Judæi in Jerusalem, civitatem rebellem et pessimam, quam ædificant.*

Subjungit autem signum quod invenient, ut certi sint de sua legatione :

« In quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit. »

« *In quod*, » scilicet castellum, « *introeuntes, invenietis pullum asinæ*, » jam fortificatum ad onera ferenda, « *alligatum.* » Dicitur quod alligatur fuerit ad usus communes pauperum, qui aliam vecturam habere non poterant. Et forte debilitabantur in via : quando tribus vicibus in anno oportuit eos apparere in Jerusalem : et tunc vel ipsi, vel onera eorum, quæ portare non poterant, afferebant in asino illo.

« *Cui nemo umquam hominum sedit.* » Hoc autem sic Dominus voluit, ut cum videntibus omnibus Dominum mansuete portari, homines ad fidem ædificarentur, et verecundarentur non mansuescere ad eum, ad quem animal parvi sensus, et adhuc indomitum mansuescebat. Isa. I, 3 : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* II Petr. II, 16 : *Correptionem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.* Hac ergo de causa tale animal adhuc ad fræna et subsellia non domitum, sibi in vehiculum voluit adhiberi.

Hæc est igitur exposito litteralis.

Secundum mysterium autem dicunt quædam Glossæ, sicut et verum est, quod pullus asinæ non infrænatus significat populum gentilem, cui nemo jugum legis divinæ imposuerat umquam : sed primo per discipulos Christi fuit infrænatus. Isa. XLVIII, 9 : *Longe faciam furorem meum, et laude mea infrænabo te, ne intereas.* Psal. XXXI, 9 : *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Hic dicitur *pullus asinæ*, quia asina ab antiquo strata significat Judæam : quia ex patribus Judæorum per licentias libertatum exivit gentilitas : sicut ex domo Noe per Cham et Japhet, et ex domo Abrahæ per Ismael, et ex domo Isaac per Esau. Asina autem semper frænum aliquod habuit : sicut circumcisionis, cujus legem servaverunt, qui in domibus et familiis Patriarcharum manserunt, et non alii : et sicut leges Moysi, Gentilitas autem nulla lege Dei frænabatur. Et ideo dicunt, quod duo discipuli probabiliter loquendo fuerunt Philippus et Petrus. Philippus adduxit Samariam, quæ gentilis fuit[1] : Petrus autem adduxit Cornelium, qui etiam gentilis fuit[2]. Hoc tamen non est certum : nisi quod mysterium ita congruit. Hæc igitur est sententia Glossarum. Et ex hoc patet quod supra dimisimus, quam probabiliter sciri potest, qui fuerint illi qui missi sunt discipuli.

Attende etiam quod solus Matthæus, XXI, 2, dicit, quod misit pro asina et pullo : sed omnes alii Evangelistæ, Marc. XI, 2, Joan. XII, 14, et Lucas hic, non faciunt mentionem nisi de pullo : quia Matthæus attendit quod licet Judæa per leges, et prophetas, et patrum promissiones adducta sit ab antiquo, tamen nunc acceptione novæ gratiæ cum gentili pullo adduci debuit. Alii autem Evangelistæ videntes Judæam excæcandam fore usque ad tempora novissima, et plenitudinem Gentium intraturam ad fidem et gratiam, quasi asinam Judæam stantem relinquunt, et pullum gentilem adducunt.

Asinini autem pulli proprietates, propter quas gentilem populum significat, Chrysostomus dicit esse : primam quidem, quia asinus est animal ignobile : secundam, quia immundum secundum legem : tertiam, quia præ cæteris jumentis stolidum : quartam, quia mansuetum, non ferox sicut equus : quintam, quia tardum : sextam, quia asperis et duris pabulatur, sicut carduo, quem *contingum* vocant : septimam, quia oneriferum : octavam, quia vocis horrendæ, quasi lugubri voce vocale : nonam autem, quia communiter est cinerei coloris, crucem nigram gestans in dorso : decimam autem, quia naturali morte raro moritur, nisi de capitis infirmitate : cujus signum est, quia omnis infirmus asinus spissum et multum phlegma de naribus emittit : et quando hoc sibi accidit, non evadit.

Hæc autem gentili populo adaptantur ad Christum convertendo. Ignobilis est quilibet ad Christum conversus, sui reputatione per humilitatem. I ad Corinth. I, 10 : *Vos nobiles, nos autem ignobiles.* Immundum autem se reputat per peccati recognitionem. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos : et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Stolidus autem est sui reputatione per simplicitatem. I ad Corinth. IV, 10 : *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.* Mansuetum est animal propter lenitatem : quia nec mordet, nec calce ferit. Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Tardus est maturitate, sciens, quia festinus pedibus frequenter offendit : sicut dicitur, Proverb. XIX, 2. Duris autem est contentus per parcimoniam. I ad Corinth. IV, 11 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus.* Oneriferus etiam est proximorum sublevatione. Ad Galat.

[1] Cf. Act. VIII, 5 et seq.

[2] Cf. Act X, 25 et seq.

VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Vocis lugubris est per gemitum et planctum, pro peccatis suis et proximi, et pro incolatu hujus miseriæ, et pro dilatione patriæ. Matth. V, 5 : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Cinereus autem color cum cruce, memoriam significat mortis cum communicatione passionum Crucis. De memoria mortis, Eccli. VII, 40 : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* De cruce autem dicitur, ad Galat. VI, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Quod autem non sentit, vel raro sentit nisi per infirmitatem capitis, significat quod non curat de suis pœnis, sed semper sentit pœnas capitis Christi in membris Christi. I ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?*

Habet autem asellus alias proprietates malas : sicut quod tempore veris lascivit, quod in fœminam non suæ speciei, sicut in equam semen fundit, et hujusmodi, de quibus non curamus : quia non competunt nobis.

Redeamus igitur ad litteram, secundum supra inductam divisionem litteræ prosequentes :

« Solvite illum. »

Ecce hic dicit ad quid misit, et tangit duo opera discipulorum.

Primum est quod dicit : « *Solvite,* » hoc est, vincula ejus peccatorum absolvite. Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Isa. XXX, 28 : *Ad perdendas Gentes in nihilum, et frænum erroris quod erat in maxillis eorum.* Perditur enim in nihilum gentilis error, quando per disputationem destruitur : et frænum erroris solvitur, quando mens ab errore liberatur.

Secundum opus est quod dicit :

« Adducite mihi. »

Quod fit per veritatis et virtutis informationem. Isa LXIII, 14 : *Sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.* Psal. XLII, 3 : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

« Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat. 3

Abierunt autem qui missi erant, et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 3

Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum? 3

At illi dixerunt : Quia Dominus necessarium habet. 3

Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. » 3

Hic docet qualiter contradicentibus sit respondendum.

Et dicit duo : qualiter scilicet contradicitur, et qualiter contradictioni respondendum est.

Dicit igitur : « *Et si quis vos interrogaverit.* » Interrogat, qui de fide certificari desiderat. I Petr. III, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe.* Multi ergo interrogant, quare de errore suo salvatur gentilitas.

Et illi sunt interrogantes :

« Quare solvitis, »

Scilicet pullum? Unde, Marc. XI, 5 : *Quid facitis solventes pullum?* Hoc modo quæsiverunt Athenienses, Act. XVII, 19, 20 : *Possumus scire quæ est hæc*

nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris. Talem quamdam quæstionem Apollophanes fecit Beato Dionysio, dicens : « Quare pro novis documentis antiquas patrum suorum leges desereret? »

« Sic dicetis ei, »

Explanatione veritatis, et exempli probatione. Sic enim tenentur reddere rationem de spe et fide.

« *Quia Dominus operam ejus desiderat*, » magis ad mysterium quam ad vehiculum. Semper enim Dominus desiderat animarum salutem. Huic Domini voluntati concurrens in desiderio dicit David, Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te : et ego semper tecum.* Desiderat enim jumentum Domini esse ut sit sanctum. Istud significatum est, Genes. XXII, 3, ubi Abraham Patriarcha ad immolandum filium venit in asino, cujus desideravit operam. Cum autem mittit pro pullo, non fecit se vocari Dominum cum aliqua adjectione, ut dicat Dominus noster, sed simpliciter *Dominus* : ut significetur, quia Dominus est universorum, et Judæorum, et Gentium, cujus sunt omnia. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.* Ad Roman. III, 29 et 30 : *An Judæorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Immo et gentium : quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.* Sic ergo dimittet vobis. Matth. XXI, 3 : *Dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.*

« Abierunt autem, »

Per obedientiam mandati, « *qui missi fuerant*, » per missionem auctoritatem legationis accipientes. II ad Corinth. V, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Illi autem missi Philippus et Petrus esse creduntur, superius inducta ratione.

« Et invenerunt, sicut dixit illis »

Jesus, quando misit eos, « *stantem pullum*, » a nullo frænatum, a nullo ad usus humanæ legis adductum. Lex hominis est colere Deum. In asinino autem sensu semper remanere, est solutum esse pullum. Job, XI, 12 : *Vir vanus in superbiam erigitur, et sicut pullum onagri se liberum natum putat.* Onager enim est agrestis asinus. Job, XXXIX, 5 : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit?* Idem enim qui quondam asinam Judæam lege sua frænavit, pullum agrestem, liberum a lege Dei misit, et hic idem nunc ab erroris vinculo absolvit, et sibi adduci præcipit. Stans igitur invenitur pullus, quia stabat otiosus a nullo adductus. Matth. XX, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi?*

« Solventibus autem illis pullum, »

A vinculo erroris asinini sensus. Joan. XI, 44 : *Solvite eum, et sinite abire.* Matth. XVIII, 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Psal. CXV, 16, 17 : *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Omnis enim homo habet intellectum ligatum vinculis asini, qui non potest attollere intellectum ad Deum et ad veritatem ipsius. Et ab hoc absolvitur, quando ei principia veritatis et virtutis demonstrantur.

« Dixerunt domini ejus ad illos, »

Hoc est, illi quorum custodiæ commissus fuit pullus : et isti significant magistros errorum, de quibus dicitur, II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines... proficient in pejus, errantes et in errorem mittentes.* Hi sunt qui in antiquis erroribus homines retinere nituntur. II ad Corinth. XI, 3 : *Timeo ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu.* Isti

sunt domini a Deo sessore et gubernatore alieni. Isa. XXVI, 13 : *Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te.* Isti sunt domini crudeles, qui nolunt hominem a prono in terram sensu liberari. Et, Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium : et rex fortis dominabitur eorum.*

« Quid solvitis pullum ? »

Quærere rationem solutionis, est quærere rationem articulorum fidei : sicut Nicodemus, Joan. III, 9, quæsivit : *Quomodo possunt hæc fieri ?*

« At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet. »

Non quidem propter se, quia bonorum nostrorum non indiget : sed propter nostram utilitatem, ut ad suum regnum deveniamus. Isa. XXXIII, 22: *Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Et hoc dixit Nicodemo, Joan, III, 11 ; *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur.* Et ideo talibus dicitur, Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.*

Et sic illos expedientes,

« Duxerunt illum, »

Pullum asinini sensus verbis et monitis, « *ad Jesum,* » ut fidem acciperet Domini Jesu.

« Et jactantes vestimenta sua, etc. »

Hic tangitur qualiter pullum subsellantes, præparaverunt: et qualiter Dominum imposuerunt.

Et hoc est quod dicit: « *Et jactantes vestimenta sua super pullum,* » hoc est, fidem ecclesiasticæ conversationis. Talis enim conversatio vestimentum est Apostolicum. Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis.*

Attende autem quod vestimentum hominis habet hominis figuram. Unde jam prius asinus existens, in vestimento incipit figuram hominis induere, et ad humanum sensum figurari. I Petr. I, 14 et 15 : *Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis.* De his vestimentis dicitur, Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

Sic ergo mollibus et rationabilibus sternentes asinum,

« Imposuerunt Jesum »

Super asinum, ut de cætero non motibus asini, sed motibus regentis Jesu, mansuetus per vias salutis ambularet. Psal. XXXI, 9 : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Regentem se et insidentem habens Dominum, inordinate et insensate moveri non potest.

Attende quod mansuetudinem ostendere volens eundo ad Passionem, non elegit currus et equites, et magnam comitivam pugnatorum, cum illam etiam de Angelis habere potuisset. Matth. XXVI, 53 : *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum ?* Sed simpliciter cum pauperibus venit fidelium turmis, pro quibus immolandus fuit. Nec elegit equos feroces pulchros, in quibus vectus veniret : sciens scriptum esse in Psalmo XIX, 8 : *Hi in curribus, et hi in equis : nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.* Equus enim superbum animal, superbiam et fastum significat dominatus. Amos, II, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* Isa. XXXI, 1 : *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt : et super equitibus, quia prævalidi nimis : et non sunt confisi super Sanctum Israel, et Dominum non requisierunt !* Sed potius man-

sueti animalis dorso insidens, venit ad sui oblationem. Zachar. IX, 9 : *Exsulta satis, filia Sion: jubila, filia Jerusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.* Sic enim prophetaverat Jacob Patriarcha, Genes. XLIX, 11 : « Ligabit ad vitem pullum suum, et ad vineas asinas suas.» Et hæc est littera Septuaginta [1], quia sic ligavit et asinam et pullum ad vites Apostolos, et vineam Ecclesiam.

Sic igitur ut rex pauper et mansuetus venit.

36 « Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37 Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus. »

Hic tangitur quali processione receptus est.

Et tangit tria : venerationem devotorum, invidiam malignorum, et confutationem eorum.

In primo sunt tria : vestium substratio, laudis acclamatio, dignitatis regalis professio.

De primo dicit : « *Exeunte autem illo* » de Bethphage, ad quem locum adductus fuit pullus. Et significat hoc : Cum de domo buccæ, hoc est, prædicatione Apostolorum, transivit in notitiam turbarum, et in fidem, et incepit augeri fidelium numerus, « *substernebant* » Apostoli et alii devoti, « *vestimenta sua.* » Hoc est ad litteram. In via sternebant conversationis exempla : vel etiam ipsa corpora sua martyrio exposuerunt : ut facilius asellus, hoc est, gentilitas sive rudis populus vehens Dominum, transiret. Matth. XXI, 8, et Marc. XI, 8 : *Multi vestimenta sua straverunt in via : alii autem frondes cædebant de arboribus,* hoc est, viridantes in opere virtutes : implentes illud Isaiæ, XL, 3 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Isa. LXII, 10 : *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.*

« Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, »

Ad locum ad quem turba de Jerusalem occurrerat, et ibi in nimia humilitate ex misericordia sua descenderet. Psal. CXLIII, 5 : *Inclina cœlos tuos, et descende.* Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes !* Ex magna majestate cœlesti tunc descendit ad infima suæ humilitatis. Ad Philip. II, 8 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens,* scilicet Patri, *usque ad mortem.*

« *Cœperunt omnes turbæ,* » quæ convenerant ad diem festum, descendentium cum eo de monte Oliveti : quia etiam ipsi se humiliaverunt in humilitate Christi. I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei : ut vos exaltet in tempore visitationis.*

Et ideo dicit : « *Discipulorum* » descendentium de monte ad civitatem, « *gaudentes laudare Deum voce magna.* » Quæ magna vox non tam clamoris fuit, quam intensæ devotionis. II Machab. I, 3 : *Ut colatis eum... corde magno et animo volenti.* Isa. XL, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem : exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda : Ecce Deus vester.*

« Super omnibus quas viderant virtutibus. »

Et maxime in Lazari suscitatione. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini re-*

[1] Vulgata habet, Genes. XLIX, 11 : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.*

cordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus. Isa. XII, 6 : *Exsulta et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Psal. CL, 1 : *Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

38 « Dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini ! pax in cœlo, et gloria in excelsis ! »

Ecce regii honoris et potestatis professio.

Et dicunt tria : regnum enim profitentur, pacem dicunt concessam, et de cætero gloriam Dei prædicandam.

De primo dicunt : « *Benedictus,* » hoc est, plenus benedictionibus Domini est rex. Deuter. XXXIII. 23 : *Plenus erit benedictionibus Domini.* Genes. XII, 3 : *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Eccli. XLIV, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.* Iste est Rex. Ad Hebr. VII, 2 : *Rex justitiæ,* et *Rex pacis.* Iste est Melchisedech Sacerdos, et Rex Altissimi.

« *Qui venit.* » Venit autem jam ad oblationem, « *in nomine,* » hoc est, in notamine « *Domini* : » qui notatos Domini ostendit, quia in ipso noscitur Dominus. Exod. VI, 2 et 3 : *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob, in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non ostendi eis.* Sed modo ostendit nomen Domini, totum mundum excitans in sui devotionem et laudem. Joan. VIII, 49 : *Honorifico Patrem meum.* Sic ergo venit in honore nominis Dei, quod per eum honoratur, et prædicatur, et invocatur.

« Pax in cœlo ! »

Effectus proprius Regis cœlestis, ut pax sit in cœlo, ad Patrem reconciliatio, et ad Angelos hominum grata societas. Ad Coloss. I, 20 : *Omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Pax enim de cœlo descendit ad terram, ut etiam terram obtineat in hominibus bonæ voluntatis. Isa. XXVI, 3 : *Servabis pacem : pacem, quia in te speravimus.* Pax enim quæ in cœlo est concordia fruendi Deo, et vivere in Deo, ut dicit Augustinus. Et illa descendit de cœlo, quando uno corde et uno animo omnes concorditer Deo serviunt, et sibi subjiciuntur. Hæc est pax, de qua dicitur, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hæc est pax quæ tranquillat et serenat a turbationibus mentem, et custodit a tentationibus diaboli. Ad Philip. IV, 7 : *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*

« Et gloria in excelsis ! »

Non tam loco quam virtute. Quia, sicut dicitur, Isa. II, 22 : *Excelsus reputatus est ipse,* qui tam excelsa perficere potuit, quod quatriduanum suscitavit. Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Talis enim est divisio inter hominem et Deum, ut pax reddita sit ei per sanguinem Christi, qui pacem non habuit : sed ubique et ante mortem et post mortem prædæ patuit. Gloria autem detur Deo, qui hoc potentia suæ deitatis effecit. Isa. XLII, 8 : *Gloriam meam alteri non dabo.* I ad Timoth. I, 17 : *Soli Deo honor et gloria.* Ipse enim solus est in excelsis operibus quæ gloriosa sunt. Psal. XCII, 4 : *Mirabilis in altis Dominus.*

« Et quidam Pharisæorum de turbis 39
dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos.

Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si 40
hi tacuerint, lapides clamabunt. »

« *Et quidam Pharisæorum.* »

Hic tangitur invidia murmurantium, et confutatio eorum.

Dicit igitur, quod « *quidam* » de numero « *Pharisæorum,* » qui suam et non Dei quærebant gloriam. Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis ?*

« *De turbis,* » quia se turbis immiscebant, ut turbas concitarent : sicut et post modicum fecerunt.

« *Dixerunt ad illum,* » quasi zelantes ne honor Dei ad hominem transferretur : sicut fecit Mardochæus [1].

« Magister. »

Ac si dicant : Quamvis magister sis, non tamen honor divinus debet tibi attribui. Joan. x, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.*

« Increpa discipulos tuos, »

Qui turbas incitant et instruunt ad te sic laudandum. Unde, Matth. xxi, 16 : *Audis quid isti dicunt ?* Quasi dicat : Mirum est, quod non compescis eos.

« Quibus ipse ait. »

Respondens malitiæ et simul prophetans : « *Dico vobis,* » in veritate quam audivi a Patre meo, « *quia si hi tacuerint,* » idiotæ et pueri. Unde, Matth. xxi, 16 : *Numquam legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum*, hoc est, Pharisæum, *et ultorem* [2], sive defensorem, hoc est, Scribam et Judæum. Sic ergo si hi tacebunt, qui Dei ordinatione ad vestram confusionem loquuntur.

« Lapides clamabunt. »

Et hoc factum est in morte, quando terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta. Quia, sicut dicit Hieronymus : « Mortem filii Dei clamabat « mundus se sustinere non posse. » Vel, « *Lapides,* » hoc est, duri et frigidi gentiles. Matth. iii, 9 : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*

« Et ut appropinquavit, videns civi- 41
tatem flevit super illam, dicens :

Quia si cognovisses et tu, et quidem 42
in hac die tua, quæ ad pacem tibi ! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. »

Hic tangitur quod Dominus in medio suæ exsultationis, quando cum ramis excipiebatur, flevit civitatis excidium, quod meruit in sua passione. Et ideo in Ramis palmarum, ubi tantum gaudium repræsentatum est, Passio legitur in signum et recordationem fletus hujus.

Dicunturque in hac parte quatuor, scilicet, fletus ex compassione, ostensio causæ fletus in genere, et determinatio illius causæ in specie pœnæ, et in fine terminatur illarum pœnarum causa meritoria.

De primo dicit quando, et ubi, et super quid flevit.

Quando : « *Ut,* » id est, postquam. Eccle. iii, 4 : *Tempus flendi, et tempus ridendi.* Job, xxx, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.*

« Appropinquavit. »

Ecce locus tristitiæ. Appropinquavit autem non tam loco, quam miserantis affectu. Jacob. iv, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Deuter.

[1] Cf. Esther, iii, 2 et xiii, 14.

[2] Psal. viii, 3.

IV, 7 : *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

« Videns, »

Miserantis affectu. Luc. X, 33 : *Videns eum, misericordia motus est.* Osee, XI, 8 : *Conturbata est pœnitudo mea.*

« *Civitatem* » insanientem. Sapient. XIV, 28 : *Dum lætantur insaniunt.* Videns ergo sic insanientem, et nihil de futuris periculis prævidentem. Ac si diceret illud Isaiæ, I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

Sic ergo

« Flevit, »

Ex compassione. Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei ?*

Flevit autem etiam aliquando pro miseria hujus vitæ ad incolatum pertinente. Et hæ sunt lacrymæ attædiationis. Joan. XI, 35 : *Lacrymatus est Jesus.*

Aliquando autem flevit pro casu, quo cecidimus a beatitudine patriæ per peccatum. Ad Hebr. V, 7 : *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum*, scilicet Deum, *qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Et hæ lacrymæ devotionis. Et his tribus modis flevit nos Dominus in seipso.

In membris autem facit nos plorare pro peccatis propriis. Et istæ sunt lacrymæ compunctionis. Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc sunt quatuor flumina paradisi, quæ ex uno fonte gratiæ Dei derivantur. Genes. II, 6 : *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ.* Et, ibidem, ℣. 10 : *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.*

Sic ergo « *videns civitatem flevit,* » compassionis lacrymas fundens « *super illam, dicens.* » Et tanto plus flevit, quanto illa minus doluit.

Et hoc est quod dicit :

« Quia si cognovisses »

Causam fletus mei, « *et tu,* » supple, fleres. Thren. I, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam, ex omnibus charis ejus.*

« *Et quidem,* » hoc est, certe, fleres « *in hac die tua* » præsenti, « *quæ* » est « *ad* » malam « *pacem tibi :* » in qua pacifice interfectionis meæ tractas proditiones. Sicut enim dicitur, Proverb. XIV, 13 : *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Et ideo illa mala pax est tibi. Sapient. XIV, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Ezechiel. XIII, 10 : *Prophetæ deceperunt populum meum, dicentes : Pax, et non est pax.*

« *Nunc autem,* » quia gaudes in pace tua : hæc quæ ego fleo « *abscondita sunt ab oculis tuis,* » quia non consideras ea, ita culpa tibi claudit oculos, et putas te semper in peccatis pacem habituram. Quod esse non potest : quia Deus est ultionum Dominus, et in proximo vindicabit. I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*, etc.

« Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique. **43**

44 Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. »

In speciali dicit hic excidium futurum.

Dicit autem tria : certitudinem in proximo advenientis temporis, modos futuræ exstirpationis et destructionis, et causam.

Certitudo advenientis temporis est in hoc quod dicit : « *Quia venient dies,* » in quibus claro lumine aperientur tunc oculi tui per pœnam, quos modo claudit culpa. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« *In te* » autem dicit, quia dies illi mali sui erunt. Ad Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Genes. XLVII, 9 : *Dies peregrinationis meæ... parvi et mali.*

« Et circumdabunt te, etc. »

Hic particulariter describit et futuram per Romanos obsidionem, et excidium.

Et tangit sex per ordinem : quorum tria prima pertinent ad obsidionem, et tria sequentia ad destructionem.

Primum de his quod pertinet ab obsidionem est quod dicit :

« *Et circumdabunt te,* » exercitu cingentes, « *inimici tui,* » Romani cum Tito venientes, « *vallo,* » ne aliquis de te effugere possit. Vallum enim est sepes et fossæ, quæ in circuitu eorum sunt factæ, ne possent nocte exire de civitate. Isa. XXIV, 17 et 18 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit : Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam : et qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.*

« Et circumdabunt te. »

Secundum est pertinens ad obsidionem : quia positis in circuitu vallis per comportationem aggerum et fossarum et sepium, ipsi Romani « *circumdabunt te,* » impugnantibus hostibus, qui contra te per valla dividentur, contra murum, et contra portas ad impugnandum. Et sic vallo et concluderis, et milite impugnaberis. Habacuc, I, 10 : *Super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.*

« Et coangustabunt te undique. »

Hoc est tertium, quod inferent violentias : unde « *te coangustabunt* » intra temetipsum : ita quod non videas effugium, nec in te habeas defensionem : ita quod dicas illud Danielis, XIII, 22 : *Angustiæ sunt mihi undique,* et quid eligam ignoro. Quia intus erit fames prævalida, inter cives seditio amara, extra autem gladius anceps : ut dicas illud Threnorum, I, 20 : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est.*

Deinde tangit ea quæ pertinent ad destructionem.

Primum quidem, quia

« Ad terram prosternent te »

Captam in civibus et ædificiis. Isa. I, 8 : *Derelinquetur filia Sion...,* sicut *tugurium in cucumeratio, et sicut civitas quæ vastatur.* Mich. III, 12 : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa silvarum.*

Deinde tangit secundum :

« Et filios tuos qui in te sunt, »

Ne in successione posteritatis spem habeas resurgendi. Isa. XIV, 20 et 21 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum suorum non consurgent.* Et hoc quidem est. Quia, sicut narrant Josephus et Hegesippus, Titus totam civitatem evertit, et Judæos in

captivitatem duxit, et interfecit. Postea autem cum quidam de latibulis exivissent, et cineres ruinarum collegissent, et tuguria quædam ad habitandum in ruinis fecissent, miserunt Romani Helium Adrianum qui illa destrueret, et Judæorum nullum ultra mare dimitteret, sed omnes ad terram Italiæ captivos transmitteret. Et hoc quidem ille complevit : et postea in alio loco, ubi scilicet crucifixus fuit Dominus, quamdam parvam civitatem ædificavit, quam nomine suo Heliam vocavit, quæ postea multo tempore Helia vocabatur : et hæc stat usque ad hæc tempora.

« Et non relinquent in te lapidem super lapidem. »

Hoc est ultimum de prostratione murorum. Matth. XXIV, 2 : *Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.* Isa. V, 5 : *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem : diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem.*

Deinde omnium istorum tangit causam meritoriam dicens :

« Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. »

Tempus autem hujus visitationis est, quando visitavit eam Filius Dei per viscera misericordiæ Dei nostri oriens ex alto. Quod tempus prædictum fuerat a Daniele Propheta : et ideo etiam cum parvo studio cognosci poterat. Hoc enim tempus est de quo dicitur in Psalmo LXVIII, 14 : *Tempus beneplaciti Deus.* Isa. XLIX, 8 : *Tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui.* Ex quo enim irrationabilia animalia sciunt per naturæ instinctum tempora sibi congrua, tunc multo magis rationalis natura lege adjuta, prophetiis illuminata, poterat cognoscere tempus gratiæ exhibitæ. Luc. XII, 56 : *Hypocritæ, faciem cœli et terræ nostis probare : hoc autem empus quomodo non probatis?* Jerem. VIII, 7 : *Milvus in cœlo cognovit tempus suum : turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui : populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Et ideo merito imputatur eis ad peccatum. Sicut enim dicit Augustinus : « Ignorantia eorum qui scire « noluerunt, vel debuerunt, et potuerunt, « damnabilis est. »

Hoc est ergo quod dicit.

« Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, **45**

Dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. **46**

Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, et Scribæ, et principes plebis quærebant illum perdere : **47**

Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. » **48**

Hic ponitur ultima pars istius capituli, in qua zelus ejus ad domum Dei ostenditur. Ostendit autem in hoc, quod futuri excidii maxime causa fuit peccatum sacerdotum, quod commiserunt in templo. Et ideo ostendit se illud detestari in planctu futuræ destructionis.

Tanguntur autem hic duo : qualiter scilicet templum expurgavit, et qualiter templum sua doctrina illuminavit.

In primo horum tria dicuntur : templi ingressus ad ostendendam venerationem, malorum ejectio ad ostendendam simoniacæ pravitatis detestationem, auctoritatis Scripturæ inductio ad facti sui confirmationem et approbationem.

Dicit ergo : « *Et ingressus in templum,* » ad venerationem ostendendam, quæ templo debebatur. Psal. CXXXVII, 2 : *Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.* Unde, Daniel

tribus vicibus per diem adoravit versus templum [1]. Isa. LX, 7 : *Domum majestatis meæ glorificabo.* Docet autem nos sua actione etiam ad templum debere festinare. Ibi enim et devotius oratur : et ea videntur et audiuntur, quæ excitant ad devotionem. Act. III, 1 : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Luc. XVIII, 10 : *Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, et alter Publicanus.*

« Cœpit ejicere, »

Sicut dicit Joannes, II, 15, flagello de tribus facto funiculis, «*vendentes in illo,* » scilicet in templo, « *et ementes.* »

Attende quod vendentes primo ponit : quia illi qui vendebant, aut erant de familia sacerdotum, aut de familiaritate eorum. Vendebant enim ibi pecora, ut haberentur parata ad ritus sacrificiorum, et cædebant in usus sacerdotum. Quidam etiam vendebant columbas, quæ erant sacrificia pauperum. Cum enim præceptum sit, Exod. XXIII, 17, quod tribus vicibus per annum omne masculinum appareret in conspectu Domini, et non vacuis manibus, non poterant secum sacrificia ferre, sed dato pretio ibidem emebant. Et hoc attendentes sacerdotes, tunc sua animalia care vendi fecerunt, et suis familiaribus etiam hoc permiserunt in atrio exteriori templi. Hoc enim hic *templum* vocatur. Sedebant etiam ibidem nummularii, qui pignore accepto vel cautione alia, mutuabant pecuniam sub usuris ad emenda sacrificia. Et hoc totum erat ad lucrum sacerdotum. Cum autem hæc illicita essent opera, et negotiator de templo Dei sit expellendus, ut dicit Chrysostomus, Dominus zelum ostendens, expulit omnes hujusmodi. Negotiatio enim non pertinet ad domum Dei, eo quod sit contracta cum fraude latronum. Venditio columbarum non est de domo Dei, eo quod speciem habeat pravitatis simoniacæ hæresis, quia columba donum est Spiritus sancti. Nummularius de domo Dei ejicitur, eo quod accipit munera super innocentes, quibus gratis accommodare debuit. Forte enim sub usuris non audebant accommodare : quia, Deuter. XXIII, 19 et 20, prohibitum est, ne sub usuris accommodent proximo. Tamen, ut dicit Augustinus, sub nomine *collibiorum* accommodabant. Collibia enim sunt munera fructuum annonæ vel vini, vel olei, vel aliorum fructuum : pro quorum collibiorum spe illi accommodabant. Genes. XLIII, 11 : *Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, et deferte viro munera.* Genes. XXXII, 20, dixit enim Jacob : *Placabo illum muneribus, et postea videbo illum.*

Attendendum etiam quod bis Dominus ejectionem fecit. Anno scilicet primo suæ prædicationis. Et hoc solus Joannes ponit [2]. Secundo, fecit hoc ultimo anno suæ prædicationis, imminente jam Passione : et hoc ponunt tres Evangelistæ [3]. Iste autem zelus domus Dei prophetatus fuit a Psalmo LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

Sic ergo « *cœpit ejicere vendentes et ementes* » de templo : quia per illud factum, sacerdotum Principes socii furum efficiebantur. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Hoc autem peccatum, ut dicit Chrysostomus, plus est in Ecclesia quam in synagoga : ubi sacerdotes vendunt sacramenta, et nummulariorum numerus magnus, qui usuris Ecclesiam destruunt, ad fores stant principum sacerdotum, et ab eis usurandi accipiunt auctoritatem. Et ideo nunc magis quam prius necessarius esset Jesus expellens. Jerem. XXIII, 15 : *A prophetis Jerusalem egressa est pollutio*

[1] Cf. Daniel. VI, 18.

[2] Cf. Joan. II, 14 et seq.

[3] Cf. Matth. XXI, 12 et 13; Marc. XI, 15-17; Luc. hic.

super omnem terram. Ezechiel. XXII, 13 : *Ecce complosi manus meas super avaritiam tuam, quam fecisti.* Et post pauca ℣℣. 25 et seq. : *Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens rapiensque prædam, animas devoraverunt, opes et pretium acceperunt... Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea... Principes ejus... quasi lupi rapientes prædam.*

Sic ergo « *cœpit ejicere vendentes et ementes* » de templo. Zachar. XIV, 24 : *Non erit mercator ultra in domo Domini.* Chrysostomus : « Qui voluerit esse « mercator projicietur de Ecclesia, di- « cente Propheta : Quia non cognovi « negotiationem [1]. » Eccli. XXVI, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia, et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.*

« Dicens illis. »

Tangit confirmationem facti per auctoritatem, et hoc facit propter adstantes : quia verbum suum in se non indiget confirmatione.

« Scriptum est : Quia domus mea, etc. »

Isa. LVI, 7 : *Quia domus mea,* hoc est, templum quod Patris, et mea, et Spiritus a nobis procedentis domus est, *domus orationis vocabitur cunctis populis.* Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.* Unde tradunt Patres, quod cum hoc diceret, quod quidam fulgor egrediebatur a facie ejus, qui replebat templum, ex quo circumstantes territi, non audebant resistere expulsioni. Ezechiel. XLIII, 2, ingressa est gloria Domini in templum per viam portæ orientalis, et resplenduit terra a majestate ejus.

Sic ergo « *domus mea domus orationis vocabitur :* » quia sicut patet, III Reg. VIII, 1 et seq., ad orandum est constructa. Augustinus : « In oratorio nemo ali- « quid agat nisi ad quod factum est, unde « et nomen accepit. » Peccant ergo qui granaria vel reservatoria inde faciunt.

« Vos autem fecistis, etc. »

Duo dicit. In auctoritate enim inducta ostendit ad quem usum est domus constructa. Ex se autem ostendit, quod per avaritiam sacerdotum ad abusum malum est deputata.

Et hoc est quod dicit : « *Vos autem fecistis.* » Et ex hoc patet, quod auctoritate sacerdotum forum factum fuit in templo propter avaritiam eorum. Facit enim is cujus auctoritate videtur fieri.

« *Speluncam latronum.* » Sicut enim latro in spelunca absconditur ut rapiat, ita sacerdotes auctoritate et religione templi obumbrati ne videantur, stabant in insidiis quocumque modo rapiendi et corrumpere nitebantur jus sacerdotale et puritatem. Psal. X secund. Hebræos, 9 : *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.* Mich. III, 5 : *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Nehemiæ seu II Esdræ, XIII, 29 : *Recordare, Domine Deus meus, adversus eos qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale et leviticum.* Jerem. VII, 11 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis meis? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus.* Osee, VI, 8 et 9 : *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum,* etc. Galaad, *acervus testimonii* interpretatur, et templum significat, ubi acervus testimonium est Scripturæ, in quo non sunt modo veri pastores, sed idola quædam pastorum. Nec ingreditur aliquis nisi per sangui-

[1] Vulgata habet, Psal. LXX, 15 : *Non cognovi litteraturam.*

nem, et illi qui fauces sunt virorum latronum, hoc est, viriliter latrocinia exercentium.

« Et erat docens. »

Ecce qualiter eliminata spurcitia, templum sua præsentia consecravit, et sua doctrina illuminavit. III Reg. IX, 3 : *Sanctificavi domum hanc..., ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum : et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.*

Ideo ergo erat in templo « *quotidie* » docens. Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.*

Hoc ergo est primum quod dicit hic.

« Principes autem sacerdotum. »

Ecce secundum, ubi malum pro bono retribuunt.

Tangit autem tria : qui machinabantur malum Domino, et quod non valebant, et causam impedimenti.

De primo dicit tria genera machinantium : « *Principes sacerdotum,* » qui erant primi in malitia, et quorum auctoritate et jussu fiebat. Joan. XI, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus?* Et paulo post, ℣. 53 : *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum,* scilicet ad consilium Caiphæ, qui erat Princeps Sacerdotum.

« *Et Scribæ.* » Hi doctores erant legis, quorum consilio omnia dirigebantur. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.*

« *Et principes plebis,* » qui plebi præfuerunt in partem vocati sollicitudinis, qui plebi omnes suas voluntates permiserunt, ut eis in necem Christi consentirent. Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.* Prophetæ doctores qui *scribæ* vocabantur, mendacia in consiliis invenerunt : et tunc sacerdotes applauserunt plausu manuum, hoc est, operum. Et populus hæc diligens, perfecit in malitiæ complemento. I Esdræ, IX, 1 et 2 : *Non est separatus populus Israel a populis terrarum :... commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum : manus etiam principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Quando enim sacerdos non separatur ab operibus plebis terrenæ, et semen sanctum verbi Dei commiscet cum terreno affectu, et loqui incipit verba laicorum ad lucra illicita, et principales in hoc sunt principes et doctores, tunc cogitatur de morte Domini. Unde Beatus Bernardus : « O « bone Jesu, totus mundus videtur conju- « rasse contra te, et hi primi sunt qui « videntur regere populum, diligere prin- « cipatum. »

Hi ergo « *quærebant,* » consilio et machinatione, « *illum,* » Dominum Jesum Christum, « *perdere.* » Sapient. II, 12 : *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris.* Jerem. XI, 19 : *Cogitaverunt super me consilia dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.*

« Et non invenerunt quid facerent illi. »

Ecce impotentia nequitiæ. Isa. XVI, 6 : *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus.* Osee, II, 6 : *Sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet.* Non enim facere poterant antequam ipse volebat. Et tunc dedit facultatem, sed tamen non fecit eorum malitiam : quia illam ex se et a diabolo habuerunt. Joan. X, 17, 18 : *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, et iterum sumo eam.*

« Omnis enim populus. »

Causa est. Non enim deposuerunt nocendi nequitiam, sed potius timidi existentes timebant turbam. Sapient. XVII, 10 : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis.*

« *Omnis enim populus supensus erat,* » auribus et vultibus porrectis ad ipsum, « *audiens illum,* » Dominum Jesum. Non enim declinare statuerunt oculos suos ad terram, ut terrena audirent : sed sicut dicitur, Job, VII, 15 : *Elegit suspendium anima,* scilicet eorum, ut audirent alta cœlestia ab ipso. Joan. III, 31, 32 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est : et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Proverb. VIII, 6 : *Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum.* Unde, Joan. VII, 45 et 46, quando miserunt ministros, qui captum adducerent eum, et illi rediverunt infecto negotio, dixerunt quærentes : *Quare non adduxistis illum ?* Illi responderunt : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Hæc ergo est causa quare non audebant tunc.

CAPUT XX.

Non dicit sacerdotibus ac scribis qua potestate hæc faciat, quia nec illi respondebant ad propositam de Joannis baptismo quæstionem: parabolam refert de vinitoribus, qui cæsis domini servis etiam filium ejus occiderunt: tentatur Jesus de tributo Cæsari dando, et a Sadducæis de resurrectione: quomodo dicunt Christum filium esse David: cavendum a Scribis ambitiosis.

1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et evangelizante [1], convenerunt principes sacerdotum, et scribæ cum senioribus.
2. Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem?
3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi:
4. Baptismus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus?
5. At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus: De cœlo, dicet: Quare ergo non credidistis illi?
6. Si autem dixerimus: Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim Joannem prophetam esse.
7. Et responderunt se nescire unde esset.
8. Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.
9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam [2], et locavit eam colonis: et ipse peregre fuit multis temporibus.
10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.
11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumelia, dimiserunt inanem.
12. Et addidit tertium mittere: qui et illum vulnerantes ejecerunt.
13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.
14. Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.
15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?
16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.
17. Ille autem adspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobave-

[1] Matth. xxi, 23; Marc xi, 27.
[2] Isa. v, 1; Jerem. ii, 21; Matth. xxi, 33; Marc. xii, 1.

runt ædificantes, hic factus est in caput anguli[1]?

18. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. Et quærebant principes sacerdotum et scribæ mittere in illum manus illa hora, et timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati præsidis[2].

21. Et interrogaverunt eum dicentes: Magister, scimus quia recte dicis et doces: et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces:

22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23. Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?

24. Ostendite mihi denarium: Cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.

25. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo[3].

26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: et mirati in responso ejus, tacuerunt.

27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum[4],

28. Dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo[5].

29. Septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.

30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.

31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt.

32. Novissime omnium mortua est et mulier.

33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Jesus: Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias:

35. Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:

36. Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.

37. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob[6].

38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei.

39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti.

40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse David?

42. Et ipse David dicit in libro Psal-

[1] Psal. cxvii, 22; Isa. xxviii, 16; Matth. xxi, 42; Act. iv, 11; ad Roman. ix, 33; 1 Petr. ii, 7.
[2] Matth. xxii, 15; Marc. xii, 13.
[3] Ad Roman. xiii, 7.
[4] Matth. xxii, 23; Marc. xii, 18.
[5] Deuter. xxv 5.
[6] Exod. iii, 6.

morum : Dixit Dominus Domino meo ; Sede a dextris meis.
43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum [1] ?
44. David ergo Dominum illum vocat, et quomodo filius ejus est ?
45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis :
46. Attendite a Scribis [2], qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis :
47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

IN CAPUT XX LUCÆ

ENARRATIO.

« Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et evangelizante, convenerunt Principes sacerdotum, et Scribæ cum senioribus,

Et aiunt dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate hæc facis ? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem ? »

Tangit reprobationem Judæorum per verbi demonstrationem.

Dividitur autem in duo capitula istius ultimæ doctrinæ : in quorum primo parabolice ostendit Judaicæ perfidiæ et nequitiæ reprobationem : in secundo autem, finalem abjectionem et destructionem.

In priori autem capitulo duæ sunt partes : in quarum prima per parabolam, reprobationem perfidiæ eorum demonstrat : et in secunda, machinationes eorum contra se factas denudat.

Prima harum (quæ continet reprobationis parabolam) duo continet : in quorum primo parabolam inducit : in secundo, judicium justum ab ipsis quærit.

In priori autem partium duo dicuntur, scilicet, malitiosa a Principibus sacerdotum suæ potestatis investigatio, et interrogationis illius per aliam interrogationem a Domino factam elisio.

In priori harum tria facit. Ostendit enim Evangelista Dominum bono operi deditum : et secundo, ex hoc ostendit potestates et magistratus Judæorum esse ad malum concitatos : et tertio, qualiter dolosam sibi proposuerunt quæstionem.

Dicit igitur :

« Et factum est, »

Secundum Dei providentiam et dispositionem. Sapient. XI, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuiti.* Psal. CIII, 24 : *Omnia in sapientia fecisti.*

« In una dierum, »

Hoc est, in quadam die. Non quidem continuo post antecedens, sed ante, ut quidam dicunt : quia dicunt quod istud factum est continuo post ficulneæ maledictionem, de qua dicitur, Matth. XXI, 19 et 20. Sed Lucas non attendit ordinem temporis, sed ordinem probandæ suæ intentionis. Et quia factum est de concitantibus principes ad persequen-

[1] Psal CIX, 1 ; Matth. XXII, 44 ; Marc. XII, 36.

[2] Matth. XXIII, 6 ; Marc. XII, 38 ; Supra XI, 43.

dum Christum, ideo istud hic ordinat ante Passionem cum aliis quæ provocabant eos.

Ideo ergo dicit : « *In una dierum,* » quando ad invidiam sacerdotum luce suæ doctrinæ relucebat. Psal. CXVII, 24 : *Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea.*

« *Docente illo,* » instante doctrina. II ad Timoth. IV, 2 : *Prædica verbum, insta opportune.*

« *In templo,* » quod est locus doctrinæ. Ezechiel. XLVII, 1 : *Aquæ egrediebantur*, scilicet de templo, *subter limen domus ad orientem*, quæ sunt aquæ doctrinæ æternorum, quæ per dexteram significantur.

« *Populum,* » qui doctrina indiguit, et ad doctrinam devotus fuit. Sic enim circuibat docens indoctos. Eccli. LI, 31: *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.*

« *Et evangelizante illo.* » Ecce modum doctrinæ : quia boni nuntii fuit bajulus. III Reg. XVIII, 27 : *Vir bonus est, et nuntium bonum portans venit.* Est enim Evangelium bonum nuntium de regno Dei, et justitia ad regnum conducente. Isa. XLI, 27 : *Jerusalem evangelistam dabo.* Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion : exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem.*

Ecce qualiter utilibus operam dedit.

« Convenerunt. »

Tangit hic quatuor : malitiæ consensum, potestatis auxilium, consilii adjutorium, senatus societatem.

Dicit ergo : « *Convenerunt,* » magis consensu malitiæ quam corporum in congregatione. Psal. II, 2 : *Principes converunt in unum adversus Dominum, et adversum Christum ejus.*

« *Principes sacerdotum,* » qui ex potestate auctores fuerunt malitiæ. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles.* Matth. XXVI, 4 : *Consilium fecerunt principes sacerdotum, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.*

« *Et Scribæ,* » consilium iniquum adhibentes, ut caute et quasi sub forma justitiæ perficeretur nequitia. Isa. X, 1 et 2 : *Scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei.*

« *Cum senioribus,* » hoc est, senatu, qui videbantur regere populum. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.*

« Et aiunt, »

Quasi ex uno ore, « *dicentes.* » Psal. XLIX, 19 : *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos.*

« Dic nobis. »

Debes enim ostendere auctoritatem tuæ legationis et potestatis, cum non sis missus a summo pontifice, nec habeas a Cæsare legationem. Ostende ergo quo ordine potestatis ista præsumas facere, quod sic homines doces, et ejicis de templo sacerdotes. Joan. X, 24 : *Si tu es Christus, dic nobis palam ?* Et præmittunt : *Quousque animam nostram tollis ?*

« In qua potestate hæc facis? »

Divina scilicet, aut humana ? Et attende malitiam : quia, Matth. XII, 24, et Lucæ, XI, 15, cognoscentes potestatem non esse humanam, attribuerunt eam Beelzebub. Et ibidem, ℣. 20, demonstravit luce clarius, hanc potestatem esse digiti Dei, dicens : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Et modo ac si tunc confutati non fuerint, quærunt : « *In qua potestate hæc facis ?* Ac si dicant : Tu non es de tribu, vel familia sacerdotali. Tibi etiam hoc non concessit senatus : et ideo

seniores secum adduxerunt. Unde ergo præsumis hæc facere ?

Et ideo subjungunt :

« Aut quis dedit tibi hanc potestatem. »

Ac si dicant : Omnis potestas est ordinata ad unum, vel ad Cæsarem, vel ad summum sacerdotem : tu autem neutrius habes potestatem. Ad Roman. XIII, 1 : *Quæ sunt a Deo ordinatæ sunt.* Et cum ordo potestatis istius sit a Deo, si tu esses a Deo, procederes secundum auctoritatem alicujus potestatis. Hoc autem non facis. « *Quis ergo dedit tibi hanc potestatem ?* » Et isti cognoscere noluerunt, quod a Deo habebat potestatem, juxta Danielis prophetiam, Daniel. VIII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur.* Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* Joan. V, 36 : *Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me :* quia ipsa opera loquuntur, quia in Dei potestate hæc facio.

3 « Respondens autem Jesus, dixit ad illos : Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi :

4 Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? »

Hic tangitur istorum confutatio per aliam quæstionem.

Dicit autem tria : interrogationem, illorum responsionem, et ex responsione acceptam confutationem.

In primo horum tria dicit. Primum est unius verbi interrogatio, secundum responsionis petitio, tertium interrogationis propositio.

De primo dicit : « *Interrogabo vos et ego.* » Quamvis enim illi interrogaverint, et sic videatur illis esse prius respondendum, non tamen hoc semper est verum : quia aliquando solutio interrogationis dependet ab alia quæstione, quam oportet prius interrogare : sicut in proposito. Et hoc bene est de lege disputantium.

Et ideo dicit : « *Unum sermonem,* » a quo solutio totius dependet vestræ interrogationis. Job, XL, 2 : *Accinge sicut vir lumbos tuos : interrogabo te, et indica mihi.* Job, XIV, 15 : *Vocabis me, et ego respondebo tibi.* Aut certe loquar, et tu responde mihi.

« Respondete mihi. »

Job, VI, 29 : *Respondete, obsecro, absque contentione : et loquentes id quod justum est, judicate.*

« Baptismus Joannis unde erat ? »

Hoc est, cujus auctoritate venit ad baptizandum ? Hoc est quod, Matth. XI, 7 et 8, dixit : *Quid existis in desertum videre ?* Non enim existis videre nisi hominem divinum, ac si de cœlo ad terram descenderit. Non *hominem mollibus vestitum*, de commodo carnis venientem. Nec *arundinem vento agitatam*, de inconstantia hominum et humanæ opinionis procedentem.

Et determinat quæstionem :

« De cœlo, an ex hominibus ? »

Quærit enim hoc, quia Joannes ipse coram omnibus contestatus fuit de cœlo esse baptismum. Joan. I, 33 : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat.*

« At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus : De cœlo : 5

dicet : Quare ergo non credidistis illi ?

6 Si autem dixerimus : Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos : certi sunt enim Joanaem prophetam esse.

7 Et responderunt se nescire unde esset.

8 Et Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio. »

Ecce hic obligatio ad confusionem quidquid dixerint.

Et dicuntur hic duo, scilicet, deliberatio obligationis ad inconveniens, et responsio dolosæ simulationis.

Deliberatio autem est ad ambas partes divisionis de dubio.

Dicunt igitur : *Quia si dixerimus : De cœlo,* » sicut ipse Joannes probavit, « *dicet.* » nobis, ad inconveniens nos deducendo : « *Quare ergo non credidistis illi ?* » Credendum enim est illi qui est de cœlo. Joan. III, 31 et 32 : *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur.* Ad Hebr. II, 3 : *Quomodo nos effugiemus,* qui de cœlo loquentem nobis avertimus ? Joannes autem testimonium perhibuit Christo. Joan. V, 33, 35 : *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati... Ille erat lucerna ardens et lucens : vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus.* Primo enim cum credidistis, quod pro vobis et vestra potestate locuturus esset, tunc voluistis exsultare in lumine ejus, et venistis ad eum. Postea autem cum videretis eum esse pro me contra vos, tunc persequebamini eum et noluistis audire eum.

« Si autem dixerimus : Ex hominibus, »

Hoc est, ex vana hominum opinione, sicut arundo agitata, vel homo, qui mollibus adulatorum verbis indui potuit, « *plebs universa,* » quæ eum scivit esse prophetam, et plusquam prophetam, « *lapidabit nos,* » et lapidibus ictuum, et lapidibus increpationum. Levit. XXIV, 14 : *Educ blasphemum extra castra,.... et lapidet eum populus universus.*

Et subjungit causam dicens :

« Certi sunt enim Joannem prophetam esse. »

Luc. I, 76 : *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Tamen (licet ipsi dissimulent) Joanni non crediderunt : nisi primo quamdiu putabant eum pro ipsis prædicaturum. Matth. XI, 18 : *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet.*

« Et, etc. »

Ideo videntes se esse obligatos ad utramque partem quæstionis, « *responderunt,* » mentientes, « *se nescire unde esset.* » Simulaverunt enim se Scripturam non advertere, Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum,* hoc est, nuntium *meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis,* etc. Sed mentiri erat eis pro nihilo, etiam in doctrina veritatis. Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

« Et Jesus ait illis, »

Confutatis jam per obligationem quæstionis, a qua solutio quæstionis eorum dependebat : « *Neque ego dico vobis,* » aperiendo secretum meum. Isa. XXIV, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

« *In qua potestate hæc facio.* » Ex quo enim mentimini, expresse non est conferendum, nec estis erudiendi. Quia dicit Chrysostomus : « Mendacia si non « habeant quem decipiant, ipsa sibi men-

« tiuntur. » Unde in Psalmo xxvi, 12 : *Mentita est iniquitas sibi.*

Hæc est ergo prima causa, quasi indigni sunt de veritatis instructione.

Secunda autem est, quia insidiosi fuerunt, et non quærebant ad addiscendum, sed potius ad lacerandum per contentiones et detractiones. Matth. vii, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis magaritas vestras ante porcos.*

Tertia causa est, quia res erat in seipsa manifesta. Sicut probatum est, Matth. xii, 24 et seq., et Luc. xi, 15 et seq. Et ideo non respondet eis.

9 « Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo quidam plantavit vineam, et locavit eam colonis : et ipse peregre fuit multis temporibus. »

Hic deventum est ad parabolam, in qua jam detecta malitia eorum, ostendit esse reprobandos et ejiciendos.

Et sicut diximus in ante habitis, primo proponit parabolam, et deinde quærit judicium adstantium de intellectu parabolæ.

In parabola autem quatuor facit : quorum primum est quod ostendit cui dicit : secundo, locationem vineæ proponit : tertio, fructum requirit : quarto autem, ingratitudinem et iniquitatem agricolarum subjungit.

Dicit igitur : « *Cœpit autem dicere.* » Non quidem nunc primo, sed omne factum et verbum adeo fuit in fervore, ac si tunc inciperet. Psal. lxxvi, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« *Ad plebem,* » quia scivit principes perversum judicium contra conscientiam fore daturos. Job, xiii, 4 : *Prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.*

« *Parabolam hanc,* » similitudinarium sermonem : quia illum plebs melius intelligit. Eccli. xxxix, 3 : *Occulta proverbiorum exquiret sapiens, et in absconditis parabolarum conversabitur.*

« Homo quidam, etc. »

Tria dicit : vineæ plantationem, vineæ locationem, et plantatoris et locantis peregre profectionem.

Et de primo dicit : « *Homo quidam.* » Deus, sicut sæpe diximus, quia humanus sive benignus est hominem vocans : non a natura, quam Pater numquam assumpsit, sed a proprietate : quia mansuete, et benigne, et rationabiliter. Mansuete quidem est, quia peccatores mansuete et clementer recipit : benigne autem, cum benigne exspectat : rationabiliter autem, cum rationabilia quærit. De primo, Matth. xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Et ideo vicarius ejus Moyses mansuetus ab eo eligitur. Numer. xii, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Non enim elegisset tam mansuetum nisi mansuetus esset. De benignitate, ad Roman. ii, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* De rationabilitate æquitatis ejus dicitur, Proverb. viii, 22 : *Dominus possedit sapientiam in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.*

Sic ergo homo quidam

« Plantavit vineam, »

Litteraliter quidem Synagogam, allegorice Ecclesiam, moraliter autem animam fidelem. Sed vites Synagogæ sunt prophetæ et justi : vites Ecclesiæ sunt personæ ecclesiasticæ : vites autem animæ sunt virtutes. Isa. v, 1 : *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Et ibidem, ℣. 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est : et vir Juda germen ejus delectabile,* hoc est, viri Deum confitentes, et Deum glorificantes. Hoc enim Juda interpretatur. Jerem. ii, 21 : *Ego te plan-*

tavi vineam electam, omne semen verum. Plantavit autem locando in cultu, præcepta circumsepiendo, maceriam cærimoniarum circumdando, fossatum disciplinæ circumducendo, beneficiis impinguando, præsidio regni turrim in ea exstruendo, per cultum sacerdotii murum erigendo. Et de omnibus his in præcedentibus satis dictum est. Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine.* Psal. xliii, 3 : *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos.* Sic igitur plantavit vineam, quæ fructificare debuit fructum gaudiorum æternorum.

Plantata autem sic vinea,

« Locavit eam colonis, »

Synagogam principibus sacerdotum : Eccleisam Archiepiscopis, et Episcopis, et cæteris Prælatis : et animam, custodibus animarum. Cantic. i, 5 : *Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi.* Hoc idem dicitur, Matth. xxi, 33 : *Locavit eam agricolis.* I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis.*

Qualiter autem colenda sit vinea in præcedentibus diximus. Sed, heu ! jam negligentia agricolarum potest dici illud Proverbiorum, xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.* Urtica ab urendo dicta, concupiscentiam carnis significat : spina autem quæ pungit, sollicitudines significat avaritiæ. Et his duobus tota operta est vinea Domini Sabaoth.

« Et ipse peregre fuit multis temporibus, »

Dominus et plantator vineæ. Istud non bene exponitur litteraliter de Filio secundum carnem in cœlum profecto : quia postea legitur, quod filium missum ab eo qui peregre profectus est, ejectum extra vineam occiderunt. Sed exponendum est de Patre qui in hoc peregre profectus est, quia a loco cultus sui recessit propter iniquitates sacerdotum : sicut significatur, Ezechiel. iii, 12, ubi dicitur : *Benedicta gloria Domini de loco suo,* supple, recedit. Et quia aliud templum in mundo non habuit, dicitur quoad hoc, incerta sede vagari Dominus. Jerem. xiv, 8 : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?* Hoc enim litteraliter dicit Jeremias de recessu Domini a templo. Osee, xi, 9 : *Deus ego, et non homo, in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.* Templum enim fuit locus Domini in terra. Psal. cxxxi, 4 et 5 : *Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Ezechiel. xliii, 7 : *Locus solii mei, et locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Deserens ergo locum istum, et non eligens alium ubi nomen suum ponatur, dicitur *peregre* profectus.

« *Multis temporibus,* » quia usque ad fundationem Ecclesiæ per Christum et Apostolos. Osee, iii, 4 : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe.*

Sic ergo profectus est « *peregre.* »

« Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem. 10

Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumelia, dimiserunt inanem. 11

Et addidit tertium mittere : qui et illum vulnerantes ejecerunt. 12

Dixit autem dominus vineæ : Quid faciam ? Mittam filium meum dile- 13

ctum : forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.

14 Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.

15 Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ ?

16 Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. »

Hic tangitur fructus requisitio.

Tangit autem hic quadruplicem fructuum requisitionem, et ad quamlibet requisitionem opponit colonorum ingratitudinem : et ita sunt hic octo paragraphi, secundum quos distinguitur littera.

Tangitur autem in primo opportunitas temporis ad fructum petendum, et nuntii certitudo quem misit, et finis intentionis propter quem misit.

Unde dicit : « *Et in tempore,* » scilicet vindemiæ, quando opportunum tempus fecit liberatio de Ægypto, in qua multum studium et laborem posuit circa eam, et erat tempus respondendi per fructum bonorum operum. Psal. LXXIX, 9 et 10 : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti Gentes, et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus.* Isa. v, 2 : *Expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.*

« *Misit ad cultores,* » ad Synagogæ proceres, qui ex nomine vocabantur, sicut Dathan et Abiron.

« *Servum* » suum, Moysen scilicet. Psal. CIX, 26 et 27 : *Misit Moysen, servum suum, Aaron quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum in terra Cham* [1].

« *Ut de fructu vineæ* » gaudii, quod est ex profectu spirituali, « *darent illi* » servo. Luc. XIII, 7 : *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac,* vel vinea. Hunc enim fructum Moyses quæsivit, volens eos ad spiritualem intellectum dirigere, et non potuit. Joan. v, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Et ideo tempus quidem vindemiæ, tempus est incarnationis, et revelandæ jam gratiæ gaudii spiritualis. Moyses autem pro fructu mittitur, quando testimonia legis ut Christo credant ad ipsos diriguntur.

« *Qui,* » agricolæ ingrati, « *cæsum,* » hoc est, afflictum, et verbis cæsum. Psal. LVI, 5 : *Lingua eorum gladius acutus.* Cæditur autem, quando falsa interpretatione ad aliud, quam intendit lex ejus, accipit interpretationem. Psal. CV, 32 et 33 : *Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.*

Et sic « *dimiserunt eum inanem,* » sine fructu, quem in eis in spirituali intellectu accipere debuit. Et hoc fuit propter terrenum intellectum et affectum eorum. Genes. I, 2 : *Terra erat inanis et vacua.* Jerem. XIV, 3 : *Non invenerunt aquam, reportaverunt vasa vacua, confusi sunt.* Aquam enim vivam spiritualis intellectus non invenerunt.

« Et addidit alterum servum mittere, »

Hoc est, David regem, qui psalterio et cithara de spiritualibus commoneret eos, qui etiam Christo testimonium reddit, et sic pro Christo missus fuit. Psal. LVI, 9 : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, exsurgam diluculo.* Sicut enim dicit Hieronymus : « David « Christum lyra prædicat, et cithara ab « inferis excitat exsurgentem. » Iste ergo ad testimonium Christi etiam missus est.

« *Illi autem* » coloni, scilicet principes sacerdotum, « *hunc quoque,* » Psalmistam, « *cædentes,* » per falsorum sensuum

[1] Cf. Numer. XVI, 1 et seq.

impositionem, « *et afficientes contumeliis.* » In cujus signum, II Reg. XVI, 7 et 8, dixit Semei : *Egredere, egredere, vir sanguinum, et vir Belial : reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum pro eo.* II Reg. XX, 1 : *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai.* Sic fit usque hodie : quia cum veritas prædicatur, et testimonia Legis et Psalmorum inducuntur, et audientes illa post dorsum suum projiciunt, et prædicantem verbis lacerant : tunc servos Dei verberant, et contumeliis afficiunt.

« Et addidit, »

Iterum « *mittere* » servum « *tertium,* » qui totum significat cuneum Prophetarum. Jerem. VII, 25, et XLIV, 4 : *Misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens mittensque,* et non curastis redire. Hi autem, sicut et priores, toties mittuntur, quoties testimonia ejus inducuntur. Et ideo cum Domino in monte, Matth. XVII, 2 et seq., ubi gloriam ostendit, apparuerunt Moyses in legis testimonio, etiam Elias in testimonio Prophetarum. Luc. XVI, 29 : *Habent Moysen et prophetas, audiant illos.* Pro his tribus servis Christo in testimonium missis, dicit ipse, Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis, de me.* Sicut enim tunc quando vixerunt missi sunt, ita quando venit Christus missi sunt, quoties Scripturæ eorum sunt introductæ. Sicut cum eunuchus Æthiops Candaces reginæ legeret Isaiam, tunc missus fuit Philippus [1], ut sic dictum est, Joan. VIII, 56, quod *Abraham exsultavit ut videret diem Christi : vidit, et gavisus est.* Sic usque hodie mittuntur et contemnuntur.

« *Qui,* » coloni, « *et illum,* » chorum Prophetarum, « *vulnerantes,* » sensus eorum lacerantes, « *ejecerunt* » extra vineam : quia isti quibus testimonia veritatis inducuntur, de eadem vita sunt cum illis, qui occiderunt Prophetas. Et ideo pro certo occiderent eos si viverent. Et quod ossa eorum venerantur, non est propter sanctitatem et reverentiam, sed propter quæstum. Isaiam enim illi serra lignea diviserunt, Jeremiam lapidaverunt, Ezechielem execrebraverunt. Et hoc faciunt isti : factis quibus eos qui Prophetas occiderunt, imitantur. Matth. XXIII, 31, et Luc. XI, 48 : *Testimonio estis vobismetipsis, quia estis filii eorum qui prophetas occiderunt. Filii* autem dicit, propter operum imitationem. Act. VII, 52 : *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

« Dixit autem dominus vineæ, »

Scilicet Deus Pater dicebat hoc in Prophetis et in aliis Scripturis :

« *Quid faciam ?* » Non deliberat dubitans, sed ut nobis, in quos cadit dubium, formam det in dubiis et arduis consiliandi. Proverb. IV, 25 : *Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Eccli. XXXII, 24 : *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.*

« *Mittam Filium meum,* » consubstantialem mihi in omnium potentia signorum, « *dilectum,* » qui totam gloriam meam possideat. Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Marc. I, 11 : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.*

« *Forsitan.* » Non notat dubitationem, sed volubilitatem in illis liberi arbitrii : quia possunt facere quod volunt. Joan. V, 46 : *Si enim crederetis Moysi, credere-*

[1] Cf. Act. VIII, 27 et seq.

tis forsitan et mihi: *de me enim ille scripsit.*

« *Cum hunc viderint,* » in digito Dei facere miracula, et loqui sicut potestatem habentem, « *verebuntur,* » hoc est, reverendo majestatem timebunt. Matth. XXI, 37 : *Verebuntur filium meum.*

« Quem cum vidissent coloni, »

Hoc est, in majestate deitatis cognovissent, vel cognoscere potuissent cum multis devotis, qui eum cognoverunt : et illi pro certo cognovissent, si invidia eos et ambitio non impedivissent. Hoc ideo dicitur, quia Apostolus dicit, I ad Corinth. III, 8 : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et Petrus, Act. III, 17 : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Defacili enim cognoscere potuissent, si de ovibus ejus fuissent. Si enim interrogat : Quare loquelam meam non cognoscitis? Respondet, Joan. X, 26 : *Et vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Tamen æstimationem habebant de ipso.

« Cogitaverunt intra se, dicentes. »

Intra se enim capti, concilium congregaverunt, consilium inierunt. Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.*

« *Hic est hæres.* » Joan. XI, 47 et 48 : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.*

« *Occidamus eum, ut nostra fiat hæreditas.* » Marc. XXI, 7 : *Occidamus eum, et nostra erit hæreditas,* hoc est, dominium et possessio Synagogæ : quia tunc ad eum et ad suos non transferetur. Tanta enim est cæcitas ambitionis, et avaritiæ, quod finem in malis non ponit, dummodo dignitates et divitias capere possit. Eccli. X, 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* In figuram hujus occisus est Naboth Jezraelita, ut Achab et Jezabel de vinea sua facerent sibi hortum olerum [1]. Achab enim *fraternitas patris* interpretatur : et significat Judæos, inter quos primo fraternitatem Deus pater suscitavit. Jezabel autem interpretatur *fluxus sterquilinii*, et significat concupiscentiam carnis et oculorum et mundi, quam eadem fraternitas in uxorem duxit. Naboth autem interpretatur *prophetia*, et significat Christum, de quo dicitur, Luc. VII, 16, et Joan. VI, 14 : *Quia Propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.* Vinea autem significat congregationem, cœlestia gaudia ferentem. Unde Judicum, IX, 13, dixit vitis : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines.* Hortus autem olerum significat hujus mundi viridantia, ex quibus hujus mundi concupiscentiis coinquinamur. Et hæc fuit intentio sacerdotum, ut ex populo lucra concupiscentiæ haberent, et in hoc mundo virides apparerent : et ideo Christum interfecerunt.

« Et ejectum illum extra vineam, »

Extra portas Jerusalem. Ad Hebr. XIII, 12 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

« *Occiderunt.* » Per effectum perficientes, quod iniquo consilio tractaverant. Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

Hæc est parabola proposita.

[1] Cf. III Reg. XXI, 1 et seq.

« Quid ergo faciet illis dominus vineæ? »

Hic quæritur judicium ab ipsis sacerdotibus : quia nemo est a Deo quin vigeat in eo scintilla conscientiæ, secundum quam judicare potest de veritate. Quærit igitur judicium illorum.

« *Quid faciet illis,* » malis colonis, « *dominus vineæ ?* » qui unicuique reddet pro meritis. Abdiæ, ℣. 15 : *Sicut fecisti, fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput tuum.* Isa. III, 11 : *Væ impio in malum! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

« Veniet. »

Ecce quid faciet. « *Veniet ad judicium.* » Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.*

« *Et perdet,* » per Titum, Vespasiani filium. Luc. XII, 46 : *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.*

« *Et dabit vineam,* » hoc est, curam pastoralem, et culturam vineæ, hoc est, bonorum congregationis et terræ dabit « *aliis,* » scilicet novi testamenti patribus. Debet autem utrumque horum legi interrogative, ut judicium ipsorum requiratur. Deuter. XXXII, 31 : *Et inimici nostri sunt judices.* Isa. V, 3 : *Judicate inter me et vineam meam.* Osee, II, 2 : *Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus.*

« Quo audito, dixerunt illi : Absit.

17 Ille autem adspiciens eos, ait : Quid est ergo hoc, quod scriptum est : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

18 Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, comminuet illum. »

Hic ponit responsionem ipsorum.

Dicit autem tria : audit enim facta, et contra conscientiam datum responsum : et probat exaggerando hoc peccatum committi in seipsum : tertio autem, ostenditur hoc per effectum, quia exasperati quærebant eum tenere in eodem loco, nisi plebis timore ab audacia compescerentur.

Dicit igitur : « *Quo audito,* » Sacerdotes et Scribæ, « *dixerunt,* » mentientes : « *Absit :* » quod aliis locet vineam, vel perdat suos agricolas : quia quidquid peccaverint, totum propter dilectionem Patriarcharum indulgetur. Et ideo dicunt : « *Absit.* » Matth. autem, XXI, 41, dicunt contradictorium responsum : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Hic autem Dominus dicit illam responsionem, et ipsi dicunt : « *Absit :* » quia, sicut dicit Psalmus XI, 3 : *In corde et corde locuti sunt.* Unde Lucas ponit quod ore loquebantur, Matthæus autem ponit responsionem cordis, et conscientiæ. Sapient. II, 21 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.* Psal. XI, 4 : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

« Ille autem adspiciens eos, ait. »

Hic exaggerat malitiam eorum, et ostendit quod ipse est ille hæres quem interficere cogitabant. Direxit autem oculos ad ipsos : ut scirent quoniam ad ipsos direxit sermonem, et adspexit eos vultus sui duritie. Job, XL, 6 : *Respiciens omnem arrogantem humilia.* Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.*

« Quid est ergo hoc, etc. »

Ex quo dicitis : « *Absit,* » respondete de Scriptura quam negare non potestis.

Dicite igitur : « *Quid ergo est hoc,* » qualiter dixit Spiritus Sanctus, « *quod*

scriptum est » per os David[1]. Non enim potest solvi Scriptura.

« Lapidem quem reprobaverunt ædificantes. »

Ad litteram. Cum templum ædificaretur, allatus est lapis magnus de loco in quo dolabantur lapides, cui nullus locus inveniri potuit in toto templi ædificio, nisi tandem in fine, præter omnium opinionem, in summo conjunxit duos parietes, ec quod angularis fuit.

Et hoc est quod dicit :

« Hic factus est in caput anguli. »

Ut et caput sit et angularis, et duos parietes conjungat. Hic enim est Christus, caput et angulus, duos parietes præputii et circumcisionis in unam congregationem conjungens, et nobis sic auferens potestatem. Isa. xxviii, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Job, xxxviii, 6 : *Quis demisit lapidem angularem ejus?* Ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Sic ostensa Scriptura quæ eum probat esse reprobatum a colonis, a Deo autem electum et pretiosum, sicut dicitur, I Petr. ii, 4.

Exaggerat pœnam eorum, dicens :

« Omnis qui ceciderit, etc. »

« *Omnis qui ceciderit,* » casu postea, « *super illum lapidem,* » sicut ipsi sacerdotes qui peccaverunt in Christum, « *conquassabitur.* » Duabus de causis : propter pondus, quia ponderosum conquassatur : vel quia ab altissimo cadit. Et utramque conquassationem habebant principes sacerdotum : quia et graviter peccabant : vel quia in dignitate tali fuerunt, quæ etiam difficiliorem fecit casum. Eccle. xii, 6 : *Conteretur hydria super fontem :* quia super lapidem fontis cecidit. Et hoc modo ante judicium conquassati sunt in culpa.

« *Super quem autem,* » lapis iste pondere judicii per pœnam, « *ceciderit,* » sicut postea Christus cecidit super eos in exercitu, « *comminuet illum,* » et in minima rediget : ita ut non sit regnum, neque gens de cætero. Isa. xxx, 13 et 14 : *Subito dum non speratur, veniet contritio ejus, et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Ista est expositio litteralis.

Sunt autem et aliæ istius loci expositiones. Quia peccans venialiter cadit supra lapidem, quia lapis est fundamentum. Et taliter peccans salvus erit merito fundamenti, quod non subruitur. I ad Corinth. iii, 12-15 : *Si quis superædificat super fundamentum hoc... ligna, fœnum, stipulam :... uniuscujusque quale sit opus, ignis probabit. Si cujus opus arserit quod superædificaverit, detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Dicit ibi Glossa, quod merito fundamenti salvus erit. Lapis autem cadit super eum qui peccat mortaliter, quia illum pondere sui judicii comminuit. Jerem. x, 24 : *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo : ne forte ad nihilum redigas me.*

Adhuc autem dicunt, quod Christianus rectam habens fidem, sed informem, peccat cadens super lapidem, et conquassatur. Isa. xlii, 3 : *Calamum quassatum non conteret :* quia levis fidelis est calamus. Infidelis autem Judæus, Gentilis, vel hæreticus peccans, recipit lapidem super se cadentem. Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.*

Prima expositio est litteralis.

[1] Psal. cxvii, 22. Cf. Isa. xxviii, 16 ; Matth. xxi, 42 ; ad Roman. ix, 33 ; I Petr. ii, 7.

19 « Et quærebant Principes sacerdotum et Scribæ mittere in illum manus illa hora : et timuerunt populum : cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc. »

Tertium est istius partis, ubi per effectum se probant illos esse de quibus dixit.

Et dicit tria. Primum est, quod eum capere quærebant in eadem hora.

Et hoc est : « *Et quærebant* » opportunitatem « *principes sacerdotum,* » in quibus erat auctoritas, » *et Scribæ,* » in quibus erat scientia quæ inflat, « *mittere manus* » violentas et sacrilegas « *in illum* » tenendum et capiendum. Proverb. I, 11 et 12 : *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, degluttiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum.*

« *Illa hora,* » quia omni hora graviter sustinebant ad videndum. Sapient. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.*

« *Et timuerunt populum.* » Luc. XXII, 2 : *Quærebant Principes sacerdotum et Scribæ quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem*[1].

« *Cognoverunt enim,* » quamvis contra conscientiam negaverunt, « *quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.* » Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.* Psal. CVIII, 4 : *Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam.*

20 « Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati præsidis.

Et interrogaverunt eum, dicentes : 21 Magister, scimus quia recte dicis et doces : et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces.

Licet nobis tributum dare Cæsari, 22 an non ? »

Hic incipiunt quærere occasionem accusationis contra eum.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima ponitur insidiantium confutatio : in secunda autem, contra eos ponitur veritatis probatio, quod in veritate sit Filius Dei per testimonium David, qui vocat eum Dominum.

In prima harum partium sunt duæ historiæ : in quarum prima tanguntur insidiæ, quod quærunt accusationem contra potestatem publicam : in secunda autem, quærunt accusationem in lege divina.

Prima autem historia duas habet partes : insidiantium dolum, et dolosorum confutationem.

In priori harum partium tria dicuntur : in quorum primo exprimitur ab Evangelista maligna eorum intentio : in secundo autem, dolosa adulatio : in tertio vero, versuta interrogatio.

Dicit igitur in primo : « *Et observantes.* » Eccli. XLI, 20 : *Non est bonum omnem reverentiam observare, et non omnia omnibus bene placent.* Observabant autem tempus et locum, quando esset coram populo, ut testes contra eum haberent, et ut populum contra eum concitarent.

« *Miserunt insidiatores.* » Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.*

« *Qui se justos dicerent,* » et justa responsa propter justitiam quærerent, et non propter accusationem. Proverb. XI, 9 : *Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia.* Proverb. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante*

[1] Cf. Matth. XXVI, 4.

oculos pennatorum. Et sic dicitur, Matth. XXII, 16, et Marc. XII, 13 : *Mittunt ei discipulos suos cum Herodianis,* hoc est, Herodis militibus, ut sic non caveret sibi ab insidiis illorum.

« *Ut caperent eum in sermone* » aliquo quem diceret contra majestatem publicæ potestatis. Matth. XXII, 15 : *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone.*

« *Ut traderent eum,* » contra majestatem publicam loquentem, « *principatui,* » Herodis regis et Romanorum, « *et potestati præsidis* » Pilati : quia uterque erat sub Romanis : unus ut rex tetrarchiæ, et alter ut procurator et præses cujusdam partis regni illius. Dicit enim Chrysostomus, quod « iniquitas et mali-« tia sunt sicut aqua præceps, cui si ob-« struitur unus meatus, statim irrumpit « semitam per alium meatum. »

« Et interrogaverunt eum, dicentes. »

Eccli. XIII, 14 et 15 : *Ex multa loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia et de vinculis.*

« *Magister.* » Magistrum vocant, ut dicit Chrysostomus, cujus nolunt esse discipuli. « *Scimus,* » quamvis mentiamur contrarium, « *quia recte dicis,* » in responsis. Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.*

« *Et doces,* » in parabolis et prædicatione. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

« *Et non accipis personam hominis.* » Act. X, 34 : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.*

« *Sed viam Dei,* » hoc est, justitiæ Dei : et hæc est via rectitudinis virtutum. Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Et viam mandatorum Dei. Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Est autem pœnitentia via Dei, peccatori ambulanda. Isa. XXX, 21 : *Aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis. neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

« *In veritate doces.* » Veritas enim doctrinæ nec propter timorem hominum, nec propter amorem, nec propter scandalum aliquod est dimittenda. Omnia autem hæc vere quidem, sed adulando, et tentando dixerunt. Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo,* propter quem deseras veritatem.

« Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? »

« *Licet* » ne « *nobis,* » qui decimas damus et primitias, et qui populus Dei peculiaris sumus, et liberi, « *tributum dare Cæsari, an non?* » Orta enim fuit quæstio a Pharisæis in populo : dicentibus Pharisæis, quod populus Dei qui liber esse deberet, et decimas solveret, et primitias, et vota, et sacrificia, non deberet tributa dare, sed orationibus juvare rempublicam et non tributis : quia hoc esset indignum, et contra populi Dei privilegium, et libertatem. Alii autem econtra asserebant, quod Romanis qui pro omnibus militarent, et omnes defenderent, ab omnibus deberent accipere tributum. Et ideo movent istam quæstionem : ut si dicat tributa debere dari, contra libertatem populi loquatur, et populus contra eum concitetur. Si autem dicat non debere dari : tunc potestates Romanorum et milites exasperentur contra ipsum. Hoc autem tributum est, quod *censicapitem* vocamus, quod

sub Cæsare Augusto est constitutum : unde de hoc loquuntur. Hæc est igitur malitiose confecta interrogatio. Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper judicium.*

23 « Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis?

24 Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei : Cæsaris.

25 Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.

26 Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe : et mirati in responso ejus, tacuerunt. »

Hic incipit confutatio illorum.

Dicuntur autem hic quinque : quorum primum est quod, ut Deus dolum cordis eorum vidit. Secundum, quod intentionem malitiosæ interrogationis reprehendit. Tertium, quod ex figura numismatis dolosos confutavit. Quartum, quod hæc determinatio apud omnes irreprehensibilis fuit. Quintum, quod hæc prudentia admirabilis dolosis taciturnitatem induxit.

Dicit igitur : « *Considerans autem,* » ut Deus, « *dolum illorum, dixit ad eos.* » I Reg. XVI, 7 : *Dominus intuetur cor.* Sapient. I, 9 : *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Matth. XXII, 18 : *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait.*

« Quid me tentatis? »

Matthæus addit, *hypocritæ*[1]. Et arguit hic malitiam. Deuter. VI, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Psal. LXXVII, 41 : *Conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.* Ac si dicat : Frustra tentatis, quia ego novi omnia antequam fiant[2] : et sum absconditorum cognitor.

« Ostendite mihi numisma census. »

Tertium est ex quo confutat eos. Est autem numisma quod ad nummum venit, habens signum publicæ potestatis, ne falsificari possit in figura, vel puritate, vel pondere.

« *Census* » autem dicit : quia per illud census de capite solvebatur. Luc. II, 1 : *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Et hanc litteram habet Matthæus, XXII, 19.

Hic autem dicit :

« Ostendite mihi denarium. »

Denarius autem valebat decem nummos usuales, qui in commutationibus quotidianis numerabantur.

« Cujus habet imaginem et inscriptionem ? »

Impressa enim erat imago Tiberii Cæsaris, sub quo passus est, et superscriptio nominis ejus. Matth. XXII, 20 : *Cujus est imago hæc, et superscriptio ?*

« *Respondentes,* » Pharisæorum discipuli, « *dixerunt ei : Cæsaris.* » Cæsar latine dicitur *possidens principatum.* Et ideo nomen istud omnes communiter Imperatores habuerunt, sicut et Augusti ab augendo imperio sunt vocati. Læti autem statim dixerunt : *Cæsaris*, arbitrantes quod aliquid contra Cæsarem diffinire deberet, et quod ignorans quæreret, et sic de facili deciperetur. Sed ille non ignorans quærit, sed ut aptetur responsum consequens ad dictum eorum.

[1] Matth. XXII, 18.

[2] Cf. Daniel. XIII, 42.

« Et ait illis, »

Ex verbis eorum condemnans eos : « *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* » Quasi dicat : Ex quo commutationes in foro, et defensionem terræ, et judiciorum determinationes vos habere profitemini per denarium ejus cujus imaginem datis et accipitis, reddite illi vicissitudinem tributi. I ad Corinth. IX, 7 : *Quis militat suis stipendiis umquam ?* Ad Roman. XIII, 7 : *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.*

« *Et quæ sunt Dei Deo* » reddite. Sicut decimas, primitias, et vota, et quæcumque sunt talia. Jonæ, II, 10 : *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.* Psal. LXV, 13 et 14 : *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Matth. XVIII, 26 et 29 : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.*

Attende autem quod moraliter ista quæstio fiet nobis à Deo. « *Cujus est imago hæc, et superscriptio ?* » Est enim imago Dei in nobis, et superscriptio sui nominis. Et hæc duo quæruntur in denario, et duo alia, puritas scilicet, et pondus. Sic in nobis præter duo dicta, quæritur puritas intentionis, et pondus affectus sive amoris. Si scilicet imago sit pulchra, si superscriptio expressa et clara, si intentio pura, si amor affectus magni ponderis. De primo dicit in Psalmo XLIV, 5 : *Specie tua et pulchritudine tua.* De secundo, Apocal. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem,.. et nomen meum novum.* De tertio et quarto simul dicitur, I ad Thimoth. I, 5 : *Charitas est de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

« Et non potuerunt verbum ejus reprehendere. »

Job, VI, 30 : *Non invenietis in lingua mea iniquitatem, neque in faucibus meis stultitia personabit.*

« *Coram plebe.* » Quod tamen maxime desideraverunt. Unde, Matth. VII, 28 : *Admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

« *Et mirati in responso ejus.* » Proverb. XXVI, 5 : *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Augustinus : « Dentem caninum « retundit solidissima veritas. »

« *Tacuerunt.* » Psal. LXII, 12 : *Obstructum est os loquentium iniqua.* Job, XXXIX, 34 : *Qui leviter locutus sum, respondere quid possum ?*

« Accesserunt autem quidam Sad- 27
ducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,

Dicentes : Magister, Moyses scripsit 28
nobis : Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo. »

Hic tangit tentationem in fide et lege.

Et dividitur in tres partes : quarum prima continet tentationem : secunda, tentantium confutationem : et tertia, resurrectionis probationem.

In prima harum quatuor dicuntur, scilicet, tentantium descriptio, legis juxta interrogationem ponitur inductio, casus positio, et facta tentantium interrogatio.

In primo horum quinque dicuntur : dolosus tentantium accessus, cum dicitur : « *Accesserunt autem,* » confutatis Pharisæis, et silentio imposito eis. Matth. XXII, 23 : *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi,* etc. Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum : et cor*

tuum plenum est dolo et fallacia. Isa. LVII, 3 : *Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ.*

« *Quidam,* » non digni nomine. Infandi enim sunt hæretici, non nominandi. Psal. XV, 4 : *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

« Sadducæorum. »

Sadducæus interpretatur *justus.* Isti enim quamvis dicerent resurrectionem corporum non esse, tamen dixerunt animas pro justitia esse remunerandas, et ideo colendam legis justitiam valde, propter quod *justi* vocabantur. Pharisæi autem *divisi*, quia dicebant esse resurrectionem corporum, sed dicebant quod post resurrectionem homines in aurea Jerusalem uterentur cibo, et potu, et uxoribus sicut modo. Et ideo quoad illos optima fuit quæstio Sadducæorum, et insolubilis. Essæi autem dicebant nec spiritum esse, nec Angelum, nec resurrectionem : sed Deo esse serviendum pro temporalibus.

Et hoc est quod sequitur :

« Qui negant esse resurrectionem, »

Scilicet. futuram corporum. Tamen animarum spiritualem confitebantur esse resurrectionem.

« Et interrogaverunt eum, »

Tentando. I ad Corinth. X, 9 : *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt.*

« Dicentes. »

Putabant enim eum ab opinione Pharisæorum removere propter odium quod habebant ad eos. Sed ipse falsitatem utrorumque detestatur. Psal. V, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

« Magister. »

Ecce primo inducunt legem. Dicunt autem : « *Magister,* » quia Deum esse non credebant, sed sapientem. Joan. III, 2 : *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

« Moyses, »

Qui tantæ auctoritatis fuit, quod legem Deus dedit per eum. Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est.*

« Scripsit nobis [1]. »

« *Si frater alicujus* » hominis « *mortuus fuerit habens uxorem* : » quia ille jam partem habuit hæreditatis : et domum habuit et familiam, quæ de populo Dei delenda non erant : nec uxor erat ab hæreditate separanda, quia hoc esset injuria.

« *Et hic sine liberis mortuus fuerit,* » cum tamen jam familiam et domum haberet, « *ut accipiat eam,* » relictam illius, « *frater ejus,* » defuncti, « *uxorem.* » Frater autem dicitur hic, non uterinus tantum, sed propinquior in genere. Quia, Ruth, IV, 13, ita accepit Booz Ruth Moabitidem.

« *Et suscitet semen fratri suo :* » quia secundum naturam semen viri licet aliquando non sit efficax ad generationem, tamen est efficax ad matricis alterationem. Cujus signum est quod mulier ex secundo viro sæpe generat filium priori marito similem. Et mulier cum qua coivit leprosus, qui fortiter infectus est, inficit secundum qui cito post leprosum

[1] Cf. Deuter. XXV, 5.

erit cum ea. Et ideo quamvis semen defuncti totum secundum substantiam effluxerit, tamen qualitates remanent in matrice spiritualiter diffusæ in venis, et arteriis, et nervis : ex quibus sequentis viri semen trahitur ad similitudinem prioris. Et ideo dicitur prioris viri semen suscitari per sequentem. Hoc autem facilius fit per fratrem : quia ille ex eisdem parentibus, natura frequenter similiorem habet cum ipso complexionem. Et ideo etiam præcipitur, quod primum filium ex secundo genitum, nominet nomine fratris prioris. Hoc tamen maxime præceptum est, ne sortes hæreditatum et familiæ distinctæ in tribubus permiscerentur et confunderentur. Hæc igitur fuit ratio et causa legis.

29 « Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.

30 Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.

31 Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt.

32 Novissime omnium mortua est et mulier.

33 In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34 Et ait illis JESUS : Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias :

35 Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores :

36 Neque enim ultra mori poterunt : æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. »

Ponitur hic casus de quo fit interrogatio.

Dicit igitur : « *Septem ergo fratres,* » sicut Job septem filios habuit, et sicut junior Tobias habuit septem, « *erant* » apud nos in gente Judæorum, hanc legem observantes, « *et primus accepit uxorem* » legitimam, « *et mortuus est,* » soluta uxore a lege viri. Et potest esse quod ille fuit iniquus, quia scriptum est, Sapient. III, 16 : *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.*

« Et sequens, »

Propinquior sibi, « *accepit eam* » uxorem : sicut fecit Onam, qui accepit uxorem fratris Her. Et videns non sibi nasci filios, semen fundebat in terram : et Dominus interfecit eum, eo quod rem detestabilem faceret : sicut dicitur, Genes. XXXVIII, 9 et 10.

« *Et ipse mortuus est sine filio.* » Hæc enim lex etiam a Patriarchis ante legem servabatur.

« Et tertius accepit illam, »

Sicut Sela debuit accipere Thamar quando crevisset.

« *Similiter et omnes septem,* » successive habuerunt eam. Ita quod uno seniori defuncto, sequens accepit eam. Isa. XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.*

Et hoc est quod dicit : « *Et non reliquerunt semen.* » Per hunc modum, Tob. III, 8 et 9, dicitur quod Sara, filia Raguelis, tradita fuit septem viris : et dæmonium nomine Asmodæus interfecit eos. Unde et ancilla dixit : *Amplius ex te non videamus filium aut filiam, interfectrix virorum tuorum.* In illa enim directe fuit idem casus. Per oppositum autem modum dicitur, Isa. IV, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos : aufer opprobrium nostrum.* Plures enim uni aliquando con-

cessæ sunt : eo quod dicat Aristoteles ex opinione Platonis, quod unus multas implet fœcundando. Sed numquam concessum fuit, quod mulier una haberet plures viros. Hoc est contrarium fœcunditati. Sed quantum est de institutione prima matrimonii, una est unius. Genes. II, 24 : *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una.* De hoc tamen non est hic locus disputandi.

« Novissime vero omnium, »

Maritorum fratrum, « *mortua est et mulier* » septemvira. Dicunt Pharisæi quod unusquisque resurget in ordine suo, et in eodem actu in quo prius vixerat.

« In resurrectione ergo eorum »

Septem fratrum, « *cujus erit uxor?* » Ecce juxta inductam legem interrogatio.

Et confirmant fortificando quæstionem, dicentes : « *Siquidem,* » hoc est, quia « *septem,* » singuli successive omnes, « *habuerunt eam uxorem.* » Hanc autem quæstionem inexplicabilem sæpe proposuerant Pharisæis : et putabant quod Dominus aut errori eorum consentiret, aut cum Pharisæis reprehensibilis appareret. Unde, Matth. XXII, 29, dicitur : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Sapient. II, 22 : *Nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Quod autem secundum litteram hic dicitur (nec aliquam habet difficultatem) in mystico sensu sæpe invenimus impletum. Prælatos enim Ecclesiarum Domini sponsos adeo invenimus steriles, quod non dico de septem, sed etiam de mille succedentibus, nullus semen fratri defuncto, hoc est, Christo relinquit. Et ideo de eis dicitur, Jerem. XXII, 30 : *Scribe virum istum sterilem, qui in diebus suis non prosperabitur.*

Redeamus autem ad litteram, et videamus qualiter isti a Domino confutantur.

« Et ait illis Jesus, »

Optimam temperans responsionem, simul causas matrimonii, et dispositionem resurgentium ostendens.

Dicit ergo : « *Filii hujus sæculi,* » mortalis et animalis, « *nubunt,* » in filiabus suis, « *et traduntur ad nuptias,* » in filiis, qui accipiunt uxores : quia cum mortales sint, et fugiant per mortem, natura non salvatur nisi pignore prolis. Proles autem non habetur nisi per coitum, in quo fit sexus commixtio : et ideo nuptiæ sunt bonum mortalium.

« Illi vero, »

Sancti et justi, « *qui digni habebuntur sæculo illo,* » scilicet beatorum. Psal. XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Tob. XIII, 20 : *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.* Quamvis enim omnes resurrecturi sint, tamen non loquitur Dominus nisi de resurrectione justorum, quia illi soli habebunt spiritualia corpora. I ad Corinth. XV, 51 : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Immutatio enim est ad formam corporis gloriosi.

Et hoc est quod dicit : « *Et resurrectione ex mortuis.* » Soli enim justi omnino et simpliciter resurgent ex mortuis. Alii autem inter mortuos in æterna morte jacebunt in inferno. Psal. I, 5 : *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum.*

« *Neque nubent,* » sicut fœminæ, « *neque ducent uxores,* » sicut viri.

Et subjungit rationem :

« Neque enim ultra mori poterunt, »

Cum contra mortem datæ sint nuptiæ. I ad Corinth. xv, 26 : *Novissima autem inimica destruetur mors.* Et, ibidem, ℣. 54 : *Absorpta est mors in victoria.* Apocal. xxi, 4 : *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quoniam prima abierunt.* Corpora etiam ipsa non erunt plus animalia, sed spiritualia. I ad Corinth. xv, 44 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Et talia corpora, ut dicit Augustinus, membra quidem generationis habebunt, non quæ concupiscentiam moveant, sed quæ sapientiam ordinantis mundum ostendant.

Ulterius addit, dicens :

« Æquales enim erunt Angelis, »

In spiritualitatis lumine, in immortalitatis et impassibilitatis dote, in castitatis et munditiæ puritate.

De primo dicitur, Matth. xiii, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Sapient. iii, 7 : *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.*

De secundo dicitur, Apocal. xxi, 4 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum*, hoc est, causam lacrymarum, quæ est in omni passibilitate. Ideo dicitur quod habebunt vitam æternam. Joan. x, 28 : *Ego vitam æternam do eis :* quia nihil nisi vivens erit in eis. Isa. xxxv, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.*

De tertio dicitur, I ad Corinth. vii, 34 : *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Hoc enim est cælibatus. Matth. xxii, 30 : *Neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ideo etiam virginitas *cælibatus* vocatur. In castitate enim natura vincitur adeo virtutibus, ut Angelis assimiletur, ut dicit Cyprianus.

« Et filii sunt Dei. »

Absque omni corruptione, in quibus apparet quid paternitas divina effecit in ipsis. I Joan. iii, 2 : *Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit,* scilicet, cum erimus ex filiatione Dei, *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et in hoc sensu dicitur, Joan. i, 13 : *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt :* quia nihil ex corruptione carnis et sanguinis apparebit in ipsis. I ad Corinth. xv, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.*

« Cum sint filii resurrectionis, »

Qui omnino et a morte surgunt, et a corruptione. I ad Corinth. xv, 52, 53 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.*

« Quia vero resurgant mortui, et 37
Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob.

Deus autem non est mortuorum, 38
sed vivorum : omnes enim vivunt ei. »

Hic contra Sadducæos probat futuram esse resurrectionem.

Et habet duas partes : in quarum prima est veritatis probatio, quam etiam Scribæ commendant, contra quos adhuc nihil dictum fuit. Ideo in secunda parte ostenditur contra Scribas Messias in lege exspectatus esse verus Deus : et ideo cavendum esse a falso Scribarum in lege intellectu.

In primo horum sunt duo : resurrectionis probatio, et probationis commendatio.

In probatione sunt tria : primo enim nolens sophistice apparere, suum manifestum facit propositum : in secundo, probationis ponit principium : in tertio, argumentationis facit decursum.

Dicit ergo :

« *Quia vere resurgant mortui,* » corporaliter, « *Moyses,* » qui præ aliis apud vos habet auctoritatem. Omnis enim Scriptura Veteris Testamenti legi Moysi innititur. Numer. XII, 6 et seq. : *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt.* Et, Exod. XXXIII, 11 : *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*

Hic ergo « *ostendit* » propositionem tantæ auctoritatis, « *secus rubum,* » ubi non opinionem propriam secutus est, sed simplicem Dei revelationem : ubi ipse Dominus apparuit, et de omnibus eidem revelationem fecit. Et ideo etiam locus et tempus faciunt ad auctoritatis firmitatem.

« *Sicut dicit* » ibi Deus ipse, « *Dominum Deum* » esse « *Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob.* » Littera, Exodi, III, 6, sic jacet : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* Qui tamen omnes corporaliter erant mortui : et non erant tunc nisi animæ in sinu Abrahæ, spe felici redemptionem exspectantes : ergo animæ eorum vivebant. Hoc autem negabant Sadducæi, qui dicebant quidem Angelos esse, sed animas perire cum corpore. Si autem animæ sunt et distinctæ, et est anima Abrahæ una, et anima Isaac alia, Jacob tertia : tunc oportet de necessitate quod sint animæ proprietatibus distinctæ. Hæ autem proprietates individuantes non sunt nisi ex comparatione proportionis et connaturalitatis ad hoc corpus et illud : ergo illas connaturales habent proprietates animæ. Illæ autem proportiones aut perficientur per resurrectionem incorruptibilium corporum, aut non. Si perficientur, tunc necessario erit resurrectio eorumdem corporum in forma incorruptionis. Et sic habetur propositum. Si autem non erit, tunc imperfectæ relinquuntur animæ : et procedit opus Dei a perfecto ad imperfectum : quia perfectior fuit anima secundum illas connaturalitates ad corpus in corpore, quam extra corpus. Et hoc est absurdum. Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.*

Hæc ratio tota fundatur super tres propositiones : quarum una est, quod post mortem remaneat anima. Secunda, quod distincta in individuo post mortem maneat anima. Tertia est, quod omnis motor naturalis proportionem naturalem habet ad id quod movet, et non ad aliud. Et ideo aliud quod est similis speciei vel generis movere non posset. Et ipse motor est imperfectus in natura, nisi hæc proportio ad actum reducatur.

« Deus autem, etc.

Ponit argumentationis decursum dicens : « *Deus autem non est mortuorum,* » quia Deus est eorum qui fruuntur beatitudine ipsius, et illi non possunt esse in toto mortui, quia frui oportet secundum animam : et anima finaliter non potest imperfecta manere, quia omne quod finaliter imperfectum est, destruitur, et desinit esse.

« *Sed viventium,* » modo secundum fruentem animam, et finaliter etiam victurorum secundum corpus. Psal. XXXV, 10 : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Ezechiel. XXXVII, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super*

interfectos istos, et reviviscant. Daniel. XII, 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Job, XIX, 25-27 : *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius.*

« Omnes enim vivunt ei.

Tangit resurrectionis veram causam, dicens : « *Omnes enim* » mortui « *vivunt ei,* » hoc est, suæ potentiæ. Joan. V, 21 : *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* I ad Thessal. IV, 14 : *Si enim credimus quod Jesus mortus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo.* II Machab. VII, 9 et 14 : *Tu quidem, sceletissime, in præsenti vita nos perdis, sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit :... tibi enim resurrectio ad vitam non erit.*

39 « Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti.

40 Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. »

Commendatio est responsionis.

Dicit autem Scribas respondisse, quia illi erant legisperiti, et credebant futuram esse resurrectionem, sed ad modum erroris Pharisæorum dicebant eam futuram.

Et hoc est quod dicit : « *Respondentes autem quidam Scribarum,* » qui doctiores esse videbantur, « *dixerunt ei,* » approbando responsionem Domini.

« *Magister,* » qui perfectum legis intellectum attigisti. Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.*

« Bene dixisti. »

Nec hoc erat mirum : quia ad Verbum Dei non nisi bene dicere poterat. Joan. VII, 46 : *Numquam sic homo locutus est, sicut hic homo.*

« Et amplius, »

Ab illa die, « *non audebant eum,* » timentes confutari, « *quidquam interrogare,* » tentando. Et ideo ex tunc interficere cogitabant, quia videbant eum verbis invincibilem. Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur.* Sic Daniel os draconis oppilavit pice, et adipe, et pilis simul coctis [1]. Pix enim significat fœtorem et tenacitatem infidelitatis Pharisæorum et Sadducæorum. Adeps autem significat avaritiæ eorum pinguedinem. Pili vero divini intellectus et veritatis subtilitatem. Hæc tria zeli igne coxit simul Christus ostendens confutationem infidelitatis aliquando : aliquando autem pinguedinem avaritiæ sub hypocrisi lalentem. Et interseruit subtilissimos pilos veritatis de mente sua et deitate, quasi de capite evaporantes, et os draconis virus evomentis oppilavit, et sic draconem destruxit. Et sicut Babylonici ex tunc nihil quæsierunt nisi Danielem interficere, ita Judæi extunc nihil quærebant nisi Domini interfectionem.

« Dixit autem ad illos : Quomodo 41
dicunt Christum filium esse David,
Et ipse David dicit in libro Psalmo- 42

[1] Cf. Daniel. XIV, 26.

rum : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis,

43 Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?

44 David ergo Dominum illum vocat : et quomodo filius ejus est? »

« *Dixit autem ad illos,* » scilicet Scribas, volens confutare errorem eorum, ne populus in errore eorum remaneret.

Est autem ista propositio contra Scribas, qui dicunt Messiam quem exspectant in lege futurum esse purum hominem.

Dividitur autem ista pars in duas partes : in quarum prima ostendit errorem : et in secunda, cavendum docet esse ab intellectu eorum, qui non recte Scripturam intelligunt, et in doctrina non veritatem sed fastum quærunt.

In prima harum partium sunt tria, sicut in præcedenti : in quorum primo, ne lateat, conclusionem intentam in quæstione ponit : in secundo, principium unde firmatur propositum inducit : in tertio, facit rationis decursum.

Dicit ergo :

« Quomodo dicunt, »

Hoc est, quomodo dicere possunt Scribæ doctores legis, « *Christum,* » quem exspectant venturum, « *filium David esse* » tantum. Et ideo non esse nisi hominem purum. Hoc enim omnes dicunt. Unde, Matth. xxii, 42 : *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est ? Dicunt ei : David.* Quia in Psalmo cxxxi, 11, dicitur : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

« Et ipse David dicit, »

In Spiritu sancto loquens. Matth. xxii, 43 : *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum.* Psal. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* II Reg. xxiii, 1 et seq. : *Dixit David filius Isai : dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israel mihi, locutus est Fortis Israel.* Hæc est ergo certissima auctoritas.

« *In libro,* » qui scriptus ad memoriam æternam tantæ veritatis. Habacuc, ii, 2 : *Scribe visum.* Daniel. xii, 9 : *Clausi sunt* libri, *signatique sermones usque ad præfinitum tempus.*

« *Psalmorum.* » Quia tres sunt libri distinctiones, et unaquæque distinctos multos continet Psalmos.

Dicit autem : « *Psalmorum,* » hoc est, soliloquiorum, in quibus ipse solus cum Domino loquebatur, et Dominus cum eo. Hæc enim verba majoris sunt auctoritatis quam alia. Psal. xliv, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,* hoc est, Spiritus sancti.

« Dixit Dominus Domino meo. »

Aut enim David hæc verba dicit, aut non. Si dixit (sicut verum est) tunc David vocat Messiam Dominum suum : quia tunc sensus est : « *Dominus,* » creator, « *dixit Domino meo,* » Messiæ.

« Sede a dextris meis. »

Aut enim hoc dicit Messiæ qui est, aut ei qui non est. Si ei qui est : ergo Messias tunc fuit quando David hoc dixit : sed tunc nondum natus fuit secundum carnem : ergo secundum humanitatem tunc non fuit. Oportet ergo quod tunc fuerit secundum deitatem : ergo Deus est, et non purus tantum homo. Si autem dixit ei qui non fuit : tunc omnino incongrue loquebatur cum dixit : « *Sede a dextris meis.* » Et præcipue in eodem Psalmo cix, 3, cum dixit : *Tecum*

principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te. Ante luciferum enim non genuit purum hominem.

Adhuc autem, Ex utero suæ deitatis non potuit purum hominem producere.

Adhuc, Nulla creatura pura a dextris in æqualitate Dei sedere poterit. Et Lucifer, qui hoc præsumpsit, turpiter dejectus fuit [1]. Si ergo Messias purus homo erit, ut dicitis, male dicit : « *Sede a dextris meis.* » At si David istum Psalmum non fecit, falso Esdras titulum posuit. Titulus enim istius Psalmi non est alius nisi *Psalmus David.*

Adhuc autem, Si Messias non est nisi purus homo descendens a David : tunc David ipsa paternitatis auctoritate major est Messia, et tunc non deberet eum vocare Dominum. Matth. XXII, 45 : *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?*

Attende autem quod malitia Scribarum cum videret istam consecutionem ex dictis Psalmi necessario consequi contra eos, confinxerunt quod istum Psalmum non fecerit David, sed Eliezer, servus Abrahæ, ad honorem domini sui : quando reverso a cæde regum occurrit ei Melchisedech [2]. Sed hoc omnino confictum est, et sequentibus Psalmis non concordat, et maxime ei quod dicitur : *Ex utero ante luciferum genui te* [3].

« Donec ponam inimicos tuos, etc. »

Donec est inclusivum : quia etiam postquam suppedanei facti sunt inimici, sedebit a dextris Dei. I ad Corinth. XV, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos*, scilicet malos homines, et dæmones, et præcipue Judæos, « *sub pedibus ejus* : » ita quod sint in conculcationem sicut lutum platearum. Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Ad Hebr. X, 12 et 13 : *Sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Pedes autem, veritas ejus et potestas : qui duo pedes et portant eum et sustentant eum in Apostolis, et apostolicis viris, qui verbo veritatis et potestatis subjiciunt ei mundum. Nahum, I, 15 : *Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.* Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.*

« David ergo, »

Sicut patet in his quæ dicta sunt, « *illum,* » Christum exspectatum, « *Dominum vocat :* » qui tamen summus regum fuit terrenorum, et dignissimus inter reges.

« *Et quomodo filius ejus est ?* » Unde oportuit quod talis superpositionem habuerit super dignissimum regem. Secundum humanitatem solam sibi superponi non potuit : ergo oportuit quod secundum deitatem sibi superponatur.

« Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis : **45**

Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis : **46**

Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem. » **47**

Hic cautos reddit discipulos ab errore

[1] Cf. Isa. XIV, 12 et seq.
[2] Cf. Genes. XIV, 18-20.
[3] Psal. CIX, 3.

Scribarum, qui legem non spiritualiter intelligunt.

Dicit autem tria : primo enim publice docuit : et quia præcedens probatio publica fuit, secundo a quibus cavendum sit, distinguit : tertio, judicium condemnationis eorum prædicit.

Dicit igitur : « *Audiente omni populo,* » ut etiam populus ad fidem ædificaretur, et ut error propalatus non amplius deciperet simplices. Matth. xxviii, 19 : *Docete omnes gentes.*

« *Dixit discipulis suis,* » quos specialiter doctrina sua imbui voluit, et per quos alios voluit doceri. Marc. iv, 34 : *Seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.*

« Attendite a Scribis. »

Duo dicit : a quibus attendendum, et quare.

A quibus, quia « *a Scribis,* » qui corruptum in Scripturis habent intellectum, ne involvamini erroribus eorum. Ad Tit. iii, 10 et 11 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita : sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*

« *Attendite* ergo *a Scribis,* » qui non quærunt verum spiritus intellectum : quin potius cum spiritus sit clavis scientiæ, illum abstulerunt, dicentes legem esse carnaliter intelligendam. Matth. xxiii, 13, et Luc. xi, 52 : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis.*

Igitur « *attendite a Scribis,* » qui neglecta veritate,

« Volunt ambulare in stolis, etc. »

Quinque dicit, quæ intendunt consequi ex doctrina : quorum primum, quod « *volunt,* » ex doctrina sua, « *ambulare,* » inter homines, « *in stolis,* » ad litteram sutis, hoc est, camisias lineas longas portaverunt in signum munditiæ : quia vestimentis communibus sacros libros tractare non deberent. Has autem appetebant, non propter munditiam magisterii, quæ bona est, sed propter fastum, ut ab omnibus honorarentur. Matth. xxiii, 7 : *Volunt vocari ab hominibus Rabbi.* Jacob. iii, 1 : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis.* Hæc est ergo causa quod de stolis (quæ dicuntur a græco στόλον, quod latine sonat *longum*) quia longas ferunt tales stolas. Fuerunt etiam ex hoc melius vestiti.

Et hoc etiam intendit cum dicit, quod « *volunt ambulare in stolis.* » Et ab ista consuetudine, et a præcepto Domini processit, quod Clerici portant vestes sacras : quia semper sacra habent tractare. Et ideo dicitur, Exod. xxv, 7, Judic. xvii, 14 et seq., et I Reg. ii, 18, quod inter vestes sacras erat Ephod lineum.

« Et amant salutationes in foro. »

Hæ salutationes non vacuis manibus fieri consueverunt : quia meliora quæque doctoribus dari consueverunt : quia, Matth. xxiii, 7 : *Amant salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.* Ibi enim consuetum fuit, quod majores salutabantur in signum reverentiæ. Et hanc reverentiam multum affectabant. Joan. v, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ?*

« Et primas cathedras in synagogis. »

Cathedra dicitur catechizantium sedes. Et qui male sederit in tali cathedra, ut dicit Chrysostomus, injuriam facit cathedræ. Tamen quia cathedra fuit honor quidam docentium, propterea appetebant eam, hoc est, docendi auctoritatem.

Eccli. VII, 4 : *Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris :* quia qui indignus accipit cathedram, sedit in cathedra pestilentiæ. Psal. I, 1 : *In cathedra pestilentiæ non sedit.*

« Et primos discubitus in conviviis, »

Seu in cœnis, hoc est, honoratiores recubitus. Et vocat *discubitus,* quia cum multis in cœnis discumbitur. Luc. XIV, 10 : *Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.* Illi autem econtra semper voluerunt recumbere in loco primo cum Lucifero, qui elegit sedem ponere super astra cœli [1].

« Qui devorant domos, »

Hoc est, contenta in domo, hoc est, facultates « *viduarum.* » Has enim sibi advocabant, quia dare habebant. Et quia custodes non habebant, et ex sexu levitatem consentiendi, et ex rememoratione pristinæ delectationis plenæ erant concupiscentiis. II ad Timoth. III, 5 et 6 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita : ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Chrysostomus autem dicit hic, quod dum Judaicos sacerdotes confundit, Christianos admonet.

« Simulantes longam orationem. »

Quia revera non diu orant, sed simulant se diu orare : ut occasione longæ orationis accipiant. Chrysostomus : « Avaritiam vestram religionis decore « depingitis, et diabolo Christi arma « præstatis, ut armetur iniquitas, dum « hypocrisis pietas esse æstimatur. » Marc. XII, 40 : *Devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis.* Osee, IV, 8 : *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.* Nostri vero temporis sacerdotes aliud pejus faciunt : quia nullam penitus prætendunt pietatem, vel orationem : et tamen devorant domos omnium, jus suum esse dicentes hoc et illud, sed non esse jus ut aliud vel Deo rependant, vel hominibus, Mich. III, 1 et 2 : *Audite, principes Jacob, et duces domus Israel,... qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum.*

« Hi accipient, etc. »

Hic tangit talium hypocritarum justam condemnationem.

Et hoc est quod dicit : « *Hi* » hypocritæ « *accipient* » a Deo justo judice. Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

« *Damnationem majorem,* » scilicet æternam in acerbioribus et pluribus pœnis. Quia sicut dicitur, Luc. XI, 24 et seq., et Matth. XII, 43, 45, immundus spiritus qui exit a simplici peccatore ad hypocritam revertitur cum septem aliis nequioribus se, et ingressi habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Et hæc est una causa quare damnationem sumunt ampliorem.

Secunda causa est, quia arma Dei convertunt contra Deum. Oratione enim et doctrina, quibus diabolum impugnare debebant, Deum impugnant. Isa. III, 8 : *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

Tertia causa est, quia cum sint Doctores, deberent ostendere bonis exemplis hoc quod docent. Sicut, Act. I, 1, dicitur : *Cœpit Jesus facere et docere.* Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemodmodum ego feci, ita et vos faciatis.*

Quarta causa est, quia spiritualia gratis deberent exhibere : et hæc ipsis

[1] Cf. Isa. XIV, 13 et 14.

vendunt. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.*

Sic ergo, ut dicit Ambrosius hic in Glossa, « Dominus in fine testamenti sui « conclusit fidem in auctoritate David, « qua contra Scribas est usus, suam per « eam probans deitatem. Testamentum « autem Christi vocat doctrinam Evan- « gelicam, in qua nobis hæreditatem « æternam ordinavit, cui hic finem de- « dit : quia de doctrina quasi nihil addit. « Quod enim sequitur, historia Passio- « nis est, et prædictio futuræ Jerusalem « desolationis et mundi. » Hoc igitur est quod intendit Ambrosius.

CAPUT XXI.

Viduam duo minuta offerentem præfert divitibus multa offerentibus : subversionem templi prædicit, variaque prœlia, afflictiones et persecutiones : adversus quæ roborat Apostolos : prædicit quoque subversionem Jerusalem, et Judæorum captivitatem ac dispersionem : de signis præcessuris judicium : cavendum a crapula, ebrietate, curisque hujus vitæ, et vigilandum ac orandum.

1. Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites[1].
2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo.
3. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit.
4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.
5. Et quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit :
6. Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur[2].
7. Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quando hæc erunt? et quod signum cum fieri incipient?
8. Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos.
9. Cum autem audieritis prœlia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.
10. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.
11. Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.
12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum :
13. Continget autem vobis in testimonium.
14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.
15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.
16. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis :

[1] Marc. XII, 41.
[2] Matth. XXIV, 2 ; Marc. XIII, 2 ; Supra, XIX, 44.

17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum.
18. Et capillus de capite vestro non peribit.
19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.
20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem [1], tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.
21. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : et qui in medio ejus, discedant : et qui in regionibus, non intrent in eam.
22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.
23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus! erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.
24. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.
25. Et erunt signa in sole [2], et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum,
26. Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum movebuntur:
27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.
28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra [3].
29. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, et omnes arbores :
30. Cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.
31. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.
32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.
33. Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt.
34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa :
35. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.
36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.
37. Erat autem diebus docens in templo : noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti.
38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

[1] Daniel. IX, 27; Matth. XXIV, 15; Marc. XIII, 14.
[2] Isa. XIII, 10; Ezechiel. XXXII, 7; Joel, III, 15; Matth. XXIV, 29; Marc. XIII, 24.
[3] Ad Roman. VIII, 23.

IN CAPUT XXI LUCÆ

ENARRATIO.

1 « Respiciens autem, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites.

2 Vidit autem et quamdam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo.

3 Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit.

4 Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. »

Hic incipit pars, quæ est de reprobatorum destructione et abjectione.

Dividitur autem in partes duas: in quarum prima ostenditur reprobatio condemnationis divitum, in comparatione ad oblationem pauperculæ viduæ: in secunda, inducitur destructio futura reproborum, tam in Jerusalem, quam in mundo.

In prima harum dicit tria. Tangit enim primo ad viduam benevolum respectum: in secunda, oblationis tangit quantitatem: in tertia autem, ejusdem oblationis commendationem.

De primo dicit:

Diximus quod confutatis omnibus Pharisæis, Sadducæis, et Scribis, « *respiciens,* » oculo approbationis, « *vidit,* » grata pietate, « *eos qui* » in Pascha, quando, sicut dicitur, Exod. XXIII, 15, non debebant apparere in conspectu Domini vacui, « *mittebant munera sua,* » hoc est, votivas oblationes. I Paralip. XXIX, 17 et 18: *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem.* Isa. LX, 7: *Offerentur super placabili altari meo: et domum majestatis meæ honorificabo.* Psal. XXVIII, 2: *Afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.*

« In gazophylacium. »

Gazæ sonant divitiæ, et φυλάσσειν *servare.* Et inde *gazophylacium* arca dicebatur, in qua reservabantur divitiæ donorum illorum qui offerebant.

Est autem triplex tale reservatorium in templo. Unum quidem erat in quo reservabantur oblationes principum sabbati, quæ in sabbato magno per tria tempora anni offerebantur: et hoc vocabatur *Musach sabbati,* sicut dicitur, IV Reg. XVI, 18. Et interpretatur Musach *attrectatio fratris*: quia princeps frater erat principis sacerdotum, et in ipso donum ejus attrectabatur ad pondus. Secundum autem repositorium erat arca, in qua reponebantur oblationes sacerdotum: et hoc vocabatur *Corban,* vel *Corbonan,* quod *donum ejus* sonat: quia in eo donaria mundissima reponebantur, quæ aliis donariis propter munditiam misceri non debuerunt. Matth. XXVII, 6: *Non licet eos mittere in Corbonam, quia pretium sanguinis est.* Ac si dicant: Pretium sanguinis est immundum. Et licet denarii, qui dati sunt proditori, fuerint de donariis Sacerdotum, tamen non licet reponere ad sanctas oblationes: quia jam immundi facti sunt ex proditione sanguinis. Tertium erat reservatorium oblationum populi in atrio ante templum, ad quem locum potuit accedere populus. Erat tamen porticus quædam circa hoc reservatorium ædificata, quæ non offerente populo claudebatur propter securitatem. Et

juxta illam porticum, et in ea stabant sacerdotes admonentes populum ut offerrent. Et hæc porticus aliquando per metonymiam etiam *gazophylacium* appellatur. Joan. VIII, 20 : *Hæc locutus est Jesus in gazophyalacio, docens in templo.*

« Divites. »

Quorum quilibet obtulit, non sicut potuit, sed sicut voluit. Et de hac oblatione ad litteram dicitur, Isa. LX, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Aliquando tamen omnia reservatoria Levitarum *gazophylacia* dicuntur. Et maxime in visione Ezechielis ultima, Ezechiel. XLII, 1 et seq., ubi dicitur, quod juxta templum in superiori parte domus erant gazophylacia. In reditu autem de captivate Babylonica, cum omnia hæc destructa fuerunt, tunc gazophylacia vocabant locum, in quo decimæ quæ sacerdotibus dabantur, reponebantur. Significant autem gazophylacia in Ecclesia manus pauperum, quæ in cœlestes thesauros oblationes Ecclesiæ reportare deberent. Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

« Vidit autem, »

Respectu dilectionis. Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.*

« *Et quamdam viduam,* » præ paupertate nomen non habentem, et inter alias non nominatam : quia in terris non celebravit nomen suum. Non enim erat de illis de quibus dicitur, Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*

« *Viduam,* » inquam, a solatio viri iduam, hoc est, divisam. I ad Timoth. V, 5 : *Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus die ac nocte.*

« *Pauperculam,* » humilem in paupertate sua. Isa. LIV, 11 : *Paupercula tempestate convulsa, absque ulla consolatione.* Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?*

« Mittentem, »

Hoc est, offerentem : quia gazophylacium superius foramen habuit, per quod oblata in profundum sui mittebantur.

« Æra duo minuta. »

Potest esse *minuta* substantivum. Et tunc hoc quod dicitur *æra,* resolvendum est in adjectivum, quod denominationem faciat materiæ minutorum, ut *duo æra minuta* dicantur duo ærea minuta. Potest etiam *æra* esse substantivum, et *minuta* esse adjectivum. Et tunc sunt duo parva æra. Sed primus sensus magis est in usu numismatis, in quo fuerunt denarii, et nummi, et oboli, et minuta propter parvarum rerum faciliorem commutationem. Æra autem proprie vocantur denarii, vel nummi, vel oboli cuprei : quia æs est cuprum. Et in hoc significatur quod ista vidua valde parvam fecit oblationem, sed ex magno affectu fecit eam. Tob. IV, 23 : *Noli timere, fili mi. Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bonum.* »

« Et dixit, »

Oblationem viduæ commendando : « *Vere dico vobis,* » hoc est, in veritate quæ sum, et quam in cordis devotione hujus viduæ conspicio. Isa. XXXVIII, 3 : *Memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim.*

« *Vidua hæc pauper* » rebus, « *plus quam omnes misit.* » Hic duplex est sensus, ex eo quod hoc quod dico, *plus,* potest esse nomen : et sic non loquitur id dictum nisi ex affectu pensetur : vel ex

facultate, quia majori affectu misit, et secundum suas facultates, plus fecit. Vel, potest esse *plus* adverbium, et stare juxta suum verbum « *misit,* » ut sit sensus : « *plus misit,* » hoc est, in mittendo ipsa plus omnibus fuit. Et hoc modo loquitur Christus : quia quamvis alii plus donaverint, tamen ipsa plus in mittendo fuit. II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* I Paral. XXIX, 17 : *Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa.* Sic, Matth. XIX, 27, dicit se reliquisse omnia : quia ex affectu, quo paratus esset omnia relinquendi, dimisit. Hieronymus in *Proœmio galeato* : « Vi- « dua pauper duo æra minuta in munera « Dei obtulit, et præfertur Crœsi divitiis. »

« Nam, etc. »

Nam non est causale, sed ostensivum. Quasi dicat : Hujus signum est, quod « *omnes hi* » qui accesserunt, « *ex abundanti sibi,* » hoc est, quod sibi exuberabat in copia, « *miserunt* » oblationes « *in munera Dei,* » ad fabricam templi, et ritus sacrificiorum, et expensas ministrorum. I Paral. XXIX, 17 : *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.* Luc. XI, 41 : *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

« Hæc autem ex eo quod deest illi, »

Hoc est, ex eo quod si retinuisset, adhuc necessitati suæ multum deesset, « *omnem victum suum,* » ex quo vita sua pendebat, « *quem habuit, misit.* » Eccli. VII, 11 : *Ne dicas : In multitudine munerum meorum respiciet Deus, et offerente me Deo altissimo munera mea suscipiet.* Unde Hieronymus : « Non « quantum, sed ex quanto offeras, re- « spicit Deus. » Istud est valde contra illos, qui dicunt quod peccant qui omnia relinquunt, et postea mendicant : quia expresse laudatur vidua quod totum victum misit, quæ pro certo totum victum non dicta esset mittere, si aliunde victum nisi ex mendicatione posset habere. Simile est de vidua Sareptana, III Reg. XVII, 12 et seq., quæ non habuit nisi pugillum farinulæ pro se et filio : et ex ipsa farinula Eliæ prius quam sibi et filio præparavit cibum.

Duo autem minuta quæ vidua obtulit, moraliter significant verbum dulce, et quantumcumque facultatum dant, quod proximo pauperi est offerendum, et Deo erit acceptum sacrificium. Eccli. XVIII, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros ? sic et verbum melius quam datum.* Eccli. IV, 8 : *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine.* Debitum autem est donum misericordiæ et compassionis.

« Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit : 5

Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. » 6

Hic incipit prædicere reproborum desolationem.

Et dividitur in partes duas : in quarum prima facit quod dictum est : in secunda autem ostendit, quam instans fuit de die ad doctrinam in templo, et de nocte ad orationem. Et hoc facit in ultimo hujus capituli paragrapho.

Anterior autem harum partium quatuor habet partes : in quarum prima ostendit futuram templi et Judææ destructionem futuram per Romanos. In secunda dicit, quod ante hoc erit perse-

cutio magna Judæorum in discipulos, ut ad gentes transire cogantur. Tertio autem, prædicit futuram mundi ultimam desolationem, dicens, quod tunc erunt signa in sole et luna, sicut inferius patebit. In quarta autem et ultima, monet attentos et sollicitos debere esse fideles, ut non improvisi a die illa præoccupentur.

In prima harum facit quinque : in quorum primo, a quibusdam decor et ædificium templi ostenditur, ut per hoc aliquid dicendi de futuris excitetur : in secundo, futura destructio rempli prædicitur : in tertio, signa demonstrantia, scilicet, tempus quando hæc fiant, a Christo petuntur : in quarto, instantia seductorum multorum dicentium se esse Christos, pro uno signo datur, et a seductione illorum caveri præcipitur : in quinto autem, vera signa destructionis præmonstrantur.

In primo autem dicit :

« Et quibusdam »

De discipulis suis non tentantibus, « *dicentibus de templo*, » quod post ruinam Babylonicæ captivitatis sub Esdra et Nehemia ædificatum est, prophetantibus Aggæo et Zacharia Prophetis, « *quod bonis lapidibus*, » hoc est, firmis et politis. Marc. XIII, 1 : *Magister, adspice quales lapides et quales structuræ.*

« *Et donis*, » ad ornatum templi, et ad facultates ministrorum pertinentibus, « *ornatum esset* : » quia hoc est ad decorem domus pertinens. Aggæi, II, 9 et 10 : *Meum est aurum, et meum est argentum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.* II Machab. III, 1 et 2 : *Igitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime custodirentur propter Oniæ pontificis pietatem, et animos odio habentes mala, fiebat ut ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et templum maximis muneribus illustrarent.* Et hoc est quod dicit, Psal. XXV, 8 : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Sic etiam Ecclesiæ templa ornantur : sed cum cessat ornatus sanctitatis in personis, parum valet ornatus parietum. Ad Ephes. II, 22 et seq. : *Superædificati super fundamentnm Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide, Christo Jesu :... in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*

« Dixit »

Dominus Jesus. Et est secundum in quo templi prædicit futuram destructionem : eo quod in parietibus mortuis et non in personis, tamquam in lapidibus vivis esset ornatum.

« Hæc quæ videtis, »

Scilicet temporales structuras. II ad Corinth. IV, 18 : *Quæ videntur tempora lia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.*

« Venient dies »

Clari judicii Dei, qui modo sunt absconditi ab oculis istius Jerusalem. Luc. XIX, 42 : *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Sed, sicut dicitur, I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus,* scilicet judicans, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium :* et tunc cognoscetur Dominus judicia faciens, quando in operibus manuum suarum comprehensus erit peccator : sicut dicitur, Psal. IX, 17.

« In quibus non relinquetur lapis super lapidem.

Psal. CXXXVI, 7 : *Dixerunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

« Qui non destruatur. »

Quia etiam lapides comminuerunt Romani. Mich. III, 12 : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit.* Isa. LXIV, 9,10 et 11 : *Ecce, Domine, respice... Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ et gloriæ nostræ, ubi te laudaverunt patres nostri, facta est in exustionem ignis.* Hoc spiritualiter magis impletum est in Ecclesiis, in quibus lapidibus vivis nihil remansit nisi ignis infernalis, exustio in carnis concupiscentia. Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram,* hoc est, terrenum habentes affectum, *cum germine suo,* hoc est, cum nepotibus quos in Ecclesias introducunt : *et montium,* hoc est, Prælatorum, Cardinalium, et Episcoporum, *fundamenta comburet:* quia fundamentum eorum materia ignis, scilicet, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ [1]. Hoc enim fundamentum, pice tenacis concupiscentiæ, et sulphuris fœtentis per immundum libidinis confectum, coram igne inferni stare non poterit.

7 « Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor quando hæc erunt? et quod signum cum fieri incipient ? »

« *Interrogaverunt autem illum.* » Secundum alium Evangelistam, Marc. XIII, 3 : *Interrogant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas.*

« *Dicentes.* » Et hoc est tertium, in quo hujus destructionis petitur tempus, et signum :

« Præceptor, quando hæc erunt ? »

Et ad hoc non respondet Dominus. Et ratio redditur, Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Inconveniens sequeretur si hoc sciretur : quia cum tales comminationes sint de prophetia præscientiæ, quæ fundantur in causis inferioribus : si illi quibus fit comminatio pœnitentiam agerent, commutaretur etiam comminatio, et non induceretur malum : et sic error generaretur contra prophetiam tamquam esset falsa : sicut accidit Jonæ qui prædixit tempus subversionis Ninive [2]. Quod autem mutetur comminatio per pœnitentiam, expresse dicitur, Jerem. XVIII, 7 et 8 : *Repente loquar adversum gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruam, et disperdam illud : si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.*

Alia etiam causa est : quia quando sumus incerti de hora, certi tamen de judicio quod timemus, contendimus omni tempore esse parati, et ideo de tempore non respondet.

« *Et quod signum* » erit judicii tui de pessima natione, « *cum* » hæc judicia tua « *fieri incipient* ? » Et ad hoc respondet Dominus, dando multa signa. Matth. XXIV, 3 : *Dic nobis quando hæc erunt ? et quod signum adventus tui,* ad judicium istud perficiendum ? Joel. II, 30 : *Dabo prodigia in cælo et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi.* Apostoli enim adhuc consuetudinem Judaicam non deposuerunt. Dicit enim Apostolus, I ad Corinth. I, 22, quod *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* Joan. II, 18 : *Quod signum ostendis nobis,* scilicet ut videamus, et credamus tibi ?

Talia autem signa petentes vocant eum præceptorem, dicentes : « *Præceptor,* » quia jam cognoverunt quod verbum in potestate habuit, et quod ad præceptum ejus fieret quidquid vellet. Psal. XXXII,

[1] Cf. I Joan. II, 16.

[2] Cf. Jonæ, III et IV, passim.

9 : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.* Sic enim viderant quod elementis præcepit, et obediverunt. Marc. IV, 38 : *Magister, non ad te pertinet quia perimus.* Matth. VIII, 25 et 26 : *Domine, salva nos, perimus.... Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.* Ideo ergo eum et nunc vocant *præceptorem.*

8 « Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia Ego sum, et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos. »

Christi ponitur hic responsio.

Et habet tres partes : in quarum prima præmunit discipulos contra Pseudochristorum seductionem, qui tunc in Judæa apparebunt : secundo autem, contra terrores prœliorum quæ surgent contra Judæam illo tempore, ne forte territi recedant ab instantia prædicationis : tertio autem, dat signa futuræ destructionis.

In primo horum tria dicit, quorum primum est cautela contra seductores, secundum autem est cavendi necessitas, tertium prohibitio discipulorum a seductoribus.

De primo dicit : *Videte ne seducamini.* » Seductor enim est quasi seorsum a veritatis via ductor. Marc. XIII, 5 : *Videte ne quis vos seducat.* II ad Thessal. II, 3 : *Ne quis vos seducat ullo modo.*

Tangit autem causam hujus cautelæ, dicens :

« Multi enim venient in nomine meo, »

Hoc est, se Christos et Messias dicentes : sicut Judas Galilæus, et Theodas. Et sicut refert Josephus, Simon magus, qui de secta fuit Essæorum, natus de campis Jezrahel, prædicabat se esse Christum, et multos seduxit. Act. VIII, 9 et 10 : *Vir quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se aliquem magnum : cui auscultabant omnes a minimo usque ad maximum, dicentes : Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.* Et ille dixit se esse Christum, et in proximo Judæam liberaturum, ut refert Josephus. Dicit etiam Hegesippus, quod cum filii Herodis essent Romæ, et litigarent de regno, quod quatuor surrexerunt in Judæa simul, quorum unusquisque prædicabat se esse Christum : Simon tamen magus major fuit inter omnes. Et ideo etiam in catalogo hæresum, simoniaca hæresis prima ponitur ab Augustino.

Et hoc est quod dicit :

« Dicentes quia Ego sum, »

Supple, Christus. Sapient. IV, 3 : *Multigena impiorum multitudo non erit utilis.* Joan. IV, 1 : *Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Hoc significatum est in Psalmo CIII, 20, ubi dicitur : *Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa petransibunt omnes bestiæ silvæ.* Quando enim tenebræ tribulationum sunt, et fit nox ignorantiæ, tunc statim multiplicatur incursus bestiarum fidem vastantium Pseudoproprophetarum. II Petr. II, 1 et seq : *Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent secta perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur : et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Unde Chrysostomus dicit, quod « sicut homo circa mortem tur- « bato jam spiritu videt phantasias, ita « Judæa circa finem suum multos passa « est errores phantasmatum. »

« Et tempus appropinquavit, »

Quia inter cæteras falsitates etiam diem judicii instare dixerunt. Amos, V, 18 :

Væ desiderantibus diem Domini ! Ad quid eam vobis ? Illi enim determinabant quod Christus Dominus determinare noluit, scilicet diem et horam futuræ destructionis, et judicii. Luc. XII, 46 : *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit.* I ad Thessal. V, 2 : *Diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.*

« Nolite ergo, »

Ex quo præmoniti estis. « *Ergo nolite ire,* » per imitationem erroris, « *post eos* : » quia, sicut dicitur, Matth. XV, 14 : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Ad Roman. XVI, 17 et 18 : *Rogo vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentium,* hoc est, simplicium.

9 « Cum autem audieritis prœlia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

10 Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum.

11 Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt. »

Tangit hic ea quæ faciunt ad terrorem.

Dicit autem tria : primo enim terribilia ab hominibus procurata dicit in communi : secundo, monet ne propter illa retrahantur a prædicatione in Judæa facienda : tertio, illa terribilia ponit in speciali.

Dicit igitur : « *Cum autem,* » in Judæa, « *audieritis prœlia,* » quæ ad hostes exteriores pertinent, « *et seditiones,* » quæ pertinent ad cives, hoc est, quod Judæa scinditur ad exteriores, et interius in seipsa. Illa enim multum ante ultimam destructionem in Judæa abundaverunt. Matth. XXIV, 6 : *Audituri estis prœlia et opiniones prœliorum.* Isa. XIX, 2 et 3 : *Pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ipsius.* Ecce *prœlia,* in hoc quod regnum est contra regnum : et *seditiones,* in hoc quod vir contra fratrem est et contra amicum, et civitas contra civitatem.

« Nolite terreri, »

Ut propter illum terrorem a Judæa recedatis : quin instanter prædicetis ei, quia talis vexatio multis dabit intellectum, ita quod convertentur. Isa. XXVI, 16 : *In angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Et, ibidem, XXVIII, 19 : *Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui.*

Dicit autem causam quare non terreantur, dicens :

« Oportet, »

Hoc est, opportunum est, « *primum,* » ante plenariam destructionem, « *hæc* » bella et seditiones « *fieri,* » ut per ista moveantur ut faciant pœnitentiam de peccatis, quæ in me commiserunt. Sapient. XII, 2 : *Eos qui exerrant, partibus corripis, et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia credant in te, Domine.*

« Sed nondum statim finis »

Erit Judææ per Romanam destructionem : quia ista bella et seditiones duraverunt in Judæa per quadraginta duos annos, antequam per Titum tota vastare-

tur Jerusalem. Paulatim enim civitates et provinciæ vastari cœperunt per tempus quadraginta duorum annorum. Et tunc demum post illud tempus destructa est Jerusalem : et in illo tempore prædicaverunt discipuli de civitate in civitatem fugientes. Matth. x, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.*

Nolite ergo terreri, sed confidite. Proverb. xxviii, 1 : *Fugit impius, nemine persequente : justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Proverb. xii, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Joan. xvi, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.* I Machab. ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur : quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus periit.*

« Tunc dicebat illis, »

Familiariter, et magis ad speciem descendens : « *Surget gens* » Romanorum « *contra gentem.* » Judæorum, « *et regnum* » Romanorum « *adversum regnum* » Judæorum. Vel etiam in seipsis. et cum vicinis gentibus confligent Jūdæi : et tunc cito erit desolatio. Luc. xi, 17 : *Omne regnum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Isa. ix, 20 : *Unusquisque carnem brachii sui vorabit : Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen : simul ipsi contra Judam.* Carnem enim brachii sui vorare est, quando unus alium a quo debebat habere adjutorium impugnat. Isa. iii, 5 : *Irruet populus, vir ad virum, unusquisque ad proximum suum : tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Sicut modo fit in Ecclesiis quod Canonicus impugnat Canonicum, et Prælatus subditum, et laicus clericum, et e converso. Et est signum futuræ Ecclesiæ destructionis, in qua ista fiunt.

Tamen eorum quæ inducta sunt dicit Chrysostomus, quod nullum est signum, quia sæpe fiunt. Sed dicit Gregorius, quod hæc sunt signa futuræ desolationis facta ab hominibus. Sed Chrysostomus vocat *signum* mirum quod raro fit : Gregorius autem large accipit *signum* pro omni eo quod aliquid præmonstrat in futurum.

« Et terræ motus, etc. »

Hic secundum Chrysostomum tangit signa dupliciter. Primo enim quatuor tangit in speciali. Secundo autem, tangit multa in communi futura, de quibus longum esset facere mentionem.

Primum inter quatuor est de terra, quod dicit quod « *terræmotus magni* » erunt, et solito majores « *erunt per loca* » diversa Judææ, succedentes sibi. Terra enim quassabitur, horrens pondus habitatorum suorum, qui Filium Dei occiderunt. Sicut etiam dicitur, Matth. xxvii, 51, quod in morte Christi *terræmotus factus est magnus.* Isa. xxiv, 18 et seq. : *Concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis : et gravabit eam iniquitas sua, et corruet, et non adjiciet ut resurgat.* Talis enim terræmotus in Judæa ante Romanam captivitatem multiplicabatur sæpius. Quia, sicut dicit Isaias, xxiv, 20 : *Gravabit eam iniquitas sua.* Isa. iii, 8 : *Lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocavent oculos majestatis ejus.* Sicut enim dicitur, Isa. xl, 12, tribus digitis appendit Dominus molem terræ, scilicet, fidei veritate, et vitæ virtute, et conscientiæ puritate. Et quando ista terræ fundamenta concutiuntur, tunc necesse est moveri terram. Hæc autem in Judæa commissa sunt. Fidei enim veritatem hæretici Pseudochristi concusserunt : vitæ autem virtutem Pharisæi et Scribæ

moverunt, et mali homines : conscientiæ puritatem maculavit peccatum. Et ideo terra confracta est in pacis fœdere, contrita et in minima redacta est in terrenorum cupiditate, mota est in seditionis inquietudine, agitata autem in bellorum multiplicitate.

« Et pestilentiæ. »

Secundum signum quod est ab aere. Aere enim corrupto cadit ros corruptus, et guttæ pluviarum corruptæ super terræ nascentia, et faciunt ea venenosa, et pestem sive mortalitatem inducentia. Unde pestilentia, ut dicit Isidorus, dicitur quasi pastulentia : quia pestis illa a pastu venenatorum causatur. Ezechiel. v, 17 : *Pestilentia et sanguis transibunt per te.* Jerem. xxi, 6 : *Percutiam habitatores civitatis hujus*, scilicet Jerusalem : *homines et bestiæ pestilentia magna morientur.* De utroque istorum simul dicitur, Apocal. viii, 5 : *Accepit Angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram : et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus.* Angelus autem est Christus Dominus, qui thuribulum cordis sui implevit igne furoris Domini in Judæos, et effudit in terram Judæam. Et facta sunt tonitrua et coruscationes, quæ naturaliter ex vapore ignito venenoso et corrumpunt aerem, et pastum qui de terra nascitur : et commovendo vapores subterraneos faciunt terræmotum. Hæc autem plaga spiritualiter ab eis procuratur, qui mala dant exempla : pastu enim illorum alii corrumpuntur.

« Et fames. »

Ecce tertium præcedens desolationem signum. Primo, pestilentia corrumpit fructus nativitatis, et deinde exsiccat eos, et tunc fit fames. Ezechiel. v, 17 : *Immittam in vos famem et bestias pessimas, usque ad internecionem.* Hoc autem Dominus præcedere voluit, ut obsessi non haberent victualia, quibus sustentati civitatem diu possent defendere. Unde narrat Hegesippus tantam tunc fuisse famem in Jerusalem, quod uno masticante bolum, alius præfocabat ei guttur, ne masticatum transgluttiret, sed arripiens de ore illius ipse comederet : et quod duæ matronæ nobiles condixerunt inter se, quod filios suos successive comederent : et uno comesto, altera cum fletu vocavit filium, dicens : Veni, infelicis matris infelicior nate, veni ad manus non matris, sed mactatricis, et devoratricis viscerum suorum. Thren. iv, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Hanc pestem procurant spiritualiter mali Prælati et illitterati, subtrahentes populo pabula verbi Dei. Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.*

« Terroresque de cœlo, »

In novis apparitionibus de cœlo venientibus. II Machab. v, 2 et 3 : *Contigit per universam Jerosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos : et cursus equorum per ordinem digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum jactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.* Unde narrat Josephus, quod imminente captivitate, stella (quæ vocatur *cometes*) similis gladio pependit super Jerusalem, et currus et equites armati pugnantes in aere, et vitula sacrificii inter manus immolantium peperit agnum. Spiritualiter autem hæc fiunt in Ecclesia, quando de Prælatis quasi de sublimi cœlo non audiuntur nisi terribilia, et austera, et comminationes. Ratio autem horum est mirabilium, quia universitatis creatorem occiderunt, nec pœnitere voluerunt : ideo omnia contra eos

pugnaverunt. Sapient. v, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Sapient. xvi, 17 : *Vindex est orbis justorum.*

« Et signa magna erunt. »

Hic subjungit generaliter post quatuor inducta de terra, et aere, et de cœlo. *Signa* autem dicuntur iram Dei significantia. Amos, v, 18 et 19 : *Dies Domini ista, tenebræ, et non lux. Quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus : et ingrediatur domum, et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber.* Isa. xxiv, 5 : *Terra interfecta est ab habitatoribus suis : quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

12 « Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum :

13 « Continget autem vobis in testimonium. »

Secundum est in quo dicit, qui passuri sunt ab eis discipuli, cum instanter prædicant.

Dicit autem hic tria : in quorum primo discipulorum ostendit passiones per patientiam sustinendas : in secundo, prædicit, quod propter hæc et alia circumdari videbunt civitatem ab exercitu Romanorum : in tertio autem, districtionem obsidionis exaggerat.

In primo horum adhuc sunt tria : in quorum primo persecutionem discipulorum futuram ostendit : in secundo autem consolatur, quod licet viribus corporis sint inferiores, quod tamen sapientia, et verbi efficacia multo erunt illis fortiores : in tertio autem consolatur, quia nihil de corpore eorum peribit si patientes fuerint.

In primo autem tria dicit : manuum violentam injectionem, de loco ad locum persecutionem, et retributionis æternæ et virtutis et veritatis testificationem.

De primo dicit :

« *Sed ante hæc omnia,* » cum prædicabitis eis sub periculo vitæ vestræ, antequam veniat desolatio, et omnia illa quæ dicta sunt : ut inducatis eos ad pœnitentiam, ut deleantur eis peccata, et sic ira Dei avertatur ab eis. Act. iii, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Cum ergo sic datis operam saluti eorum, illi econtra « *injicient vobis manus* » sacrilegas et violentas. Thren. i, 10 : *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus.* Act. xxi, 27 et 28 : *Injecerunt Paulo manus, clamantes : Viri Israelitæ, adjuvate ! Hic est homo qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit locum sanctum istum.*

« Et persequentur. »

Hoc est secundum de persecutione. Et dicit duo : persecutionem, et traditionem ad judicium publicum.

Et de persecutione, Matth. v, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum et regnum cœlorum.* I Petr. iii, 14 : *Si quid patimini propter justitiam, beati,* supple, estis.

De traditione autem dicit quatuor, scilicet, quod tradunt et trahunt ad audiendum in consilio, et ad custodiendum in carcere, ad condemnandum in judicio : et in fine annectit causam, quæ sola facit martyrem, quia hæc omnia fiunt propter nomen Dei.

Dicit igitur :

« Tradentes in synagogas, »

Ubi est concilium Judæorum, ut vos audiant. Act. v, 41 : *Ibant Apostoli gau-*

dentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Matth. XXIV, 17 : *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.*

« *Et custodias* » carcerales. Act. V, 18 : *Injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica.* Act. XII, 5 : *Petrus quidem servabatur in carcere : oratio autem fiebat sive intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.*

« *Trahentes* » eos captos « *ad reges.* » Act. XII, 1 et 2 : *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.* Unde « *ad reges,* » superiores judices, « *et præsides,* » inferiores trahebantur ut punirentur. Matth. X, 21 : *Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes eorum, et morte eos afficient.*

« Propter nomen meum »

Quod prædicatis : quia illius notitiam hominibus imprimitis. Et hæc est causa gloriosa, quæ martyrem facit : quia tunc quæritur in vobis nomen Christi, et sunt inimici Christi non vestri, qui hoc nomen quærunt exstinguere. Matth. X, 22 : *Eritis odio omnibus propter nomen meum.* Hoc enim est nomen magnum, quod est super omne nomen : sicut dicit Apostolus, ad Philipp. II, 9 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Hoc est nomen Admirabile. Judicum, XIII, 18 : *Cur quæris nomen meum quod est mirabile?* Hoc est nomen in quo benedictionem consequitur omnis qui benedicetur. Isa. LXV, 15 et 16 : *Servos suos vocabit nomine alio : in quo qui benedictus est, benedicetur in Deo amen.* Hoc est nomen quod os Domini nominavit. Isa. LXII, 2 : *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.*

« Continget autem vobis »

Hæc persecutio, « *in testimonium* » veritatis et virtutis. Unde etiam μάρτυρ græce, *testis* est latine, et testimonium contra illos condemnandos. Deuter. XXX, 19 : *Testes invoco hodie,* scilicet contra vos, *cœlum et terram.* Psal. CXVII, 129 : *Mirabilia testimonia tua, Domine.* Cum enim in judicio convincetis eos de eo quod ad conversionem eos admonuistis, tunc testes erunt contra eos persecutiones, quas pro veritate vobis intulerunt. Isa. VIII, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.*

« Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. **14**

« Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. » **15**

Ecce hic secundo consolatur : quia in verbo invincibiles erunt.

Et dicit hic tria, scilicet, qualiter a Domino sapientiam respondendi accipient : et secundo, quam sit hoc necessarium, quia illi qui deberent loqui pro eis, impugnabunt eos : et tertio, qualiter etiamsi contingat mori per veritate, Deus eis et vitam et membra restituet.

Dicit igitur : « *Ponite,* » hoc est, firmate « *in cordibus vestris,* » nihil hæsitando, « *non præmeditari,* » per studium et litteraturam, « *quemadmodum respondeatis,* » hoc est, quemadmodum respondere debeatis. Matth. X, 19 : *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Ratio autem hujus est, Joan. XIV, 26 : *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Sic fecit Apostolus, I ad Corinth. II, 4 : *Sermo meus, et prædicatio mea, non inpersuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.*

« Ego enim dabo vobis, »

Per Spiritum sanctum, « *os* », hoc est, eloquentiam, « *et sapientiam*, » interius linguam informantem, « *cui non poterunt*, per rationes, « *resistere omnes adversarii vestri*, » sive tyranni, sive hæretici, sive falsi advocati qui usque hodie cum contentione contra veritatem loquuntur, sicut Tertullus contra Paulum[1]. Exod. IV, 12 : *Perge igitur, et ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Jerem. I, 9 et 10 : *Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constitui te hodie super gentes et super regna.* Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* I ad Corinth. II, 12 et 13 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est : ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* Eccli. XXI, 20 : *Os prudentis quæritur in Ecclesia : et verba illius cogitabunt in cordibus suis.* Sed contra hoc, quod hic dicitur videtur esse quod dicitur, Isa. XLV, 21 : *Annuntiate, et venite, et consiliamini simul.* Glossa : Ut omnes per mundum euntes, idem annuntietis. Sed ad hoc dicendum, quod hoc consilium uniformitatis fecit in eis unitas spiritus. Ita etiam dicit Paulus, ad Galat. II, 1 et seq., quod ascendit in Jerusalem ad Apostolos, ut conferret cum eis Evangelium : et tamen in collatione illa sibi nihil contulerunt, quia totum revelaverat Spiritus, quod illi conferre poterant. Aliter enim idiotæ exeuntes et divisi, longe lateque per mundum idem prædicare non potuissent.

Dicit autem quod adversarii etiam contradicere non potuerunt. Et hoc non intelligitur quantum ad contradictionem exteriorem, sed quantum ad intrinsecus rationem.

« Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis : 16

« Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 17

« Et capillus de capite vestro non peribit » 18

Ostendit enim quam necessarium est, quod talis eis detur sapientia : quia illi qui loqui debebant pro eis, impugnabant eos.

Et hoc est : « *Trademini autem a parentibus* » carnalibus infidelibus. Psal. XXVI, 10 : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me.* Luc. XIV, 26 : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores..., non potest meus esse discipulus.*

« *Et a fratribus.* » Mich. VII, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur : vir fratrem suum ad mortem venatur.*

« *Et cognatis*, » quibuscumque gradibus consanguinitatis et affinitatis conjunctis. Jerem. IX, 4 : *Omnis frater supplantans supplantabit.*

« *Et amicis.* » Jerem. IX, 4 : *Omnis amicus fraudulenter incedet.* Mich. VII, 6 : *Inimici hominis domestici ejus.* Tales enim amici sunt, de quibus dicitur, Eccli. VI, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in tempore tentationis.* Tales enim sunt amici hujus mundi, de quibus dicitur, Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

« Et morte afficient ex vobis »

Quosdam sicut Jacobum majorem, et Jacobum minorem, et Stephanum, et quosdam alios quos interfecerunt Judæi. Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non*

[1] Cf. Act. XXIV, 1 et seq.

possunt occidere [1]. Consolatur autem eos de resurrectione, dicens :

« Et capillus de capite vestro, »

Ad decorem et honestatem naturæ pertinens, « *non peribit.* » Luc. XII, 7 : *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Supra autem expositum est hoc ipsum [2]. Si autem non perit capillus, qui minima pars est animati corporis, nullo modo alia membra possunt perire. II Machab. VII, 10 et 11 : *Linguam postulatus cito protulit, et manus constanter extendit, et cum fiducia ait : E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.*

19 « In patientia vestra possidebitis animas vestras. »

Hic tangit quod omnia ista patientia vincuntur.

Et hoc est quod dicit : « *In patientia,* » quæ est æquanimis tolerantia adversorum, ut dicit Tullius, « *possidebitis,* » hoc est, ad nutum habebitis, sicut homo suam possessionem, « *animas vestras,* » hoc est, animalitates vestras. Et intendit dicere, quod quamvis animalitas tolerantiæ adversorum reluctetur, tamen regimine rationis possidenda et reducenda est, ut propter adversa non cedat : sed Deum etiam vitæ temporali præponat. Act. XX, 24 : *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi quod accepi a Domino.* Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Dicit autem hic Gregorius, quod « patientia est radix et custos omnium virtutum. » Quod alibi dicitur de humilitate : et alibi dicitur de charitate quod radix est virtutum. Et omnia hæc dicit idem sanctus Gregorius. Est autem patientia radix, quantum ad illam radicis proprietatem, quod est arborem firmare contra impulsus exteriores. Humilitas autem custos est, quantum ad occultationem ab insidiantibus. Sed charitas, quantum ad succi et nutrimenti ministrationem, est radix. Proverb. XIV, 29 : *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia.* Proverb. XIX, 11 : *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Hic enim possidet ad nutum animam. Proverb. XV, 32 : *Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Proverb. XVI, 32 : *Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo,* supple, fortior est *expugnatore urbium.* Sapientia enim in verbis, et patientia in verberibus omnia vincunt. Quæ duæ alæ datæ sunt mulieri quæ Ecclesiam significat, quibus volat in desertum ut defendatur a dracone diabolo, qui eam persequitur [3].

« Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus. » 20

Hic exaggerat obsidionem.

Et dicit duo, scilicet obsidionem, et obsidionis districtionem.

De obsidione dicit : « *Cum autem videritis,* » oculis corporeis : quia usque ad illa tempora multi discipulorum et Apostolorum vixerunt, « *circumdari,* » in circuitu, « *ab exercitu,* » per totum, « *Jerusalem,* » per Romanos. Luc. XIX, 43 : *Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique.*

« *Tunc scitote,* » ex veritate. Joan. XIV,

[1] Deest in textu Lugdunensi expositio ℣. 17. Quam reperies in enarrationibus super Matth. x, 22. Tom. XX novæ editionis nostræ. Cf. etiam enarrat. in Marcum, XIII, 13. Tom. XXI ejusdem editionis.

[2] Cf. Supra, in tomo præcedente, Luc. XII, 7. Cf. etiam, Matth. x, 30. Tom. XX.

[3] Cf. Apocal. XII, 14.

29 : *Dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

« *Quia appropinquavit desolatio ejus.* » Quia tantum debilitavit eam iniquitas, quod resistere non poterunt. Neque Deus liberabit eos, sicut liberavit ab obsidione Sennacherib [1]. Unde Josephus dicit, qnod in obsidione Romanorum nullum responsum ab aliquo Prophetarum habere potuerunt, quod numquam antea accidit : quia Dominum omnium Propheterum offenderunt et occiderunt.

21 « Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : et qui in medio ejus, discedant : et qui in regionibus, non intrent in eam.

22 Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. »

Hic exaggerat istius obsidionis districtionem.

Et dicit duo. Primo enim exaggerat in his qui fugere possunt : et secundo, in his qui non possunt effugere.

In primo horum duo facit. Primo enim persuadet, quod sine alia occupatione fugiant, qui fugere possunt : et secundo, dicit causam.

Dicit igitur tribus generibus hominum, quod sine qualibet alia occupatione fugiant, dicens : « *Tunc,* » obsidione perfecta, « *qui in Judæa sunt,* » hoc est, in regno Judææ, non in civitate Jerusalem, « *fugiant ad montes,* » hoc est, ad silvestria et campestria, et non ad munitiones, quia defendi non poterunt. Habacuc, I, 10 : *Ipse super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem, et capiet eam.*

« Et qui in medio ejus, »

Hoc est, Judææ sunt per habitationem, « *discedant,* » quia sicut extranea, ita nec media poterunt resistere. Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum,... ne involvamini in peccatis eorum.* Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.* Qui ergo in medio habitat, ubi regna magis consueverunt esse pacifica, non descendat in eam : ne ipse descensus ei fugæ velocis impedimentum fiat, sed relictis omnibus cito discedat.

« Et qui in regionibus, »

Sunt dispersi, « *non intrent in eam,* » revertentes in Judæam, ut aliquid de suo ibi tollant. Matth. XXIV, 17 et 18 : *Tunc qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua : et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* Fuga enim erit adeo impedita, quod modicum impedimentum præoccupabit hominem. Amos, II, 14, 15 et 16 : *Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die, dicit Dominus.* Unde in Historia Ecclesiastica legitur, quod Christiani ante captivitatem Romanam admoniti per Angelum de Judæa fugerunt : et in civitate quæ vocatur Pola, trans Jordanem, habitaverunt, donec præteriit captivitas.

Hujus autem tantæ districtionis reddit causam, dicens :

« Quia dies ultionis »

Sanguinis Christi et Prophetarum et discipulorum Dei, et ingratitudinis Judææ, quia tempus suæ visitationis non cognovit, « *hi sunt,* » sicut ipse Christus cum planctu, prænuntiavit [2]. Isa. XXXIV, 7 et 8 : *Inebriabitur terra eorum sangui-*

[1] Cf. Isa. XXXVII, 33-37.

[2] Cf. Luc. XIX, 41 et seq.

ne, et humus eorum adipe pingulum. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. Psal. LXXVIII, 10 et 11 : *Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo.* Isa. LXIII, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Abdiæ. ℣. 15 : *Sicut fecisti, fiet tibi : retributionem tuam convertet in caput tuum.*

« *Ut impleantur omnia quæ* » inde « *scripta sunt,* » quæ Deus ultionum Dominus ore Christi et Prophetarum et Apostolorum prædixit. Matth. v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

Sic igitur in his qui fugere possunt exaggeravit captivitatem, et obsidionis districtionem.

23 « Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus ! »

Hic exaggerat istam districtionem in his qui fugere non possunt.

Dicit autem duo, scilicet, quod væ erit non potentibus fugere, et subjungit causam.

De primo dicit duo, scilicet, « *Væ prægnantibus !* » Per *prægnantes* intelligit omnes qui impedimenta fugæ conceperunt in seipsis. Illi enim quasi prægnantes sunt. IV Reg. XV, 16 : *Percussit Manahen Thapsam, et omnes qui erant in ea :... noluerant enim aperire ei, et interfecit omnes prægnantes ejus.* Manahen interpretatur *consolans,* et significat Christum consolantem suos interfectos. Thapsa autem *pulchra* interpretatur, et significat Judæam pulchram per Romanos a Christo percussam, quia ei noluerunt aperire. Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.* Amos, I, 13 : *Dissecuit omnes prægnantes ejus,* Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis,... dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.*

« Et nutrientibus. »

Per *nutrientes* intelliguntur omnes qui impedimentum fugæ habent in sibi conjunctis, et sibi adhærentibus : quia illi in se, et in charis suis punientur. Thren. II, 11 et 12 : *Effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum ?* II Machab. VI, 10 : *Duæ mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse, quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt.*

Væ ergo prægnantibus et nutrientibus « *in illis diebus* » angustiæ et tribulationis ! quia illi dies luce justitiæ suæ oculos aperient, quos culpa clausit, quando Filium Dei recognoscere noluerunt. Joan. I, 10 : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.*

« Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. **24**

Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a Gentibus, donec impleantur tempora nationum. »

Hic subjungit causam primo in communi, postea in speciali.

In communi quidem primo ostendit illius tribulationis effectum, dicens : « *Erit enim pressura magna,* » hoc est, tribulatio opprimens, ita quod nullum patebit effugium : quia pressit eos Deus mole judicii sui propter multas suas iniquitates. Unde Job talem tribulationem abhorrens in spiritu, dixit, XXIII, 6 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat.* II ad

Corinth. 1,8 et 9 : *Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus.*

« *Super terram* » Judæam. Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis.*

« *Et ira,* » quæ est causa pressuræ, « *ira* » Dei « *populo huic* » Judæorum. Isa. XXVIII, 21 : *Irascetur Dominus, ut faciat opus suum.* Isa. XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum. Labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans* : quia veritas verborum Domini ad ista mala Judæam perduxit.

« Et cadent in ore gladii. »

Tres modos speciales hic inducit : et quarto, subjungit mali istius durationem.

Primum autem inter tria est, quod illi qui defendere terram deberent, cadent in ore gladii victi et confusi et occisi. Thren. I, 6 : *Facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii : quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Deuter. XXXII, 41 : *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me retribuam.* Ibidem, ℣. 42 : *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum et de captivitate, nudati inimicorum capitis.* Ibidem, ℣. 43 : *Sanguinem servorum suorum ulciscetur : et vindictam retribuet in hostes eorum.* In tantum autem, ut narrat Hegesippus, devoravit eos gladius, quod cum fama surrexisset inter Romanos milites (qui semper aurum sitierunt) quod Judæi transgluttivissent aurum quod servaverant in abscondito, quilibet Romanorum quemcumque invenisset Judæum, juvenem vel senem, virum vel mulierem, statim gladio scidit per medium ventris, et in stomacho suo quærebat aurum. Impletum enim erat in eis quod dixit, Job, XX, 15 : *Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.*

« Et captivi ducentur in omnes gentes, »

Dispersi illi qui remanserint a gladio. Vendita sunt enim Judaica mancipia, et triginta mancipia uno denario distracta, in ultionem ejus quod Dominus ab eis triginta argenteis emptus fuit. Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Isa. LI, 20 : *Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut, oryx illaqueatus : pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.* Ezechiel. V, 12 : *In omnem ventum dispergam, et gladium evaginabo post eos* : quia nec in captivitate parcitur eis.

« Et Jerusalem calcabitur a Gentibus, »

Hoc est, templum quod simoniis profanaverunt et polluerunt : et ideo Gentibus est traditum conculcandum. Psal. LXXVIII, 1 : *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.* Thren. I, 10 : *Vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium ejus : vocem dederunt,* scilicet Gentes, *in domo Domini, sicut in die solemni.*

Durabit autem hoc malum,

« Donec impleantur tempora nationum. »

Nationes dicuntur Gentilium diversitates, quæ ad fidem sunt convertendæ ad diem novissimum. Ad Roman. XI, 25 et

26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret.* Isa. x, 22 : *Si fuerit populus tuus, Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.*

Sic igitur finitur pars quæ est de Judææ desolatione.

25 « Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum,

26 Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum movebuntur :

27 Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate. »

Hic incipit tertia pars, in qua signa præcedentia regnum suum ponit, quæ sunt signa destructionis mundi.

Habet autem partes duas : in quarum prima ponit signa : in secunda autem, veritatem futurorum signorum confirmat per firmitatem et immutabilitatem verborum.

Adhuc autem prior harum in tria dividitur : in quorum primo dicit signa valde terribilia : in secundo, consolatur suos, quia ista sint exitus mali Sanctorum, et regni Dei quod desideraverunt, appropinquatio : in tertio autem, hoc per similitudinem floritionis arborum ostendit.

In primo horum dicit sex : in quorum primo dicit signa de cœlo : in secundo, signa de terra : in tertio, signa de mari : in quarto, signa de hominibus, qui ex elementis sunt compositi : in quinto, signa de virtutibus cœlestibus, quæ ad inferiora referuntur : in sexto et ultimo, de adventu auctoris totius mundi.

In primo horum ponit signa cœli in tribus : in sole, qui pater est omnium generabilium, ut dicunt Philosophi, et cujus motus in declivi circulo causa est generationis et corruptionis : et in luna, quæ dominatur in humido quod omnium generabilium est genitura : propter quod etiam luna fortius mutat corpora, et ideo *regina cœli* in sacra Scriptura vocatur. Et tertium signum ponit in stellis, quæ causa sunt figurationis corporum, et virtutum eorum in organis figuratis, sicut dicunt Astronomi.

Dicit igitur :

« *Et erunt,* » ante diem judicii, « *signa* » stupenda « *in sole,* » quæ tunc vires ad generationem et corruptionem non exhibebit. De sole enim dicitur, Eccli. XLIII, 2 : *Sol... vas admirabile opus Excelsi :* quia mirabilia Dei ostendet tunc sol.

Quæ autem futura sint signa in sole, non placuit determinare, nisi velimus accipere ex præteritis. Tunc enim quatuor signa erunt in sole, quæ jam in præterito legimus accidisse : quæ sunt obscuratio, statio, percussio vel in toto vel in parte, et retrocessio.

De obscuratione solis dicitur, Apocal. VI, 12 : *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus.* Et hic effectus præcessit in Passione, quando sol est obscuratus : quia sicut induit tenebras in Passione, sic induet tenebras in mundi transitione, et subtrahet lumen suum a sceleribus quæ commisit mundus.

Statio autem fuit solis, quando ad litteram stetit sub Josue, x, 12 et 13 : *Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis.* Propter quod dicit Dionysius ad Apollophanem, quod « sacerdotes Chaldæorum diem duplicati solis celebraverunt. » Ante judicium autem tradunt Sancti, quod sol et luna stabunt in domibus cœli, in quibus creati sunt. Sol scilicet in Leone, et luna in Cancro, et non plus circuibunt. Habacuc, III, 11 : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum.*

Tertium signum in sole est percussio, quod aliqua pars ejus, hoc est, aliquota proportio percussa est aliquando, hoc est, ab effectu impedita. Apocal. VIII, 12 : *Percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum.* Tertia autem pars percutitur : quia unam partem sui effectus habet in se, secundum quod est fons luminis : et dicitur *sol*, quasi solus lucens : et hæc pars non percutitur. Secundus effectus est, et secunda pars ejus, secundum quem lunæ et stellis lumen suum infundit : sicut dicitur, Eccli. XLIII, 3 : *Illuminans in excelsis Dominus.* Et hanc partem etiam non amittit. Tertia autem pars virtutis ejus est illa quam terrænascentibus infundit. Et hæc percutietur, et in sole, et in luna, et in stellis : quia non influent terrænascentibus virtutem generationis.

Quartum signum est retrocessio. Propterea iterum dicit Dionysius quod « sacerdotes Chaldæorum diem et festum triplicati solis celebraverunt. » Isa. XXXVIII, 8 : *Reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* Et habuit illa dies triginta horas : quia decem horis descenderat, et decem horis reascendit, et decem horis redescendit. Ista signa in sole legimus. Et forte ita ascendendo et descendendo ibit ante judicium, ut errore suo ostendat tremorem et terrorem iræ judicis ad judicium venientis.

In luna autem specialiter tria signa leguntur, scilicet, quod sanguinea erit in testimonium fundendi sanguinis. Joel, II, 31 : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.* Secundum autem est quod jam dictum est, quod *luna stabit in habitaculo suo*, nolens plus præbere modo sui circuitus obsequia. Tertium signum in luna est percussio tertiæ partis, quæ est effectus ejus ad influentiam suæ virtutis ad inferiora. In se enim considerata manet secundum substantiam : et in comparatione ad solem, capit lumen plenum. Sed illa comparatio quam habet ad inferiora percutietur. Isa. XXIV, 23 : *Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum.*

Stellæ autem unum signum habent, quod in terram cadent. Et non intelligitur quantum ad casum suæ substantiæ, sed quantum ad casum suæ virtutis, quam modo habent. Matth. XXIV, 29 : *Stellæ cadent de cœlo*, scilicet in terram. Apocal. VI, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos sucs.*

Hæc igitur signa erunt in sole, et luna, et stellis.

Hæc autem signa modo fiunt. Sol enim obscuratur, quando illi qui illuminatores orbis terræ deberent esse, obscurantur : sicut Papa, Cardinales, Archiepiscopi, et Episcopi. Sapient. XVII, 19 et 20 : *Omnis orbis terrarum limpido illuminabitur lumine, et non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat.* Hæc enim luminaria tenebrosiora jam sunt quam alia tenebrosa, tum per ignorantiam, tum etiam per nigram vitam. Hi etiam sunt qui stant, non circumeunt : quia de cura subditorum nihil considerant, sed in altitudine suæ ambitionis stant erecti et otiosi. Josue, X, 13 : *Stetit sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei :* quia non est respectus morti eorum, sed in altitudine diei stant, in superbia ambitionis suæ : de qua altitudine dicit Psalmus LV, 4 : *Ab altitudine diei timebo.* Hi pro tertia parte percussi sunt : quia lumen dignitatis retinentes et quæstum, tota utilitas spiritualium percussa est. Hæc enim tria sunt, dignitas, et temporalium dispensatio, et utilitas spiritualium quam debebant rependere, quæ tota percussa est. Ezechiel. XXXIV, 3 : *Gregem meum non pascebatis.* Isa. I, 5 : *Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem ?* Retrocessio autem est, quia reversi sunt ad vomitum, et ad vitam laica-

lem. II Machab. IV, 14 et 15 : *Sacerdotes festinabant participes fieri palæstræ,... et præbitionis ejus injustæ :... et patrios quidem honores nihil arbitrantes, græcas glorias optimas arbitrabantur.* Hoc modo totus retrocessit clerus, qui sol mundi fuit.

Et ideo luna, hoc est laicorum congregatio, eclipsim patitur sui luminis, et conversa est in sanguinem, hoc est, ad carnalitatis amorem. Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Unde exclamat David, Psal. L, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Hæc etiam stat torpens in otio turpi concupiscentiæ, dicente Domino, Matth. XX, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi ?* Et est etiam ipsa luna percussa in tertia parte. Una enim pars laici populi est dispensatio rei familiaris in domo : secunda, congruentia civitatis in civilitate : et tertia est exercitium sacramentorum, quæ pars manifeste percussa est, quia de sacramentis nihil curant. Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.*

Stellæ autem sunt Religiosi, qui sicut stellæ in cœlo micantes, ita deberent stare in cœlesti conversatione. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Judicum, V, 20 : *Stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.* Habent autem tres partes, scilicet, votum obedientiæ, votum castitatis, et votum paupertatis. Et votum quidem obedientiæ aliqualiter tenent, et similiter votum castitatis. Sed abrenuntiatio paupertatis manifeste percussa est : quia fere omnes ad terrenorum amorem etiam plusquam sæculares sunt inclinati. Et ideo signanter dicitur, Matth. XXIV, 19, quod deciderunt in terram.

Sic ergo tam spiritualiter quam litteraliter « *erunt signa in sole, et luna, et stellis.* »

« Et in terris pressura gentium. »

Ecce signum de terra. Pressuram enim intelligendam vult esse, quæ de fame et pestilentia terræ exoritur : quia ipsa terra pestilens erit, et sterilis. Et in signum hujus Ægyptus percussa est talibus plagis. Elementa enim Creatori deserviunt. Et quando Creator impugnat hominem, tunc et ipsa cum ipso impugnabunt. Sapient. XIX, 6 : *Omnis creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.* Job, XX, 27 et seq. : *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, et terra consurget adversus eum : apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Domini. Hæc est pars hominis impii a Deo, et hæreditas verborum ejus a Domino.*

« Præ confusione sonitus maris et fluctuum. »

Ecce signa a mari : quia, sicut dicitur, Sapient. V, 23 : *Flumina concurrent duriter*, scilicet contra reprobos : e mare elationibus suis intumescet super eos. Jonæ, I, 13 : *Mare ibat, et intumescebat super eos.* Psal. XCII, 4 : *Mirabiles elationes maris : mirabilis in altis Dominus.* Jonæ, II, 6 : *Circumdederunt me aquæ usque ad animam : abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Mare enim, ut dicunt Sancti, tunc plus solito intumescet super terram, et inundabit.

« Arescentibus hominibus, »

Signis istis scilicet concurrentibus. Et est istud signum ab elementatis hominibus sumptum.

Concurrentibus enim istis signis, incipient arescere in se homines « *præ timore* » præsentis mali, ne involvat eos : sicut dicitur, Isa. XXVIII, 18 : *Flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem.*

« *Et exspectatione* » futuri judicii, quod ista signa durissimum fore præloquuntur.

Hoc autem ostendit Hieronymus, enu-

merans quindecim signa, quæ diem judicii præcedent, in quibus homines arescent.

Dicit autem quod primum signum est, quod eriget se mare quadraginta cubitis super altiores montes, et stabit sic in loco suo quasi murus. Psal. XCII, 4 : *Mirabiles elationes maris.*

Secundum autem est, quod adeo descendit, ut vix possit in profundo abyssi videri. Psal. CVI, 26 : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.*

Tertium est, quod marinæ belluæ apparentes super mare congregatæ dabunt rugitum usque ad cœlum. Psal. CIII, 25 : *Illic reptilia quorum non est numerus : animalia pusilla cum magnis.* Et postea, ℣. 26 : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.*

Quartum est, quod mare ardebit usque in profundum. Apocal. XXI, 1 : *Et mare jam non est.*

Quintum est, quod herbæ et arbores tunc dabunt rorem sanguineum. Joel, II, 30 : *Dabo prodigia in cœlo,* scilicet sursum, *et prodigia in terra,* scilicet deorsum, *sanguinem, et ignem, et vaporem fumi* [1]. Exsudabunt enim plantæ tunc sanguinem innocentem, quo irrigatæ sunt a malis qui bonos interfecerunt.

Sextum autem est, quod omnia simul ruent ædificia. Apocal. XVIII, 2 : *Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum.*

Septimum est, quod petræ ad invicem collidentur. Judith, XVI, 18 : *Petræ sicut cera liquescent ante faciem tuam, Domine.* Hoc etiam præcessit in Passione Domini, Matth. XXVII, 51 : *Petræ scissæ sunt.*

Octavum est, quod generalis fiet terræmotus. Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est : etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai.* Matth. XXVIII, 12 : *Ecce terræmotus factus est magnus.*

Nonum est, quod terra æquabitur, eo quod montes cadent in valles. Isa. XL, 4 : *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur : et erunt prava in directa et aspera in vias planas.*

Decimum est, quod æquata terra exibunt homines de cavernis in quibus latitabant, et ibunt amentes, et non poterunt mutuo loqui præ timore. Amos, IV, 3 : *Per aperturas exibitis, altera contra alteram, et projiciemini in Armon.*

Undecimum est, quod elevabuntur ossa mortuorum, et stabunt super sepulcra. Ezechiel. XXXVII, 1 : *Dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus.*

Duodecimum est, quod stellæ, per modum quem diximus, cadent de cœlo. Apocal. VI, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos.*

Decimum tertium est, quod simul morientur omnes homines viventes. Genes. VI, 13 : *Ego disperdam eos cum terra.* I ad Thessal. IV, 15 : *Nos qui vivimus, non præveniemus eos qui dormierunt :* quia nos ante, supple, moriemur. Oportet enim sententiam Domini verificari, Genes. II, 17 : *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

Decimum quartum est, quod ardebunt cœlum et terra. II Petr. III, 12 : *Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.*

Decimum quintum est, quod fiet novum cœlum et nova terra : et resurgent omnes. Isa. LXVI, 22 : *Sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum.*

Ista igitur prodigia exspectando arescent homines.

Et hoc est quod dicit :

« Quæ supervenient universo orbi. »

[1] Cf Act. II, 19.

Ita quod vincunt et opprimunt totum mundum. I ad Thessal. v, 3 : *Cum id xerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.*

« Nam virtutes cœlorum, »

Hoc est, virtus tota cœli quæ deserviebat inferioribus, « *movebuntur.* » Et illi Angeli, qui *Virtutes* dicuntur, tunc circum moventur, ut multa terribilia faciant. Job, xxvi, 11, concordantia est : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*, Job, xli, 16 : *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur.* Si autem de corporalibus virtutibus cœli exponitur, quæ movent inferiora, tunc est concordantia, Job, xxxviii, 37 : *Quis enarrabit rationem cœlorum, et concentum cœli quis dormire faciet?*

« Et tunc, etc. »

« *Et tunc* » tandem plus quam hæc omnia signa, « *videbunt,* » oculis corporeis, « *Filium hominis,* » in forma humana venientem. Apocal. i, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

« *In nube,* » hoc est, in splendore Sanctorum, in quo lumen est adeo calcatum, quod apparebit in circuitu sicut nubes. Apocal. i, 7 : *Ecce venit cum nubibus.* Daniel. viii, 13 : *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* Matth. xxvi, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli.*

« *Cum potestate magna* » judiciaria. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

« *Et majestate,* » ut invincibilis sit in judicio ab iniquis potestate adversariorum. Isa. ii, 17 et 18 : *Incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illa, et idola penitus conterentur.* Matth. xxiv, 30 : *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.*

« His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. » 28

Tangit consolationem bonorum, dicens quod in principio ante judicium, « *his fieri incipientibus,* » quantum ad prima signa præcedentia, « *respicite,* » hoc est, oculos ad cœlum erigite. Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.*

« *Et levate capita vestra,* » hoc est, mentes, quæ sunt capita animarum, ad Deum remuneratorem omnium laborum vestrorum. Ad Hebr. xii, 1 et 2 : *Curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Item, Ibidem, ℣. 3 et 4 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.*

Sic ergo in auctorem salutis vestræ caput levate, « *quoniam appropinquat,* » et jam prope est « *redemptio vestra,* » de mundi tribulationibus. Psal. cx, 9 : *Redemptionem misit Dominus populo suo.* Osee, xiii, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

« Et dixit illis similitudinem : Videre ficulneam, et omnes arbores : 29

Cum producunt jam ex se fructum, 30
scitis quoniam prope est æstas.

Ita et vos cum videritis hæc fieri, 31
scitote quoniam prope est regnum Dei.

Amen dico vobis, quia non præ- 32

teribit generatio hæc, donec omnia fiant.

33 Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt. »

Probat hic per similitudinem tunc esse tempus vicinum refloritionis justorum.

Et dicit duo : similitudinem, et adaptationem.

Similitudo est ista : « *Videte ficulnèam, et omnes arbores.* » De ficulnea sumit similitudinem, quia habet dulcedinem, per quam significat dulcia gaudia bonorum. Et habet abominationem quando mala est, per quam significat tristitiam malorum. Jerem. XXIV, 3 : *Ficus, ficus bonas, bonas valde : et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.*

Ab omnibus aliis arboribus sumit similitudinem propter refloritionis mundi generalitatem. Isa. LXVI, 14 : *Ossa vestra quasi herba germinabunt.*

« Cum producunt. »

Cum jam producere incipiunt « *ex se fructum,* » hoc est, prima principia fructus : sicut sunt grossi in ficulnea, et gemmæ in aliis : « *scitis,* » tali signo, « *quoniam prope est æstas.* » Jam enim incipit vernum tempus intepescere, quia dat in plantis talia æstivi fructus principia. Cantic. II, 11 et seq. : *Hiems transiit, imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra : ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni.* Æstas autem tempus maturitatis, quando ea quæ in vere floruerunt, falce præciduntur, et in promptuaria congregantur. Ita per dicta signa floret messis terræ ad præcidendum falce judicii, et congregandum electos in horrea cœli, et reprobos in horrea inferni. Apocal. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quia aruit messis terræ.* Joan. IV, 35 : *Levate oculos, et videte regiones, quia jam albæ sunt ad messem.*

« Ita et vos, »

Qui ad messem æternam per florem honestatis, et vos et multos alios præparastis, « *cum videritis hæc fieri,* » signa quæ dicta sunt, « *scitote quia prope est,* » secundum temporis spatium, « *regnum Dei :* » quia in aperta justitia, potenter tunc omnibus malis expulsis, obtinebit virtutem.

Attende autem quia multi de hac inducta similitudine Domini mirantur : maxime cum tribulationes inductæ magis videantur esse similes sævitiæ hiemis, in qua flores et fructus cadunt, quam refloritioni, scilicet veris, et fructificationis æstatis. Sciendum igitur quod ista similitudo subtilissima est, et ab eo in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi, posita. Secundum naturam superficies terræ hieme frigiditate constringitur, ita quod spirare non potest : et ideo fortes et calidi vapores in visceribus terræ tunc congregantur. Sed verno tempore cum tempus tepescere incipit, tunc superficies terræ aperitur, et incipit vapor partim spirare in radices plantarum, et producere principia florum et fructuum : et partim incipit erumpere in aerem, et turbare cum nubibus, et ventis impellere, et grandines facere et tempestates : propter quod talia maxime verno tempore evenire solent. Et sic patet quod ex eodem thesauro Domini producuntur, et flores fructuum, et tempestates ventorum et grandinum. Et tempestates sunt similitudo ad malos : quia tunc, sicut dicitur, Sapient. V, 23 : *A petrosa ira Dei plenæ mittentur,* scilicet in eos, *grandines.* Quantum ad bonos autem, flores et fructus sunt signa jucunditatis et tranquillitatis æternæ. Et hoc modo similitudinem inducit Dominus.

De ficulneæ autem proprietatibus satis in præcedentibus dictum est [1].

« Amen dico vobis. »

Quia prædixerat futura in tempus longum, consolatur suos, dicens, quod quantum ad prima destructionis Judææ signa, « *non præteribit generatio hæc,* » scilicet Judæorum : de qua dicitur, Proverb. xxx, 11 : *Generatio quæ patri suo maledicit, et quæ matri suæ non benedicit.* Luc. xi, 29 : *Generatio hæc, generatio nequam est.*

Hæc tamen non præteribit a regno Judææ, « *donec omnia fiant* » super eos quæ dicta sunt. Et postea ducentur quidam eorum in captivitatem : et illi usque ad tempora finalia manebunt, et tunc convertentur. Psal. lviii, 7 : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem,* hoc est, Ecclesiæ civilitatem, mendicando a viris ecclesiasticis pabula verbi Dei. Secunda generatio est successio mortalium in mundo, quæ etiam non transibit, donec fiant signa destructionis mundi prædicta. Eccle. i, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat,* hoc est, stabilitas Ecclesiæ, de qua dicitur in Psalmo xxiii, 1 : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Tertia generatio est generatio fidelium, verbo Dei generata et multiplicata, quæ etiam non transibit, quia navicula Petri periclitari potest, sed submergi non potest. Et de hac dicitur in Psalmo xxiii, 6 ; *Hæc est generatio quærentium eum,* scilicet Dominum, *quærentium faciem Dei Jacob.* Hæc igitur non præteribit, donec omnia impleantur.

« Cœlum et terra transibunt, »

Quoad speciem exteriorem, sed non quoad substantiam. I ad Corinth, vii, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* Glossa : Non substantia : quia innovabuntur et purificabuntur, ut habitatori respondeat habitaculum. Mortali enim homini congruit hæc figura mundi, quæ generationi deservit et corruptioni. Sed vestito homine per gloriam, oportet quod et mundus glorificetur, ut gloriæ congruat habitatoris propter quem factus est. Ad Roman. viii, 10 : *Exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat.* Et post pauca, ℣. 21 : *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

« Verba autem mea non transibunt, »

Quin omnia compleantur. Joan. xviii, 17 : *Sermo tuus veritas est.* Veritas autem sicut, III Esdræ, iv, 38, dicitur, semper vincit, et invalescit. Psal. cxviii, 89 : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet.* Isa. lxv, 27 : *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor.*

« Attendite autem vobis, ne forte **34**
graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa :

Tamquam laqueus enim superve- **35**
niet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. »

Hic in ultima ista parte reddit cautos, quod hæc mala non incidant.

Et habet duas partes : in quarum prima docet a quibus est abstinendum, et in secunda quibus insistendum, ut hæc mala super eos non veniant.

In priori dicit tria : a quibus cavendum est, et qua utilitate : et tertio, rationem subjungit utriusque.

[1] Cf. Supra, xiii, 7.

Dicit autem cavendum a tribus, dicens : « *Attendite autem vobis* » diligenter. Act. xx, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Psal. LXXVII, 1 : *Attendite, populе meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

« Ne forte. »

Hoc non dicit propter verborum suorum mobilitatem, sed potius propter liberi arbitrii flexibilitatem. Ezechiel, II, 11 : *Loqueris ad eos,... si forte audiant, et quiescant.*

« Graventur corda vestra, »

Quæ ad Deum vigilare debent et respicere. Cantic. v, 2 : *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Cor autem gravatum non potest vigilare.

« In crapula, »

Quæ corrumpit sensus in somnolentiam. *Crapula* autem vocatur hic omnis superadimpletio terrenæ delectationis. Eccli. XXXVII, 34 : *Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Luc. XVII, 26 et 27 : *Sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis. Edebant et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usquè in diem qua intravit Noe in arcam : et venit diluvium, et perdidit omnes.*

« Et ebrietate. »

Secundum est a quo est cavendum : quia ebrietas subvertit sensum. Proverb. xx, 1 : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Ebrietas autem hic dicitur eversio sensuum a gaudiis et pompa et dignitatibus et honoribus hujus sæculi. Proverb. XXXI, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum : quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas.*

« Et curis hujus vitæ, »

Scilicet superfluis. Et hoc pertinet ad avaritiam, de qua, I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Matthæus autem, XXIV, 20, dicit : *Orate ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.* Et hoc intelligitur quia in hieme quantum ad crapulam omnes fructus æstatis sunt congregati. In sabbato autem cum non est operandum, tractatur de curis hujus vitæ. Ad Hebr. XIII, 9 : *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* I ad Corinth. VI, 13 : *Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet.* I ad Corinth. VIII, 8 : *Esca nos non commendat Deo.* Ad Roman. XIII, 13 : *Non in comessationibus et ebrietatibus.* Ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Ad Roman. XVI, 18 : *Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.*

« Et superveniat in vos, »

Sicut opprimens. Luc. XX, 8 : *Super quem ceciderit lapis iste, comminuet illum.*

« *Repentina,* » antequam speretis. Dicit enim Dionysius, quod subito sive repente fit, quod fit præter spem. I ad Thessal. v, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti.*

« *Dies illa* » judicii : quia tunc non patebit effugium. Ezechiel. XXVI, 16 : *In*

terra sedebunt, et attoniti super repentino casu tuo admirabuntur. De hoc dicit Beatus Bernardus : « O angustiæ su-
« per angustias ! Hinc erunt peccata
« accusantia : inde, terrens visus dæmo-
« num : subtus, patens horridum chaos
« inferni : desuper, iratus Judex, et im-
« pendens gladius : intus, urens con-
« scientia : foris, ardens mundus. Justus
« vix salvabitur : ego constrictus pecca-
« tis, ubi latebo ? Quomodo apparebo ?
« Latere erit impossibile, apparere into-
« lerabile. Illud desiderabo, et nusquam
« erit. Illud exsecrabor, et ubique erit. »

« Tamquam laqueus, etc. »

Hic tangit causam et rationem dictorum.

« *Tamquam laqueus enim,* » perpetuo captivans et detinens. Isa. XXIV, 18 : *Qui se explicaverit de fovea, tenebitur,* scilicet planta ejus, *laqueo.* Jerem. XLVIII, 43 : *Pavor, et fovea, et laqueus super te, habitator Moab,* scilicet terræ.

« *Qui sedent,* » quiescentes, et resoluti, et marcentes otio. Illi enim sedent cum bestia. Apocal. XVI, 10 : *Quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum.* Eccli. L, 27 et 28 : *Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens quam oderim : qui sedent in monte Seir, et Philisthiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis.* Sedentes in monte Seir, sunt qui crapulis indulgent : quia Seir interpretatur *hircus* propter fœtorem, gulam et luxuriam significans, qui, sicut dicitur, ad Hebr. XII, 16 : *Propter unam escam vendidit primitiva sua :* et contra præcepta parentum, libidinis suæ accepit conjuges [1]. Philisthiim autem, qui *pavore cadentes* interpretantur, significant ebrios cum Idumæis qui in Seir sedent convivantes. Sichem autem, *labor* interpretatur, vel *humerus,* et significat eos qui propter curam vitæ hujus omni labori supponunt humerum.

Sedent autem isti « *super faciem omnis terræ,* » quia totum mundum repleverunt, et totam terram sibi usurpare desiderant. Isa. V, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci : numquid habitabitis vos soli in medio terræ ?*

« Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. » 36

Hic suadet bonis esse insistendum.

Dicit autem duo, scilicet, quod vigilanter bonis studiis est insistendum, et ad quem finem.

Circa primum duo dicit, quod scilicet vigilandum, et orandum.

De primo dicit : « *Vigilate itaque,* » per sollicitam vestri custodiam. Est enim *vigilare,* sicut in antehabitis diximus, calorem cordis, et spiritum, et sensus, et motus ad exteriora extendere. Calorem enim charitatis, qui proprius est calor cordis, ad Dei bonitatem debemus extendere : spiritum totum, qui principium est cognitionis, ad veritatem Dei expandere : sensus obsequiis Christi mancipare : motus omnes in virtutibus exercitare. Tunc facimus quod dicitur, Eccli. XXXIX, 6 : *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte : sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Tunc enim erit hora, de qua dicitur, ad Roman. XIII, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere.*

« Omni tempore orantes : »

Quia incerta est hora. Luc. XII, 37 et

[1] Cf. Genes. XXVI, 34 et 35.

38 : *Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.* Semper enim huic vigiliæ et orationi insistendum est. Luc. XVIII, 1 : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere.* I ad Thessal. V, 17 : *Sine intermissione orate.* De vigilia autem et oratione in præmissis multa dicta sunt [1].

« Ut digni, etc. »

Tangit hic finem duplicem. Unus est enim in cavendo pericula, et alter est in adipiscendo præmium.

Dicit ergo : « *Ut digni,* » per virtutis merita, « *habeamini* » a Deo « *fugere ista* » mala « *quæ futura sunt :* » et non involvamini ab eis. II Petr. III, 17 : *Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate.* Sic enim Deus liberabit nos, sicut liberavit suos, non sinens ad eos percussorem Angelum ingredi [2].

« Et stare ante Filium hominis. »

Secundus est finis.

Dicit autem : « *Et stare* » securi « *ante Filium hominis,* » qui tunc veniet ad judicium. Hæc enim securitas, jam ipsa beatitudo est. Hic enim est de quo dicitur in Psalmo CXI, 5 et 6 : *Disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.* Terribilis enim erit valde Judex : ita quod, Apocal. VI, 15 et 16 : *Absconderunt se in speluncis, et in petris montium : et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni.* Nahum, I, 5 et 6 : *Montes commoti sunt ab eo, et colles desolati sunt : et contremuit terra a facie ejus, et orbis, et omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis ejus quis stabit, et quis resistet in ira furoris ejus?* Malach. III, 1 et 2 : *Ecce venit :... et quis poterit cogitare diem adventus ejus? et quis stabit ad videndum eum?* Magnum est ergo ibi posse stare.

« Erat autem diebus docens in templo : noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti. 37

Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. » 38

Hic est ultimus paragraphus, in quo per exemplum ostenditur, quam instanter ipse institit nostræ saluti.

Dicit igitur : « *Erat autem diebus* » omnibus, quia tunc festum vicinum fuit, et multi convenerant, « *docens in templo,* » propter loci solemnitatem. Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Matth. X, 27 : *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis,* scilicet in cubiculis, *prædicate super tecta.* Quod enim in tenebris parabolarum Dominus docuit, voluit quod Apostoli publice docerent.

« *Noctibus vero exiens* » de templo et civitate : quia in reproba civitate non invenit, qui eum metu Sacerdotum et Scribarum et Pharisæorum auderet hospitari : « *morabatur* » ergo « *in monte qui vocatur Oliveri,* » invigilans orationi. Docuit autem in hoc, quod nos de die prædicationi et operibus bonis debemus insistere : in nocte autem orationi et contemplationi vacare. Psal. XLI, 9 : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Thren. II, 19 : *Consurge, lauda in nocte, in princi-*

[1] Cf. Enarrationes in Matthœum, XXIV, 42 ; XXV, 13 ; XXVI, 38 et 41. In Marcum, XIII, 35 et 37 ; XIV, 34 ; XIV, 38. Tom. XXI novæ editionis nostræ operum B. Alberti.

[2] Cf. Exod. XII, 23.

pio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini : leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum. Quod autem oravit in monte, significat quod in eminentia spiritus orandum est. I ad Corinth. XIV, 15: *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente.* Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* In Oliveti autem monte orandum est, quia in affluxu divinæ bonitatis et misericordiæ. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

« Et omnis populus manicabat ad eum, »

Hoc est, mane venire ad eum accelerabat, « *in templo,* » ut propinquiora caperent loca, et melius possent « *audire illum,* » quia gratia diffusa fuit in labiis suis, et dulce eloquium ipsius, et loquebatur sicut potestatem habens. De primo horum dicitur in Psalmo XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* De secundo, Cantic. II, 14 : *Vox tua dulcis.* De tertio, Matth. VII, 29 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

CAPUT XXII.

Cogitant principes sacerdotum de occidendo Jesu, quem vendit Judas : jubet parari pascha : panem in corpus suum et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis, præcipiens ut idem faciant : contentio discipulorum quis eorum sit major : prædicit trinam Petri negationem, jubens vendi tunicam et emi gladium : post prolixam in agonia orationem, et sudorem instar sanguinis in terram decurrentis, capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : conqueritur quod ad eum quasi ad latronem capiendum exierint : in domo principis sacerdotum ter a Petro negatur, et a Judæis cæditur ac illuditur, et mane in concilio interrogatus fatetur se Dei Filium.

1. Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha[1] :
2. Et quærebant principes sacerdotum et scribæ quomodo Jesum interficerent, timebant vero plebem.
3. Intravit autem Satanas in Judam[2], qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.
4. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.
5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare.
6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.
7. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.
8. Et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.
9. At illi dixerunt : Ubi vis paremus?
10. Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans : sequimini eum in domum in quam intrat,
11. Et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi magister : Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem?
12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum : et ibi parate.
13. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.
14. Et cum facta esset hora[3], discubuit, et duodecim apostoli cum eo.
15. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.
16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.
17. Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos.

[1] Matth. xxvi, 2 ; Marc. xiv, 1.
[2] Matth. xxvi, 14 ; Marc. xiv, 10.
[3] Matth. xxvi, 20 ; Marc. xiv, 17.

18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.
19. Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem [1].
20. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.
21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa [2].
22. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est [3], vadit : verumtamen væ homini illi per quem tradetur.
23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.
24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.
25. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur [4].
26. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.
27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.
28. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.
29. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum,
30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel.
31. Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum :
32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.
33. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.
34. At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me [5]. Et dixit eis :
35. Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis [6]?
36. At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.
37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est [7]. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.
38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis : Satis est.
39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum [8]. Secuti sunt autem illum et discipuli.
40. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem.
41. Et ipse avulsus est ab eis quan-

[1] I ad Corinth. XI, 24.
[2] Matth. XXVI, 21 ; Marc. XIV, 20 ; Joan. XIII, 18.
[3] Psal. XL, 10.
[4] Matth. XX, 25 ; Marc. X, 47.
[5] Matth. XXVI, 34 ; Marc. XIV, 30.
[6] Matth. X, 9.
[7] Isa. LIII, 12.
[8] Matth. XXVI, 36 ; Marc. XIV, 32 ; Joan. XVIII, 1.

tum jactus est lapidis : et positis genibus orabat [1],

42. Dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.

44. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

45. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.

46. Et ait illis : Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

47. Adhuc eo loquente [2], ecce turba : et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos : et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis?

49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio?

50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram.

51. Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

52. Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus.

53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

54. Comprehendentes autem eum [3], duxerunt ad domum principis sacerdotum : Petrus vero sequebatur a longe.

55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum [4].

56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum.

58. Et post pusillum, alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum.

59. Et intervallo facto quasi horæ unius [5], alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat : nam et Galilæus est.

60. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus.

61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis [6].

62. Et egressus foras Petrus flevit amare.

63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit?

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

[1] Matth. xxvi, 39 ; Marc. xiv, 35.

[2] Matth. xxvi, 47 ; Marc. xiv, 43 ; Joan. xviii, 3.

[3] Matth. xxvi, 57 ; Marc. xiv, 53 ; Joan. xviii, 24.

[4] Matth. xxvi, 69 ; Marc. xiv, 66 ; Joan. xviii, 25.

[5] Joan. xviii, 26.

[6] Matth. xxvi, 34 ; Marc. xiv, 30 ; Joan. xiii, 38.

66. Et ut factus est dies[1], convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis.
67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi :
68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.
69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.
70. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.
71. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore ejus.

IN CAPUT XXII LUCÆ

ENARRATIO.

« Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha :

Et quærebant principes sacerdotum et Scribæ, quomodo Jesum interficerent, timebant vero plebem. »

Ab hoc loco determinat de sacramento Passionis, subjungens de sacramento Sepulturæ, et tertio subnectens de sacramento Resurrectionis : sicut patuit in divisione libri istius, quam a principio induximus.

Sacramentum autem Passionis dividitur in duas partes : in quarum prima, omnia circumstantia Passionem describuntur : in secunda autem, per glorificationem Centurionis, qua Deum glorificavit, aliquid de effectu Passionis aperitur.

Adhuc autem, Passio ipsa habet tres partes. Dicit enim primo ea quæ circumstabant captivitatem : in secunda autem ponit ea quæ circumstabant judicium : in tertia autem ponit ea quæ circumstant mortem Domini.

Primum horum trium continetur in capitulo isto. Et habet quatuor partes : in quarum prima ponuntur ea quæ faciunt ad discipulorum confirmationem : in secunda autem, ea quæ ad traditionem : in tertia autem, ea quæ circumstant principis Apostolorum negationem : et in quarta, ea quæ faciunt ad illusionem, et accusationem contra Dominum.

In prima istarum tres sunt partes. Ponit enim primo ea quæ cœnam circumstant, in qua confirmavit eos per sacramenti susceptionem : in secunda, eorum de ambitione principatus compescit contentionem : in tertia autem, firmat eos per orationem.

Adhuc autem, Prior harum in quatuor subdividitur partes : in quarum prima dicit ad patiendum convenientiam temporis : in secunda autem ponit proditionem traditoris : in tertia ponit ea quæ circumstant cœnam, in qua traditoris voluntas est confirmata ad tradendum : in quarta vero ponit tacitam proditoris a proposito malo revocationem.

In prima harum tria continentur : in quorum primo convenientia temporis ad Passionem Christi describitur : in secundo, confirmata voluntas sacerdotum ad hoc idem ostenditur : in tertio, timor plebis ad hoc perficiendum allegatur.

[1] Matth. xxvii, 1 ; Marc. xv, 1 ; Joan. xviii, 28.

Dicit igitur:

« Appropinquabat autem, »

Dum ea quæ dicta sunt agerentur. In sabbato enim ante Ramos palmarum in Bethania fuit, ubi Maria super caput ipsius unguentum effudit in solemni cœna, quæ sibi ibidem parata fuerat. In sequenti autem die, quæ prima feria fuit apud illos, sedens super asellum, venit Jerusalem in templum, et expulit inde vendentes et ementes : et circa vesperam ejusdem diei iterum exiens de Jerusalem rediit ad suum hospitium. Et secunda feria iterato rediit, et docebat in templo, et tunc præsentatam sibi adulteram liberavit, sicut legitur, Joan, VIII, 2 et seq. Et dicunt quidam quod tunc exiens de Jerusalem maledixit ficulneæ, sicut legitur, Matth. XXI, 19. Tamen hoc non est certum. Tertia autem feria veniens in templum confutavit Scribas et Pharisæos, sicut, Matth. XXIII, 1 et seq., habitum est. Et eodem die ostenso sibi ædificio templi, prædixit ea quæ de destructione templi et mundi habita sunt in capitulo anteriori. Et illo die secundum Matthæum, XXVI, 2, dixit : *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Et quia tunc dixerat, Matth. XXIII, 39 : *Non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini* : putabant quod vellet Passionem subterfugere : ideo eodem die congregati sunt in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et tractabant qualiter caperent eum sine turbis. Illis autem ibi existentibus, audivit Judas ibi esse congregatos : et in crastino mane, hoc est, in quarta feria venit ad eos, et pacti sunt cum eo pro triginta denariis, quorum quilibet valebat decem usuales argenteos, hoc est, trecentos. Et sic damnum unguenti, cujus pretium putabat se furaturum, venditione Domini sui et Magistri recompensavit. Et ideo quia in quarta feria venditus est Dominus, legitur in prophetia Isaiæ, XL, 10, in qua fit mentio de pretio, ubi dicitur : *Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo.* Et hæc est etiam causa, propter quam quarta feria in afflictionibus jejuniorum secundum locum tenet post sextam feriam : quia principalis est sexta feria, in qua Dominus est crucifixus : secundum autem locum tenet quarta feria, in qua est venditus. Et ideo multi jejunant illas duas ferias in septimana. Quod autem quædam Glossa hic dicit : « Hæc ante biduum Paschæ congregatis principibus sacerdotum et Scribis in atrium Caiphæ Matthæus gesta testatur : » intelligendum *ante biduum,* ita tamen quod in ipso biduo : quia quarta feria factum est, quando biduum fuit usque ad sextam feriam, quæ fuit dies Paschæ. Et non fuit factum in tertia feria, sed res gesta se habuit, sicut dictum est.

Sic ergo dum ista fierent, « *appropinquabat,* » per dies sic dictos,

« Dies festus azymorum, »

Hoc est, quinta decima luna, quando festum solemnitatis celebrandum fuit. Durabat autem festum septem diebus, in quibus non licebat fermentatum comedere, sicut dicitur, Exod. XIII, 3-8, in memoriam ejus quod cum conspersione azyma coacti sunt exire de Ægypto. Hoc autem incepit in die lunæ quartædecimæ ad vesperam, quando non inveniebatur fermentatum in domibus Judæorum. Et hoc fuit in feria quinta in vespera, quæ est inter feriam quintam et feriam sextam. Unde, Exod. XII, 18 : *Quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam :* et in quintadecima die solemnitas est azymorum. Et sic patet quod cum Dominus in quartadecima luna corpus suum dedit in vespera, quod non erat fermentatum in domibus Judæorum. Et ideo Latini conficiunt de azymo, sicut

etiam in veritate Dominus corpus suum dedit in azymis.

Contra tamen Græci (qui de fermentato conficiunt) sic objiciunt : Joan. XVIII, 28 : *Non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Sed cum comedebatur Pascha, erat quartadecima luna : ergo in Parasceve quando hoc dixerunt Judæi, luna fuit quartadecima : ergo ante hoc fuit fermentatum in domibus Judæorum. Et confecit ex hoc pane, quem invenit in domo : ergo confecit de fermentato : quia ante hoc fuit luna tertiadecima, ut dicunt, quando Dominus fecit Pascha cum discipulis suis. Quod ante festum Paschæ fecerit cœnam cum discipulis, probant, Joan. XIII, 1, ubi dicitur : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo,* etc. Et post pauca, ℣. 4 : *Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua* : ergo Jesus comedit pascha suum lunatertia decima. Tunc autem non fuit nisi fermentatum in domibus Judæorum : ergo dedit corpus suum in fermentato.

Adhuc autem addunt, quia cum umbra debeat respondere veritati, et e converso, tunc debuit immolari in cœna agnus verus, quando in cœna immolabatur agnus typicus : sed quartadecima luna ad vesperam immolabatur agnus typicus : ergo etiam quartadecima luna immolatus est agnus verus : sed in Parasceve fuit immolatus agnus verus in cruce : ergo Parasceves fuit luna quartadecima. Cum ergo Christus præcedenti vespera dederit corpus suum, ipse dedit hoc luna tertiadecima. Et tunc non fuit nisi fermentatum in domibus : ergo confecit de fermentato.

Adhuc autem, Luc. XXII, 56, dicitur, quod mulieres paraverunt unguenta in Parasceve. Hoc autem non licuisset, si Parasceves fuisset luna quartadecima : quia ista dies erat celeberrima, sicut dicitur, Levit. XXIII, 7 : ergo tunc luna fuit quartadecima. Sed in præcedenti die dedit Dominus corpus suum : ergo quando dedit, luna fuit tertiadecima. Tunc autem non fuit nisi fermentatum in domibus Judæorum : ergo tunc confecit de fermentato.

In his et similibus consistit assertio Græcorum.

In contrarium autem hujus objiciunt Latini : Dicitur enim, Marc. XIV, 12 : *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces pascha ?* Hoc autem discipuli dixerunt die Jovis, nondum adhuc capto Domino : ergo tunc fuit luna quartadecima, quando ante hoc pascha non immolabatur : ergo tunc comedebatur azyma. Unde, Exod. XII, 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma.*

Adhuc, Luc. XXII, 7 et 8 : *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha : et misit Petrum et Joannem,* etc.: ergo tunc erat luna quartadecima : quia aliter non fuisset necesse occidi pascha : et tunc fecit cœnam : cum ergo tunc non fuerit in domibus nisi azymum, ipse Dominus confecit de azymo. Et hoc quidem pro certo verum est secundum historiam Evangelicam.

« Qui dicitur Pascha. »

Veritas autem hujus disceptationis scitur per distictionem hujus nominis *Pascha*, quod septem quidem modis dicitur.

Primo quidem modo dicitur totum tempus septem dierum Pascha, a luna quintadecima usque ad vigesimam primam mensis Aprilis. Act. XII, 4 : *Cum Petrum Herodes apprehendisset, misit in carcerem, volens post pascha producere eum populo.*

Secundo modo dicitur Pascha hora unius diei, hoc est, vespera lunæ quartædecimæ : et sic accipitur, Exod. XII, 18, et Levit. XXIII, 5 : *Quartadecima die ad vesperam, Phase,* scilicet Pascha *Domini est.* Et ita accipitur, Joan. XIII, 1 : *Ante diem festum Paschæ,* etc.

Tertio modo dicitur Pascha prima dies azymorum, quæ fuit luna decimaquinta.

Et hoc modo dicitur hic: « *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* »

Quarto autem modo dicitur Pascha panes azymi, qui fiebant in Pascha. Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.*

Quinto vero modo dicitur Pascha agnus paschalis. Luc. XXII, 7 : *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.*

Sexto modo dicitur Pascha festivitas epularum istius temporis. Sicut dicitur, II Paral. XXX, 15 et seq., et non fuit Phase sive Pascha simile huic.

Septimo modo dicitur Pascha ipse Christus. I ad Corinth. V, 7 et 8 : *Pascha nostrum immolatus est Christus : itaque epulemur*, etc. Unde versus :

Hebdomas, hora, dies, epulæ, pecus, azyma, Chri-
[stus.

Ad hoc igitur quod dicunt, quod veritas umbræ debet respondere. Dicendum, quod quoad hoc respondet, quod sicut quartadecima luna immolabatur ad vesperam, ita etiam immolatio Christi fuit inchoata quartadecima luna ad vesperam, quia tunc fuit captus Dominus Jesus. Cœna autem totaliter cœnæ respondet, quia quartadecima luna ad vesperam post cœnam agni typici, sumptus est in cœna Agnus verus.

Solent autem a Patribus quatuor assignari rationes, quare Dominus corpus suum ultimo dedit discipulis post cœnam illam : cum tamen ita non sumatur ab Ecclesia, quia Ecclesia sumit hoc sacramentum ore jejuno : quarum prima est potissima, quia hoc sacramentum datum est in memoriale abeuntis Domini. Memoriale autem ultimo post alia datur, ut memoria remaneat. Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Secunda autem est quæ post hanc est potior : ut veritas initiata ad umbram terminata, umbram ostendat. Ad Hebr. X, 1 : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Unde etiam Dominus dicit, Luc. XXII, 37 : *Ea quæ sunt de me finem habent.* Et hoc dixit in cœna.

Tertia ratio est, quia hoc sacramentum maxime firmat cum Christo, et unit incorporando. Et ideo discipulis jam trepidantibus, ultimo datur pro firmamento cordis, et uniendo cum Christo, omnibus aliis jam consummatis. Joan. XVII, 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

Quarta autem ratio est, quia ille cibus non transit ad ventrem, sed ad mentem : et ideo omnibus aliis jam sumptis ad necessitatem corporis et legis, iste sicut spirituale quoddam est additus. I ad Corinth. XV, 46 : *Prius est quod animale est, deinde quod spiritale* : per animale enim transitur ad spirituale.

His itaque habitis, accedamus ad litteram.

Sic enim « *appropinquabat dies festus azymorum :* » in quo notatur temporis congruentia : « *qui dicitur Pascha,* » ut quando agnus typicus immolabatur, tunc etiam verus pro salute mundi occideretur.

« Et »

Ideo tunc cum effectu,

« Quærebant principes sacerdotum, »

In quibus erat auctoritas, « *et Scribæ,* » in quibus erat falsi nominis scientia, qui etiam ante hoc sæpe frustra quæsierant, quæ tempore non præordinato quærebant. Joan. VII, 6 : *Tempus meum nondum advenit.* Joan. X, 17 et 18 : *Ego*

pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me. Unde etiam, Luc. XIII, 32, dixit Herodi : *Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor.*

Modo autem congruo tempore cum effectu permissi sunt quærere « *quomodo* » sine turbis « *Jesum* » comprehensum « *interficerent.* » Matth. XXVI, 4 : *Consilium fecerunt principes sacerdotum, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* In hoc ergo consenserunt principes sacerdotum et Scribæ. Genes. XLIX, 6 et 7 : *In consilium eorum non veniat anima mea... Maledictus furor eorum, quia pertinax : et indignatio eorum, quia dura.*

Adhuc autem Dominus Jesus in membris quæritur ad occidendum a talibus qui ambiunt indigni principatum, et qui usurpant cathedras Doctorum. Illi enim nollent aliquem vivere qui facta eorum detestatur. Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.*

« Timebant vero plebem, »

Quæ libenter Dominum audivit, et quæ eum tamquam Prophetam habuit. Nec tantum timebant quod de manibus eorum eriperetur, sed quod plebs irrueret et manus injiceret in captivatores. Unde, Joan, VII, 48 et 49, dixerunt : *Numquid ex principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis ? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

3 « Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.

4 « Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. »

Hic ponit convenientiam iniquæ voluntatis eorum cum proditore.

Et dicuntur sex : in quorum primo ponitur qualiter convenit Judas cum primo omnis malitiæ auctore : secundo, describitur quis vel qualis fuit in ista proditione : tertio, qualiter convenit cum principibus in turpis et funesti pretii petitione : quarto, qualiter iniqui gavisi sunt, et convenerunt cum ipso in summæ petitæ promissione : quinto, qualiter victus cupiditate spopondit scelus proditionis perficere : sexto, quæliter post sponsionem perseveravit in malitia, in quæsita traditionis opportunitate.

Dicit igitur :

« *Intravit autem Satanas.* » Non quod menti ejus, vel animæ illaberetur : sed quia in eo suggerendo locum suæ invenit malitiæ. Hunc autem introitum inchoavit in unguenti effusione in Bethania : quando mulier unguentum pretiosum effudit super caput recumbentis Domini. Auxit autem malitiam, cum ad Sacerdotes abiens convenit de pretio sanguinis. Sed in toto consummavit, cum a Christo buccellam accepit, postquam Satanas cum toto suæ effectu malitiæ in eum intravit. Joan. XIII, 27 et 30 : *Post buccellam introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citius... Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.* Ante autem non immiserat in cor ejus diabolus tradendi propositum. Joan. XIII, 2 : *Cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Bene autem dicitur Satan intrasse in eum : quia movit eum ut suum mancipium, vel sicut suum pecus. Quem enim sic diabolus intraverit, semper in profundum vitiorum impellit. Matth. VIII, 32 : *Ecce impetu abiit totus grex porcorum per præceps in mare,* hoc est, in profundum amaritudinis vitiorum. I Reg. XVI, 14 : *Exagitabat eum spiritus nequam a Domino.*

« In Judam, etc. »

Ecce quis et qualis est traditor, qui

omnem rationem diligendi et obsequendi habuit, et nullam prodendi. Ex nomine enim innuit devotionem, ex patria sceleris aversionem, ex dignitate gratiarum actionem.

Judas enim *confitens*, vel *glorificans* interpretatur : quia confessioni veritatis, et glorificationi laudis intendere debuisset. Et ideo Deus eum suo nomine a crimine avertere voluit.

« Qui cognominabatur Iscariotes. »

Iscariotes autem *memoria mortis* interpretatur : quia memoria mortis eum debuit compescere ab audacia. Eccli. VII, 40 : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Sicut et de Juda dicitur, Genes. XLIX,8 : *Juda, te laudabunt fratres tui.*

« Unus de duodecim. »

Electione autem fuit unus de duodecim super discipulos exaltatus : et ideo gratias agere debebat. Psal. XL, 10 : *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Adhuc autem et depositarius Christi fuit, et conviva.

De primo, Joan. XII, 16 : *Habebat loculos, et ea quæ mittebantur, portabat.* De secundo dicitur in Psalmo LIV, 15 : *Qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Hic ergo detestabilis fuit proditor.

Dicit tamen Chrysostomus, quod ideo dicitur *Iscariotes*, quia non de novo, sed diu mortem Domini procurare meditatus fuit. Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Job, XIX, 19 : *Quem maxime diligebam, aversatus est me.*

« Et abiit, etc. »

Ecce qualiter iniqui mercimonii contractum quæsivit.

Dicit autem tria, scilicet, quod a via veritatis abiit, quod cum iniquis consilia tractavit, quod de proditione cum iniquis convenit.

De primo dicit, quod « *abiit.* » Psal. I, 1 : *Abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum stetit*, et cum his qui in cathedra pestilentiæ sederunt convenit. Ezechiel. III, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei.*

« Et locutus est »

De proditione « *cum principibus sacerdotum,* » in quibus erat summa potestas, « *et magistratibus,* » hoc est, Scribis, qui magistri erant doctrinæ erroneæ Judæorum. I Esdræ, IX, 2 : *Manus magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Tamen dicit Chrysostomus, quod *magistratus* vocantur duces exercitus, quos statuerant Romani ad resistendum undique seditionibus. Ad Roman. II, 19 et seq. : *Confidis teipsum ducem esse cæcorum,... eruditorem insipientium, magistrum infantium... Qui ergo alium doces, teipsum non doces.*

« Quemadmodum illum traderet eis. »

Quamvis enim essent principes et magistratus, nihil reputabant se habere quamdiu Christum videbant, qui tamen in nullo nocebat eis, nisi quia Patrem glorificabat. Esther, V, 13 : *Cum omnia hæc habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.* Ita dixit Aman, qui interpretatur *iniquus.* Mardochæus interpretatur *amare conterens impudentem :* et significat Christum qui contrivit impudentem diabolum, tam in se quam in membris suis, quem iniqui graviter viderunt. Sapient. II, 5 : *Gravis*

est nobis etiam ad videndum. Et ideo de ejus proditione tractaverunt.

5 « Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare.

6 Et spopondit. Et quærebat oportunitatem ut traderet illum sine turbis. »

Duo tangit : gaudium pessimorum, et consensum.

De primo dicitur, Proverb. II, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

« *Et pacti sunt,* » libentissime damnum subeuntes, « *pecuniam illi dare.* » Et ideo dicitur, Eccli. x, 9, quod *avaro nihil est scelestius.* Et infra, ℣. 10 : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* Non enim, ut dicit Chrysostomus, curat quid vendat, utrum Deum aut hominem, dummodo pecuniam accipiat parvam.

« Et pacti sunt pecuniam illi dare, »

Respectu ejus quod valuit. Sed ille potius obolo eum commutasset, antequam nihil accepisset. Zachar. XI, 12 et 13 : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos,* per quos *appretiatus sum ab eis.* Sic fratres Joseph, Genes. XXXVII, 28, vendiderunt Joseph. Sed ille viginti argenteis venditus est. Iste non nisi de tertia reputatus est esse melior Joseph. Et si corpus Joseph valuit decem, et anima decem : tunc deitas, in qua Christus abundavit super Joseph, æstimatione istorum non nisi decem valuit.

« Et spopondit, »

Amore pecuniæ Deum vendens. I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

« *Et* » congruam « *quærebat opportunitatem* » ipse Judas, « *ut traderet illum* » Jesum Christum, « *sine turbis,* » propter causam quam superius induximus. Matth. XXVI, 5 : *Ne forte tumultus fieret in populo,* et scandalum istud sustinere non possent.

« Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. » 7

Hic tangit de cœna, in qua complevit diabolus cor Judæ ad tradendum.

Dividitur autem in quatuor partes : in quarum prima agit de cœnæ præparatione : in secunda, de discubitu in cœna : in tertia, de Sacramenti novi institutione : in quarta autem et ultima, de proditoris quadam cauta a proposito revocatione.

In prima harum duo facit : tempus enim necessariæ præparationis determinat, et mittit ministros præparationis.

De primo dicit : « *Venit autem dies azymorum,* » hoc est quartadecima dies mensis lunaris Aprilis. Exod. XII, 2 et 3 : *Mensis iste, vobis principium mensium : primus erit in mensibus anni :... decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum,* etc. Et infra, ℣. 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma.*

Et hoc est quod dicit : « *In qua necesse fuit,* » secundum præceptum legis [1], « *occidi pascha.* » Et hoc validum est contra Græcos : quia ista fuit dies quartadecima ad vesperam : et tunc nihil erat de fermentato in domibus Judæorum. Pascha autem hic vocatur agnus, quem omnis multitudo filiorum Israel immolavit ad vesperam. Et ideo, Marc. XIV, 1, dicitur : *Erat pascha et azyma post biduum,* hoc enim de quarta feria dicitur :

[1] Cf. Exod XII, 1 et seq.

quia post quartam et quintam ad vesperam sunt facta ista quæ hic dicuntur.

8 « Et misit Petrum, et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.

9 At illi dixerunt: Ubi vis paremus? »

« *Et misit Petrum et Joannem,* » qui hujus cœnæ erant ministri et præparatores.

Dicuntur autem hic quatuor, scilicet, quos misit ad præparandum, et præceptum præparationis, et ubi præparent, et ipsa præparatio quam obedientes fecerunt discipuli.

De primo dicit: « *Et misit Petrum et Joannem,* » qui duo ad omnia legis ministeria implenda erant devotiores. Præterea, per Joannem perfectio contemplationis: per Petrum autem perfectio designatur actionis. Hi sunt qui simul currebant, Joan. xx, 4: *Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro.* Hi sunt qui simul ascenderunt in templum [1]. Hi sunt qui specialis erant familiaritatis ad invicem: et ideo unus innuit alii de secretis [2]. Horum unus Romam, alter Asiam adduxit Domino. Hos ergo duos misit, ad significandum quod intellectus et actio Domino cœnam debent præparare.

« Euntes parate nobis. »

Hoc est præceptum præparationis.

« *Pascha,* » hoc est, agnum paschalem; et epulas. Sicut etiam de spirituali cœna dicit Apostolus, I ad Corinth. v, 7 et 8: *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

« At illi dixerunt: Ubi vis paremus?

Qnærunt de loco, et expediuntur. Sciverunt enim quod non in omni loco comuni manducanda esset cœna Dominica, sed in loco honesto et mundo et sancto: et ideo quærunt: « *Ubi vis paremus?* » Psal. lxxv, 3: *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.* In pace, scilicet affectus, et speculatione intellectus. Loca enim communia, in quibus aliis diebus hospitari consueverat, sciverunt: sed quærebant locum convenientem Sacramento. II Paralip. vii, 12: *Elegi istum mihi locum in domum sacrificii.*

Et hoc est quod sequitur:

10 « Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat,

11 Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem?

12 Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: et ibi parate.

13 Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. »

« *Et dixit* » ad eos, expediens eos de loco: « *Ecce introeuntibus vobis.* »

Tria autem hic dicit: de indicio introeundi in domum, de facilitate recipiendi a patrefamilias domus, et de aptitudine loci.

De primo dicit: « *Ecce introeuntibus vobis in civitatem.* » Significat autem spiritualiter introitum discipulorum in verbo Domini ad conscientias hominum. Psal. cxxi, 3 et 4: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus*

[1] Cf. Act. iii, 1.

[2] Cf. Joan. xiii, 23 et xxi, 7.

in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Ad introitum in corda discipulorum, qui sunt tribus Domini, participatio fit in cœna in idipsum, et confessio fit nominis Domini. Quicumque in hanc civitatem communionis non pergit, cum Domino non cœnat. Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.* Sic ergo primo oportet intrare in civitatem ad communionem Sanctorum. Act. IX, 6 : *Surge et ingredere civitatem*, scilicet in vicum qui vocatur Rectus : *et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.*

Postquam autem ad communionem Sanctorum ingressum est,

« Occurret vobis. »

Ecce describit ducem a quatuor : ab occursu, cum dicit : « *Occurret vobis*, » in quo notatur occursus Sanctorum in charitate. Isa. XXI, 14 : *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri : cum panibus occurrite fugienti.* Sancti enim occurrunt cum aqua refrigerii concupiscentiæ carnalis, et cum panibus refectionis virtutis confortantis conscientiam. Aliter enim cœna Domini non debet manducari.

Secundum est :

« Homo quidam. »

In quo notatur rationabilitas, quæ cibum hunc præcedere debet. Unde, I ad Corinth. XI, 28 et 29 : *Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Sic ergo homo « *quidam* » est probans et dijudicans.

Tertium est :

« Amphoram aquæ portans, »

Quæ significat vas expiationis per lacrymas. Genes. XXV, 14 : *Surrexit Abraham mane, et tollens panem et utrem aquæ.* Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Illo enim ante cibari debet, qui cœnam Domini manducare præsumit.

« Sequimini eum. »

Hoc est quartum, quod iste præcedit : quia ista dignitatem conferunt ad cœnam Dominicam. Et ideo dicit quod iste est sequendus « *in domum* » conscientiæ, « *in quam intrat*, » ut ibi in secreto cordis præparetur. II Reg. XXIII, 15 : *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem,* hoc est, in domo panis ! In hac enim domo lacrymarum cœna Domini præparatur.

« Et dicetis patrifamilias. »

Littera est planissima. Paterfamilias est hospes ratio, ad cujus nutum pertinet ista præparatio, quæ alloquenda est de hujusmodi præparatione. Isa. XL, 2 : *Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam.*

« Dicit tibi Magister, »

Cujus magisterium omnes sequi habemus. Matth. XXIII, 8 : *Magister vester unus est, Christus.*

« Ubi est diversorium, »

Ad quod gratia hospitalitatis est divertendum ? Nascitur enim Dominus in diversorio, et cœnat in diversorio, qui nec habuit nec curavit habere locum in palatio. Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Pauperis enim hospitium est diversorium.

« Ubi pascha cum discipulis meis manducem, »

Scilicet ultimæ cœnæ transitum. Apo-

cal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.*

Dicit autem : « *Manducem,* » hoc est, ut eos mihi ad patiendum vadens incorporem.

« Et ipse ostendet, »

Ad litteram, « *cœnaculum,* » hoc est, locum stratum, « *stratum* » pavimento, « *ostendet* » aptum ad cœnandum. Hoc significat conscientiam mundam et amplam spe, et stratam omni virtute.

« *Et ibi parate* » cœnam : quia ibi cœnabo vobiscum. Deuter. XVI, 5 et 6 : *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi, sed in omni loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.*

« Euntes autem, »

Discipuli Petrus et Joannes, « *invenerunt sicut dixit illis* » Jesus : omnino voci Domini obedientes. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.*

« Et paraverunt pascha, »

Hoc est, paschalem cœnam, sicut jam superius dictum est. Sic pater Abraham et Sara Angelis paraverunt azymos, et vitulum sacrificii laudis [1]. Sic Manue et uxor sua paraverunt hœdum de capris, hoc est, sacrificium pro peccatis [2].

14 « Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo.

15 Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. »

Hic tangitur de discubitu in cœna.

Et tanguntur hic duo : quorum primum est discubitus honestissimæ societatis. Secundum autem est dulcedo suavissimæ collocutionis.

De primo igitur dicit : « *Cum facta esset hora,* » jam præparata cœna. Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent.*

« *Discubuit* » ad cœnandum, « *et duodecim cum eo.* » Ecce societas honestissima. Eccli. IX, 22 : *Viri justi sint tibi convivæ, et in timore Dei sit tibi gloriatio.* Psal. C, 6 : *Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Cum autem duodecim cum eo discumberent, septuaginta duo in alia mensa seorsum discubuerunt.

« Et ait illis. »

Ecce dulcedo suavissimæ allocutionis.

Dicit autem duo : desiderium novi Sacramenti, et finitionem sive terminationem antiqui.

De primo dicit : « *Desiderio desideravi,* » hoc est, ferventer desideravi. Vel, « *Desiderio* » figurarum ab antiquo ostendi, quod nunc innovatione « *desideravi hoc Pascha,* » scilicet cœnæ corporis mei, « *manducare vobiscum* : » quia desideravit veterum abolitionem, et novorum inchoationem : « *antequam patiar,* » ut vobis hoc memoriale relinquam. Exod. XII, 11 : *Comedetis festinanter,* id est, desideranter et avide : *est enim Phase* (*id est, transitus*) *Domini.*

« Dico enim vobis. »

Tangit cessationem veteris testamenti. « *Quia ex hoc,* » hoc est, post hanc horam, « *non manducabo illud,* » hoc est, agnum typicum, et observantes ritum

[1] Cf. Genes. XVIII, 6 et seq.

[2] Cf. Judicum, XIII, 19.

ejus non mihi incorporabo, « *donec impleatur* » figura per veritatem « *in regno Dei,* » hoc est, in Ecclesia, in qua regnum meum erit per justitiæ perfectæ potestatem. Tunc enim sumentes veritatem sacramenti hujus et impletionem incorporabo mihi. Levit. xxvi, 10 : *Vetera novis supervenientibus projicietis.* II ad Corinth. v, 17 : *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt : et ecce facta sunt omnia nova.* Apocal. xxi, 5 : *Dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.*

17 « Et accepto calice, gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos.
18 Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. »

Postquam dixerat de terminatione agni typici qui comedebatur, dicit etiam de terminatione calicis benedictionis, qui eadem nocte bibebatur in figuram sanguinis Christi. Quamvis enim in Exodo non legatur nisi de cibo [1], tamen etiam intelligitur, quod tunc etiam calix cujusdam benedictionis sumebatur : sicut ostendit usus, quem usque in hodiernum diem observant Judæi. Et de terminatione illius dicit :

« Et accepto calice »

Veteri, qui figura fuit sacramenti sanguinis Domini. Calix autem idem est, quod calida potio, hoc est, non quod actu sit calida, sed quia effectu calefacit, ut vinum.

« *Gratias egit* » antiquo more, ut nostrum sacramentum aliud terminaret : « *et dixit* » discipulis novi testamenti ministris : « *Accipite* » per intellectum figuram hujus potionis, quæ charitatem significat, « *et inter vos dividite,* » ut pro capacitate cujuslibet distribuatur. Hic est calix, de quo secundum sensum litteralem dicit Psalmus cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Accepit enim David in spiritu hunc calicem per intellectum, et invocabat nomen Domini, ut transiret in novum. Unde etiam gratias egit Christus de transitu veterum, et de substitutione novorum.

« Dico enim vobis, »

De terminatione hujus calicis, in quo est figura sacramenti sanguinis Christi, « *quod non bibam,* » *amodo,* sicut dicitur, Matth. xxvi, 29.

« *De generatione vitis,* » scilicet hujus, de qua conficitur hoc figurale sacramentum, non incorporabo mihi, « *donec* » transiens in novum sanguinis mei sacramentum, « *veniat regnum Dei,* » hoc est, aperta justitia sacramentorum Ecclesiæ, quæ sunt de cætero tenenda. Tamen quædam Glossæ exponunt hoc allegorice, quod vitis sit Judæa, de qua non bibet Christus usque in consummationem sæculi, quando reliquiæ convertentur. Et alia Glossa exponit de mortalitate humanæ naturæ, quam non bibet amplius donec pertranseat per resurrectionem ad immortalitatem. Sed prima expositio est litteralis et vera. Matth. xxvi, 29 : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quidam etiam dixerunt quod loquitur de vino materiali, quod in mensa biberunt, de quo ipse statim iturus ad passionem bibere noluit, sed post resurrectionem cum eis in gaudio se bibiturum promisit. Sed nulla istarum expositionum est ad propositum nisi prima, et illa est tenenda. Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite,* supple, de veteri : *et inebriamini, charissimi,* scilicet de novo.

[1] Cf. Exod. xii, 8 et seq.

19 « Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. »

Hic tangitur de novi Sacramenti institutione.

Et tangit primo de sacramento corporis : et deinde de sacramento sanguinis.

De sacramento corporis dicit : « *Et accepto pane,* » de frumento azymo, sicut jam ante diximus : et hunc quidem accepit in manus, ut sacramentum instituat, et ut se sacerdotem ostendat. Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

« *Gratias egit,* » de novæ gratiæ ubertate, cujus est vas Eucharistia.

« *Et fregit,* » ut fractio sit in speciebus, hoc est, in figura et quantitate panis, et non in corpore Christi sub speciebus contento : quia hoc totum fuit sub qualibet parte fractionis illius. Quibus autem verbis gratias egerit non est manifestum.

« *Et dedit,* » non vendidit. Dedit autem ad usum in sacramento ad communicandum. I ad Corinth. x, 16 : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?*

« *Dicens : Hōc,* » quod sub forma panis continetur, « *est corpus meum,* » vere de Virgine natum, et in cruce statim passurum.

« *Quod pro vobis datur,* » scilicet pro salute vestra.

« *Hoc facite in meam commemorationem.* » Et attende quod his verbis a Domino tunc pronuntiatis dedit virtutem de cætero transsubstantiandi panem in corpus suum, quotiescumque cum intentione et loco debito dicuntur a sacerdote, sicut et ipse tunc ritum et ordinem sacerdotii exhibuit. Si autem ludicre et non a sacerdote dicerentur, effectum illum non haberent.

Sic igitur intellecta littera, octo notantur hic circa corporis sacramentum, quorum primum est quod respicit institutionis auctoritatem. Secundum autem, quod determinat materiam sacramento convenientem. Tertium, de tanto sacramento gratiarum actionem. Quartum autem, quod tangit hujus sacramenti fractionem. Quintum vero, exercitium sacramenti et communionem. Sextum autem, hujus sacramenti quæ in forma est propriam institutionem. Septimum autem, significat hujus sacramenti in redimendo propriam virtutem. Octavum autem et ultimum, significat quod datum est in æternæ memoriæ et dilectionis firmitatem.

De primo horum dicit :

« Et accepto. »

Propter tria accepit, quorum primum est, ut tactu suæ mundissimæ carnis conferret pani virtutem, ut deinceps possit esse materia corporis : sicut tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Et de hoc significatur, Matth. XIV, 19, et Joan. VI, 11, ubi Dominus prius in manus suas panem accepit, antequam multiplicandum daret discipulis. Cantic. v, 14 : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Manus, inquam, corporis, *tornatiles,* in divinas operationes volubiles : *aureæ,* quia virtute divinitatis ubique splendentes : et ideo in omne quod tangit, virtus infunditur divinitatis. *Plenæ* autem sunt *hyacinthis* : quia in omnibus ab eo tactis pretiositas est gratiæ cœlestis, et virtutis.

Secunda autem causa est, quia porrigere non potuit nisi manu acciperet. Porrigendo autem, se transfundere potestatem consecrandi in discipulos significavit. Et ex hoc inolevit, quod quando Episcopus sacerdotes ordinat, porrigendo calicem cum pane et vino, in eos potestatem transfundendo, ordinem confert sacerdotalem. Hoc significatum est, Josue,

1, 5 et seq., ubi potestas Moysi apparuit in Josue. Et redditur ratio : Moyses enim super eum posuerat manus suas, hoc est, suam potestatem.

Tertia causa est, ut se participare in solo hoc sacramento significaret : quia semper ipse totus est in ipso, cum omnibus aliis sacramentis non communicet nisi per gratiam. Totus autem secundum corpus et animam et deitatem isti semper communicat. Et ideo istud præ aliis in se, et ad se accepit. Unde dicit Innocentius in libro de *Officiis ecclesiasticis*, quod Dominus secundum tria quæ sunt in ipso, in tribus esse creditur. Secundum enim lucem et figuram sui corporis est in cœlo in dextera Patris. Secundum formam autem cibi et potus spiritualis est in sacramento altaris. Secundum deitatem autem est ubique. Sic dicit, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Quia quotiescumque consecratur, toties omni die nobiscum efficitur.

His igitur de causis « *accepit.* » Et in hoc notatur auctoritas institutionis, quæ ab ipso Domino habet exordium. I ad Corinth. XI, 23 et 24 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : Hoc est corpus meum.* Quæ enim manus materiæ sacramenti transsubstantialitatem in corpus verum Christi indere potuisset, nisi quæ primo creaturas condidisset ? Et ideo dicit Ambrosius, quod « non est mi-« rum si Christus creaturas mutat, qui « creator est creaturarum. »

« Pane. »

Hæc est propria materia. Non autem panis est simpliciter et absolute, nisi panis de frumento. Hordeum enim cibus est jumentorum, et similiter avena : sed siligo ægritudo est ad frumentum : sicut cætera metalla, secundum Alchimistas, ægritudines sunt ad aurum. Et hujus signum est, quod in bona terra seminata siligo, infra tres annos nobilitatur in frumentum : et frumentum seminatum in mala terra, infra tres annos degenerat in siliginem. Hoc autem etiam ostenditur ex hoc, quod granum frumenti rubicundius est, et purius in substantia, et majus inter grana, quæ bene corpus nutriunt. Alia enim grana leguminum ventosa sunt, et corpus non nutrientia. Et ideo hoc solum inter grana simplex est nutrimentum. Propter quod etiam in *Pantegni* tres causæ assignantur, quare granum frumenti simpliciter nutrit. Prima quidem est, quia purioris est substantiæ. Secunda autem, quia propter viscositatem sui et pinguedinem fortius adhæret membris. Tertia autem est, quia citius membra subintrat ad nutriendum. Et ita ex puritate, pinguedine, et subtilitate, membris humanis magis proportionatur. Et ideo Dominus propter puritatem se grano frumenti comparat, Joan. XII, 24 et 25 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* De pinguedine autem dicitur in Psalmo CXLVII, 14 : *Et adipe frumenti satiat te.* De subtilitate autem dicitur, Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini.* Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.* Frumentum enim est subtilitas sacramenti, quod penetrat usque ad intima. Vinum autem redemptio sanguinis sacramenti ejusdem. Et oleum pinguedo gratiæ, et propter illam Eucharistia, hoc est, *bona gratia* vocatur.

Talis igitur est materia : et ideo de nulla pasta confici potest, neque de aliquo pane nisi de frumento. Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Iste enim panis specialiter confirmat cor hominis. Ad Hebr. XIII, 9 : *Optimum est enim gratia stabilire cor,* scilicet hominis, *non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.*

Ista ergo est propria hujus sacramenti materia.

« Gratias egit. »

Hic de tanto sacramento gratiarum egit actionem. Hoc enim sacramentum mundum est, plenum est, commune est, et efficax.

Mundum quidem, quia non in cruore immolati sanguinis est, sed secundum materiam habet munditiam. Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech :* qui sicut legitur, Genes. XIV, 18, obtulit panem et vinum. Et subjungitur ibidem ratio : quia erat *sacerdos Dei altissimi.*

Hoc etiam sacramentum est plenissimum omni perfectione, quia continet ipsum Christum, qui omni gratia est plenissimus. Et propter hoc ante parum, ℣. 16, dixit Christus : *Non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Quasi dicat : Modo vacuum est, et ideo illud non curo : sed plenum omni gratia de cætero incorporabo mihi.

Commune etiam est, quia est secundum duo, quæ communiter nutriunt homines, quæ sunt forma panis et vini. Psal. CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis,... et panis cor hominis confirmat.*

Cum effectu autem est, quia cum omni gratia quæ efficaciam habet ad peccati relaxationem, et virtutum collationem, quamcumque virtutem homo desiderat. Unde, Sapient. XVI, 21, dicitur, quod *deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Et ideo dicitur *panis Angelorum*, quia Angelorum gratiam in operibus confirmat. Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.* Primum quidem est de effectu : quia si aliquid gratiæ effectum efficit, tunc efficit gratiam panis Angelorum. Abundantiam autem habet in hoc, quod omnis gratiæ est operativum.

De tam pleno igitur et abundanti sacramento gratias egit Dominus. Loco autem hujus gratiarum actionis, Ecclesia habet multorum generum Collectas, quas ante sacramentum ordinat, et post confectionem ipsius.

« Et fregit. »

Hic determinat hujus sacramenti fractionem. Cum autem Christi corpus infrangibile sit sub forma sacramenti, eo quod totum integrum et indivisum sit sub qualibet parte : non potest fractio ad corpus Christi verum referri : sed oportet quod referatur ad accidentia panis, quæ franguntur. Et ideo jam solvitur quæstio quæ fieri consuevit : Utrum Christus ante passionem suam, corpus suum passibile vel impassibile dederit ? Quoniam si dedit passibile, tunc videtur quod dentibus attritum patiebatur, masticabatur, et dividebatur. Et hoc non est verum : quia Christus integer et indivisus sedit cum discipulis in mensa. Si autem dedit impassibile corpus, tunc videtur quod tale dedit quale non habuit. Et hoc etiam falsum est : quia veritas numquam in sacramento veritatis aliud quam erat finxit. Et ideo fractio non nisi in accidentibus fuit. Et hoc quidem est verum. Sic enim divisum in formis accidentium, et distribuitur in multos, et tamen unusquisque recipit totum. In signum enim hujus, Matth. XIV, 19, quod fregit panes, et dedit discipulis suis, ut turbæ apponerent. Turba enim Dei vel in cœlo est, vel in mundo, vel in purgatorio. In purgatorio quidem una pars invenit propitiationem, in mundo autem remissionem, et quæ in cœlo quiescit, laudem. Et ideo in tres partes hostia frangitur. Et hoc est quod dicitur, Act. II, 42, quod discipuli erant perseverantes in fractione panis et oratione. Joan. VI, 12 : *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Omnis enim boni sacerdotis parvuli sibi commissi vel innocentes sunt, et pro illis est laudis hostia immolata : vel sunt pœnitentes, et pro istis sunt supplicationes et indulgentiæ :

vel sunt tentati, et pro illis sunt intercessiones. Et ideo frangitur hostia.

Hoc est ergo quod « *gratias egit, et fregit.* »

« Et dedit eis. »

Ecce hujus sacramenti exercitium, sive usus, et communio.

Et ideo in hoc sunt duo : communio quidem intelligitur in hoc quod dicit : « *Dedit eis.* » Ad communionem enim dedit. I ad Corinth. x, 16 : *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* II Reg. vi, 19 : *David partitus est universæ multitutini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam*, quæ Christum passum significat. Et hoc modo tunc dedit ad communicandum.

« *Dedit* » autem, non vendidit : quia, Matth. x, 8, dixit : *Gratis accepistis, gratis date.* Dedit autem etiam ad usum et exercitium : quia voluit ut deinceps frequentaretur. Unde, Levit. xxiii, 21, dicitur : *Legitimum sempiternum erit*, scilicet vobis, *in generationibus vestris.* Item, Exod. xii, 17, dicitur : *Custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.*

Et ideo usum quantum ad sacerdotes per hoc voluit inducere, « *dicens* : »

« Hoc est corpus meum. »

Hic sexto tangit hujus sacramenti, quantum ad formam propriam, institutionem. Et ideo cum multi hic multas invenerint opiniones errorum, una sola vera est, quæ dicit, quod per ista verba et formam conficiendi dedit, et instituit, et etiam sacramentum jam confectum demonstravit.

Et quod dicitur : « *Hoc est corpus meum,* » quærunt quidam in hac forma, cum plures sint dictiones, utrum quælibet secundum se ad transsubstantiationem corporis operetur? Sed dicendum ad hoc, quod non : quia verba ad intellectum, intellectus vero ad rem est referendus. Et ita totum efficitur indivisibile, sicut est res ipsa : et virtute indivisibilis rei sub voce significante operatur. Et hæc est operatio formæ istius sacramenti : sicut et aliorum sacramentorum, quæ sub forma vocis significantur. Non enim divisibile est in tot, quot divisibiliter sub forma vocis significatur. Hoc est enim verbum virtutis de quo scriptum est, Psal. lxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Similiter hoc est verbum, de quo dicitur, Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt*, hoc est, cœlestes. *Ipse enim dixit, et facta sunt*[1]. Et ideo cum sermo Dei non excidat[2], oportet quod hoc verbum sit verum. Et sic oportet, quod corpus Christi verum sub hoc fiat sacramento. Hoc igitur efficit ibi hoc verbum.

Hoc etiam verbum facit omnem sumentem transire in corpus suum mysticum : quia sicut ex multis granis conficitur panis, de quo fit corpus Christi : ita de multis fidelibus populis colligitur Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum, et hoc etiam corpus Christi. I ad Corinth. xii, 27 : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro*, hoc est, singuli estis membra de membro hoc, quod est caput : quod est membrum principale de corpore mystico. Sic enim totus Christus in cœlum ascendit, quando dicitur : « Ite, missa est, » scilicet ad Patrem hostia : quando panem et vinum mutat in corpus suum verum, et omnia membra mystica in corpus suum mysticum, et cum omnibus his ascendit in cœlum. Joan. iii, 13 ; *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

Sic ergo « *dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum.* »

[1] Psal. xxxii, 9.

[2] Cf. Tob. xiv, 6.

« Gratias egit. »

Hic de tanto sacramento gratiarum egit actionem. Hoc enim sacramentum mundum est, plenum est, commune est, et efficax.

Mundum quidem, quia non in cruore immolati sanguinis est, sed secundum materiam habet munditiam. Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech :* qui sicut legitur, Genes. XIV, 18, obtulit panem et vinum. Et subjungitur ibidem ratio : quia erat *sacerdos Dei altissimi.*

Hoc etiam sacramentum est plenissimum omni perfectione, quia continet ipsum Christum, qui omni gratia est plenissimus. Et propter hoc ante parum, ℣. 16, dixit Christus : *Non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Quasi dicat : Modo vacuum est, et ideo illud non curo : sed plenum omni gratia de cætero incorporabo mihi.

Commune etiam est, quia est secundum duo, quæ communiter nutriunt homines, quæ sunt forma panis et vini. Psal. CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis,... et panis cor hominis confirmat.*

Cum effectu autem est, quia cum omni gratia quæ efficaciam habet ad peccati relaxationem, et virtutum collationem, quamcumque virtutem homo desiderat. Unde, Sapient. XVI, 21, dicitur, quod *deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Et ideo dicitur *panis Angelorum,* quia Angelorum gratiam in operibus confirmat. Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.* Primum quidem est de effectu : quia si aliquid gratiæ effectum efficit, tunc efficit gratiam panis Angelorum. Abundantiam autem habet in hoc, quod omnis gratiæ est operativum.

De tam pleno igitur et abundanti sacramento gratias egit Dominus. Loco autem hujus gratiarum actionis, Ecclesia habet multorum generum Collectas, quas ante sacramentum ordinat, et post confectionem ipsius.

« Et fregit. »

Hic determinat hujus sacramenti fractionem. Cum autem Christi corpus infrangibile sit sub forma sacramenti, eo quod totum integrum et indivisum sit sub qualibet parte : non potest fractio ad corpus Christi verum referri : sed oportet quod referatur ad accidentia panis, quæ franguntur. Et ideo jam solvitur quæstio quæ fieri consuevit : Utrum Christus ante passionem suam, corpus suum passibile vel impassibile dederit ? Quoniam si dedit passibile, tunc videtur quod dentibus attritum patiebatur, masticabatur, et dividebatur. Et hoc non est verum : quia Christus integer et indivisus sedit cum discipulis in mensa. Si autem dedit impassibile corpus, tunc videtur quod tale dedit quale non habuit. Et hoc etiam falsum est : quia veritas numquam in sacramento veritatis aliud quam erat finxit. Et ideo fractio non nisi in accidentibus fuit. Et hoc quidem est verum. Sic enim divisum in formis accidentium, et distribuitur in multos, et tamen unusquisque recipit totum. In signum enim hujus, Matth. XIV, 19, quod fregit panes, et dedit discipulis suis, ut turbæ apponerent. Turba enim Dei vel in cœlo est, vel in mundo, vel in purgatorio. In purgatorio quidem una pars invenit propitiationem, in mundo autem remissionem, et quæ in cœlo quiescit, laudem. Et ideo in tres partes hostia frangitur. Et hoc est quod dicitur, Act. II, 42, quod discipuli erant perseverantes in fractione panis et oratione. Joan. VI, 12 : *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Omnis enim boni sacerdotis parvuli sibi commissi vel innocentes sunt, et pro illis est laudis hostia immolata : vel sunt pœnitentes, et pro istis sunt supplicationes et indulgentiæ :

vel sunt tentati, et pro illis sunt intercessiones. Et ideo frangitur hostia.

Hoc est ergo quod « *gratias egit, et fregit.* »

« Et dedit eis. »

Ecce hujus sacramenti exercitium, sive usus, et communio.

Et ideo in hoc sunt duo : communio quidem intelligitur in hoc quod dicit : « *Dedit eis.* » Ad communionem enim dedit. I ad Corinth. x, 16 : *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* II Reg. vi, 19 : *David partitus est universæ multitutini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam*, quæ Christum passum significat. Et hoc modo tunc dedit ad communicandum.

« *Dedit* » autem, non vendidit : quia, Matth. x, 8, dixit : *Gratis accepistis, gratis date.* Dedit autem etiam ad usum et exercitium : quia voluit ut deinceps frequentaretur. Unde, Levit. xxiii, 21, dicitur : *Legitimum sempiternum erit*, scilicet vobis, *in generationibus vestris.* Item, Exod. xii, 17, dicitur : *Custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.*

Et ideo usum quantum ad sacerdotes per hoc voluit inducere, « *dicens* : »

« Hoc est corpus meum. »

Hic sexto tangit hujus sacramenti, quantum ad formam propriam, institutionem. Et ideo cum multi hic multas invenerint opiniones errorum, una sola vera est, quæ dicit, quod per ista verba et formam conficiendi dedit, et instituit, et etiam sacramentum jam confectum demonstravit.

Et quod dicitur : « *Hoc est corpus meum,* » quærunt quidam in hac forma, cum plures sint dictiones, utrum quælibet secundum se ad transsubstantiationem corporis operetur? Sed dicendum ad hoc, quod non : quia verba ad intellectum, intellectus vero ad rem est referendus. Et ita totum efficitur indivisibile, sicut est res ipsa : et virtute indivisibilis rei sub voce significante operatur. Et hæc est operatio formæ istius sacramenti : sicut et aliorum sacramentorum, quæ sub forma vocis significantur. Non enim divisibile est in tot, quot divisibiliter sub forma vocis significatur. Hoc est enim verbum virtutis de quo scriptum est, Psal. lxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Similiter hoc est verbum, de quo dicitur, Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt*, hoc est, cœlestes. *Ipse enim dixit, et facta sunt*[1]. Et ideo cum sermo Dei non excidat[2], oportet quod hoc verbum sit verum. Et sic oportet, quod corpus Christi verum sub hoc fiat sacramento. Hoc igitur efficit ibi hoc verbum.

Hoc etiam verbum facit omnem sumentem transire in corpus suum mysticum : quia sicut ex multis granis conficitur panis, de quo fit corpus Christi : ita de multis fidelibus populis colligitur Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum, et hoc etiam corpus Christi. I ad Corinth. xii, 27 : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro*, hoc est, singuli estis membra de membro hoc, quod est caput : quod est membrum principale de corpore mystico. Sic enim totus Christus in cœlum ascendit, quando dicitur : « Ite, missa est, » scilicet ad Patrem hostia : quando panem et vinum mutat in corpus suum verum, et omnia membra mystica in corpus suum mysticum, et cum omnibus his ascendit in cœlum. Joan. iii, 13 ; *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.*

Sic ergo « *dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum.* »

[1] Psal. xxxii, 9.

[2] Cf. Tob. xiv, 6.

« Quod pro vobis datur. »

Hoc est septimum, quod significat hujus sacramenti in redimendo propriam virtutem. Hoc enim corpus traditum est, ut supra diximus, a proditore sicut vendente, a Judæis tamquam appretiantibus, a Patre sicut ordinante, a Christo sicut obediente, a Spiritu sancto sicut formam sanctificationis apponente, a Pilato sicut imperante, et a ministris sicut exsequentibus traditionem. Et hæc omnia sunt ad nostram liberationem.

Et ideo dicit : « *Pro vobis datur,* » quia per hæc peccata nostra abstulit. Isa. LIII, 4 : *Vere langores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Ad Roman. VIII, 32 : *Etiam proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Omnia enim nobis cum illo donata sunt : quando ille donatus est, qui omnia donat indulgendo commissa et omissa. Ut sic verum sit quod dicitur, Matth. XVIII, 27 : *Debitum dimisit ei.* Et ille donatus qui omnia dedit dona gratiarum : ut verum sit illud Joannis, I, 16 : *De plenitudine ejus nos omne accepimus, et gratiam pro gratia* Sic enim traditum est in manus gladii corpus Domini, ne nos traditi in manus gladii partes vulpium efficeremur. Ad Roman. IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

« Hoc facite in meam commemorationem. »

Octavum est, in quo duo sunt notanda. Primum est unjunctio usus hujus sacramenti, quod notat quando dicit : « *Hoc facite.* » Secundum autem est, quod sit memoriale abeuntis ad mortem pro nobis Domini.

Dicit ergo : « *Hoc facite.* » Nihil enim utilius est injungi, nihil dulcius, nihil salubrius, nihil amabilius, nihil æternæ vitæ similius injungi potuit. Et hæc per singula ostenduntur.

Utile enim ad peccati remissionem, et ad gratiæ plenitudinem est utilissimum in vita. Ad Hebr. XII, 10 : *Hic,* scilicet Pater spirituum erudit nos, *ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.* Sanctificatio autem ejus est in sacrificatione ejus, hoc est, cum se obtulit in sacramento, et Patri pro nobis, et nobis se obtulit ad usum. Joan. XVII, 19 : *Pro eis ego sanctifico meipsum.* Ad Hebr. IX, 14 : *Christus, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

Sic igitur : « *Hoc facite,* » quia nihil utilius hoc facere potestis ad Patris cœlestis recipiendam sanctificationem, quæ in remissione peccati consistit, et in plenitudine gratiarum.

Nihil etiam dulcius facere possumus. Quid enim dulcius, quam id in quo Deus totam suam ad nos ostendit dulcedinem? Sapient. XVI, 20 et 21 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Ecce quod in hoc sacramento totam ad nos suam ostendit dulcedinem. Et ideo sacramentum hoc, *mel* vocatur : quia et gustus corporis, et gustus sanguinis, mellitam propter deitatem habent dulcedinem. Psal. LXXX, 17 : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* I ad Corinth. X, 4 : *Bibebant de spitali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus.* Hæc enim adipem frumenti in pinguedine et dulcedine istius Sacramenti exhibuit. Quia sicut dicit Isaac in libro de *Diætis universalibus,* pinguis sapor, et præcipue sapor adipis, proximus est juxta dulcem, et amicus, et conveniens secundum natu-

ram. Melleum autem saporem petra hæc profundit in sanguine. Hoc significatum est, I Reg. XIV, 26 et 27, ubi dicitur, quod super faciem agri erat mel : ad quod cum extendisset Jonathas extremum virgæ quam manu tenebat, et gustasset, statim illuminati sunt oculi ejus. Ager enim, natura nostra est in Christo, super cujus faciem exaratam aratro passionis, et adæquatam disciplina flagellorum, et firmatam sputis Judæorum, et confossam spinis et clavis et lancea, fructus mellis apparuit : ad quem fructum quicumque Jonathas est, hoc est, filius columbæ, vel donum, hoc est, filius Spiritus sancti : si extendat rectam virgam, hoc est, justitiæ mensuram, quam semper manu præferre debet, haurit mel istud : et ad gustum spiritualem ipsius, oculorum cordis recipit illuminationem.

Nihil etiam salubrius injungi poterat. Est enim hoc Sacramentum ligni vitæ fructus, quem qui cum devotione sinceræ fidei sumit, mortem non gustabit in æternum. Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.* Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Hoc enim viaticum quod in salutem viatoribus est paratum. III Reg. XIX, 6 et 8 : *Ecce ad caput Eliæ subcinericius panis, et vas aquæ :... qui cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Elias robustus dominator, significat quemlibet in via Dei viatorem, quem robustum oportet esse et dominatorem, ne peccati servus efficiatur. Caput autem Eliæ est Christus, apud quod caput, panis iste sub cineribus passionum et exprobrationum decoctus, præsto semper invenitur. Vas autem aquæ quæ cum sanguine fluxit, et sacramentum istud, in quo populus, qui per aquam significatur, in Christum colligitur ut mixtus populus Christo, sicut aqua sanguini, cum Christo in hoc sacramento Patri offeratur. Et sic in fortitudine Christi, qui fortitudo cibi istius est, per totum tempus pœnitentiæ, quod per quadraginta significatur, ambulamus. Quadraginta enim suis partibus crescit in quinquaginta, qui jubilæus et remissionis et libertatis est numerus. Ad montem autem eminentiæ spiritus per hoc ascenditur, qui vocatur Horeb, quod *mensa* latine interpretatur : quia ibi mensa cœlestis refectionis habetur. Psal. XXII, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.*

Nihil etiam amabilius injungi potuit. Hoc enim sacramentum et amoris, et unionis est effectivum. Amoris enim maximi indicium est, seipsum dare in cibum. Job, XXXI, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus, ut saturemur ?* Quasi dicat : Tantum dilexi eos, et ipsi me, quod ego in visceribus eorum esse cupiebam : et ipsi me sic sumere, ut mihi incorporati membra mea fierent. Non enim intimius nec naturalius mihi uniri poterant, et ego eis. Et ideo dicit Hilarius in nono libro de *Synodis*, quod per hoc Sacramentum naturaliter in Deo efficimur, et ipse in nobis. Et sic verificatur quod dicitur, Joan. XVII, 21 : *Tu, Pater, in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint.* Sic ergo unionis nostri cum capite est effectivum : ut corpori incorporati simus ad sacramentorum communionem : sanguine suo infusi, ad intimorum nostrorum aspersionem : aqua cordis sui abluti, ad conscientiæ emundationem : anima sua redempti, ad perfectam cum Deo Patre reconciliationem : Spiritu sancto suo vegetati, ad omnis spiritualis vitæ deperditæ restaurationem : et deitate sua consummati, ad omnis virtutis perfectionem. Et sic sibi optime sumus uniti, ad perpetuam in ipso mansionem. Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Hoc igitur est summi amoris indicium : quia amor, ut beatus dicit Ierotheus, unitiva est virtus. Unde, Joan. XIII, 1 : *Cum dilexisset suos*

qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et hoc dictum est in cœna corporis et sanguinis sui, in qua nos, sicut dictum est, sibi univit, ut nos ad suam, ut Hilarius dicit, converteret naturam et virtutem : et sic nos in ipso Patri offerret.

Nihil etiam æternæ vitæ similius injungi poterat. Æternæ enim vitæ continuatio ex hoc est, quod Deus sua dulcedine seipsum influit beate viventibus. Et hujus influentiæ istud Sacramentum est signum, ut dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia.* Unde, Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis : et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* Gloria enim gentium Deus est, quam sugentes in dulcedine perfecta, æterna vita potiuntur beati. Unde, Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Eccli. XXIV, 29 : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.*

« *Hoc* igitur *facite* » vobis utiliter, dulciter, salubriter, et amabiliter, « *in meam commemorationem.* » Si enim aliquis nos ad prandium olerum vocaret, ingratitudinis argueremur, si invitantis nos oblivisceremur. Qualiter ergo umquam præ confusione oculos ad ipsum audemus aperire, si istius obliviscimur, qui in cœna tot et tanta nobis exhibuit de se in seipso !

Est autem commemoratio Domini benefici in gratiarum actione, patientis autem in compassione, et abeuntis in desiderio consequendi.

De primo quidem dicit Apostolus, I ad Thessal. V, 18 : *In omnibus gratias agite.* Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Flumina enim gratiarum, per gratiarum actionem reflectuntur in Christum gratiæ omnis fontem : quia, Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

De memoria autem passionis dicitur, I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et ideo cum lacrymis seu lactucis agrestibus præcipitur comedi agnus [1], qui succus amarus est valde : eo quod amaricari debet cor nostrum, quod innocens Filius Dei pro peccatis nostris occisus est. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii, et fellis.* Et respondet Jeremias pro se et pro nobis, Ibidem, ℣. 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.*

Est autem memoriale Domini abeuntis, et est recordatio insequendi in desiderio. Et sic dicit Dionysius, quia in memoriam reducit nobis hoc sacramentum dominicam cœnam, in qua Petrus ad sequendum accenditur, ad detestandum proditorem omnes discipuli animantur, Joannes in somnum contemplationis resolvitur, solus Judas diabolo superadimpletur.

Petrus enim dixit, Joan. XIII, 37 : *Quare te non possum sequi modo ? animam meam pro te ponam.* Luc. XXII, 33 : *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire :* majus habens desiderium quam vires ad sequendum. Hoc ergo desiderium Petri in memoria tenere debet, qui sacramento Christi communicat. Turpe est enim Christum præcedere, et non sequi eos, qui jam per sacramentum sibi sunt incorporati.

De secundo autem dicitur, Joan. XIII, 25, quod omnes discipuli hæsitantes, Petro innuente Joanni, et Joanne interrogante, dixerunt : *Domine, quis est,* scilicet qui tradet te ? in magna detestatione habentes traditorem. Et similiter omnes dixerunt : *Numquid ego sum, Domine* [2] ? Et in hoc recordandum est, ne Dominum jam susceptum in cordis et corporis ho-

[1] Cf. Exod. XII, 8.

[2] Matth. XXVI, 22.

spitium, tradamusv ili pretio peccati : et nos ipsos semper examinemus, ne aliquid proditionis in nobis inveniatur. Ad Hebr. III, 12 : *Videte, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.* Ne cum Juda proditore communicemus, de quo dicit Christus, Psal. XL, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et præcipue ne Sacerdotes et Episcopi hoc facerent, qui sæpe vendunt sacramenta pretio Judæ et Simonis magi.

Cum Joanne autem resolvi debemus ad recumbendum in pectore Domini, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi : sicut dicitur, Joan. XXI, 20 : *Qui et recubuit in cœna super pectus Domini.* Signum enim pessimum est, si tam suavis cibus nullum in nobis operatur somnum contemplationis. Præcipue cum in cœna datum sit, in qua dantur obsonia, hoc est, cibaria ob somnum, sive propter somnum sumpta. Psal. CXXVI, 2 et 3 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*, etc. In signum hujus dixit discipulis, Matth. XXVI, 45 : *Dormite jam, et requiescite.* Psal. IV, 9 : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam,* hoc est, in pace refectionis et conscientiæ tendam in id quod semper est idipsum. Et sic somno contemplationis dormiam et requiescam.

20 « Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est calix. »

Hic tangit de sacramento sanguinis.

Notantur autem in hoc sacramento septem, quorum primum est divina institutio, quæ in omni sacramento locum habet : quia sacramentum non habet vim nisi a divina institutione. Secundum autem est temporis congruentia. Tertium, sacramenti propria materia. Quartum, novi testamenti dedicatio. Et quintum, in hoc sacramento res causata, et significata, et contenta. Sextum vero est hujus sacramenti proprius effectus. Septimum autem est summæ dilectionis signum.

De primo horum dicit :

« Similiter et calicem, »

Supple, accepit. Accepit autem ut institueret, et tactu suo vim transsubstantialitatis inchoaret. Ad hoc enim tactus ejus, sicut in præmissis diximus, ordinabatur. Sicut enim dicitur, Luc. VIII, 46, et Marc. V, 30, ad tactum ipsius, ipse cognovit virtutem de se exisse in omne quod tangit. Et sic egressa est virtus ejus in calicem per tactum ipsius. Et hoc prævidens in spiritu, Psal. LXXIV, 9, dixit : *Calix in manu Domini vini meri*, etc.

Per hoc igitur quod dicitur : « *Similiter et calicem* » quem accepit, virtus institutionis sacramenti significatur. Cum enim sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non debuit tantum offerre panem, sed debuit etiam offerre vinum. Sic etiam Patriarcha Jacob, Genes. XXVII, 25, postquam patri obtulit cibos, obtulit ei similiter et vinum.

Hæc igitur est causa institutionis hujus sacramenti. Sicut enim pane confirmatur cor hominis ad conscientiæ confortationem, ita etiam vino lætificatur cor ad gaudii æterni conceptionem. Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Et addidit : *Vinum lætificat cor hominis.* Hæc etiam duo sunt satisfacientia duobus naturalibus desideriis, scilicet fami, cui spiritualiter instituitur sacramentum corporis : et siti cui instituitur sanguinis sacramentum. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Unde his duobus respondet quod dicitur, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* In duobus enim ad nos maximam voluit ostendere charitatem, in operando scilicet, et patiendo. In operando autem maximum fuit, quod corpus suum dedit : in patiendo maximum, quod pro nobis sanguinem fudit.

Et ideo post corporis sacramentum, etiam sacramentum sanguinis instituit.

Quærunt quidam magis curiosi quam devoti, ex quo corpus sine sanguine non est, neque sanguis Christi est extra corpus suum, ad quid oportuit institui sacramentum sanguinis, postquam corporis sacramentum erat institutum?

Sed ad hoc dicimus, quod quamvis hæc duo indivisa sint secundum naturam, tamen divisos habent effectus : quia unum est ad incorporandum Christo ordinatum, ut nos in ipso, et cum ipso hostia Patri offeramur. Sanguis est ad ablutionem peccatorum. Unde dicitur, ad Hebr. IX, 22, quod *sine sanguinis effusione non fit remissio*. Genes. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.*

Et quod dicunt, quod corpus non est sine sanguine, neque e converso. Hoc verum est : sed tamen ex virtute sacramenti, sacramentalis sanguis non est in corpore : nec sacramentale corpus est in sanguine. Sed unum est in altero propter unionem naturalem unius ad alterum : quia scilicet sanguis non habet naturale receptaculum nisi in corpore, et corpus non habet naturalem infusionem nisi a sanguine. Ut igitur ex sacramento et sacramentaliter cœnam perfectam Christi habeamus, oportuit institui ut et sacramentaliter haberetur corpus, et sacramentaliter haberetur sanguis. Hæc igitur est causa et modus institutionis. Sic nos salvat Rex et Sacerdos noster de area et torculari : quod facere rex Samariæ non potest [1], per quem hæretici significantur. Matth. VI, 27 : *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* hoc est, corporis Christi dulcedinem ? Quasi dicat : Non.

« Postquam cœnavit. »

Ecce tempus institutionis. Prius enim est cœnandum, ut Christo incorporemur : et deinde sanguis sumendus, ut intimis nostris influat sanguis redemptionis. Sic enim fit in nobis, quod dicitur, Apocal. VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Sic enim Christus fuit per intima nostra nos ubique sanctificans. Psal. L, 9 : *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor.* Hyssopus enim herba est sanguinem purificans : et significat purum sanguinem Domini Jesu, qui nos mundat. Exod. XXIV,8, et ad Hebr. IX, 19,20, Moyses accipiens hyssopum, sumptum sanguinem respersit in populum, dicens : *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.*

Sic ergo post corporis institutionem, sanguinis sacramentum est institutum, et hac necessitate.

« Dicens : Hic est calix. »

Hic tangitur istius Sacramenti propria materia.

« *Hic est calix,* » hoc est, calida potio, quæ in potionibus simplicibus est vinum. Nec voluit Dominus aquam habere pro materia, quia insipida est : quod non competit maximi saporis sacramento. Nec voluit liquorem commixtum pro materia habere, sicut medonem, vel cervisiam, vel moretum, vel aliquid tale : quia non competit simplicitati, et sinceritati sacramenti : sed vinum quod calidum, cordis lætificativum, et corporis nutritivum : et calor quidem ipsius competit charitati : lætitia autem concepta, in corde æternæ jucunditati : nutrimentum autem restaurationi spiritus in refectione sapientiæ : intellectui maxime congruit et elevationi. Est præterea humidum in sitis exstinctionem, vaporosum in suavissimæ quietis operationem, et commune satis in omnium commoditatem.

De primo autem, hoc est, de calore charitatis dicitur, Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charis-*

[1] Cf. IV Regum, VI, 27.

simi. Charissimi enim tunc charitate, hoc vino calido inebriantur. Hoc vino charitatis est Dominus calefactus, quando sui obliviscens, præ amore se nobis tradidit : sicut Joseph inebriatus est coram fratribus suis [1]. Hoc calore immaduit Anna, quando seipsam excedens largiter flevit, petens a Domino magni Prophetæ petitionem [2].

De cordis autem lætitia dicit ipsa vitis, Judicum, IX, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?* In hoc enim vinum fortissimum est, ut dicitur, III Esdræ III, 10. Proverb. XXXI, 6 et 7, sic præcipitur vinum dari mœrentibus, ut suæ tristitiæ obliviscantur, hoc est, tristitiæ illius qua quilibet peccator desperaret, si eum dulcedo pretiosi sanguinis Christi, qui pro ipso fusus est, non lætificaret.

Refectioni etiam hoc sacramentum congruit : quia inter magis reficientia est vinum dulce rubeum, ut dicit Avicenna. Sic enim Christus assimilat se pelicano solitudinis, de quo inter cætera dicitur, quod pullos suo sanguine nutrit, et vivificat, et format. Joan. VI, 56 : *Sanguis meus vere est potus.* Magis enim potu nutrimur, quamdiu sumus parvuli in Christo. Lac etiam, de quo Sancti loquuntur, quod est nutrimentum fidelium parvulorum de sanguine formatur, et per ubera sanguinis colatus ad bibendum sanguis est. Et hoc modo facit nobis Christus. Et ideo ipse est terra lacte manans et melle : lacte in sacramento sanguinis, et melle in mellea dulcedine sacramenti ejusdem. Cantic. V, 1 : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Hæc enim omnia idem sunt. Favus enim est sanguis in corpore, sicut mel in cera. Mel autem dulcedo sanguinis eliquata. Vinum autem sanguinis sub sacramenti specie. Lac autem completus sanguis ad nutrimentum.

Hoc vinum est humidum in sitis exstinctionem. Et ideo dicitur, Proverb. IX, 5 : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Vinum enim mixtum est sanguis Christi cum populo : sicut etiam sanguis mixtus aqua de latere fluxit. Et tale vinum melius sitim refrigerat. Hoc modo dicit, Isa. LV, 1 : *Emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.* Jam enim diximus, quod gratis datur sacramentum, et quod lac est eliquatio sanguinis, et quod vinum est sanguis sub specie sacramenti. Et sic etiam aqua miscetur in calice tanta, quanta converti possit a vino, ut in saporem vini transeat, et non vinum ad saporem aquæ convertatur : quia, Joan. II, 7 et seq., Christus convertit aquam in vinum, hoc est, populum insipidum in saporem divinum : non autem vinum corrupit in aquam.

Hoc vinum est vaporosum in suavissimæ quietis resolutionem. Unde et sponsa quæ dormit sic quod cor suum vigilet [3], se dicit esse introductam in cellam vinariam : cujus vini vapore in quietæ contemplationis somnum resolvatur. Et ideo sponsus dicit, ibidem, III, 5 : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Filiæ quidem Jerusalem sunt fideles, aliquando necessitatibus suis contemplationi deditos pulsantes, et curis suis inquietantes. Hi adjurantur per capreas, hoc est, limpidæ veritatis visiones : quia caprea limpide videt : et cervos, hoc est, gaudiorum saltus in campis spiritualis libertatis, ne suscitetur dilecta, donec ipsa de tam dulci somno ad seipsam revertatur.

Hoc etiam vinum commune satis est in omnium commoditatem : quia non ubique quidem vites sunt, sed tamen vinum facile vehitur ad totum orbem terrarum. Et ideo de communi satis habetur

[1] Cf. Genes. XLIII, 34.

[2] Cf. I Regum, I, 10 et 11.

[3] Cantic. II, 4.

materia. Et ideo de vinea Domini quæ mundum operit, dicitur, Psal. LXXIX, 11 et 12 : *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus :* quia hoc sacramentum in totum terrarum orbem est diffusum, sicut et Christi sanguis pro omnibus est fusus, et omnibus infusus.

« Novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. »

Ecce novi testamenti dedicatio, in quo Deus nobis suam confirmavit hæreditatem, testamento sui sanguinis legatam. Vetera enim transierunt, sicut supra dictum est. Et in signum hujus in die cœnæ deteguntur et lavantur altaria, quasi innoventur a veteribus, et ad nova sacramenta præparentur. Isa. XXVI, 3 : *Vetus error abiit.* I ad Corinth. V, 8 : *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, et veritatis.* Et, ibidem, ℣. 7 : *Ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Hæc autem innovatio per sanguinem Christi facta est. Ad Roman. VI, 4 : *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus :* innovati novo sanguine Jesu Cbristi, et abstergentes sanguinem hircorum et vitulorum, et ea quæ in antiquorum pecorum sanguine immolabantur. Ad Hebr. IX, 11 et 12 : *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis : neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.* Et hoc est quod dicit quinto.

« In sanguine meo. »

Per quod notat rem significatam, et causatam, et contentam in sacramento, quæ est verus Christi sanguis, quo sacramentaliter intima conscientiarum nostrarum perfunduntur. Apocal. I, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo.* Efficax enim ablutivum est sanguis, in quo est virtus deitatis, cui conscientiarum sordes resistere non possunt. Ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel :* quia sanguis Abel clamavit vindictam, et sanguis Christi perfectam remissionem.

« Qui pro vobis fundetur. »

Et hic notatur hujus sacramenti proprius effectus. Pro nobis enim qui tradi meruimus, tradetur sanguis Christi ut nos liberemur. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Et ideo dicitur *sanctificatus*, secundum etymologiam quasi sanguine tinctus. Ad Hebr. X, 28 et 29, gravis comminatio ponitur ei, qui sanguinem sanctificationis, inquinatione secundarum sordium per reditum ad peccatum, ducit pollutum, sic : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quasi dicat : Multo majora meretur ille supplicia quam mortem temporalem.

Hoc etiam est maximi amoris signum. Quamvis enim in magnifico dono quo dedit seipsum, magni amoris sit signum, tamen in patiendo, et sanguinis effusione magis est difficultatis. Et ideo dicit, Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Constat autem quod sedes animæ secundum legem in sanguine est. Et ideo sanguinis effusio maximi amoris signum est. Propter

quod etiam, Exod. XII, 22 et 23, postes fidelium sanguine rubricari præcipiuntur : ut signo divinæ dilectionis in eis apparente, exterminator in eis non habeat potestatem.

Hoc est igitur quod dicit.

21 « Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa.

22 Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit : verumtamen væ homini illi per quem tradetur.

23 Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. »

Hic caute tangit proditoris revocationem.

Habet autem duas partes : in quarum prima facit quod dictum est : in secunda autem, de hoc inter discipulos non sibi de tanto scelere conscios, oritur quæstio.

In primo horum tria dicuntur : in quorum primo, per dulcem cibum quem ministrat, et per deitatem qua secreta cordis dijudicat, proditorem ad pœnitentiam revocat : in secundo autem, se a redemptione generis humani propter proditionis horrorem ostendit non deficere, vel desistere : in tertio, per comminationem iterum revocat proditorem.

Dicit igitur :

« *Verumtamen.* » Quamvis ego tanta signa dilectionis ad vos ostendam, « *verumtamen,* » hoc est, sed adversa vice dico vobis, « *quod manus tradentis,* » non curantis de amore ostenso, et econtra inimicitias agentis, « *mecum est in mensa,* » accipiens cibum in hac mensa majori, quam vobis duodecim præparavi. Psal. LIV, 15 : *Qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Et ex hoc videtur quod Christus Judæ dederit suum corpus. Et hoc quidem concedit Hilarius. Sed alii contradicunt : sed dicunt quod porrexit ei buccellam intincti panis in vino. Et quia tunc Christus comedit cum discipulis de eadem cœna, dicunt quod etiam Christus tunc sumpsit corpus suum. Et hoc concedit Chrysostomus : et hoc videtur mihi esse veritas. Et significavit per hoc quod ipse sibi suum mysticum corpus incorporaret. Unde, ad Hebr. II, 14 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium.* Et significaverunt hoc antiqui tali versu :

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena :
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

Si etiam quæritur, Utrum Christus tunc exhibuit corpus suum mortale et passibile, sicut tunc habuit, quare inter dentes masticatus nihil doloris passus fuit? Si autem exhibuit impassibile, tunc tale exhibuit quale non habuit : et ita in sacramento veritatis finxit. Quod est valde inconveniens.

Responsio. Ad hoc dicendum, quod tunc suum corpus quale tunc fuit, exhibuit passibile et mortale : sed exhibuit ut integrum et simplicem cibum. Et ideo masticatio (quæ est quædam fractio) non in corpore, sed in formis quæ corpus circumstant, fuit. Et ideo Christus non dividebatur, sed integer totus sub qualibet particula sumebatur. Et sic etiam nunc masticatur, et masticari debet : quia masticatio sacramentale signum est frequentis reditus super cibum qui sumitur.

Sic ergo, « *manus tradentis me mecum est in mensa.* » Sic, heu! hodie frequenter est, cum mali sacerdotes et alii mali huic sacramento communicant. Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Justi enim sumunt et sacramentaliter et spiritualiter : et ideo sumunt ad peccatorum propitiationem, et incorporantur Christo. I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis*

nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. De indigne autem sumentibus dicitur, I ad Corinth. XI, 27 : *Qui manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

« Et quidem Filius hominis vadit, »

Hoc est, ad patiendum pro redemptione hominis procedit et proficit. Joan. XIV, 31 : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.*

Non dubium quin eat ad Passionem « *secundum quod est definitum est* » a Patre Deo, ad cujus diffinitionem omnia fecit. Unde, ad Philip. II, 8 : *Factus obediens,* scilicet Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et ideo Passio mea Deo gratissima est et accepta, quamvis actio traditoris et occidentium displiceat. Unde versus :

Actio displicuit, Passio grata fuit.

« Verumtamen væ homini illi, etc. »

Et ideo « *væ* » æternæ damnationis, « *homini illi per quem tradetur.* » Matth. XXVI, 24 : *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Matth. XVIII, 7 : *Necesse est ut veniant scandala, verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.*

« Et ipsi, »

Scilicet discipuli, « *cœperunt quærere inter se,* » non sibi de tanto crimine conscii, « *quis esset ex eis* » duodecim, « *qui hoc esset facturus.* » Dicit autem Chrysostomus, quod maxime Petrus hoc quærebat. Habebat enim intentionem illum occidendi, sed Christus impedire voluit : et ideo Petro non indicavit. Unde, Matth. XVI, 22 et 23, dixit Petrus : *Absit a te, Domine non erit tibi hoc.* Et Christus respondit : *Vade post me, Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt.*

« Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. » 21

Hic incipit istius capituli secunda pars, quæ est de confortatione discipulorum.

Dicuntur autem hic tria : in quorum primo communis confortatio ponitur contra elationem : in secunda autem parte, ponitur confortatio principis Apostolorum contra dæmonis tentationem : in tertia autem, confortantur omnes communiter, quod consilio humano utantur contra Judæorum persecutionem.

In harum partium prima duo sunt : in quorum primo contentionis ponitur occasio : in secundo autem, communis ponitur confortatio.

In primo horum duo tanguntur : contentio, et contentionis materia.

Dicit igitur quod

« *Facta est contentio.* » Ex hoc enim quod quemdam de proditione suspectum habebant, et ex hoc quod Christus secum tres in monte transfigurationis assumpserit, suboriebatur contentio, quod quidam erunt ampliori honore digni, et quidam magis despiciendi.

Cum autem dicat Ambrosius, quod « contentio est impugnatio veritatis cum « confidentia clamoris : » sic non sumitur hic contentio : sed dicitur contentio, quia simul tendebant certatim ut honore invicem prævenirent : eo quod quilibet alium sibi secundum doctrinam Domini præferebat, et alter illum honorem sibi exhibitum refutabat, et convertit eum in eum qui se honorabat. Et hoc modo exponit Ambrosius. Ad Roman. XII, 10 : *Honore invicem prævenientes.* Ad Roman. XIII, 7 : *Reddite omnibus debita : cui honorem, honorem.*

Sed ista expositio non videtur conveniens : quia cum hoc bonum sit, superflue Christus hoc in Apostolis correxisset. Et ideo consentiendum est Chrysostomo, qui dicit quod aliquid humanum in hac contentione passi sunt Apostoli, et de aliqua elatione dignitatis in conspectu Christi tentati. Videntes enim quosdam assumi, notari etiam aliquem de proditione, cupiebat quilibet eorum apud Christum major esse, ne de tali scelere notaretur. Sic mater filiorum Zebedæi, Matth. xx, 21, quæ dixit : *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.* Cæteri autem Apostoli indignati sunt de duobus : quia talia de se præsumerent, et ad petendum pro se matrem incitassent. Propter hoc etiam Dominus redarguit duos illos, quia mater eorum talia pro eis petivisset.

Talis igitur « *contentio facta est inter eos.* »

« Quis eorum videretur esse major. »

Quod autem hic minus dicitur, Matth. xviii, 1, suppletur. Ubi dicitur, quod *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum?* Hæc est enim contentionis eorum materia. Putabant enim regnum cœlorum illico esse inchoandum, sicut in præhabitis dictum est : et in regni illius claritate putabant aliquos aliis esse præferendos. Et ideo de dignitate temporali non litigabant : quia nec in illa regem suum videbant excellere : sed de dignitate regni cœlorum, quod statim putabant per virtutem apertæ justitiæ inchoandum. In hoc autem regno major est, qui in oculis suis minor est. Matth. xi, 11 : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, qui inter natos mulierum major fuit. Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Et hoc etiam per exemplum videbant in Magistro.

« Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. **25**

Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator. » **26**

« *Dixit autem eis,* » Christus discipulis. Revocat autem eos ab errore isto per tria : per dissimilitudinem principatus terreni et cœlestis, per exemplum sui, et per æqualitatem suæ vocationis ad Apostolatum.

De primo dicit tria : primo, in terrenis principantes describit : secundo, dissimilitudinem suorum ad illos ponit : tertio, quales sui esse debeant instruit.

Adhuc autem, In primo horum duo tangit : dominationem regentium, et potestatem beneficorum.

De primo dicit :

« Reges gentium. »

Hoc est, qui secundum jura Gentium, quæ tamen a Deo sunt, « *reges* » sunt, hoc est, qui alios, leges utiles et honestas condendo, regunt : quia si aliter facerent, non reges sed tyranni vocarentur.

Illi ergo tales reges « *dominantur eorum,* » hoc est, dominium exercent superpositionis in eos. Dominus enim cum severitate coercet subditos. Psal. ii, 9 : *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Isa. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.*

« Et qui potestatem habent super eos. »

Jure ordinatam per gladium coercendi malos ad laudem bonorum, « *benefici vocantur,* » quia ad litteram multis benefaciunt. Tamen quædam Glossa dicit : « Qui potestatem habent largiendi, be-

nefici vocantur. » Sed hæc expositio non consequens est, neque ad præcedens, neque ad sequens. Unde præcedens tenenda est. Ad Roman. XIII, 4 : *Non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Sic enim regnum Gentium confortatur in timore. Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.*

« Vos autem non sic. »

Hoc enim in principio Ecclesiæ fieri non potuit, quam in humilitate et charitate fundari oportuit, et non in dominio et fastu regali. I Petr. V, 3 : *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Postea autem confortata Ecclesia, cum mali in ea multiplicarentur, tunc oportuit redire ad regalem et dominalem timorem, ut mali comprimerentur.

Et hoc est quod dicit : « *Vos autem,* » Ecclesiæ fundatores, « *non sic.* »

« Sed qui major est in vobis, »

Potestate spirituali, « *fiat sicut minor,* » qui ad nullam eligitur potestatem : quia, sicut dicit Philosophus : « Nemo elegit juvenes duces : quia non constat eos esse sapientes. » Matth. XVIII, 4 : *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum :* quia ille magis est ad fundandum Ecclesiam idoneus. In primitiva enim Ecclesia non curabatur multum de potestate, sed omnes ad humilitatem et charitatis exempla respiciebant. Et hoc etiam voluit Dominus quando dixit, Matth. XI, 29 et 30 : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde... Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Nihil enim levius est quam in humilitate et mansuetudine gubernare subjectos, quamdiu tempora hoc patiuntur. Statim autem quando multitudo malorum cogit cum severitate et austeritate procedere : tunc sicut et Moysi res intolerabilis esse videbatur [1], ita efficitur etiam prælatio Ecclesiæ intolerabilis : nisi aliquis fastu delectatus velit tolerare, vel forte fovere malos : sicut faciunt prælati nostri temporis qui magis vicem habent Sardanapali [2], quam vicem Jesu Christi.

« Et qui præcessor est, »

Gradu prælationis : quia exemplum debet præbere et viam ostendere. Et respondit ei quod ante dixerat : *Qui potestatem habent inter eos.* Præcessores enim sunt in Ecclesia, qui potestatem habent Ecclesiasticam. Illi enim in omni persecutione primi præcedunt ad martyrium. Et illi sunt qui ad omnes bonos præcedunt ad exemplum.

Et ideo dicit : Sit « *sicut ministrator.* » I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Numer. VIII, 26 : *Erunt Levitæ ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata.*

« Nam quis major est, qui recumbit, 27
an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. »

Hic seipsum hujus doctrinæ ponit exemplum.

Et duo facit circa hoc. Primo enim recumbentis et ministrantis circa hono-

[1] Cf. Numer. XX, 1 et seq.

[2] Iste Sardanapalus fuit ultimus rex Assyriorum, et voluptuosissimus, qui inventus est a vasallis suis inter mulieres in habitu earum, et nens : propter quod indignati sibi, conspiraverunt contra eum : quod sentiens, finaliter seipsum concremavit (Nota edit. Lugd.)

rem exteriorem ponit commune judicium : secundo, seipsum perfectæ humilitatis ponit exemplum.

Dicit igitur : « *Nam quis major est,* » judicio hominum fastum exteriorem attendentium, « *qui recumbit,* » sicut dominus, « *an qui ministrat,* » sicut famulus ? Et constat quod in omnibus præfertur dominus ministro.

Et hoc est quod dicit : « *Nonne qui recumbit,* » supple, est major judicio sæculi ?

« Ego autem in medio vestrum sum, »

Ut unusquisque ad me habeat respectum. Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.*

« *Sicut qui ministrat.* » Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Sic enim, ut diximus, oportuit fundari Ecclesiam : quamvis jam fundata et multiplicata non ita possit gubernari. Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Luc. XII, 37 : *Præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.*

28 « Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. »

Hic suadet idem ab æqualitate vocationis.

Et tangit quatuor : primum est vocatorum meritum : secundum autem, in gloria regni vocatorum præmium : tertio, tangit eum quem percipient in bonis regni fructum : quarto, subjungit illum quem habebunt in potestate judiciaria honoris cumulum.

De primo, sicut gratus Dominus dicit se acceptasse virtutis discipulorum obsequium : et circa hoc dicit quinque : quorum primum est, quod signanter obsequentes sibi discernit, cum dicit : « *Vos estis.* » Quasi dicat : Non alii tales sunt. Zachar. III, 8 : *Audi, Jesus, sacerdos magne, tu et amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.* Magna enim portendunt viri quos signanter Jesus sacerdos magnus ab aliis discernit, dicens : « *Vos estis.* » Joan. XV, 15 : *Vos dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.*

Secundo autem, perseverantiam in fide de ipsis subjungit, cum dicit : « *Qui permansistis.* » II ad Timoth. II, 19 : *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc.* Non enim sunt de illis de quibus dicitur, Eccli. VI, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanet in die necessitatis.*

Tertio, dicit sui associationem, quando dicit : « *Mecum.* » Cum Christo enim est, qui sibi in omnibus consentit, et adjutor suus in bello contra diabolum existit. Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?* I. Paralipom. XII, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.*

Quarto, notat obsequii difficultatem, cum dicit : « *In tentationibus* : » quia in magnis persecutionibus tentationum permanere est difficile. Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Sapient. III, 5 et 6 : *Invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos.*

Quinto, addit hoc quod est pleni amoris indicium, cum dicit : « *Meis.* » Tentationes enim Sanctorum reputat suas esse. Zachar. II, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Act. IX, 4 et 5 : *Quid me persequeris ?... Ego sum Jesus, quem tu persequeris.*

29 « Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, regnum. »

Hic tangit in gloria regni vocatorum præmium.

« *Et ego,* » cujus est ex hæreditate, « *dispono,* » omni jure testationis, « *vobis,* » qui sic mecum permansistis, « *regnum* » mei principatus, et mei decoris. Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Ad Coloss. i, 13 : *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Et ideo non oportet hic multum contendere de principatu : quia de humilitate suscitantur regni mei principes. I Reg. ii, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem : ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.*

Eo autem jure dispono vobis regnum, « *sicut mihi Pater meus,* » per naturam, « *disposuit.* » Joan. i, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Ut sicut ego hæres sum per naturam, ita vos sitis hæredes per adoptionis gratiam. Ad Roman. viii, 16 et 17 : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem, filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

30 « Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. »

Hic tangit eum quem percipient in bonis regni fructum.

Tangit autem duo : refectionis videlicet fructum, et sessionis dignitatem.

Refectio autem est in duobus, secundum duos naturales appetitus.

De primo dicit : « *Ut edatis.* » Comestio autem est in dulcedine divinæ fruitionis et bonitatis. Psal. lxvii, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Psal. lxiv, 5 : *Replebimur in bonis domus tuæ.* Jerem. xxxi, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine, et populus meus bonis meis adimplebitur.*

« *Et bibatis,* » in potu sapientiæ. Et hoc est secundum desiderium naturale. Comedent enim de fructu bonitatis, et bibent de liquore limpissimæ veritatis et æternæ jucunditatis. Isa. xxv, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, et vindemiæ defæcatæ.* Psal. xxxv, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

« Super mensam meam in regno meo. »

Ecce discubitus honoris. Dicitur autem mensa plena et ornata, exhibitio deitatis ad fruendum. Psal. xxii, 2 : *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Psal. lxxvii, 20 : *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ?*

« Et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. »

Hic tangit illum quem in judiciaria potestate habebunt honoris titulum.

« *Et sedeatis,* » ut judices. I ad Corinth. vi, 2 : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ?* Psal. cxlix, 9 : *Ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

« *Super thronos* » regales duodecim, hoc est, in mentibus omnium judicandorum, qui per duodenarium intelliguntur : quia duodenarius habet decalogum præceptorum, et duo mandata dilectionis, per quæ decalogus impletur. Apostoli igitur resultatione doctrinæ suæ in mentibus judicandorum sedebunt : et per ipsam doctrinam in mentibus judicandorum depictam discernent, qui et quare salventur, qui et quales damnentur. Psal, cxxi, 5 : *Illic sederunt sedes in judicio.*

« *Judicantes,* » per doctrinæ illuminationem, « *duodecim tribus Israel,* » hoc est, universitatem salvandorum, et damnandorum. Omnes enim illi ad salutem vel ad damnationem judicabuntur per splendorem doctrinæ Apostolicæ in conscientiis uniuscujusque. Matth. XIX, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

31 « Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum :

32 Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. »

Hic tangit specialiter principis Apostolorum confortationem.

In hac autem parte duo facit. In primo quidem Satanæ tentationem, qui jam potestatem tentandi accepit, revelat in communi. Secundo autem, hujus ordinem prædicit in speciali.

In primo horum dicit tria : obtentam scilicet Satanæ tentandi potestatem, Petri contra Satanam per orationem Domini confortationem, et quod alios confirmans, tentatis exhibeat compassionem et consolationem.

De primo dicit : « *Ait autem Dominus : Simon.* » Qui ipse principalis fuit : et ideo sibi dicitur, ut per ipsum hæc confortatio ad alios ordinate derivetur. Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.*

« *Simon.* » Per nomen vocat, ut sciat se esse gratiæ specialis. Exod. XXXIII, 17 : *Invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine.*

« *Ecce.* » Quasi in evidenti est, quia jam per apertam malitiam traditoris exercet malitiam, « *Satanas,* » qui saluti adversatur. Zachar. III, 1 : *Satan stabat a dextris Jesu, ut adversaretur ei.*

« *Expetivit vos,* » hoc est, tentandi potestatem jam in vos a Deo obtinuit. Unde, Job, I, 11, dixit Satan ad Dominum : *Extende paululum manum tuam,* hoc est, da mihi potestatem tentandi non restrictam.

« *Ut cribraret,* » hoc est, purgaret. Et hoc quidem non est de intentione Satanæ, qui semper præcipitare intendit, non purgare. Et ideo, *ut,* consecutivum est : quia ad tentationem suam sequitur purgatio, quamvis non intendat.

« *Sicut triticum,* » a quo per cribrum sordes et paleæ separantur. Et ita separatus fuit proditor ab aliis. Eccli. XXVII, 5 : *Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis,* hoc est, angustia, *in cogitatu illius.* Amos, IX, 9 : *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro.* Et tunc quidem pulvis a palea ejicitur, et triticum reservatur. Matth. XIII, 30 : *Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.*

« Ego autem, »

Quem Pater in omnibus exaudit. Ad Hebr. V, 7 : *Exauditus est pro sua reverentia.* Joan. XI, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis.*

« *Rogavi pro te.* » Joan. XVII, 11 : *Pater, serva eos quos dedisti mihi de mundo.*

« *Ut non* » finaliter « *deficiat fides tua.* » Hoc argumentum efficax est pro sede Petri et successore ipsius, quod fides ejus non finaliter deficiat. Nahum, I, 15 : *Non adjiciet ultra ut pertranseat in te Belial : universus interiit.*

« *Et tu,* » ergo jam tentatus et expertus infirmitates subditorum, « *aliquando,* » post tentationem, « *conversus,* » iterum ad me post negationem, « *confirma fratres tuos* », in tentatione laborantes. Ad hoc enim utilis erit tibi casus. Eccli. XXXIV, 9 : *Qui non est tentatus, quid scit ?* Ad Hebr. II, 18 : *In eo enim*

in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis qui tentantur, auxiliari. Expertus ergo teipsum, confirma alios. Apocal. III, 2 : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.*

Et attende quod conversus, confirmat. Non conversus enim, sed adhuc negans Christum opere, vix potest confirmare, quia non creditur sibi. Eccli. XXXIV, 4 : *Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur?*

33 « Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.

34 Et ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. »

« *Qui dixit ei,* » Petrus scilicet Domino.

Et tanguntur hic duo : inexperta Petri præsumptio, et Domini ad cautelam negationis futuræ prædictio.

Dicit igitur Petrus : « *Domine,* » quem solum elegi sequendum. Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.*

« *Tecum paratus sum,* » non quidem virtute, sed desiderio. Psal. CXVIII, 60 : *Paratus sum, et non sum turbatus.* Psal. LVI, 8 : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.*

« *Et in carcerem,* » qui est acerbior captivitatum, « *et in mortem ire,* » quæ est acerbior pœnarum. Matth. XXVI, 35 : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

Sed hic oritur quæstio triplex de littera. Una est, quia si Petrus Domino credidit, casurum se præscivit : et sic contrarium asserere non debuit. Secunda, quia si Petrus a Domino quæ dicta sunt audivit, tunc Deus casum Petri sibi revelavit : et sic in tristitiam dejecit : et hoc non videtur pietati Domini convenire. Tertia quæstio est, quia si Petrus Dominum negavit, in pristinum gradum honoris Petrus restitui non debuit. Unde, I Esdræ, II, 62, ubi sacerdotes non invenerunt suæ genealogiæ scripturam, ibi dicit Glossa : « Si mi- « nistri altaris in nefanda flagitia ceci- « derint, non sunt digni quod ad sacrum « gradum restituantur. » Ergo et Petrus post negationem restitui non debuit.

Dicendum autem ad primum, quod Petrus Christo in omnibus credidit : sed quia Christus multa comminando, multa etiam figurative dicebat, ideo hoc quod Dominus dixit absolute, de futuro dictum non contulit : et ideo non ex hoc se negaturum præsumpsit.

Ad secundum dicendum, quod in veritate, hoc quod futurum fuit, Christus revelavit. Et quia non finalis fuit Petri casus, ideo ad cautelam revelari potuit et debuit.

Ad tertium dicendum, quod Petri negatio non ex malitia, sed ex infirmitate processit, neque diu permansit : et ideo restitui potuit. Non enim dicitur divertisse qui cito redivit.

« At ille dixit : Dico tibi, Petre. »

Assertionem præmittit, et nomen : ut sciat, et Deum esse qui futura cognoscit, et non finaliter abjiciendum qui nomine proprio designatur.

« *Non cantabit hodie gallus,* » id est, gallicinium non perficiet. *Hodie* autem dicit pro die naturali. Unde, Marc. XIV, 30 : *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Job, XXXVIII, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam?* Et ad litteram ita fuit, quod ante primum galli cantum Petrus negavit, et post primum galli cantum bis negavit : et postea gallus secundum cantum dedit, ut suæ infirmitatis conscius non præsumeret, et in seipso inveniret in quo aliis compateretur. In hoc ergo confirmatio Petri perficitur.

« Et dixit eis :

35 Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36 At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.

37 Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me : Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.

38 At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis : Satis est. »

Hic confortatio discipulorum ponitur contra mala mundi.

Et dicuntur hic tria. Primum est, quod primæ missionis sive defensionis factæ facit mentionem. Secundum autem est, quod pro diversitate temporum circa illam missionem facit mutationem. Tertium autem, quod hujus mutationis assignat necessitatem.

Dicit igitur : « *Quando misi vos sine sacculo* [1], » temporalis subsidii, qui ad æris et pecuniæ pertinet portationem, « *et pera,* » in qua edulii afferretur adminiculum, « *et calceamentis,* » in quibus magnus est decor ostentationis pedum. Hæc enim omnia jam in præhabitis exposita sunt [2].

« *Numquid aliquid defuit vobis ?* » quia tunc dicebatur : *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis* [3]. Chrysostomus tamen dicit, quod inopem et nudum neque centum spoliare possunt.

« At illi dixerunt : Nihil. »

Cujus causa supra assignata est : quia tunc ad eos mittebantur qui apud se habebant decimas, ex quibus pauperes recipiebantur : et adhuc discipuli non erant odiosi : neque odiosum erat adhuc nomen Christi quod prædicabant. I ad Corinth. IX, 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Quod autem dicit : « *Sine calceamentis,* » Hieronymus dicit quod Plato dixit duas corporis summitates non esse velandas : nec assuetam debere fieri capitis mollitiem, et pedum : cum hæc duo a natura habuerint firmitatem, et cæteris sint robustiora : maxime in terra in qua frigus non est intensum, nec lutum pedes inquinans. Hac igitur de causa tunc illa inhibuit, ne ad superfluitatem de his curare viderentur.

Sed quia pro varietate locorum et temporum ista varianda sunt, ideo subjungit :

« Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, »

In quo expensas pecuniæ deferat, « *tollat similiter et peram* » in qua victualia comportet : quia ire oportet ad homines in quibus odiosi eritis : et sæpe latere oportet in desertis et antris, in quibus non habetis comedere, nisi in peris vobiscum cibum comportetis. Ad Hebr. XI. 37 et 38 : *Egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.*

Et similiter dicit de armis defensionis :

« Et qui non habet, »

Scilicet gladium. In quo notatur quod

[1] Cf. Matth. X, 9 et 10 ; Luc. IX, 3.

[2] Cf. Enarrat. in Matthæum, X, 9 et 10. Tom. XX novæ editionis nostræ Opp. B. Alberti. Cf. adhuc enarrationes in Lucam, IX, 3. Tom. XXII ejusdem editionis.

[3] Matth. X, 5.

qui habet, potest tollere gladium : « *et qui non habet* » unde se defendat undique impugnantibus hostibus, et quærentibus animas vestras, « *vendat tunicam suam, et emat gladium.* »

Est autem mirabile quia jubet emere gladium : et gladium habitum et exutum jubet in vaginam converti. Matth. XXVI, 52 : *Converte gladium tuum in locum suum.* Sed ad hoc respondet Ambrosius, quod jubet emi gladium, ut sit parata in Ecclesia defensio, cum opus fuerit : sed tamen fundatores Ecclesiarum, quamdiu prævalet iniquitas, magis patientia quam armis præcipit pugnare. Et ideo et gladium in Ecclesia vult esse, et non pugnare : quia defensionis potestas apud Ecclesiam est, et tamen gladius non evaginatur, nisi postquam Ecclesia jam fundata et dilatata, severitatem cogitur exercere contra malos. Quidam tamen exponunt de gladio spiritus, qui est verbum Dei. Sed hoc nihil est : quia iste non est intellectus litteralis.

Horum autem quæ dicta sunt subjungit necessitatem, dicens :

« Dico enim vobis, etc. »

Et tangit hic duo : causam necessitatis eorum quæ dicta sunt, et approbationem prælationis duorum gladiorum.

De primo dicit : « *Quoniam adhuc hoc quod scriptum est,* » hoc est, quod adhuc scriptum est : quia multa jam sunt impleta : et ea quæ restant adhuc necessario erunt implenda. Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.*

« *Oportet impleri in me.* » Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

« Et cum iniquis deputatus est. »

Hoc enim scriptum est, Isa. LIII, 12, quia inter latrones crucifixus est : et sicut iniquus extra civitatem eductus Joan. XIX, 17 : *Bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.*

Hoc enim est potissimum de scriptis. « *Etenim ea* » scripta « *quæ sunt de me,* » scripta « *finem habent,* » hoc est, jam in fine sunt et consummatione. Unde, Joan. XIX, 30 : *Dixit : Consummatum est : et inclinato capite, tradidit spiritum.*

« At illi dixerunt, »

Discipuli videlicet ad Christum :

« Domine, ecce duo gladii hic, »

Hoc est, spiritualis et corporalis : quorum unum exerit Ecclesiæ minister, et pugnat cum eo : et hic est de quo dicitur, ad Ephes. VI, 17 : *Gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Alter autem est defensionis gladius materialis, in quo non pugnat, sed manus laica in ipso pugnat, quando præcipit Ecclesiæ minister : et uterque est in Ecclesia.

Et ideo sequitur :

« At ille dixit eis : Satis est. »

Quia quamvis in primitiva Ecclesia, prævalente iniquitate et infidelitate, non fuerit aliquis usus gladio illo, tamen, ut diximus, hoc præsidium in Ecclesia esse Christus voluit : sciens quod Ecclesia jam dilatata, sine gladio materiali gubernari non potuit. Ad Roman. XIII, 2 et seq. : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.*

« Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli.

Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem. »

Hic incipit tertia pars hujus capituli, in qua Evangelista determinat qualiter Christus ad locum venit suæ captivitatis et traditionis.

Dicit autem hic quatuor : in quorum primo dicitur qualiter Christus cum discipulis ad locum captivitatis devenit. Secundo, qualiter in illo loco oravit. Tertio, qualiter ab Angelo quemdam modum confortationis accepit. In quarto autem, qualiter discipulos ad orandum excitavit.

In primo tria facit : ipse enim ad locum venit, discipuli sequuntur, et ut orent exhortatur.

Dicit igitur :

« *Et egressus* » de civitate, ubi cœnam fecerat, « *ibat secundum consuetudinem* » suam, qua sæpe in nocte ad hospitium suum in Bethaniam declinabat. Et hoc est quod dicitur : « *Secundum consuetudinem* » suam, ut, Joan. XVIII, 1, dicit *trans torrentem Cedron, ubi erat hortus* quidam consitus olivis, in quem intrare causa orationis consuevit.

« In montem Olivarum. »

Hunc enim propter mysterium olei dilexit, quod quia lucet, significat lumen cognitionis : et quia fomentum est ignis, significat ardorem charitatis : et quia pascit, saporem dans cibis, significat fructum divinæ comprehensionis : quæ sunt tres animæ dotes in beatitudine. Oleum etiam enatat, et sic significat agilitatem corporis : ungit, et sic significat impassibilitatem : penetrativum est, et sic significat subtilitatem sive spiritualitatem : est etiam pervium valde et clarum, et sic significat claritatem : quæ sunt quatuor dotes corporis. Et ideo Christus dilexit locum et montem Olivarum præ cæteris.

« Secuti sunt autem illum »

Illuc usque « *et discipuli,* » significantes quod etiam in passionibus ad prædictas in oleo glorias oportet sequi Dominum. I Petr. I, 11 : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias.* Qui enim Christum sequitur ad montem Passionis, invenit in ipso oleum gloriosæ delibutionis. Isa. LXI, 3 : *Ut darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Sic enim, ut dicit Psalmus CIII, 15 : *Exhilarans faciem in oleo.* Sic Propheta magnus vasa vacua, hoc est, animas et corpora, oleo jubet impleri [1].

« Et cum pervenisset ad locum, »

In quo proditorem exspectare diffinierat. Quem quidem locum Matthæus, XXVI, 36, *Gethsemani* vocat : quia juxta villam sic vocatam erat.

« *Dixit illis,* » scilicet discipulis : « *Orate,* » pium affectum et intellectum totum in Deum dirigentes. Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

« *Ne intretis* » per gradus pec-cati, « *in tentationem,* » quia si intrabitis tunc cadetis. De hoc autem, Luc. XI, 4, dictum est multum, et Matth. VI, 13 [2]. Job, XXXVIII, 17 : *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, et ostia tenebrosa vidisti?* Causam autem reddit, Marc. XIV,

[1] Cf. IV Regum, IV, 3 et seq.

[2] Cf. Enarrationes in hæc loca, Matth. VI, 13. Tom. XX novæ editionis nostræ Opp. B. Alberti. Cf. etiam, Luc. XI, 4. Tom. XXII. Cf. adhuc, Matth. XXVI, 41 et Marc. XIV, 38. Tom. XXI.

38, quia *spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.*

41 « Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis : et positis genibus orabat,

42 Dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. »

Hic quatuor docet suo exemplo, scilicet, quod oratio sit secreta, cum reverentia, et in tempore necessitatis cum instantia, et ratione ordinata.

De primo dicit : « *Et ipse avulsus est ab eis,* » quia in oratione etiam ab intimis est recedendum. Genes. XXII, 5 : *Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, cum adoraverimus, revertemur ad vos.* Matth. XXVI, 36 : *Sedete hic, donec vadam illuc et orem.*

« *Quantum* » spatium « *jactus est lapidis,* » ut eum gementem et rugientem non audirent. Ad Hebr. V, 7 : *Preces cum clamore valido et lacrymis offerens.* Psal. LXVIII, 4 : *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Dicit tamen Glossa quædam, quod lapis est legis duritia, quæ jactata est per directionem in ipsum : quia testimonium ei ferebat. Sed hoc est allegorice.

« Et positis genibus, »

Ut cum reverentia orandum esse doceret. Ad Ephes. III, 14 et 15 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur.* Flectit enim genua : de quo, ad Philipp. II, 10, dicitur, quod *in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

« Orabat, dicens. »

Ostendens quoniam tempore necessitatis post humanum consilium ad orationem est recurrendum. Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* Jacob. V, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.*

« Pater, si vis, »

Quia voluntati Patris supponenda est voluntas nostra.

« *Transfer.* » Infirmitatis naturæ indicat veritatem. Hoc est, si aliter vis convenienter salvare genus humanum, tunc « *transfer.* »

Vel, « *transfer,* » ita quod non diu stet fundatus in me, sed cito transeat : ne et ego diu sim in pœnis, in morte, et ne redemptio humani generis prolongetur. Psal. XXIX, 10 : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ?* hoc est, si descendens mansero in corruptione, tunc neminem sanguine meo salvabo. Transfer ergo calicem a me ut transeat, et non fundetur in morte, sed transeat ad gloriam Resurrectionis. Calix enim iræ Domini non transfertur, sed fundatur super malos. Isa. XXX, 32 : *Erit transitus virgæ fundatus, quem requiescere faciet Dominus super eum.*

Vel, « *transfer a me,* » non in me, sed in membris, ne ipsi calice iræ tuæ premantur. Dicit etiam quædam Glossa : « *A me,* » hoc est, a Synagoga. Hoc est, Si possibile congruenter Gentes illuminari sine Judæorum excæcatione, tunc « *transfer calicem,* » hoc est, reatum calicis, « *a me,* » hoc est, a corpore meo, quod est Synagoga. Et alias multas expositiones non est difficile facere. Sed sola prima et secunda sunt litterales.

Sic ergo : « *Si vis,* » et congrue fieri potest, salva tua præordinatione « *transfer calicem istum a me,* » hoc est, potum istius passionis quæ calida est, quia in charitate oportet quod bibatur.

Sed contra hoc objicitur, quod Christus tunc petivit quod scivit se obtinere non posse.

Ad hoc dicendum, quod falsum est :

quia bene obtinuit quod calix in ipso non fuit fundatus, et nihilominus veritatem suæ demonstravit infirmitatis, contra hæreticos qui eum verum mortalem hominem esse negaverunt. Quod autem quidam dicunt, quod hæc oratio fuit sensualitatis in Christo, et non rationis : nihil est penitus, et est falsum. Rationis enim est orare, et non sensualitatis. Et ideo hæc oratio fuit rationis, prout infirmæ naturæ conjuncta fuit, quæ mortem abhorruit. Et maxime si mors non transisset, sed diu in morte permaneret. Omnis enim natura in se horret fieri aliquid terribile, quod numquam de cætero evitare poterit.

« Verumtamen non mea voluntas. »

Ecce ostendit orationem debere esse rationabilem. Rationabilis enim est, ut Dei voluntas de nobis impleatur. Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* Matth. XXVI, 39 : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Glossa : « *Recti* sunt qui suam voluntatem divinæ voluntati conformant. »

Et hoc est quod dicit :

« Sed tua fiat. »

Isa. LIII, 10 : *Voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Hæc autem voluntas Dei est beneplacitum humanæ redemptionis per mortem Redemptoris.

43 « Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.

44 Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

45 Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia.

46 Et ait illis : Quid dormitis ? Surgite, orate, ne intretis in tentationem. »

Hic tangitur confortationis quidam modus.

Dicit autem tria : modum scilicet angelicæ confortationis, agoniam angustiosæ luctationis, et signum agoniæ quod est sudor sanguinis.

De primo dicit : « *Apparuit autem illi,* » visibilem se faciens plus aliis longe stantibus quam Domino, cui semper Angeli sunt præsto obsequentes. Matth. XXVI, 53 : *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum ?*

« *Angelus de cœlo,* » gaudens de reparatione ruinæ angelicæ. Luc. XV, 7 : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et ideo infinitum gaudium fuit eis de tam multorum peccatorum reparatione.

« Confortans eum. »

Non quod confortatione indiguerit, qui fortior forti tunc supervenit, et fortem alligavit, et vasa ejus distribuit [1] : sed quia Angelus administrationis suæ ostendit obsequium : et ideo ibi, sicut in omnibus aliis sacramentis, modum sui ministerii ostendit, et ad modum confortantis se habuit.

« Et factus in agonia. »

Ἀγων est idem quod *pugna,* in qua homo vires agit : et ideo ab agendo dicitur : quia ibi vires suas Christus contra mortis auctorem, et ipsam mortem, et dominum mortis infernum viriliter egit. Psal. XXVI, 14 : *Viriliter age, et confor-*

[1] Cf. Marc. III, 27.

tetur cor tuum, et sustine Dominum. I ad Corinth. IX, 25 : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* II ad Timoth. II, 5 : *Qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.* Et quod dicunt quidam, quod *agon* est pugna spiritus contra carnem, falsum est omnino.

Factus ergo sic in agonia, « *prolixius orabat,* » docens nos in agoniis, ad orationis debere recurrere refugium. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini,* hoc est, invocatio nominis Domini : *ad ipsum currit justus, et exaltabitur.*

« Et factus est sudor est ejus, etc. »

Ut omnino obstruatur os hæreticorum loquentium iniqua, qui dicunt Dominum non vere passum esse, « *factus est sudor ejus,* » ex angustia agoniæ exspectatæ mortis profusus, « *sicut guttæ sanguinis,* » quem angustia de ipsis venis extorserat, « *decurrentis in terram.* » Et si quidem Christus in genibus stetit, multæ fuerunt guttæ quæ per vestes quas habuit ad terram distillaverunt : in terram enim cucurrit, ut etiam cineribus mortuorum infunderetur ad potentiam Resurrectionis. Job, XVI, 19 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Et iste est jam secundus modus quo suum sanguinem Dominus fudit : quia in circumcisione fuit primus : iste autem est secundus : in flagellis et spinis tertius : in clavis quartus : et in lanceatione post mortem fuit quintus. Et primus quidem modus est ad peccati originalis (quod peccatum naturæ est) abstersionem : secundus autem est ad miseriæ expiationem : tertius est ad pœnitentium sublevationem, quia pro nobis flagella sustinuit : quartus autem est ad pretii solutionem : et quintus ad sacramenti communionis consecrationem.

« Et cum surrexisset ab oratione, »

Qua genua flexerat, sicut supra dictum est. Ab oratione autem surgit, qui post orationem ea quæ sursum sunt quærit, sicut in oratione petierat. Ad Coloss. III, 1 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

« *Et venisset,* » gratia consolationis et exhortationis, « *ad discipulos suos.* » Genes. XXXVII, 14 : *Vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos et pecora.*

« *Invenit eos dormientes,* » in negligentiæ torpore. Matth. XXV, 5 : *Moram faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.*

Et tangit causam dormitionis : « *Præ tristitia,* » quia tristitia colliquativa est humidi : humidum autem colliquatum secundum naturam inducit somnum, et sic dormiverunt. Proverb. VI, 9 : *Usquequo, piger, dormies?* Et est dissimile dictum Petri ab opere. Dixit enim quod paratus erat *et in carcerem et in mortem ire* [1] : nunc autem etiam una hora vigilare non poterat.

« Et ait illis. »

Sermonem exhortationis, et reprehensionem negligentiæ præmittit, dicens : « *Quid dormitis?* » Instante enim adversario non est dormiendum. I Petr. V, 8 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret :* et vos dormitis !

« Surgite, »

A somno torporis et negligentiæ. Ad Roman. XIII, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere.* Proverb. VI, 10 et 11 : *Paululum dormies, paululum dormitabis : paululum conseres manus ut dormias, et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.*

[1] Cf. Supra, ℣. 33.

« Et orate »

Ad Patrem cœlestem. I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Psal. XXXIV, 13 : *Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio, humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.*

« Ne intretis in tentationem, »

Per passum peccati de cogitatione in delectationem, et de delectatione in consensum, et de consensu in opus, et sic cadatis : quia jam hora est tentationis, qua Satanas expetivit vos ad cribrandum. Et ovis quæ præsente pastore secura est, pastoris diligentia destituta lupis patebit : lupus enim rapax jam insidiatur. Joan. X, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Zachar. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves,* scilicet gregis.

47 « Adhuc eo loquente, ecce turba : et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos : et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48 Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis ? »

Hic incipit pars quarta, in qua modum et ordinem determinat Dominicæ captionis.

Et habet particulas quatuor : in quarum prima tangitur modus proditionis : in secunda, ex parte suorum tangitur modus defensionis : in tertia autem, modus patientissimæ tolerationis : et in quarta, modus reprehensionis ex parte captivantium, et modus instructionis.

De primo duo dicit : proditionem, et benignam proditoris revocationem.

Dicit igitur : « *Adhuc eo loquente,* » quia quamvis Lucas breviter transeat, Dominus ter oravit, et ad discipulos ter rediit : sicut, Matthæus, XXVI, 44, ostendit. Et sic diu in eodem loco exspectavit. Et sicut dicitur, Joan. XVIII, 2 : *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum locum,* hortum scilicet illum, *quia frequenter Jesus convenerat illic cum discipulis tuis* : et ideo illuc convenit.

Et hoc est quod dicit : « *Adhuc eo loquente,* » de exhortatione discipulorum ad orandum. Voluit enim Dominus, ut in ipsis exhortationibus inveniret eum proditor, ut magis erubesceret.

« Ecce turba, »

A turbine dicta. Nahum, I, 3 : *In tempestate et turbine viæ ejus.* Hæc autem turba fuit de ministris sacerdotum collecta.

« Et qui vocabatur Judas, »

Falso nomine. Significatio enim nominis ejus cecidit ab effectu. Judas enim *confitens et glorificans* interpretatur. Et hic pro confessione negationem veritatis, pro glorificatione autem contumeliam inhonorationis Domino exhibuit. Et ideo non Judas sed diabolus est appelatus. Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est ?*

Hic ergo « *antecedebat eos,* » ut dux proditionis. Act. I, 16 : *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum.*

Et attende quod qui cum turba modo venit, familiariter ad Dominum venire consueverat : nisi forte de prædicatione aliquando veniens aliquos conversos a se, vel ab aliis discipulis, aliquando ad Dominum causa devotionis adduceret. Consueverat etiam osculo recipi veniens a Magistro. Hoc enim illo tempore consuetum fuit, omnes amicos venientes osculo recipi. II ad Corinth. XIII, 12 : *Salutate invicem in osculo sancto.* Et

hoc fiebat ut pacificus ingressus venientis esse significaretur.

Et hoc est quod dicit :

« Et appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum. »

Hæc appropinquatio fuit proditionis, sicut appropinquatio Joab ad Amasam [1] : qui appropinquans dextera tenebat mentum ejus, et sinistra arrepto pugione effudit viscera ipsius in terram. Isa. xxix, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me : cor autem ejus longe est a me.* Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.*

Quod autem dicit : « *Ut oscularetur,* » hoc fuit secundum consuetudinem receptionis, ut pacificus notaretur ingressus : cum ille in signo pacis machinaretur non tantum homicidium, sed etiam ut ita dicam deicidium. Proverb. xxvii, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis.* Tales sunt de quibus dicitur, Eccli. xxix, 5 et 6 : *Donec accipiant, osculantur manus dantis, et in promissionibus humiliant vocem suam : et in tempore redditionis postulabit tempus,* etc. Sic iste Judas sub specie pietatis accepit et vendidit Dominum. Et ideo speciem habet discipuli, et tamen verus est hostis, et dux hostium.

« Jesus autem, »

Ut quantum in se erat a malitia revocaret, « *dixit illi,* » dulcissimo sermone pacis. Psal. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

« Juda, etc. »

Tria dicit : nomine proprio nominat ut sui nominis et pristinæ familiaritatis recordetur, et inconvenientis signi ad prodendum facit mentionem, et dignitatis suæ quem voluit quod prodere horreret.

Dicit igitur, « *Juda.* » Quasi dicat : O Juda, nominis tui et meæ familiaritatis qua te ex nomine vocans, et recognosco, recordare, et revoca animum a tanto scelere proditionis. Job, xix, 16 : *Servum meum vocavi, et non respondit : ore proprio deprecabar illum.*

« Osculo. »

Hoc est osculum lupi ad agnum. Marc. xiv, 44 : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum et ducite caute.*

« Filium hominis tradis ? »

Qui tam dignus est, quod non hominem habet patrem, sed Deum : et ideo non unius hominis tantus filius, hunc tu tradis ? Sed miser hoc non credidit, et miracula quæ fecit magicis artibus attribuit. Et ideo consors illorum fuit de quibus dicitur, Luc. xi, 15, et Matth. xii, 24 : *In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.* Quia immundus spiritus cum septem nequioribus se ad ipsum redierat, et felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis eum repleverat. Act. viii, 24 : *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.*

Hoc est igitur dictum de modo traditionis.

« Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio ? **49**

Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram. **50**

Respondens autem Jesus, ait : Si- **51**

[1] Cf. II Regum, xx, 9 et 10.

nite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

52 Dixit autem Jesus ad eos qui venerant ad se principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus ?

53 Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. »

Hic tangitur modus defensionis.

Dicuntur autem hic tria, quorum primum est zelus defendentium : secundum autem est repressio ultionis eorum : tertium autem, beneficiatio nocentium.

De primo horum dicit tria, scilicet, visum terribilem futurorum, postulationem licentiæ ad defendendum, et ultionem sceleris adhibitam maleficorum.

Dicit igitur : « *Videntes autem hi* » discipuli, « *qui circa ipsum erant,* » hoc est, circa Dominum, qui actibus Judæ non consenserunt, « *quod futurum erat,* » quantum ad apparatum turbæ venientis ad capiendum. Tunc enim viderunt primo quod capere Dominum voluerunt, et ideo parabant se ad resistendum. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Et ideo in zelo ultionis videbant ista.

« *Dixerunt ei,* » qui omnia ad imperium ejus referre consueverunt, et sine præcepto suo nihil facere :

« *Domine, si percutimus in gladio ?* » Ad Roman. XIII, 4 : *Non enim sine causa gladium portat :... vindex est in iram ei qui malum agit.* Quamvis autem sic a Domino quærerent, tamen ante responsum, Judæum percussit ille qui præ cæteris zelum habuit.

Et hoc est quod subdit :

« Et percussit unus ex illis, »

Petrus scilicet, qui præ cæteris sicut Phinees zelatus fuit, « *servum principis sacerdotum,* » cui nomen Malchus, ut dicit Joannes, XVIII, 10. Et hic servus significat Synagogam.

« *Et amputavit auriculam ejus dexteram.* » Quod significabat quia Synagoga aurem, qua spiritualia et æterna audire debuit, amisit.

Dicit autem quædam Glossa, quod Petrus sic zelando, meruit sibi tamen ante hoc, constitutum *pactum sacerdotii sempiternum* [1], sicut Phinees [2]. Et hoc non videtur probabile, cum Dominus percussionem istam reprehenderit. Sed ad hoc dicendum, quod zelus Petri commendatur, sed tamen factum indiscretum fuit. Et fuit iste zelus *non secundum scientiam*, sicut dicitur, ad Roman. x, 2.

Et hoc est quod sequitur :

« Respondens autem Jesus, ait, »

Factum corrigens, sed zelum non vituperans : « *Sinite usque huc,* » hoc est, permittite prævalere malitiam usque ad captivitatem et mortem, quia sic diffinivit Pater. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et ideo dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat* [3].

« Et cum tetigisset. »

Quia nec tunc cum male fieret ei, oblitus est misereri Deus, nec continuit in ira sua misericordias suas, et reddidit bona pro malis.

Sic ergo cum tetigisset « *auriculam ejus,* » quia non amputaverat auditum,

[1] Cf. Matth. XVI, 18 et 19.
[2] Cf. Numer. XXV, 13.
[3] Supra, ỳ. 42.

sed auriculam, « *sanavit eum.* » Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee : quia aversus est furor meus ab eis.* Implevit illud Isaiæ, XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Et ideo etiam dum male faceret, non est oblitus facere contrarium.

Dicit autem auriculam ejus « *dexteram,* » in figuram quod quamvis æterna audire noluerint, tamen sinistra ante subtiliter audiunt quidquid de temporalibus est tractandum. Matth. VI, 3 : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Hanc igitur sanavit exterius, sed interiorem sicut obstinatus non recuperavit auditum. Isa. VI, 10 : *Aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

« Dixit autem Jesus, »

Caute corripiendo et erudiendo, « *ad eos qui venerant ad se* » capiendum, « *principes sacerdotum,* » qui tamen non in seipsis, sed in ministris venerant, « *et magistratus templi,* » qui præerant officiis sicut præfecti, « *et seniores,* » qui præerant consiliis tamquam senatores. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Jerem. XXIII, 15 : *A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* I Esdræ, IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

Ad hos ergo dixit :

« Quasi ad latronem existis »

Ad me capiendum, cum tamen ego latro non sim, quamvis propter vos cum latronibus sim reputatus. Psal. XVI, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias latronis*[1].

« *Cum gladiis* » vulnerantibus, « *et fustibus* » livorem inducentibus. Et ideo etiam mihi vulnera et livores inferre cogitatis. Sed tamen sciatis quod scriptum est, Isa. LIII, 5 : *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra :... et livore ejus sanati sumus.* In hoc ergo est reprehensio.

Eruditio autem est in hoc quod dicit :

« Cum quotidie, »

Sine omni defensione exteriori, « *vobiscum fuerim in templo,* » qui est locus solemnis et publicus, et vestræ potestati commissus, « *non extendistis manus* » violentas « *in me.* » Et ideo discite quia nec nunc, sicut nec tunc facere possetis, nisi mea esset hoc dispensatione diffinitum. Unde, Luc. IV, 30, cum vellent eum præcipitare de rupe, dicitur : *Jesus autem transiens per medium illorum, ibat.* Et ideo etiam, sicut dicitur, Joan. XVIII, 4 et seq. : *Jesus sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit et dixit eis : Quem quæritis ? Responderunt ei : Jesum Nazarenum.* Et cum diceret eis : *Ego sum :... abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.*

Adhuc autem sacerdotes et magistratus templi cum gladiis et fustibus et aliis impugnationis armis frequenter exeunt comprehendere Jesum in suis membris, obliti quod arma spiritualia conceduntur eis, et non corporalia. II ad Corinth. X, 4 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo.* Ad Ephes. VI, 11 : *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

« Sed hæc est hora vestra, »

Hoc est, voluntati vestræ diffinita, « *et*

[1] Vulgata habet, *vias duras.*

potestas tenebrarum, » hoc est, principis tenebrarum harum. Joan. III, 19 : *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera.* Joan. XII, 35 : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Ita ergo nunc princeps tenebrarum in vobis sicut in organis suis potestatem accepit, et vult mundum privare lumine meo. Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

54 « Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum. »

Hic incipit quinta pars istius capituli, in qua Petri trina negatio per ordinem ponitur.

Et dividitur in tres partes : in quarum prima tangitur locus ubi facta fuit ista negatio : in secunda autem tangitur ordo et numerus negationum : et in tertia, tangitur Petri conversio et ad se reversio.

De primo dicitur : « *Comprehendentes autem eum,* » Jesum, hoc est, omnes simul comprehendentes, ut nullus esset qui non esset reus tanti facinoris. Jerem. XV, 10 : *Omnes maledicunt mihi.*

« *Duxerunt* » captivum, qui totam diaboli captivitatem duxit captivam : sicut dicit Psalmus LXVII, 19.

« *Ad domum principis sacerdotum.* » Quis autem fuerit iste princeps sacerdotum non dicit. Sed, Joan. XVIII, 13, dicitur expresse quod *adduxerunt eum ad Annam primum :* quia cum David viginti quatuor instituisset summos sacerdotes, isti duo, Annas et Caiphas, qui conjuncti fuerunt sibi affinitate, quia Annas erat socer Caiphæ, emebant vicissim a romano præside summi sacerdotii administrationem. Et quamvis Caiphas fuisset secundum hanc vicissitudinem pontifex anni illius, tamen quia voluit honorem exhiberi socero : et quia domus Annæ prius occurrit cum Jesus adduceretur, ideo, sicut dicit Joannes, *duxerunt eum ad Annam primum :* et ibi de accusationibus suis tractare inceperunt. Et ibidem prima negatio Petri prout probabilius æstimatur, perfecta est : licet quidam sanctorum expositorum omnes tres in domo Caiphæ dicunt esse perfectas.

Hoc est igitur quod dicit :

« Petrus vero sequebatur eum a longe.

55 Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56 Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat.

57 At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum.

58 Et post pusillum, alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum.

59 Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat : nam et Galilæus est.

60 Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo, adhuc illo loquente, cantavit gallus.

61 Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis.

62 Et egressus foras Petrus flevit amare. »

Hic tangit descriptionem negationis Petri.

Et quia tres sunt, in tres dividitur partes. In prima autem negatione tria dicit : Petri scilicet insecutionem, Petri ab ancilla deprehensionem, et Petri negationem.

De primo dicit : « *Petrus vero,* » non oblitus amoris in Dominum, « *sequeba-*

tur eum. » Matth. XXVI, 58 : *Ut videret finem* ad quem res deveniret.

« *A longe,* » quia jam per dissimilitudinem ex timore, a Domino incepit elongari in mente. Psal. LXXXVII, 9 : *Longe fecisti notos meos a me... Traditus sum, et non egrediebar.* Psal. XXXVII, 12 et 13 : *Qui juxta me erant, de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.*

« Accenso autem igne, etc. »

Hic tangitur deprehensio Petri.

Et dicit tria, scilicet, Petri ad lumen ignis accessum : ancillæ intuitionem in Petrum : et ancillæ deprehensionem, quod ipse Christi esset discipulus.

Dicit igitur : « *Accenso autem igne,* » quia frigus erat in nocte, « *in medio atrii* » pontificis, hoc est, in curia sua sub dio, ad quem ministri accederent qui captivaverant Dominum : cum ipse Jesus a sacerdotibus et magistratibus intus haberetur.

« *Et circumsedentibus illis* » ministris ad calefaciendum se, « *erat Petrus in medio eorum.* » Marc. XIV, 5 : *Sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.* Introductus enim erat per discipulum qui erat notus pontifici, sicut dicitur, Joan. XVIII, 16. Plus autem jam incepit algere, destitutus igne charitatis, quam algore extra frigere aeris.

« Quem cum vidisset, »

Hoc est, visu discrevisset, « *ancilla quædam,* » quæ sicut dicitur, Joan. XVIII, 17, erat ostiaria pontificis, quæ nequam et cupida fuit, sicut ostiarii curiæ regum et pontificum, « *sedentem ad lumen* » ignis ad quem accesserat, « *et eum fuisset intuita* » diligenter, ut bene discerneret eum ab aliis. Eccli. XXXI, 14 et 15 : *Memento quoniam malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est ?* Matth. XX, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*

« Dixit : Et hic cum illo erat. »

Ecce accusatio contra Petrum quod fuisset cum Jesu. Quæ accusatio omni laude est dignissima, sed apud profanos opprobrium reputatur cum Jesu et cum bonis esse. Unde conqueritur Ecclesia viro suo viduata, II Reg. XIV, 7 : *Quærunt exstinguere scintillam meam quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, et reliquiæ super terram.* Psal. CXXXVI, 7 : *Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

« At ille negavit »

Eum Christum, « *dicens,* » ex timore subito : « *Mulier, non novi illum.* » Job, XXI, 14 : *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Hæc autem vox, *Non novi illum,* longe est ab illa qua dixit, Matth. XXVI, 35 : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.*

Quidam autem hic sophismata fabricare volunt, dicentes, quod Christum æterna generatione a Patre scivit esse genitum, quam nemo perfecte cognovit : et de hac dixisse Petrum, *Non novi illum,* hoc est, notitiam illius secundum æternam generationem non habeo. Sed hoc frustra dicitur in excusationem Petri : quia et ipse fletu suo, et Dominus prædictione sua declarant, quod directe negavit Christum, quem postea coram omnibus confessus est [1]. Ex timore autem accidit illi, quia non adhuc erat confirmatus per spiritum charitatis, de qua dicitur, I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Psal. XIII, 5 : *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Propter quod dicitur, Deuter. XX, 8, quod *qui formidolosus, revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum.* Petrus enim ignarus suæ debilitatis, non debuit processisse

[1] Cf. Act. III, 12 et seq.

ad certamen persecutionis cum Domino, nisi prius indutus fuisset virtute ex alto. Quia in curia regis Herodis quærentis parvulum Jesum ad occidendum, et Magi perdiderunt stellam[1]. Et ipse Petrus negavit Dominum in curia Pontificis tenentis Dominum ad crucifigendum.

« Et post pusillum, »

Jam ducto Jesu de domo Annæ in domum Caiphæ, quia erat pontifex anni illius, « *alius videns eum,* » hoc est, considerans Petrum, « *dixit.* » Zachar. v, 6 : *Hic est oculus eorum in universa terra.* Eccli. xx, 14 : *Oculi illius septemplices sunt.*

« *Et tu de illis es ?* » hoc est, de discipulis ejus. Joan. xviii, 17 : *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius ?*

« *Petrus vero ait,* » iterum timore perterritus : sicut et, Genes. xviii, 15 : *Negavit Sara dicens : Non risi, timore perterrita.* Ad Hebr. ii, 15 : *Timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*

« *O homo, non sum.* » Ideo dixit ei Dominus, Joan. xiii, 36 : *Quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea.*

« Et intervallo facto quasi horæ unius, »

In eodem atrio Caiphæ, « *alius quidam* » nequam de ministris pontificis. Proverb. xxix, 12 : *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.*

« *Affirmabat* » juramento, vel alia confirmatione, « *dicens.* » Scivit enim hoc placere pontifici : et ideo erat adulator potentum, et persecutor bonorum. Isti sunt de quibus dicitur, Ezechiel. xiii, 18 : *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus,* qui vitam principum blanditiis palpant, et vitam pauperum blasphemantes accusant. Matth. xi, 8 : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domo regum sunt.* Ista enim mollia adulatorie principibus ostendunt, dum mala facta eorum laudant, et bonos persequuntur.

« *Vere.* » Ecce affirmatio. « *Et hic cum illo* » Jesu « *erat.* » Et signum ponit : quia discipuli Domini plerique Galilæi fuerunt, et *Galilæi* vocabantur. Act. ii, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt ?*

« *Nam et Galilæus est.* » Et si Galilæus, transmigrans de vitiis ad virtutes esset, non esset accusabile. Et si cum Domino transmigrasset, esset laudabile. Act. i, 11 : *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cœlum ?*

« Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. »

Matth. xxvi, 74 : *Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem.* Et hoc est quod dicit : « *Nescio quid dicis,* » hoc est, nescio eum de quo dicis. Attende, quod tres Evangelistæ, Matthæus, Marcus, et Lucas, videntur velle quod omnes tres negationes in curia Caiphæ factæ sint : solus autem Joannes expresse vult quod prima facta sit in curia Annæ. Et hoc creditur ordinem historiæ dicere, et illum exponendo litteram sumus prosecuti. Et quod de prima negatione alii tres dicunt Evangelistæ, creditur esse dictum per recapitulationem.

« Et continuo adhuc illo loquente, »

Negando, « *cantavit gallus* » hoc est, percantavit, hoc est, gallicinium explevit : sicut in ante habitis expositum est. Petrus igitur negando, multum linguam suæ assertionis mutavit. Proverb. xvii, 20 : *Qui vertit linguam, incidet in malum.* Proverb. viii, 13 : *Os bilingue detestor.* Judicum, ix, 38 : *Ubi est nunc os*

[1] Cf. Matth. ii, 7.

tuum quo loquebaris : Quis est Abimelech ut serviamus ei?

Casum autem istum Petri permisit dispensatorie Dominus, ut ex seipso aliis sciret compati. Eccli. xxxi, 18: *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Ad Galat. vi, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans te ipsum,ne et tu tenteris.* Ideo ignorans peccat Paulus, I ad Timoth. i, 13 : *Ignorans feci in incredulitate mea* : ut ignorantiis scirem condescendere subditorum. Ex infirmitate peccat Petrus ut infirmis compatiatur. Ex industria autem et perseverante malitia Judas : et ideo *suspensus crepuit medius* [1]. Job, xxxiv, 27 : *Quasi de industria recesserunt ab eo.*

Quod autem ad galli vocem redit Petrus, mystice designat quia ad vocem Prædicatoris peccator revertitur : propter galli sex proprietates, quarum prima est, quia percutit se ante cantum, quod corporis significat castigationem. I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundo, intelligentiam habet distinctionis horarum. Marc. xiii, 35 : *Sero,an media nocte, an galli cantu, an mane.* In omnibus enim illis horis præcipue cantant galli : sero, in prima hora noctis propter juvenes : media nocte, propter homines in virili ætate existentes : galli cantu,propter senes : mane autem,quando jam alia lux oritur, propter eos qui ultimo senio sunt confecti. Job, xxxviii, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam ?*

Tertia proprietas est, quia gallus, sicut dicitur, Proverb. xxx, 31, bene graditur in hoc quod succinctos habet lumbos. Luc. xii, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti,* hoc est, carnis luxuria per continentiam restricta.

Quarta proprietas est, quia gallus inventorum granorum est communicativus cum infirmis sui generis, hoc est, cum gallinis. Et hoc competit Prædicatori ut sua communicet. Act. iv, 32 et 35 : *Erant illis omnia communia :... dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

Quinta proprietas est, in capite ardens cristà rubicundissimo colore : quod significat decorem fidei per dilectionem operantis in mente. Sic enim dicitur, Cantic. v, 10 : *Candidus* est in veritate fidei, *et rubicundus* calore charitatis et ardore.

Sexta proprietas est, quod pugnax animal est : unde et natura sibi calcar acutum dedit quo pugnat. Et hoc significat audaciam pro gallinis, hoc est, congregatione commissorum, se exponendi. II ad Corinth. xii, 15 : *Ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Istæ sunt veræ et bonæ proprietates galli. Quidam autem multas ponunt galli proprietates falsas, de quibus non curamus : quia non indiget Deus nostro mendacio, ut pro illo loquamur dolos.

« Et conversus Dominus. »

Attende quod sicut dicit Augustinus in libro de *Concordia Evangelistarum* : « Si congregantur ea quæ in Evangeli-
« stis scripta sunt, invenietur quod Do-
« minus non corporali oculo, sed oculo
« misericordiæ divinitatis suæ Petrum
« respexit. » Fuit enim Petrus in exteriori atrio cum eis qui se calefaciebant sub dio. Dominus autem in interiori domus, ubi quæstiones ei fiebant, ut accusatio contra ipsum inveniretur. Dicitur autem, Marc. xiv, 66 : *Cum esset Petrus in atrio deorsum*: ex quo intelligitur per oppositum, quod Dominus erat in interiori domus sursum : ex superiori autem et interiori non poterat corporaliter respicere Petrum, qui erat in exteriori et inferiori deorsum.

Cum igitur dicitur: « *Et conversus Do-*

[1] Act. i, 18.

minus », intelligitur Dominus ad misericordiam Petri versus, ne amplius caderet Petrum præservando. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

« Respexit Petrum. »

Oculo miserationis cor ejus convertit. Psal. XII, 4 : *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.* Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Hoc etiam dicit Leo papa : « Trepidationem « discipuli foris positi divino vidit intui- « tu, et paventis animum mox ut respe- « xit, erexit, et in fletum pœnitudinis in- « citavit ».

Et hoc est quod sequitur :

« Et recordatus est Petrus. »

Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« *Verbi Domini sicut dixerat,* » prædicendo negationem istam, « *quia prius quam gallus cantet,* » hoc est, gallicinium expleat, « *ter me negabis.* » Ut si quis negaret corde, et si quis ore, et si quis opere negaret, Petrus compati sciret, et usque septuagies septies remitteret.

« Et egressus foras, »

Extra consortium malorum, qui sibi causa negationis exstiterant, ut liberas habenas lacrymis dimitteret. Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« Petrus flevit amare. »

Ruth, I, 20 : *Vocate me Mara, id est amaram : quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Thren. I, 20 : *Vide, Domine, quoniam amaritudine plena sum.* Tamen egressio Petri foras ostensionem peccati per confessionem significat. Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit selera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. **63**

Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit ? **64**

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. » **65**

Ista est ultima pars capituli.

Et habet duas partes : in quarum prima agitur de illusione Domini : in secunda autem, de accusationis inquisitione.

In prima harum tria dicuntur. Primo enim ponit quod illudebant ei in communi : deinde, ponit tres modos illusionum in speciali : tertio, innuit quod multos alios modos blasphemiæ intulerunt.

De primo dicit : « *Et viri,* » hoc est, ministri sacerdotum, « *qui,* » sicut tortores, « *tenebant illum* » ne elaberetur, « *illudebant ei.* » Abdiæ, ℣. 7 : *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te viri pacis tuæ.* Proverb. III, 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor.* Et post pauca, ibidem, ℣. 34 : *Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.* Isa. XXVIII, 14 et 22 : *Audite verbum Domini, viri illusores, ne forte constringantur vincula vestra.* Illusores autem erant qui verba et actus ejus deridendo perverterunt.

« Cædentes. »

Tres modos ponit in speciali. Cædebant autem maxillam et collum palmis. Job, XVI, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis*

tuum quo loquebaris : Quis est Abimelech ut serviamus ei?

Casum autem istum Petri permisit dispensatorie Dominus, ut ex seipso aliis sciret compati. Eccli. xxxi, 18: *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Ad Galat. vi, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans te ipsum,ne et tu tenteris.* Ideo ignorans peccat Paulus, I ad Timoth. i, 13 : *Ignorans feci in incredulitate mea* : ut ignorantiis scirem condescendere subditorum. Ex infirmitate peccat Petrus ut infirmis compatiatur. Ex industria autem et perseverante malitia Judas : et ideo *suspensus crepuit medius* [1]. Job, xxxiv, 27 : *Quasi de industria recesserunt ab eo.*

Quod autem ad galli vocem redit Petrus, mystice designat quia ad vocem Prædicatoris peccator revertitur : propter galli sex proprietates, quarum prima est, quia percutit se ante cantum, quod corporis significat castigationem. I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundo, intelligentiam habet distinctionis horarum. Marc. xiii, 35 : *Sero,an media nocte, an galli cantu, an mane.* In omnibus enim illis horis præcipue cantant galli : sero, in prima hora noctis propter juvenes : media nocte, propter homines in virili ætate existentes : galli cantu,propter senes : mane autem,quando jam alia lux oritur, propter eos qui ultimo senio sunt confecti. Job, xxxviii, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam ?*

Tertia proprietas est, quia gallus, sicut dicitur, Proverb. xxx, 31, bene graditur in hoc quod succinctos habet lumbos. Luc. xii, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti,* hoc est, carnis luxuria per continentiam restricta.

Quarta proprietas est, quia gallus inventorum granorum est communicativus cum infirmis sui generis, hoc est, cum gallinis. Et hoc competit Prædicatori ut sua communicet. Act. iv, 32 et 35 : *Erant illis omnia communia :... dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

Quinta proprietas est, in capite ardens crista rubicundissimo colore : quod significat decorem fidei per dilectionem operantis in mente. Sic enim dicitur, Cantic. v, 10 : *Candidus* est in veritate fidei, *et rubicundus* calore charitatis et ardore.

Sexta proprietas est, quod pugnax animal est : unde et natura sibi calcar acutum dedit quo pugnat. Et hoc significat audaciam pro gallinis, hoc est, congregatione commissorum, se exponendi. II ad Corinth. xii, 15 : *Ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Istæ sunt veræ et bonæ proprietates galli. Quidam autem multas ponunt galli proprietates falsas, de quibus non curamus : quia non indiget Deus nostro mendacio, ut pro illo loquamur dolos.

« Et conversus Dominus. »

Attende quod sicut dicit Augustinus in libro de *Concordia Evangelistarum* : « Si congregantur ea quæ in Evangeli- « stis scripta sunt, invenietur quod Do- « minus non corporali oculo, sed oculo « misericordiæ divinitatis suæ Petrum « respexit. » Fuit enim Petrus in exteriori atrio cum eis qui se calefaciebant sub dio. Dominus autem in interiori domus, ubi quæstiones ei fiebant, ut accusatio contra ipsum inveniretur. Dicitur autem, Marc. xiv, 66 : *Cum esset Petrus in atrio deorsum*: ex quo intelligitur per oppositum, quod Dominus erat in interiori domus sursum : ex superiori autem et interiori non poterat corporaliter respicere Petrum, qui erat in exteriori et inferiori deorsum.

Cum igitur dicitur: « *Et conversus Do-*

[1] Act. i, 18.

minus », intelligitur Dominus ad misericordiam Petri versus, ne amplius caderet Petrum præservando. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

« Respexit Petrum. »

Oculo miserationis cor ejus convertit. Psal. XII, 4 : *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.* Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Hoc etiam dicit Leo papa : « Trepidationem « discipuli foris positi divino vidit intui- « tu, et paventis animum mox ut respe- « xit, erexit, et in fletum pœnitudinis in- « citavit ».

Et hoc est quod sequitur :

« Et recordatus est Petrus. »

Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« *Verbi Domini sicut dixerat,* » prædicendo negationem istam, « *quia prius quam gallus cantet,* » hoc est, gallicinium expleat, « *ter me negabis.* » Ut si quis negaret corde, et si quis ore, et si quis opere negaret, Petrus compati sciret, et usque septuagies septies remitteret.

« Et egressus foras, »

Extra consortium malorum, qui sibi causa negationis exstiterant, ut liberas habenas lacrymis dimitteret. Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« Petrus flevit amare. »

Ruth, I, 20 : *Vocate me Mara, id est amaram : quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Thren. I, 20 : *Vide, Domine, quoniam amaritudine plena sum.* Tamen egressio Petri foras ostensionem peccati per confessionem significat. Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit selera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« Et viri qui tenebant illum, illude- **63**
bant ei, cædentes.

Et velaverunt eum, et percutiebant **64**
faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit ?

Et alia multa blasphemantes dice- **65**
bant in eum. »

Ista est ultima pars capituli.

Et habet duas partes : in quarum prima agitur de illusione Domini : in secunda autem, de accusationis inquisitione.

In prima harum tria dicuntur. Primo enim ponit quod illudebant ei in communi : deinde, ponit tres modos illusionum in speciali : tertio, innuit quod multos alios modos blasphemiæ intulerunt.

De primo dicit : « *Et viri,* » hoc est, ministri sacerdotum, « *qui,* » sicut tortores, « *tenebant illum* » ne elaberetur, « *illudebant ei.* » Abdiæ, ℣. 7 : *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te viri pacis tuæ.* Proverb. III, 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor.* Et post pauca, ibidem, ℣. 34 : *Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.* Isa. XXVIII, 14 et 22 : *Audite verbum Domini, viri illusores, ne forte constringantur vincula vestra.* Illusores autem erant qui verba et actus ejus deridendo perverterunt.

« Cædentes. »

Tres modos ponit in speciali. Cædebant autem maxillam et collum palmis. Job, XVI, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis*

tuum quo loquebaris : Quis est Abimelech ut serviamus ei?

Casum autem istum Petri permisit dispensatorie Dominus, ut ex seipso aliis sciret compati. Eccli. xxxi, 18: *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.* Ad Galat. vi, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis : considerans te ipsum,ne et tu tenteris.* Ideo ignorans peccat Paulus, I ad Timoth. i, 13 : *Ignorans feci in incredulitate mea* : ut ignorantiis scirem condescendere subditorum. Ex infirmitate peccat Petrus ut infirmis compatiatur. Ex industria autem et perseverante malitia Judas : et ideo *suspensus crepuit medius* [1]. Job, xxxiv, 27 : *Quasi de industria recesserunt ab eo.*

Quod autem ad galli vocem redit Petrus, mystice designat quia ad vocem Prædicatoris peccator revertitur : propter galli sex proprietates, quarum prima est, quia percutit se ante cantum, quod corporis significat castigationem. I ad Corinth. ix, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundo, intelligentiam habet distinctionis horarum. Marc. xiii, 35 : *Sero,an media nocte, an galli cantu, an mane.* In omnibus enim illis horis præcipue cantant galli : sero, in prima hora noctis propter juvenes : media nocte, propter homines in virili ætate existentes : galli cantu,propter senes : mane autem,quando jam alia lux oritur, propter eos qui ultimo senio sunt confecti. Job, xxxviii, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam ?*

Tertia proprietas est, quia gallus, sicut dicitur, Proverb. xxx, 31, bene graditur in hoc quod succinctos habet lumbos. Luc. xii, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti,* hoc est, carnis luxuria per continentiam restricta.

Quarta proprietas est, quia gallus inventorum granorum est communicativus cum infirmis sui generis, hoc est, cum gallinis. Et hoc competit Prædicatori ut sua communicet. Act. iv, 32 et 35 : *Erant illis omnia communia :... dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.*

Quinta proprietas est, in capite ardens cristà rubicundissimo colore : quod significat decorem fidei per dilectionem operantis in mente. Sic enim dicitur, Cantic. v, 10 : *Candidus* est in veritate fidei, *et rubicundus* calore charitatis et ardore.

Sexta proprietas est, quod pugnax animal est : unde et natura sibi calcar acutum dedit quo pugnat. Et hoc significat audaciam pro gallinis, hoc est, congregatione commissorum, se exponendi. II ad Corinth. xii, 15 : *Ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Istæ sunt veræ et bonæ proprietates galli. Quidam autem multas ponunt galli proprietates falsas, de quibus non curamus : quia non indiget Deus nostro mendacio, ut pro illo loquamur dolos.

« Et conversus Dominus. »

Attende quod sicut dicit Augustinus in libro de *Concordia Evangelistarum* : « Si congregantur ea quæ in Evangeli- « stis scripta sunt, invenietur quod Do- « minus non corporali oculo, sed oculo « misericordiæ divinitatis suæ Petrum « respexit. » Fuit enim Petrus in exteriori atrio cum eis qui se calefaciebant sub dio. Dominus autem in interiori domus, ubi quæstiones ei fiebant, ut accusatio contra ipsum inveniretur. Dicitur autem, Marc. xiv, 66 : *Cum esset Petrus in atrio deorsum*: ex quo intelligitur per oppositum, quod Dominus erat in interiori domus sursum : ex superiori autem et interiori non poterat corporaliter respicere Petrum, qui erat in exteriori et inferiori deorsum.

Cum igitur dicitur: « *Et conversus Do-*

[1] Act. i, 18.

minus », intelligitur Dominus ad misericordiam Petri versus, ne amplius caderet Petrum præservando. Psal. CXXV, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.*

« Respexit Petrum. »

Oculo miserationis cor ejus convertit. Psal. XII, 4 : *Respice, et exaudi me, Domine Deus meus.* Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Hoc etiam dicit Leo papa : « Trepidationem « discipuli foris positi divino vidit intui- « tu, et paventis animum mox ut respe- « xit, erexit, et in fletum pœnitudinis in- « citavit ».

Et hoc est quod sequitur :

« Et recordatus est Petrus. »

Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

« *Verbi Domini sicut dixerat,* » prædicendo negationem istam, « *quia prius quam gallus cantet,* » hoc est, gallicinium expleat, « *ter me negabis.* » Ut si quis negaret corde, et si quis ore, et si quis opere negaret, Petrus compati sciret, et usque septuagies septies remitteret.

« Et egressus foras, »

Extra consortium malorum, qui sibi causa negationis exstiterant, ut liberas habenas lacrymis dimitteret. Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« Petrus flevit amare. »

Ruth, I, 20 : *Vocate me Mara, id est amaram : quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Thren. I, 20 : *Vide, Domine, quoniam amaritudine plena sum.* Tamen egressio Petri foras ostensionem peccati per confessionem significat. Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit selera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« Et viri qui tenebant illum, illude- **63**
bant ei, cædentes.

Et velaverunt eum, et percutiebant **64**
faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit ?

Et alia multa blasphemantes dice- **65**
bant in eum. »

Ista est ultima pars capituli.

Et habet duas partes : in quarum prima agitur de illusione Domini : in secunda autem, de accusationis inquisitione.

In prima harum tria dicuntur. Primo enim ponit quod illudebant ei in communi : deinde, ponit tres modos illusionum in speciali : tertio, innuit quod multos alios modos blasphemiæ intulerunt.

De primo dicit : « *Et viri,* » hoc est, ministri sacerdotum, « *qui,* » sicut tortores, « *tenebant illum* » ne elaberetur, « *illudebant ei.* » Abdiæ, ℣. 7 : *Omnes viri fœderis tui illuserunt tibi : invaluerunt adversum te viri pacis tuæ.* Proverb. III, 32 : *Abominatio Domini est omnis illusor.* Et post pauca, ibidem, ℣. 34 : *Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.* Isa. XXVIII, 14 et 22 : *Audite verbum Domini, viri illusores, ne forte constringantur vincula vestra.* Illusores autem erant qui verba et actus ejus deridendo perverterunt.

« Cædentes. »

Tres modos ponit in speciali. Cædebant autem maxillam et collum palmis. Job, XVI, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis*

meis. Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

» Et velaverunt eum, »

Hoc est, oculos suos. Et hoc quidem erat inconveniens valde velari speciosum præ filiis hominum, *in quem desiderant Angeli prospicere,* ut dicitur, I Petr. I, 12. Cujus faciem Moyses desiderat videre, Exod. XXXIII, 13 : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam* [1]. Quem sponsa desiderat intueri, Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam.* Cujus facies salvat intuentes, Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Cujus vultum universa desiderat terra. II Paral. IX, 23, universa terra desiderabat videre vultum Salomonis. Hæc ergo facies revelanda erat, et non abscondenda.

Velat autem faciem Domini qui abscondit veritatem. Isa. XXIX, 15 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium.*

« Et percutiebant faciem ejus. »

Tertium est : quia velatum percusserunt in faciem. Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Ibi habent Septuaginta sic : « Dorsum meum « posui ad flagella, et genas meas ad ala- « pas, faciem meam non averti a con- « versione sputorum. » Mich. V, 1 : *In virga percutient maxillam judicis Israel.*

« Et interrogabant eum, dicentes, »

Illudendo. Matth. XX, 19 : *Tradent eum Gentibus ad illudendum.*

« *Prophetiza,* » quia propheta vocaris a turbis, et occultorum conscius.

Dic ergo :

« Quis est qui te percussit? »

Proverb. XVII, 26 : *Non est bonum damnum inferre justo, nec percutere principem qui recta judicat.* Job, XII, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Quamvis enim modo veletur, non diu postea latebit, quando implebitur quod dicitur, Isa. LXII, 1 : *Egrediatur ut splendor justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur.* Hæc autem omnia Dominus majestatis sustinuit, ut nobis formam daret humilitatis et patientiæ, et nos suæ charitati obligaret.. Ad Hebr. XII, 3 et 4 : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.* Ad Philip. II, 5 : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.*

« Et alia multa blasphemantes, »

Hoc est, falso imponentes, « *dicebant in eum,* » hoc est, contra eum. Et hoc est quod in communi supponit Evangelista, quia per singula narrare longum esset. Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Hoc prævidens in spiritu Isaias, LVII, 3 et 4, contra Israelitas sic dicit : *Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri, et fornicariæ. Super quem lusistis? Super quem dilatastis os, et ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, et semen mendax?*

[1] Cf. Genes. XLVII, 29.

66 « Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis.

Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi :

68 Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69 Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.

70 Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum.

71 At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore ejus. »

Hc tangitur de inquisitione accusationis contra Christum.

Dicit autem hic tria : inquirentium malignam inquisitionem, veritatis humillimam confessionem, et ex hoc perversam acceptam accusationem.

In primo determinat tempus inquisitionis, consensum malignitatis, et dolum totius eorum in unum conflatæ potestatis.

Dicit igitur : « *Et ut factus est dies,* » quia nocte afflixerant eum verberibus et sputis et illusionibus. Psal. xxxvii, 8 et 13 : *Lumbi mei impleti sunt illusionibus : vim faciebant qui quærebant animam meam.* Dies autem est, hoc est, non illustratione luminis, sed potius turbine caliginis et tempestatis sacerdotum obvoluta. Job, xxiv, 14 : *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem.* Job, xvii, 12 : *Noctem verterunt in diem : et rursum post tenebras spero lucem.*

« Convenerunt. »

Ecce malitiæ consensus. Psal. ii, 2 : *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

« Seniores plebis. »

Præfecti erant tribuum. Vel etiam, qui quasi senatores inter eos plebibus præerant.

« *Et principes sacerdotum,* » ut quasi de sacris divinis videretur procedere judicium eorum : « *et Scribæ,* » ut sententia quasi de lege procederet, et ex his erat conflata iniqua potestas eorum, et sic melius posset palliari coram populo, et justior coram Pilato videretur. Psal. xxi, 17 : *Concilium malignantium obsedit me.* Eccli. xvi, 7 : *In synagoga peccantium exardebit ignis.*

Isti ergo tales « *duxerunt illum* » examinandum « *in concilium suum,* » in quo Deus nihil facere habuit. Genes. xlix, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Isa. i, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.*

« Dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. »

Ecce dolosa examinatio : et adhuc adhibitum est concilium, quod confessio quam de se faceret sibi præjudicaret. Joan. x, 24 : *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Accusabant enim Christum de duobus, scilicet, de blasphemia, et de calumnia. De blasphemia quidem, quia se diceret Filium Dei, cum homo esset. Joan. x, 33 : *Nos de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.* De calumnia autem, quia dixit se esse Christum : et per consequens regem super Judæos. Sed cum Pilatus non moveretur ad primum, quasi hoc frivolum reputaret, ideo insistunt quærentes de secundo : quia per hoc Cæsari videretur contradicere, et regnum de potestate Cæsaris avertere : et sic Pilatum propter hoc contra eum moveri putabant. Et hac

usi calliditate, dicunt : « *Si tu es Christus, dic nobis* » hoc ore proprio tuo, ut os tuum te condemnet. Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico.* Job, XV, 6 : *Condemnabit te os tuum, et non ego : et labia tua respondebunt tibi.* Matth. XII, 37 : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.*

« Et ait illis, etc. »

Ecce simplicissima et in nullo sibi præjudicans confessio veritatis.

Et continet quatuor : redargutionem incredulitatis, et contra veritatis confessionem obdurationem cordis, et obstinationem animi ad crudelitatem suæ interfectionis, et talem confessionem, quæ omnino liberat eum, simplicis veritatis.

De primo dicit : « *Si vobis dixero* » veritatem, « *non credetis mihi,* » quia inimici estis veritatis. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Et post pauca, ibidem : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit... Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.* Et ita isti mendaciis se armaverunt : et ideo veritatem credere noluerunt. Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

« Si autem et interrogavero »

De veritatis meæ probatione, « *non respondebitis* » per veritatis consensum, vel confessionem. Luc. XX, 1-7, impositum est eis silentium cum quæreretur : Utrum Christus sit filius David ? et de baptismo Joannis, unde esset ? Mendax enim animus convictus et de veritate tabescens, tacet potius in seipso quam veritatem confiteatur. Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.*

« Neque dimittetis. »

Obstinati ad occisionem meam, si confessionem audieritis Cæsari non præjudicantem, non propter hoc dimittetis, sed falsas calumnias fabricabitis. Matth. XXVI, 59 et 60 : *Principes sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent : et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.*

« Ex hoc autem, etc. »

Ecce confessio veritatis nihil penitus habens accusationis.

Dicit ergo : « *Ex hoc,* » id est, post hanc quam infertis passionem. Vel, « *ex hoc,* » *hoc* pro passione : ut præpositio, *ex*, notet causam et ordinem temporis. Ad Hebr. II, 9 : *Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

« *Erit Filius hominis,* » secundum humanitatem, in qua meruit merito operis et merito passionis, « *sedens,* » ut quiescens et regens, « *a dextris,* » in potioribus bonis, « *virtutis Dei,* » hoc est, omnipotentiæ Dei, non amplius circumdatus infirmitate. Psal. CIX, 1 : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quasi dicat : Ego ero sedens, et vos conculcati. Ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem :... atque in dextera sedis Dei sedet.* Ad Coloss. III, 1 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

« Dixerunt autem omnes, »

Quasi avidi rapientes certatim verbum ex ore ejus.

Et tangitur hic veritatis calumnia.

Et habet tres partes : calumniam, et calumniæ judicium, et iniquum testimonium.

« Tu es ergo Filius Dei? »

Ecce calumnia, quia hoc ipse non dixit, sed illi iniqui interpretati sunt: quia omnium electorum est sedere in dextris virtutis Dei. Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent laboraverunt.* Psal. CXVIII, 134 : *Redime me a calumniis hominum.*

« Qui ait, »

Benignissime et sapientissime respondens : quia in dicto suo apparebat regnum suum non esse de hoc mundo : et ideo Cæsari terreno nullum fieri præjudicium.

Et ideo dicit : « *Vos dicitis* » interpretando sermones meos prout vultis : quamvis tamen in conscientiis vestris ex operibus a me visis sciatis, « *quia ego sum* » Christus Filius Dei. Job, VI, 25 et seq : *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit me arguere? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, et in ventum verba profertis. Super pupillum irruitis, et subvertere nitimini amicum vestrum.*

« At illi dixerunt, »

Judicando de calumnia sua iniquum judicium et falsam interpretationem :

« Quid adhuc desideramus testimonium, »

Ut per illud ipsum mortis reum convincamus. Job, XVI, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi.* Tales sunt non advocati, sed calumniatores, qui se advocatos faciunt, omne verbum de ore simplicium rapientes, et in nocumentum eorum pervertentes. Judicum, XII, 6 : *Dic ergo : Scibboleth, quod interpretatur spica. Qui respondebat : Sibboleth, eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant.*

« Ipsi enim audivimus de ore ejus. »

Et sic voluerunt esse et actores, et testes, et accusatores : quia omne quod justum est subvertere quærebant. Amos, VI, 3 : *Separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* II Machab. IV, 47 : *Miseros, qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes judicarentur, hos morte damnavit.*

CAPUT XXIII.

Accusatus coram Pilato mittitur ad Herodem, qui illum spretum illusit : Pilatus conatur ipsum dimittere, proposito Barabba homicida, et promissa castigatione : Judæis tamen instantibus morti adjudicatur ; ductusque ad supplicium, vetat mulieres super se flere : cum latronibus crucifixus, Patrem orat pro crucifigentibus : irridetur a principibus et a militibus acetum offerentibus : posita superscriptione blasphematur ab uno latronum, alteri vero promittit sui in paradiso consortium : post tenebras aliaque signa clamans exspirat : quem centurio justum prædicat, et Joseph corpus ejus sepelit.

1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.
2. Coeperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari [1], et dicentem se Christum regem esse.
3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judaeorum? At ille respondens ait : Tu dicis [2].
4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.
5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc.
6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.
7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.
8. Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.
9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.
10. Stabant autem principes sacerdotum et scribæ, constanter accusantes eum.
11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.
12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem.
13. Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe,
14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum : et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis [3].

[1] Matth. XXII, 21 ; Marc. XII, 17.
[2] Matth. XXVII, 11 ; Marc. XV, 2; Joan. XVIII, 33.
[3] Joan. XVIII, 38 et XIX, 4.

15. Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei.
16. Emendatum ergo illum dimittam.
17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.
18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam,
19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem.
20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.
21. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.
22. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste[1]? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam.
23. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur : et invalescebant voces eorum.
24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.
25. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant : Jesum vero tradidit voluntati eorum.
26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum[2].
27. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum quae plangebant et lamentabantur eum.
28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros :
29. Quoniam ecce venient dies,in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.
30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos[3].
31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?
32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.
33. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum[4] : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris.
34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.
35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit : se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.
36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei,
37. Et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.
38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris græcis, et latinis, et hebraicis : Hic est rex Judæorum.
39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos.
40. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens : Neque tu

[1] Matth. xxvii, 23 ; Marc. xv, 14.
[2] Matth. xxvii, 32 ; Marc. xv, 21.
[3] Isa. ii, 19 ; Osee, x, 8 ; Apocal. vi, 16.
[4] Matth. xxvii ; 33 ; Marc. xv, 22 ; Joan. xix, 17.

times Deum, quod in eadem damnatione es?

41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

44. Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum[1]. Et hæc dicens, exspiravit.

47. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo justus erat.

48. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

49. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.

50. Et ecce vir nomine Joseph[2], qui erat decurio, vir bonus et justus,

51. Hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathæa, civitate Judææ, qui exspectabat et ipse regnum Dei :

52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu :

53. Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

IN CAPUT XXIII LUCÆ

ENARRATIO.

« Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. »

Hic secundum quod in antehabita divisione habitum est, agitur de judicio quo judicatus est Dominus.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima ostenduntur injuste contra Dominum proposita : in secunda parte profertur injusta sententia, ubi Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, et tradidit eum potestate publica crucifigendum.

In prima autem harum tria continentur : accusatio in prætorio Pilati, et delusio coram solio Herodis, et instantia accusationis et postulationis eorum apud Pilati judicium.

In prima harum tria continentur, scilicet, accusantium auditus, et interrogatio accusati Domini, et causa quare ad Herodem oportuit causam mitti.

[1] Psal. xxx, 6.

[2] Matth. xxvii, 57 ; Marc. xv, 43 ; Joan. xix, 38.

In primo horum tria dicuntur : omnium scilicet ad accusandum concors malitia, ad Pilatum productio, et accusatio coram Pilato proposita.

Dicit igitur :

1 « Et surgens. »

Impetum concitati spiritus non valens ferre, sed inquietudine indignationis exagitata, multitudo surrexit, ut armarentur contra eum. Psal. xxvi, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui : et mentita est iniquitas sibi.* Psal. lviii, 2 : *Ab insurgentibus in me libera me, Domine.* Thren. iii, 62 et 63 : *Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide : ego sum psalmus eorum.*

« Omnis multitudo eorum. »

Isa. xvii, 12 : *Væ multitudini populorum, ut multitudo maris sonantis.* Job, xxx, 18 : *In multitudine eorum consumitur vestimentum meum :* quia honestam ejus conversationem lacerare præsumebant. Psal. liii, 5 : *Alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam.*

« *Duxerunt,* » de domo Caiphæ in qua tota nocte Dominum afflixerant, « *ad Pilatum,* » ut auctoritate Pilati mala eorum voluntas fieret, et ipsi quasi immunes reputarentur. Eccli. vii, 7 : *Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum.*

Hic autem quærit Chrysostomus : Quare non suffocaverunt eum occulte, vel eduxerunt ut lapidarent eum sicut Stephanum [1] ? cum, Levit. xxiv, 14, dicatur : *Educ blasphemum extra castra : et lapidet eum populus universus.* Solvit autem Chrysostomus ad hoc dicens, quod « in publica confusione Christi gloriam « ejus volebant diminuere. Et sic, quod « coram discipulis et credentibus sordes- « ceret, et ad nihilum fides eorum qua in « Christum credebant redigeretur. » Verumtamen dici potest, quod publice captum occulte occidere non audebant, nec per se occidere poterant : quia potestas reipublicæ ad Romanos translata erat. Stephanum autem occiderunt, collata a Romanis pontificibus potestate.

« Cœperunt autem illum accusare, 2
dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. »

Hic tangitur accusationum propositio.

Et ponunt tres accusationes, quas maxime judicem movere credebant.

Prima est quam dicunt : « *Hunc invenimus,* » perfecta veritatis examinatione, « *subvertentem gentem nostram :* » et ita non sinere populum nostrum in pace vivere : sed leges novas docentem, quibus populus rebellare incipiat. Hoc enim intendunt persuadere nomine subversionis : quia aliter accusatio coram judice non valeret. Et hæc est accusatio Aman iniqui, Esther, iii, 8 : *Novis utens legibus et ceremoniis, insuper et regis scita contemnens : et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam.* Hanc igitur et talem intelligunt populi ab obedientia subversionem. Mentiebantur autem, quia non fecit nisi regni diaboli subversionem. Aggæi, ii, 23 : *Subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium, et subvertam quadrigam et ascensorem ejus.* Isa. x, 34 : *Subvertentur condensa saltus ferro.*

[1] Cf. Act. vii, 59.

« Et prohibentem tributa dari Cæsari. »

Secunda est accusatio, in qua plane mentiuntur. Luc. xx, 25 : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Ad Roman. xiii, 7, etiam postquam in cœlo triumphavit, dixit per suum Apostolum : *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.*

« Et dicentem se Christum, »

Hoc est, unctum

« Regem esse. »

Et est tertia accusatio. Cui, sicut dicitur, Joan. xix, 12, addiderunt : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Christus autem, sicut dicitur, Joan. xviii, 36, dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Unde in tribus istis accusationibus talem habebant considerationem, quod ex prima quies regni turbaretur, ex secunda Cæsar utilitate regni privaretur, et ex tertia Cæsar in tota postestate regni destitueretur. Et sic malitiose concinnaverant mendacia, ex quibus animus judicis contra Christum provocaretur. Isa. xxxii, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

3 « Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum ? At ille respondens ait : Tu dicis.

4 Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.

At illi invalescebant, dicentes : 5
« Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. »

Accusationibus propositis, Pilatus continuando in judicio de dictis audit respondentem Dominum. Et juste quidem hoc fecit. Joan. vii, 51 : *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso ?*

Facit autem tria in parte ista. Audit enim Christum ad objecta respondentem, auditum judicat absolvendum, audit clamorem invalescentem accusantium.

De primo dicit : « *Pilatus autem,* » præses et gentilis judex, « *interrogavit eum,* » scilicet Christum, « *dicens.* » Sciens in impetu eorum quod ex odio movebantur, et non ex justitia. Sapient. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.*

« Tu es, »

Hoc est : « *Tu* » ne « *es rex Judæorum ?* » Ac si dicat : Confitere de teipso veritatem. Et non facit mentionem Pilatus de duabus prioribus accusationibus, quia dependebant ab ista. Si enim rex esset, pro certo commoveret ad se populum, et sibi vindicaret tributum. De rege autem quærebat, quia jam vulgatum erat, quod et regem Magi adoraverant, et quod Herodes hac de causa pueros occiderat. Timebat enim aliquem de semine David regnum terrenum occupaturum. Sed quia, sicut Joannes refert[1], regnum Christi audivit non esse de hoc mundo, et nullas impensas vidit apud pauperem esse Christum, nec arma, nec acies digestas videbat, ideo convertit se ad liberandum. Tamen vere rex erat.

Et hoc est :

« At ille respondens ait, »

[1] Joan. xviii, 36.

Christus scilicet Pilato : « *Tu dicis.* » Quasi diceret : Tu in corde sentis me regem spiritualem esse, qui me et alios in virtutibus rego. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* Jerem. XXIII, 6 : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Et, ibidem, ℣. 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra.* Unde, Matth. XXVII, 18 : *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.*

« Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, »

Quorum auctoritate hæc fiebant, « *et turbas,* » per quas principes sacerdotum hoc faciebant :

« Nihil invenio causæ in hoc homine. »

Nec erat hoc mirum : quia, Joan. XIV, 30, dixit : *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.*

« At illi, »

Scilicet principes sacerdotum, et turbæ, « *invalescebant, dicentes.* » Hujus causam assignat Chrysostomus, quia Pilatus mollis erat, sicut homo diligens principatum. Pertinaces autem et obstinati erant sacerdotes : et ideo invalescebant. Habacuc, I, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.*

« Commovet populum. »

Semper ingeminant de populi commotione, ut inflectant judicem : cum Christus non ad seditiones, sed ad peccati compunctionem populum commoverit. Psal. LIX, 4 : *Commovisti terram, et conturbasti eam : sana contritiones ejus, quia commota est.* Eccli. XLIII, 17 : *In conspectu ejus commovebuntur montes.*

« Docens per universam Judæam. »

Ubique enim docuit Dominus : quia, Matth. X, 5 et 6, discipulos ad civitates Judææ misit, dicens : *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.*

« *Incipiens a Galilæa,* » in qua incepit prædicare, « *usque huc,* » scilicet Jerusalem quæ est caput regni. Isa. IX, 1 : *Primo tempore alleviata est terra Zabulon et terra Nephthali : et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium.* Galilæa enim principium prædicationis esse debuit secundum prophetiam, sicut sæpe in antehabitis est ostensum : et in Jerusalem finiri debuit, sicut ipse dixit, Luc. XIII, 33 : *Non capit prophetam perire extra Jerusalem.*

« Pilatus autem audiens Galilæam, 6
interrogavit si homo Galilæus esset.

Et ut cognovit quod de Herodis po- 7
testate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. »

Hic tangit qua de causa misit causam judicii Pilatus ad Herodem.

Tangit autem tria, scilicet, quod audivit quod Galilæus esset, quod de hoc inquisitionem fecit, quod comperta veritate Dominum ad Herodem misit.

Dicit igitur : « *Pilatus autem audiens Galilæam,* » scilicet quod de Galilæa processisset. Act. II, 7 : *Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt ?*

« Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset. »

Non quidem quia in Galilæa natus esset, sed quia ibi conceptus erat et nu-

tritus, et ab illa provincia prædicare est exorsus.

Ut ergo veritatem hujus facti comperit, « *remisit eum ad Herodem.* » Quia, sicut, Luc. XIII, 1, dictum est, jam alia vice inimicitias cum Herode contraxerat: quia homines suæ jurisdictionis sine jussu Herodis punierat : et ideo sibi cavere de cætero cupiebat.

« *Qui et ipse,* » Herodes, « *Jerosolymis erat,* » causa reconciliationis cum Pilato factæ illuc veniens, « *illis diebus* » festi paschalis, ad quod forte etiam Herodes advenerat, volens placere Judæis, quibus multum placere cupiebat ut posset regnare super eos.

Quærit autem Chrysostomus : Quare Pilatus non quæsivit de hoc veritatem a Domino? Et respondet, quod libenter occasionem accepit causam referendi ad alium, volens liberare seipsum : quia vidit quod invidia contra ipsum movebantur.

8 « Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9 Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

10 Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum.

11 Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum.

12 Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. »

Hic incipit judicium quod subiit Dominus ante Herodem.

Continet autem quinque : gaudium scilicet Herodis de præsentato sibi Domino, interrogationes factas ab Herode, constantiam accusantium sacerdotum, contemptum quem ab Herode sustinuit, et qualiter in morte Domini reconciliati sunt Pilatus et Herodes.

Dicitur igitur : « *Herodes autem,* » qui Joannem interfecit, et cujus pater pueros occidit, et cui hæreditaria malitia fuit. Sapient. XII, 11 : *Semen enim erat maledictum ab initio.* Cur ? *Quoniam naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.*

« *Viso Jesu,* » præsentato sibi, quem ante ad interficiendum quæsiverat. Luc. XIII, 31 : *Exi, et vade hinc : quia Herodes vult te occidere.*

« *Gavisus est valde.* » Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

Quæ autem fuerit tanti gaudii materia, subjungit :

« Erat enim cupiens multo tempore videre Jesum.

Non quidem ex devotione : sed quia dolosus erat, simulabat se signa quærere sicut Judæi, ad fidei Judæorum confortationem : sed tamen intra desiderabat exstingere omne semen David, ut ipse solus regnaret. Matth. II, 16 : *Mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem,... secundum tempus quod exquisierat a Magis.* Hoc enim fecit pater istius, cujus malitiæ ipse hæres fuit. Sapient. IV, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes suos.*

« *Eo quod audierat multa de eo,* » per famam turbarum et discipulorum Joannis. Luc. IX, 9, Herodes audivit famam de Jesu, et dicebat : *Joannem ego decollavi. Quis est autem iste de quo ego talia audio ?*

« *Et sperabat,* » curiositate tractus, « *signum aliquod videre ab eo fieri.* » Joan. IV, 48 : *Nisi signa et prodigia vi-*

deritis, non creditis. Neque petebat signum ut crederet, sed ut suam pasceret curiositatem, et ideo signum non accepit. Luc. XI, 29 : *Generatio hæc, generatio nequam est : signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Tamen hoc maxime petebat ab eo videre. Joan. VI, 30 : *Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi ?*

« Interrogabat autem eum, »

Herodes Jesum, « *multis sermonibus :* » volens eum ad signum faciendum provocare. Proverb. VII, 21 : *Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum.* Proverb. XXVII, 21 : *Cor iniqui quærit mala.* Eccli. XIII, 14 : *Non credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis.*

« At ipse nihil illi respondebat. »

Non tamen obmutuit. Et ideo dicit Matthæus, XXVII, 14 : *Non respondit ei ad ullum verbum : ita ut miraretur præses vehementer.* Sed hoc fecit ut prophetiam Isaiæ, LIII, 7, impleret, quæ dicit : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Psal. XXXVIII, 10 : *Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Isa. LVIII, 13 et 14 : *Si non fuerit voluntas tua ut loquaris sermonem,... sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob, patris tui.* Exod. XIV, 14 : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Ut ergo prophetiam impleret, ut patientiæ formam daret, ut indignos illos sua responsione ostenderet, ut passionem non prolongaret : ideo nihil respondit.

« Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ, »

Suæ malitiæ non immemores, « *constanter,* » hoc est, pertinaciter, « *accusantes eum,* » inflammati ab illo, de quo dicitur, Apocal. XII, 10 : *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Sic enim Cain stabat contra Abel[1] : sic filii Jacob contra Joseph[2] : sic Babylonii contra Danielem[3]. Hæc est invidia, quæ semper malos incitat contra bonos. Hic est vermis, qui percussit hederæ virorem, ne caput Jonæ obumbraret[4].

« Sprevit autem illum Herodes, »

Hoc est, contemptui habuit. Ad Hebr. VI, 6 : *Crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.* Causa autem fuit, quia nihil diceret ei qui potuit eum liberare : et signa pro eo non faceret, more eorum qui ludos tragœdicos coram nobilibus faciunt, quorum Dominus particeps esse noluit.

« *Cum exercitu suo,* » qui stultum Dominum reputavit : quia se per signa et verba non liberavit ab Herode. I Reg. XXI, 14 et 15 : *Vidistis hominem insanum : quare adduxisis eum ad me ? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum ut fureret me præsente ? Hiccine ingredietur domum meam ?*

« Et illusit indutum veste alba. »

Alba vestis ab istis quidem in illusionem Domini posita est. Sed tamen hoc genus illusionis electum : quia vestis alba, sacerdotalis vestis est, et signum præfert innocentiæ. Ipse enim est de quo dicitur, Sapient. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis*

[1] Cf. Genes IV, 5.
[2] Cf. Genes. XXXVII, 4.
[3] Cf. Daniel. XIV, 27.
[4] Cf. Jonæ, IV, 7.

illius. Et in signum hujus, alba posita est in veste sacerdotali. Et illi qui patiuntur cum Christo, albis innocentiæ debent esse induti. Apocal. III, 4 : *Qui non inquinaverunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis.* Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Ita etiam velum capitis ejus amictum sacerdotalem, ut quidam dicunt, prætendebat : sed tamen hoc convenientius per sudarium significatur. De illusione autem dicitur, Job, XXX, 1 : *Nunc derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.*

« Et remisit illum, »

Sicut contemptibilem et vilem, « *ad Pilatum.* » Proverb. XIII, 1 : *Qui illusor est, non audit cum arguitur.* Proverb. XIX, 29 : *Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.* Et quia illusor est, illusum Salvatorem a se remisit, nihil penitus reputans eum. Psal. XXI, 7 : *Ego sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis.*

« Et facti sunt amici in ipsa die »

Illusionis et passionis Domini « *Herodes et Pilatus.* » Sicut vulpes Samsonis[1], caudis convenerunt ut illuderent Domino, quamvis capita haberent divisa : quia in diversa habebant tendentes voluntates, et intentiones. In hoc enim solo amici sunt, quia ejusdem innocentis Christi sunt inimici. Et tales viri proprie *illusores* vocantur, qui in malum concordantes, in aliis malitiam suam dissimulant, donec voluntates suas malas consequantur. II Petr. III, 3 *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes.*

« Nam antea inimici erant ad invicem. »

Propter causam, quæ superius satis determinata est. Et hoc ipsum signum fuit, quod in sanguine Christi inimicitiæ sunt reconciliatæ. Ad Ephes. II, 13 : *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.*

« Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, **13**

Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum : et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. » **14**

Hic incipit pars, quæ est de reditu ad judicium Pilati, in qua Pilatus videns per invidiam traditum esse Dominum, intendit ad liberationem ipsius.

Et habet partes quatuor : in quarum prima, pro ratione liberationis assignat, quia in duobus judiciis non sit inventa causa condemnationis contra eum : in secunda, pro causa inducit solemnitatem festi instantis : in tertia autem, satietatem pœnarum, quia iræ eorum satis esse debebat, quia flagellatus fuit : in quarta autem, nullam videns a Judæis audiri rationem, simplicem Domini allegat innocentiam.

Dicit igitur in prima istarum duo, scilicet, absolutionem judicii sui, et absolutionem judicii Herodis.

In primo horum tria dicit : primo enim accusatores convocavit, deinde accusationem propositam pronuntiat, tertio innocentem absolvendum sententiat.

Dicit igitur :

« *Pilatus autem,* » præses, « *convocatis principibus sacerdotum,* » qui princi-

[1] Cf. Judicum, XV, 4.

pales erant, « *et magistratibus plebis,* » qui sacerdotibus vires administrabant.

« Dixit ad illos, »

Referens quæ dixerunt : « *Obtulistis mihi hunc hominem,* » ad tribunal sive prætorium meum, accusantes eum, « *quasi avertentem populum* » ab obedientia regni, et tumultus procurantem : « *et ecce,* » quod in evidenti est, quia in probatione deficitis, « *coram vobis,* » ubi vobis, locus impugnandi eum conceditur, et sibi locus defendendi, « *nullam causam* » mortis « *inveni,* » ex vestris probationibus, « *in homine isto* : » cum lex vestra dicat, Exod. XXIII, 7 : *Insontem et justum non occides : quia aversor impium.*

« *Ex his in quibus eum accusatis,* » quia in probatione deficitis, et accusationes quas ponitis sunt frivolæ. Psal. XXXIV, 11 : *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Act. III, 13 et 14 : *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.*

15 « Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei.

16 Emendatum ergo illum dimittam. »

Ecce absolutio secundi judicii.

Tangit autem tria : iniquitatem judicis, examen ejusdem Dominum absolventis, causam absolutionis, et ex his concludit Dominum esse dimittendum.

Dicit igitur : « *Sed neque Herodes,* » qui tam iniquus fuit, quod etiam ante captivitatem sibi insidiaretur : tam astutus, ut vulpi comparetur [1].

« *Nam remisi vos ad illum,* » et remisit ad me illum non damnatum. Et hoc ipsum erat miserabile, auctorem salutis sic per diversa judicia distrahere. Jerem. II, 5 : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ?* Psal. XVI, 3 : *Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Igne enim invidiæ et iræ tam Judæorum quam Gentilium examinatus, undique purus evadit.

« Et ecce nihil dignum morte actum est ei, »

Hoc est, in actis judicii Herodis, nihil dignum morte actum est ei. Qualiter enim inveniretur in auctore vitæ aliquid dignum morte ? Unde, Joan. XVIII, 38 : *Ergo nullam invenio in eo causam.* Daniel. XIII, 35 : *Innocentem et justum non interficies.* Genes. XVIII, 25 : *Absit a te, ut rem hanc facias, et occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum : qui judicas omnem terram, non facies judicium hoc.*

« Emendatum ergo illum dimittam. »

Conclusio est ex præcedentibus. Ac si dicat : Nulla causa est in eo nisi invidia vestra, quæ exsatiari vult pœnis ejus. Concedatur vobis, quia ego « *emendatum,* » hoc est, flagellatum, « *dimittam.* » Job, XVI, 11 : *Satiati sunt pœnis meis.* Psal. XXXVII, 18 : *Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.*

« Necesse autem habebat dimittere **17** eis per diem festum, unum.

Exclamavit autem simul universa **18** turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam.

Qui erat propter seditionem quam- **19**

[1] Cf. Luc. XIII, 32.

dam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem.

20 Iterum autem Pilatus locutus est ad eos volens dimittere Jesum.

21 At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

22 Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste ? Nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam.

23 At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur : et invalescebant voces eorum. »

Hic secundam causam inducit suæ liberationis, ex ratione solemnitatis instantis.

Dicit autem tria : dimittendi scilicet necessitatem : et ne dimitteretur, turbæ exclamationem : et electionis perversitatem.

De primo dicit : « *Necesse autem habebat,* » ex consuetudine approbata, » *dimittere* » liberum « *per diem festum.* » Hoc propter diem festum Paschæ, in quo ipsi capti liberati fuerunt de Ægypto : et in memoriam illius liberationis aliquis de carcere liberabatur.

« *Unum* » vinctum. Et sic dicitur, Matth. xxvii, 16 : *Habebat tunc vinctum insignem,* qui et latro fuit in viis, et nocturnus ostiorum suffosor, et homicida. Et proposuit Pilatus, utrum vellent sibi dimitti Jesum innocentem, an illum latronem ? firmiter præsumens quod peterent sibi dimitti innocentem. Jerem. xxi, 8 : *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.* Deuter. xxx, 15 : *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum.*

« Exclamavit autem simul, »

In malo consentiens, « *universa* » generaliter « *turba.* » Matth. xxvii, 20 : *Principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam.*

« *Dicens.* » Jerem. xii, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva, dedit contra me vocem suam.*

« Tolle hunc, »

Christum. Sapient. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.*

« *Et dimitte nobis Barabbam.* » Jerem. viii, 3 : *Eligent magis mortem quam vitam, omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima.* Proverb. xvi, 15 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.*

« Qui, »

Scilicet Barabbas, « *erat propter seditionem quamdam,* » quam ille ex antiqua et mala sua consuetudine concitaverat, « *factam in civitate* » Jerusalem, quæ nomine suo, et metropolitica dignitate, pacem in civibus habere debuerat. Psal. cxxi, 7 : *Fiat pax in virtute tua.*

« *Et homicidium,* » quod ipse Deus, Exod. xxii, 3, morte plecti præcepit, « *missus in carcerem.* » In carcerem autem missus fuit propter instans festum, ut post puniretur. Act. xii, 1 : *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem,... volens post Pascha producere eum populo.*

Barabbas autem dupliciter invenitur in antiquis libris. In quibusdam enim libris invenitur per simplex r sic, *Barabbas.* Sic interpretatur *filius patris :* quia Bar est *filius,* et Abbas *pater :* quia fuit unus de illis de quibus dicitur, Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Invenitur autem aliquando nomen suum scriptum per duplex r sic, *Barrabas* : et sic interpretatur *filius magistri :* quia omnis erroris magistrum secutus fuit diabolum : de quo, ad Roman. ii, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces.* Matth. xxiii, 10 : *Non vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus.* Quamvis autem

isti nequissima voluntate latronem dimitti præelegerint, tamen Dei sapientia malum eorum ordinante, id factum est, ut ipso facto ostenderetur, quod vincti solverentur de carcere per Christi passionem. Isa. LXI, 1 : *Ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Significat etiam quod vincula peccatorum solvuntur. Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.*

« Iterum autem Pilatus. »

Tertia est inquisitio dimissionis. Et ideo « *locutus est ad eos,* » hoc est, concionabatur pro Domino ad eos, ut sedaretur tumultus populi : ut sic rationabiliter persuaderetur dimissio Domini. Eccli. IV, 10 : *In judicando esto pupillis misericors ut pater.* Job, XXIX, 19 : *Pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligentissime investigabam.* Causa autem hujus concionationis exprimitur, Matth. XXVII, 19, quia uxor sua miserat ad eum, dicens : *Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum hodie per visum propter eum,* scilicet ab Angelo illius in hac nocte.

« At illi »

E contrario « *succlamabant, dicentes.* » Josue, IX, 2 : *Congregati sunt pariter,* scilicet hostes qui erant trans Jordanem, *ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, eademque sententia.*

« Crucifige, crucifige eum. »

Quia in tantum odii devenerant, quod mulctam mortis voluerunt cumulari horrore confusionis crucis.

Adhuc autem, quia affixio crucis acerba et diutina est vexatio mortis. Volebant igitur ut diu morte tortus, multas mortes pateretur. Et ideo nimis desiderantes pœnarum cumulum infligi sibi, ingeminant : « *Crucifige, crucifige eum.* » Joan. XIX, 15 : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Christus autem contra mulctam mortis opposuit patientiam, et gaudium sibi fecit de confusione, et taciturnitatem contraposuit clamori.

De primis duobus dicitur, ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta : atque in dextera Dei sedet.* De tertio dicitur in Psalmo XXXVIII, 2 et 3 : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me : obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis.* Et ideo etiam sibi et suis tria meruit. Per pœnam enim meruit beatitudinem citæ et velocis resurrectionis : et per confusionem crucis, coronam gloriæ et honoris : et per inclamationem, meruit ab omni lingua laudis confessionem. Ad Philip. II, 8 et seq. : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.* Contra pœnam : *Et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Contra confusionem : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Et contra inclamationem : *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

« Ille autem, »

Pilatus, « *tertio dixit,* » quamvis pluries quam tertio liberationem quæsierat, sicut dicit Glossa. Hanc enim quæsivit primo judicis mutatione, ad Herodem mittendo. Secundo, flagellorum inflictione, oculos invidorum et rapidorum canum laceratione corporis Domini satiando. Job, XIX, 22 : *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini ?* Tertio hoc quæsivit, Christum latroni conferendo, quis inter duos dimitti peteretur : arbitrans quod innocens latroni, qui recenter læserat, præferre-

tur. Quarto quæsivit hoc sententiæ dilatione, innocentiam suam in judicio ostendendo. Matth. xxvii, 24 : *Lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis.* Quinto, quærit hoc objectorum annulatione, dicens :

« Quid enim mali fecit iste ? »

De quo dicitur, Isa. liii, 9 : *Dabit impios pro sepultura,... eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* Et maxime, quid male fecit ut maledicto exponatur, et ut morte turpissima condemnetur ? Deuter. xxi, 23 : *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno.* Jerem. xi, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* Sapient. ii, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.*

« Nullam causam mortis, »

Et præcipue talis mortis, « *invenio in eo,* » quamvis coram vobis positum diligenter examinaverim. Fuit enim Pilatus secutus consilium Sapientis, Eccli. xi, 7 : *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interrogaveris, corripe juste.*

Concludit autem ex his dicens :

« Corripiam ergo illum »

Adhuc amplioribus, si vultis, verberibus, « *et* » sic « *dimittam,* » quia mortem non meruit. In ipso enim, illis ignorantibus, posita est a Patre nostræ correptionis disciplina. Isa. liii, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* Ad Hebr. xii, 7 et 8 : *Quis filius quem non corripit pater ? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.* Et hic fuit ordo sapientiæ divinæ.

« At illi, »

E contrario, « *instabant,* » hoc est, instanter petentes, « *vocibus magnis,* » quia se veritate nudos esse confitebantur, quando clamoribus et multitudine se armaverunt. Petebant ergo sibi fieri, quod per judicium obtinere non poterant.

« *Postulantes ut crucifigeretur.* » Proverb. i, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Psal. xiii, 3 : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.*

« *Et invalescebant* » continuis incrementis, « *voces eorum.* » II ad Timoth. iii, 13 : *Mali homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.* Permixtim enim inter eos fuerunt sacerdotes, et Scribæ, et Pharisæi, qui ad hæc incitabant populum. Hoc enim semen zizaniæ illi populo superseminavit inimicus homo diabolus. Matth. xiii, 27 et 28 : *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo ? unde ergo habet zizania ? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit.* Et sub alia metaphora dicit idem, Isa. v, 2 : *Exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.*

« Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. **24**

Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant : Jesum vero tradidit voluntati eorum. » **25**

Ab hoc loco incipit agere de condemnatione Domini.

Habet autem partes duas : condemnationis sententiam, et qualiter sententia perfecta est in opere.

In prima parte quæ parva est continentur tria : quorum primum est iniquus consensus in malum, secundum iniquior

absolutio nocentis, tertium autem iniquissima condemnatio innocentis.

De primo dicit : « *Et Pilatus,* » ambiens principatum, et timens ne contra eum ut ab officio præsidis amoveretur, Romam scriberent, « *adjudicavit,* » non quidem ex ratione, sed ex ambitione potestatis, « *fieri petitionem illorum,* » in qua per justitiam nihil obtinere poterant. Fecit ergo contra sententiam Domini, volens placatum habere populum. Exod. XXIII, 2 : *Non sequeris turbam ad faciendum malum.* Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et post pauca, ℣. 7 : *Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum.*

« Dimisit autem illis, »

Hoc est, propter illos, « *eum,* » latronem insignem Barabbam, « *qui propter homicidium* » (Exod. XXI, 23, præcipitur quod anima detur pro anima) « *et seditionem,* » quod est crimen quod totam urbem commovit, et omni pœna dignum. Esther, XIII, 7 : *Jussimus ut nefarii homines una die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbaverunt.*

« *Missus fuerat in carcerem,* » ut post Pascha publice puniretur. « *Quem petebant,* » contra præceptum Domini. Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere.* III Reg. XX, 42 : *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Sapient. VI, 5 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ.*

« Jesum vero, »

Auctorem salutis innocentem, « *tradidit,* » non quidem justitiæ, sed « *voluntati eorum* » iniquæ. Proverb. XXV, 26 : *Fons turbatus pede, et vena corrupta, justus cadens coram impio.* Eccle. VII, 16 : *Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua.* Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Et hæc est justa causa condemnationis Pilati, quia tradidit eum voluntati eorum. Et ideo, Job, XVI, 18, in persona Domini lamentans dicit : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.*

« Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa : et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. » **26**

Hic tangitur crudelitas voluntatis eorum, qualiter scilicet mandata est exsecutioni.

Et in hac parte continentur tria, scilicet crucifixio, crucifixi observatio, et observati mortificatio.

In primo autem horum quinque per ordinem continentur, scilicet eductio, turbæ insecutio, suorum allocutio, latronum cum ipso associatio, et loci crucifixionis abominatio.

In primo horum duo continentur : eductionis afflictio, et Simonis angariatio.

Dicit igitur :

« *Et cum ducerent eum* » ad crucifigendum extra civitatem. Et hanc eductionem plenius describit Joannes, XIX, 17, sic dicens : *Et Jesus bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice autem Golgotha :* quia primo cum educerent eum, ipsemet portavit sibi crucem. Hoc enim quamvis sibi admolestiam fecerint, tamen hoc sapientia Dei ad mysterium ordinavit. Unde, ad Hebr. XIII, 11 et seq. : *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Tangit Apostolus sacri-

ficium vitulæ rufæ [1], cujus carnes extra castra cremabantur : et sanguis per pontificem intra Sancta sanctorum inferebatur, et postea in populum aspergebatur. Et sic Dominicum corpus extra portam passum est, et sanguis coram Patre in Sancta sanctorum cœlestibus est oblatus, et mundus aspersione sanguinis sui sanctificatus. Sic ergo a principio eduxerunt eum per ordinationem divinæ sapientiæ. Act. IV, 28 : *Convenerunt vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.*

Sed quia tota nocte et die afflictus fuerat, videntes eum invalidum ad portandum crucem, dum partem viæ portasset eam, tunc

« Apprehenderunt Simonem, etc. »

Et hoc ipsum Spiritus sanctus ordinavit. Non enim sufficit, quod Christus solus pro nobis crucem portet, sed oportet quod etiam nobis imponatur. Matth. XVI, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Luc. XIV, 27 : *Qui non bajulat crucem suam, et venit ad me, non potest meus esse discipulus.* Sic igitur et hac de causa communicata est crux portanda Simoni. Erat autem iste Simon gentilis, pater cujusdam Alexandri et Rufi, sicut dicitur, Marc. XV, 21, natus de Cyrene, quæ est civitas Lybiæ. Amos, IX, 7 : *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, et Palæstinos de Cappadocia, et Syros de Cyrene ?* Quasi dicat : Sic.

Iste ergo Simon fuit gentilis Cyrenæus. Et significabatur, quod gentilitas citius ad communicationem crucis per fidem veniret quam circumcisio. Circumcisio enim crucem Salvatori paravit : et hanc gentilitas ab humeris Domini portandam assumpsit. I Petr. IV, 13 : *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes.*

Hoc igitur est quod dicitur :

« *Apprehenderunt,* » in via jam Domino deficiente, « *Simonem quemdam,* » gentilem, nomen tamen hebraicum habentem, propter hoc quod contendebatur Judæis, « *Cyrenensem,* » de Cyrene natum, « *venientem,* » Dei ordinatione, « *de villa* » rusticanæ simplicitatis. In hoc autem mysterio in persona Domini dicit Psalmus XVII, 45 et 46 : *Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi : filii alieni mentiti sunt mihi.* Unde etiam Simon *obediens* interpretatur.

« *Et imposuerunt ei,* » per angariam, ut dicitur, Matth. XXVII, 32, « *crucem portare,* » hoc est, ad portandum, « *post Jesum,* » ut in hoc Jesum imitaretur. Et litteralis quidem causa fuit, quod tanti opprobrii erat crux, quod nullus Judæorum contingere eam voluit : sed gentilis in angaria Judæorum eam portare coactus fuit. Et ideo de invitis pœnitentiam facientibus, et Religiosis dicitur, quod portant crucem Simonis.

In hoc tamen quod dicitur : « *Post Jesum,* » imitatio exempli Domini intelligitur. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Unde Hieronymus dicit : « In Christo significantur « qui sponte portant crucem Domini : in « Simone vero illi qui portant inviti, et « cum murmure, qui sunt similes currui « onusto fœno. » Eccli. XXXIII, 5 : *Præcordia fatui quasi rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius.*

« Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum quæ 27

[1] Cf. Levit. XVI, 27.

plangebant et lamentabantur eum. »

Ecce secundum de sequentibus Dominum.

Sequuntur autem duo genera hominum, scilicet, cum turba ut irriderent, et cum amicis suis plures sequebantur ut eum plangerent.

De primis dicit : « *Sequebatur autem illum* » exeuntem, « *multa turba,* » aut propter videndum supplicium, aut ut viderent si se liberaret per miraculum. Sicut etiam multis de causis, ut superius diximus, sequebantur eum prædicantem. Joan. VI, 5 : *Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum.*

« *Et mulieres* » devotæ quæ ascenderant de Galilæa ministrantes de facultatibus suis : et quædam etiam erant de civitate : et forte de Bethania, et de aliis viciniis civitatis.

« *Quæ plangebant* » lacrymis. Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Thren. I, 2 : *Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.*

« *Et lamentabantur eum,* » ne tanquam illamentatus videretur esse abjectus. Est autem lamentum compositus planctus ex virtutibus, quibus privatur mortuus. Isa. XXXII, 11 et seq. : *Accingite lumbos vestros. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendent, quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis !* Lumbi enim præcinguntur, cum ad exemplum Christi carnalis concupiscentia frænatur. Super ubera autem accinguntur, cum delectatio carnalis non tantum in carne, sed etiam in corde restringitur. Plangunt autem super regione desiderabili, quando in regione legis divinæ, filios a patrum gratia sic vident degenerasse. Plangunt super vinea fertili, quando fertilitatem gaudiorum æternorum vident in insaniam crucifixionis Domini esse mutatam. Vident enim spinas pungitivarum linguarum, et vepres astutiarum quæ detinent in via Dei transeuntes, super humum Domini in Synagoga et Ecclesia jam ascendisse. Et ideo super omnem domum gaudii civitatis in crucifixione Domini exsultantis, in proximo ascendent spinæ pungitivæ captivitatis.

« Conversus autem ad illas Jesus, **28**
dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros :

Quoniam ecce venient dies, in qui- **29**
bus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.

Tunc incipient dicere montibus : **30**
Cadite super nos : et collibus : Operite nos.

Quia si in viridi ligno hæc faciunt, **31**
in arido quid fiet ? »

Hic tangit suorum allocutionem et eruditionem eorum.

Et dicit hic duo : faciei ad ipsos conversionem, et ipsam eruditionem.

Dicit ergo : « *Conversus autem Jesus ad illas.* » Et ipsa conversio dignationis fuit. Psal. LXXXIX, 13 : *Convertere, Domine, usquequo, et deprecabilis esto super servos tuos.* Psal. XXXI, 4 : *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina,* aculei scilicet angustiæ passionis.

« Dixit. »

Tangit autem hic tria, scilicet, super quos est flendum, et quod flendum, et qua de causa.

In primo horum duo dicuntur, scilicet, quod super ipsum non est flendum, et quod super ipsas et successores civitatis est flendum.

Dicit igitur :

« Filiæ Jerusalem. »

Et ex hoc patet, quod multæ personæ de Jerusalem devotæ sibi fuerunt. Aliter etiam, *Filiæ Jerusalem* sunt filiæ æternæ pacis. Ad Galat. IV, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est : quæ est mater nostra.* Tamen magis hic litteraliter loquitur Dominus. Luc. XIX, 41 et 42 : *Videns civitatem Jerusalem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu,* supple, fleres. Ideo ergo vocat filias Jerusalem.

« Nolite flere super me. »

Ego enim patior ad redemptionem omnium. Ego etiam morior tertia die resurrecturus. Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.* Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti,... sic erit Filius hominis in corde terræ.* Unde, Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.* Eccli. XXII, 11 et 12 : *Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit. Nequissimi autem nequissima vita,* et ille magis plangendus est.

« *Nolite ergo flere super me,* »

« Sed super vos ipsas flete. »

Quia multæ ex vobis sunt, quæ malum civitatis oculis corporis videbunt. Thren. I, 16 : *Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquam, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam.* Psal. CXVIII, 136 : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.*

« Et super filios vestros, »

Qui in captivitate Jerusalem involventur. Matth. XXIV, 19 : *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.* Illi enim filii qui nunc nutriuntur, in captivitatem deducentur. Thren. I, 16 : *Facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.* Et est ac si diceret : Ne lamentemini me moriturum, cujus cita resurrectio mortem solvere potest, cujus mors mortem et ipsum mortis auctorem destruet. Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero, inferne.* Vos potius, vestramque progeniem dignis lacrymarum fontibus abluite, ut non cum perfidis damnemini in ultionem meæ crucis et passionis.

Hujus autem tangit causam :

« Quoniam ecce. »

Quasi dicat : In evidenti est, jam appropinquant. « *Venient dies* » mali destructionis Jerusalem. Luc. XIX, 43 et 44 : *Quia venient dies in te,... et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt.*

« *In quibus dicent* » habitatores Jerusalem :

« Beatæ steriles. »

Sapient. III, 13 et 14 : *Felix est sterilis, et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto : habebit fructum in respectione animarum sanctarum : et spado qui non est operatus per manus suas iniquitatem.*

« Et ventres qui non genuerunt. »

Isa. LIV, 1 : *Lauda, sterilis, quæ non paris : decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas.* Omnes ventres qui pariunt, sic pariunt, quod ipsi comedunt partum ventris sui. Deuter. XXVIII, 56 et 57 : *Tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit viro suo qui cubat in sinu ejus, super filii et filiæ carnibus, et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum suorum, et super liberis qui eadem hora nati sunt : comedent enim eos clam*

propter rerum omnium penuriam in obsidione et vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

« Et ubera quæ non lactaverunt. »

Quia illæ matres in natis non habebunt afflictionem, et fugæ impedimentum. Job, III, 11 et 12 : *Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? Cur lactatus uberibus?* Pondus enim natorum ad pectus pendentium, in illa die erit angustia nutrientium, et fugæ impedimentum. Deuter. XXVIII, 54 et 55 : *Homo delicatus in te, et luxuriosus valde, invidebit fratri suo, et uxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet : eo quod nihil aliud habeat in obsidione et penuria.*

Et ideo præ augustia,

« Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos. »

« *Incipient,* » inquam : quia dicitur, Matth. XXIV, 8, et Marc. XIII, 8 : *Initium dolorum hæc.* Sed consummatio dolorum erit multo asperior in propriis personis, quam initia sint in personis natorum. Incipient ergo tunc dicere « *montibus.* » Apocal. VI, 16, eadem verba continentur de angustia finis mundi, qui multo erit angustiosior quam captivitas Jerusalem. Osee, X, 8 : *Dicent montibus : Operite nos : et collibus : Cadite super nos.* Desiderabunt enim mortem, et mors fugiet ab eis, ut diu moriantur, et numquam permoriantur. Amos, IX, 4 : *Ponam oculos meos super eos in malum, et non in bonum.*

« Quia si in viridi ligno, etc. »

Ecce tangit causam ex judicio comparationis, dicens : « *Quia si* » hæc judicia fuerunt « *in viridi ligno,* » hoc est, in me et sanctis meis, qui sumus ligna viridia, qui fructum facimus virtutis et honestatis, qui floremus omni pulchritudine virtutis, qui foliis umbrosis medicinales sumus in omne medicamentum ægritudinis. Ezechiel. XLVII, 12 : *Folia ejus ad medicinam.* Et ista sunt verba Jeremiæ, XVII, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas... Et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* I Petr. IV, 17 et 18 : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus quidem vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

« In arido quid fiet? »

Hoc enim ad nihil aptum est, nisi ut sit æterni ignis materia. Isa. XXX, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa.* Proverb. XI, 31 : *Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator.* Luc. XVI, 25 : *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.*

« Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. **32**

Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. » **33**

Ecce iniquorum cum Christo associatio, quod est quartum istius partis.

Dicit igitur : « *Ducebantur autem,* » cum amara necessitate tracti. Thren. V,

5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.*

« *Et alii duo nequam.* » Relativum diversitatis virtute grammaticæ vellet ponere communionem in genere vel in specie, et diversitatem notare in individuo : sed non hic sic, quia Jesus non fuit nequam. Sed notat diversitatem in hoc communi, quod est esse damnatos. Duo enim alii damnati secum ducebantur, qui fuerunt nequam. Hoc enim adjectivum, *nequam*, hic habet vim implicationis : ut sit sensus : Alii duo qui erant nequam. Hoc autem summa sapientia voluit, ut prophetia impleretur Isaiæ, LIII, 12 : *Cum sceleratis reputatus est.* Voluit etiam hoc, ut sciretur quia pro peccatoribus patiebatur. Matth. IX, 13 : *Non veni vocare justos, sed peccatores*, scilicet ad pœnitentiam. I Petr. III, 18 : *Christus semel pro peccati nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.*

Omnes ergo hi ducebantur « *ut interficerentur.* » Unam quidem pœnam mortis accipientes, sed non ex simili causa. Illi enim latrones peccatorum suorum pœnas excipiebant : sed Dominus tamquam redemptor peccatorum. Et hoc est quod dicit, quod « *ducebantur, ut interficerentur.* »

Ista autem eductio damnatorum ab antiquo inolevit, quia et Cain eduxit Abel cum vellet eum interficere[1] : et Judas fecit produci Thamar, cum præciperet eam cremari[2] : et blasphemus præcipitur educi extra castra[3] : et colligens ligna in die sabbati præcipitur educi[4]. Et ita et sub lege, et ante legem, extra communem hominum habitationem producebant.

Videtur tamen instantia, Levit. XX, 17, de illo qui revelaverit pudenda sororis suæ, qui ambo in conspectu populi interfici jubentur. Et ad hoc dicendum, quod damnati educi jubentur, ne locus habitationi communis fiat horrori : ut et in campo libero adspectibus pateant, ut sint exemplum timoris. Ille autem qui revelavit pudenda sororis incestum quidem commisit, et ideo in conspectu populi occiditur. Sed quia hoc aliquando licuit in lege, scilicet naturali, ideo tamquam horribilis ille non abjicitur. Sic ergo latrones educuntur. Eductio autem Domini figurata est in eductione Abel, et in eductione Isaac ab Abraham ad montem visionis[5] : et per exitum Joseph, qui in deserto Dothain a fratribus in cisternam est projectus[6]. In lege etiam, quia extra castra in deserto erigitur serpens æneus[7], qui est figura Christi crucifixionis.

Dicit igitur :

« Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariæ.

Calvaria vocatur denudatum a pelle, et pilis, et carnibus caput hominis, quod *craneum* medici vocant. IV Reg. IX, 35 : *Non invenerunt nisi calvariam, et pedes, et summas manus.* Dicebatur autem locus ille *calvaria* a contento : quia illic suspensorum, et decollatorum, et punitorum multæ jacebant calvariæ. Et quod dicit Ambrosius, quod dicitur *calvaria* a calvaria Adam ibi sepulta : dicit Hieronymus quod est pia quidem, sed mendosa interpretatio : quia, Josue, XIV, 15, legitur, quod Adam juxta Hebron est sepultus. Et ideo dicitur, quod hoc dictum non est Ambrosii veri, sed illius Ambrosii qui dicitur *Adopertus*, qui in multis dicta Ambrosii falsificavit, dicta sua stulta immiscens dictis illius sapientibus. Tamen pictores videntur hoc sentire, quia

[1] Cf. Genes. IV, 8.
[2] Cf. Ibidem, XXXVIII, 24.
[3] Cf. Levit. XXIV, 14.
[4] Cf. Numer. XV, 35.
[5] Cf. Genes. XXII, 2.
[6] Cf. Ibidem, XXXVII, 24.
[7] Cf. Numer. XXI, 9.

calvariam pingunt sub cruce. Sed ad hoc dicit Horatius [1], quod

Pictoribus atque poetis
Quodlibet audendi semper fuit æqua potestas.

« Ibi crucifixerunt eum, »

Scilicet in loco Calvariæ, ut ipso loco significaretur, quod non Judæis in civitate habitantibus, sed Paganis in campis vagantibus crucifixio sua primum prodesset. Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.* Daniel. IX, 26 : *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est.*

« Et latrones »

Crucifixerunt cum eo, « *unum a dextris,* » qui pœnituit, « *et alterum a sinistris,* » qui in malitia perduravit. Et hi, ut dicit Augustinus, duas cruces significant, eorum scilicet, qui crucem inviti sustinent, et tamen sustinent, qui stant a sinistris : et aliorum qui libenter carnem crucifigunt pro Christo, et stant a dextris. ad Galat. V, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* De alia cruce dicitur, ad Galat. VI, 14 : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* In medio autem posuerunt Dominum tamquam pejorem. Habacuc, III, 2, secundum Septuaginta : « In medio duorum animalium innotesces. »

Sic ergo crucifixus est, et ibi, et cum talibus. Proverb. XXII, 23 : *Configet eos qui confixerunt animam ejus.* Zachar. XII, 10 : *Adspicient ad me quem confixerunt.* Malach. III, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?*

31 « Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. »

Hic incipit pars, quæ est de observatione crucifixi Domini.

Habet autem quinque partes : in quarum prima, charitas maxima Domini etiam ad inimicos ostenditur : in secunda, spoliatio nudæ veritatis describitur : in tertia, observatio et illusio diversorum adstantium exaggeratur : in quarta autem, titulus crucis Domino superponitur : in quinta, stipendia meritorum latronibus a Domino redduntur.

Dicit igitur de primo : « *Jesus autem,* » omnia hæc mala et vituperia perpessus, « *dicebat,* » orando :

« Pater, dimitte illis. »

Psal. CVIII, 5 : *Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.*

« *Pater,* » inquam, in affectu Patris dilecte, qui me in hanc pro peccatoribus misisti obedientiam. Joan. XI, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis.*

« *Dimitte illis* » peccati istius debitum. Hujus orationis figuram præmisit Moyses dux populi, Exod. XXXII, 31 et 32 : *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Hanc orationem prædixit Isaias, LIII, 12 : *Ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit,* scilicet ut non perirent. Hanc orationem ut bonus discipulus imitatur Stephanus, Act. VII, 60 : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum :* quia nesciunt quid faciunt. Fecit ergo optimus magister charitatis quod docuit, Matth. V, 44 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

Sed cum Christus in omnibus exauditus sit, videtur quod omnibus illis debita sint dimissa. Respondeo, quod non ora-

[1] HORATIUS, Ars poetica, in principio.

vit nisi pro ignorantibus, et animum a proposito revocantibus. Joan. XVII, 9 : *Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Et ibidem, ℣. 20 : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

« Non enim sciunt quid faciunt. »

I Joan. II, 1 et 2 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quod autem dicit : « *Non enim sciunt,* » videtur omnes tangere. Act. III, 17 : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.* Et hoc quidem concedendum esse videtur. I ad Corinth. II, 8 : *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et quod dicunt quidam, quod Principes et Scribæ cognoverunt, hoc est intelligendum de vehementi præsumptione, quam ex signis habere poterant. Quidam enim ex invidia, quam ad eum habebant, scire eum nolebant : et illi non dicuntur ignorantes, nec excusantur. Jerem. IX, 6 : *In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.* Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Pro illis ergo non orat. I Joan. V, 16 : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis.* Dicit igitur hic quædam Glossa, quod pro talibus non orat. Et hoc verum est quantum est de circumstantia litteræ quæ dicit : *Non enim sciunt quid faciunt.* Tamen pro certo pro omnibus orat, ut non pereant : quamvis propter abominationem circumstantiarum peccati, propter homines scienter Filium Dei crucifigentes non dicatur orare. Hoc est igitur quod dicitur, ad Roman. V, 8 et 9 : *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.*

« Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. »

Hic incipit secundum hujus partis, in quo tangitur de veritatis exspoliatione, ut nuda et non velata, sicut de cœlo venit nobis exhiberetur. Et in signum hujus, altaria deteguntur tempore Passionis.

Dicit autem duo : qualiter scilicet vestimenta divisibilia diviserunt, et qualiter super indivisibilem tunicam sortem miserunt.

Dicit igitur : « *Dividentes vero,* » scilicet vestimenta. Ex Joanne, XIX, 23 et 24, colligitur, quod quatuor existentibus militibus qui Dominum crucifixerunt, unusquisque accepit unam vestem. Dicit enim sic : *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.*

Et hoc est quod dicit, quod « *dividentes* » scilicet vestimenta in quatuor partes, super « *vestimenta ejus,* » propter tunicam inconsutilem, « *miserunt sortes,* » quis quid tolleret. Tunica autem inconsutilis facta fuit per totum de opere illo, quo fiunt birreta, et quædam chirothecæ. Et dicitur quod Beata Virgo tunicam illam fecerit.

Sic fratres Joseph *nudaverunt eum tunica talari et polymita*[1], in signum hujus exspoliationis. Sic Isaias tribus diebus ambulavit nudus, et discalceatus[2]. Sic David *discoopertus est, quasi si nudetur unus de scurris*[3]. Et ideo Michol, quæ *aqua ex omnibus* interpretatur, et significat concupiscentiis deditos, quæ

[1] Genes. XXXVII, 23.
[2] Cf. Isa. XX, 2.
[3] Cf. II Regum, VI, 20 et seq.

leves sunt super faciem aquæ[1], illi, inquam, despiciunt eum. Quibus ipse respondet : *Et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum : et ero humilis in oculis meis,* scilicet ante Dominum. In cruce enim denudatus, ludis blasphemantium est expositus. Sic in spiritu loquitur ad sponsam, Cantic. v, 3 : *Exspoliavi me tunica mea : quomodo induar illa ?* Ecce Job dolens, sedens in sterquilinio sputorum et opprobriorum, patienter requiescens, pompatice ingredientes domum Israel inclamat, dicens : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc*[2]. Ecce quod dicit idem Job, xxiv, 7 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Ubi est, o milites, diaboli satellites, quod vos docuit Joannes Baptista : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris*[3] ? Ecce nunc crudeliter Dominum gloriæ denudastis, et derisioni nudum exposuistis. Dicunt enim Patres quod totum nudum dimiserunt : sed pannum, qui pingitur circa lumbos ejus, Beata Virgo mater de suo capite sumptum sibi circumligavit. Psal. xxi, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Ita enim abominabatur ea quæ de mundo sunt, quod nihil omnium eorum quæ de mundo sunt, secum retinere voluit. Quia enim sauciatus Adam incidens in latrones despoliatus est, vestimentum amittens immortalitatis, et vulneratus[4], ideo etiam secundus Adam spoliari elegit, sicut et vulnerari : ut sua spoliatione illum vestiret, sicut et vulneribus suis curavit vulnera illius. Et ideo clamat jam Pater de cœlo, Luc. xv, 22 : *Cito proferte stolam primam,* scilicet pristinæ gloriæ decorem habentem, *et induite illum.* Statim enim stola gloriæ erit induendus.

« Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit : se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. » **35**

Hoc est tertium istius partis.

Et tanguntur hic quatuor : exspectatio mortis a populo, derisio principum, exprobratio et illusio militum, et amaricatio.

Dicit igitur : « *Et stabat* » minaciter « *populus* » malus, « *spectans,* » et exspectans cum desiderio mortem ejus. Job, xvi, 15 : *Irruit in me quasi gigas.* Frendens enim et fremens stetit contra eum populus. Psal. ii, 1 : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ?* Job, xvi, 10 : *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis.* Sic ergo populus mortem ejus sitiens, stabat spectans : sicut de damnatis per justitiam publicam non receditur nisi prius mortui videantur.

« *Et deridebant eum principes* » sacerdotum, qui omnium malorum erant incentores, « *cum eis,* » hoc est, cum populis. Psal. xxi, 8 : *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Matth. xxvii, 39 : *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.* Job, xii, 5 : *Deridetur justi simplicitas : lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.* Proverb. xix, 28 : *Testis iniquus deridet judicium, et os impiorum devorat iniquitatem.* Jerem. xx, 7 : *Factus sum in derisum tota die : omnes subsannant me.* Thren. iii, 14 : *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.*

« *Dicentes,* » deridendo :

« Alios salvos fecit. »

Hoc solum vere et non bene dicunt :

[1] Job, xxiv, 18.
[2] Ibid., i, 21.
[3] Luc. iii, 14.
[4] Cf. Luc. x, 30.

quia deridendo dicunt. Act. x, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Matth. i, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« Se salvum faciat. »

Hoc pessime dicunt : quia seipsum non salvando, nos omnes salvat. Isa. liii, 5 : *Cujus livore sanati sumus.* Exponendo enim seipsum passionibus, omnes nos salvavit a peccatis. Ad Hebr. ix, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Obliti sunt isti procaces, quod patres eorum non nisi per sanguinem agni liberati sunt ab exterminatore[1]. Dicunt tamen illud, ac si illud intendant quod ipse, Luc. iv, 23, dixit : *Medice, cura teipsum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.*

« Si hic est Christus Dei electus, »

Sicut jactando dixit. Et hoc penitus dicunt inconvenienter : quia ipsi non credunt Christum Deum esse, et ideo miracula non posse facere : tamen deridendo in hoc dicunt verum, quia ipse est Christus unctus oleo lætitiæ deitatis, delibutus unctione Spiritus in assumptione humanitatis. Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Psal. xliv, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

« *Dei electus,* » quem sic elegit, quod nullum eligit nisi in ipso. Ad Ephes. i, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Matth. xxvii, 43, dicunt : *Dixit enim : Quia Filius Dei sum.* Sapient. ii, 18 et 19 : *Si est verus Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit de manibus contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum : erit enim ei respectus ex sermonibus illius.*

« Illudebant autem ei et milites ac- 3(
cedentes, et acetum offerentes ei,

Et dicentes : Si tu es rex Judæorum, 3:
salvum te fac. »

Tertium est. Et tangit duo : unum quidem de illusione, et aliud de amaricatione.

Dicit igitur : « *Illudebant autem ei et milites.* » Isa. xxviii, 14 : *Audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Jerusalem.* Osee, vii, 5 et 6 : *Extendit manum suam cum illusoribus : quia applicuit quasi clibanum cor suum.*

Per istam triplicem illusionem populi, et sacerdotum, et militum, triplex fit adoratio Crucifixi in Parasceve. Vel, quia illusus fuit coram Pontificibus et coram Herode, et coram Pilato : sicut patet ex præhabitis. Et quia quarta vice hic illusus ab omnibus in cruce, populo scilicet, principibus, et militibus : ideo post triplicem adorationem, cum crux exhibetur omnibus, omnes de contra stantes adorant in recompensationem illusionum, quas pro nobis sustinuit.

« *Accedentes.* » Fellito corde sibi appropinquantes. Psal. lxxxvii, 4 : *Repletâ est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit.* Tam amari enim de se dicere poterant, quod inferno jam appropinquabant. Act. viii, 23 : *In felle amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.*

« Et acetum offerentes, »

In spongia circumposita hyssopo, sicut dicitur, Joan. xix, 29. Marc. xv, 23, dicitur, quod *dederunt ei vinum myrrhatum.* Matth. xxvii, 34, dicitur, quod *de-*

[1] Cf. Exod. xii, 13.

derunt ei vinum felle mixtum. Et potest esse quod mixtura fuit ex vino acetoso et felle et absynthio et myrrha : et intentio eorum fuit ut intus exasperaretur, sicut exterius in amaritudine fuit.

Dicunt autem quidam, quod bis potatus fuit ante crucem : cum ex ductu lassatus fuit, et tunc acetum dederunt : et secundo in cruce, quoniam tunc clamavit : et potans cum voluit exasperare sibi guttur, ne clamare posset : et ideo socius dixit : *Sine videamus an veniat Elias liberans eum*[1]. Quasi dicat : Non exasperes guttur, ut inclamare possit Eliam. Quod autem quidam dicunt quod potatus sit ut citius moreretur, falsum est : quia talia prolongant vitam, et non abbreviant in eo qui non de febre moritur.

Istam autem amaritudinem Dominus subiit propter gustum vetitum. Sicut enim terrenus Adam gustu cecidit, ita cœlestis Adam gustu eum relevavit. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.* Jerem. II, 21 : *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena ?* Dicit etiam Joannes, XIX, 28, Dominum dixisse : *Sitio :* quia tunc sitivit salutem nostram. Cui amaritudinem propinat, qui felleos mores iræ et invidiæ et inimicitiarum reservat. Deuter. XXXII, 32 et 33 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Et ideo, *cum gustasset noluit bibere*[2].

Cum amaritudine autem oblata irrogant irrisionem,

« Dicentes : Si tu es rex Judæorum, »

Sicut tu dicis, « *salvum te fac.* » Sed ad hoc respondet, Joan. XVIII, 36 : *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis :* quia milites de regno terreno intelligebant sicut ignari legis.

« Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris græcis, et latinis, et hebraicis : Hic est rex Judæorum. » 38

Attende quod figura crucis de quatuor lignis, vel forte de pluribus meo judicio erat composita. Pes enim magnus (et ut quidam dicunt de sex trabibus) compositus erat de cedro. Sex autem trabes dicunt in pede fuisse, quorum quatuor quadratum quoddam super terram jacens describebant, ut fortiter et immobilis staret crux. Duo autem per modnm crucis ad rectos angulos, se in ipso quadrato intersecabant, et usque ad latera quadrati porrigebantur, et quasi quadratum ne dissolveretur continebant : in quarum duarum trabium medio ubi se intersecabant, erat foramen magnum cui stipes crucis infigebatur, qui stipes magnus fuit et altus. Et dicitur fuisse de cypresso. Lignum autem transversale ad quod brachia fuerunt extensa et manus conclavatæ, fuit de palma, et fortiter in superiori summitate stipiti superfixum clavis validis, ut non moveretur. Et sic crux fuit ad modum litteræ quæ *thau* vocatur hebraice. Ezechiel. IX, 4 : *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium.* In hac cruce sic disposita nihil erectum fuit superius : et verificatur quod dixit Matthæus, VIII, 20 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.* Pilatus autem superius affigi fecit tabulam, in qua titulum scripsit, quæ fuit de ligno olivæ. Et dicunt quidam, quod aliud lignum stipiti infixit, quod in altum porrigebatur : et huic ligno tabulam affixit. Et sic dicitur probabilius. Et sic ex quinque lignis composita est crux, stipite, brachiali ligno, et ligno quod supra stipitem ultra caput est erectum, in quo superius transversaliter tabula est affixa in pede. Pes autem ex sex trabibus est compositus, sicut diximus. Et sic sunt in universo decem ligna crucis. Et multi

[1] Matth. XXVII, 49.

[2] Ibidem, XXVII, 34.

clavi in diversis locis sunt infixi. Dicunt autem quidam quod omnia hæc ligna a Salomone a monte Libano sunt adducta, et superfuerunt in templo : et ita juxta probaticam piscinam remanserunt jacentia. Sed hoc non est authenticum. Sic igitur patet qualiter tabula est affixa, in qua fuit crucis titulus. Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Istam crucis dispositionem videtur describere Apostolus, ad Ephes. III, 18 : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Sublimitas enim significavit, quod omnia Patri acquisita attribuit. Profundum autem, quod usque ad inferos redemptionis suæ gratiam derivavit. Latitudo autem est extensio charitatis, etiam ad inimicum. Longitudo autem est duratio hujus gratiæ in æternum. Hoc est igitur quod dicit.

« Erat autem et superscriptio, etc. »

Scilicet superscriptio tituli. Hieronymus autem distinguit triplicem titulum, memorialem, præconialem, triumphalem. Et iste titulus omnes habet rationes titulorum. Memorialis enim est ad memoriam rei æternam. Et talis est iste : quia *in memoria æterna erit justus*, sicut dicit Psalmus CXI, 7 : *ab auditione mala non timebit.* Præconialis autem est, quia est in titulo isto præconium summæ laudis : quia nihil nisi laudabile in titulo isto continetur. *Jesus* enim salvator, *Nazarenus* floridus virtutum honestate, *Rex* a regimine justitiæ, *Judæorum* confitentium recta interpretatione dicitur. Quod nihil est nisi laudabile. Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* Triumphalis autem est iste titulus, quia triumphum continet perfectum. Joan. XVI, 33 : *Confidite, ego vici mundum.*

« *Superscriptio* autem fuit *litteris græcis, et latinis, et hebraicis.* » Græcis quidem, propter summum philosophiæ et sapientiæ quod fuit apud illos : Latinis autem propter summum potestatis : et Hebraicis propter summum cultus divini. Dicitur autem *titulus* a græco τιτάν quod est *radius*[1], et significat gratiam Christi toto orbe terrarum per istas tres linguas esse diffundendam.

« Hic est »

Jesus

« Rex Judæorum. »

Hæc fuit una accusationum, in qua majorem vim faciebant : quia per hanc Cæsari contradicere videbatur. Unde etiam, Joan. XIX, 21, dixerunt : *Noli scribere : Rex Judæorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum.* Timebant enim accusabiles fieri coram Cæsare, si simpliciter scriberetur : *Rex Judæorum.* Isa. XIX, 19 : *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus.* Altare super quod oblatus est Dominus est crux. Medium autem terræ dicitur Jerusalem, quæ medium est nostræ habitabilis : quæ quidem spiritualiter est Ægyptus propter malos habitatores : sicut dicitur, Apocal. XI, 8. Titulus autem inscriptio Pilati est juxta terminum crucis. Tribus autem linguis scriptum est : quia, Deuter. XIX, 15, dicitur, quod *in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.*

« Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. **39**

Respondens autem alter, increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es ? **40**

[1] Vel melius a τίτλος.

41 Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.

42 Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

43 Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. »

Hic ultimo ponitur pars illa, quæ est de exprobratione latronum.

Dicuntur autem hic tria : sinistri latronis exprobratio, dextri ad sinistrum increpatio, et devotio quam habuit ad Dominum.

De primo quidem dicit sic : « *Unus autem de his, qui pendebant, latronibus.* » Qui a sinistris pendebat, et ad sinistram pertinebat, « *blasphemabat eum.* » Matth. XII, 31 : *Spiritus blasphemia non remittetur... neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Blasphemia est impositio falsi criminis in Deum. Psal. LXVIII,10 : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Jerem. XV, 10 : *Omnes maledicunt mihi.* Jerem. XX, 7 : *Omnes subsannant me.*

« *Dicens,* » improperando : « *Si tu es Christus,* » habens divinam potentiam, « *salvum fac* » principaliter « *temetipsum, et nos* » postea. Eccli. XIV, 5 : *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ?* Ordinata enim charitas est ut incipiat a semetipso : et ideo salva te primum, et postea nos.

« Respondens autem alter, »

Scilicet latro jam ad pœnitentiam conversus. Quia, sicut dicit. Matthæus, XXVII, 44, et Marcus, XV, 32, primo ambo blasphemabant : sed unus ad cor rediens, veniam petivit, et socium increpavit.

« *Increpabat eum, dicens* » II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

« Neque tu times Deum. »

Quasi dicat : Qui timere Deum deberes, eo quod in januis es mortis et judicii divini. Psal. XIII, 3 : *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.*

« *Qui in eadem damnatione es,* » non quidem quoad causam, sed quoad similem pœnam : accepisti enim mortis sententiam sicut ille. Et hoc quidem magna gratia est, quod in eadem damnatione vult esse nobiscum. II Reg. XVIII, 33 : *Fili mi Absalom ! Absalom fili mi ! Quis mihi tribuat ut moriar pro te, Absalom fili mi ! fili mi Absalom !*

« Et nos quidem juste, »

Supple, patimur : quia peccata nostra hoc meruerunt. II Reg. XIX, 28 : *Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi.*

« *Nam digna factis recipimus,* » hoc est, dignas pœnas recipimus pro malis factis. II ad Corinth. V, 10 : *Ut referat unusquisque propria corporis prout gessit.* Isa. III, 11 : *Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

« *Hic vero nihil mali gessit.* » Et hoc significatum est in agno paschali, de quo dicitur : *Erit autem agnus sine macula, masculus, anniculus*[1].

« Et dicebat ad Jesum, »

In devotione compunctionis conversus : « *Domine.* » Sapient. XVI, 13 : *Tu es qui vitæ et mortis habes potestatem.*

« *Memento mei* » in bonum. Genes. XL, 14 : *Memento mei cum bene tibi fuerit.* Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Psal. CXI, 7 : *In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.*

« *Cum veneris in regnum tuum.* » Joan.

[1] Exod. XII, 5.

XVII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini : quoniam dextera sua teget eos, et brachio suo defendet illos.*

« Et dixit illi Jesus, »

Ostendens quod ipse est verus Salvator, qui venit in mundum peccatores salvos facere : quia, sicut dicitur, Matth. I, 21 : *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« Amen dico tibi, »

Hoc est, vere dico tibi, « *hodie,* » hac lucente luce, quia nunc lucet lux gratiæ, « *mecum eris in paradiso.* » Paradisus autem hic dicitur deitatis plena fruitio, ad quam secum statim soluta a corpore pervenit anima latronis. II ad Corinth. XII, 4 : *Raptus est in paradisum : et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Apocal. II, 7 : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei mei.*

Paradisus enim, ut dicit Augustinus, multipliciter dicitur. Est enim terrestris paradisus, regio prima nostrorum immortalium corporum antequam caderent per peccatum. Genes. II, 8 : *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio : in quo posuit hominem quem formaverat.* Aliquando autem dicitur *paradisus* regio beatorum spirituum, deitate præsentialiter fruentium, sicut jam ante diximus. Hæc autem regio est in omni loco ubi se deitas ad fruendum exhibet, sive in cœlo, sive in terra, sive etiam in limbo patrum : ad quem post mortem anima Christi descendit. Aliquando etiam dicitur *paradisus* deliciæ sanctæ animæ in consolationibus divinis. Eccli. XL, 28 : *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Aliquando etiam pulchritudo conversationis Sanctorum dicitur *paradisus.* Eccli. XL, 17 : *Gratia sicut paradisus in benedictionibus.* Aliquando dicitur *paradisus* amœnitas habitationis Sanctorum. Genes. XIII, 10, regio Jordanis universa irrigabatur sicut paradisus Domini. Irrigatur autem per fluenta doctrinarum et gratiarum. Aliquando dicitur *paradisus* multiplicitas amœnitatis Scripturarum. Eccli. XXIV, 41 : *Ego sicut aquæductus exivi de paradiso.* Aliquando dicitur *paradisus* ubertas cordis pleni scientiis et virtutibus. Cantic. IV, 13 : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Sed hic dicitur *paradisus* in prima significatione. Et deitas exhibens se fruitioni Sanctorum, est sicut fluvius qui exit de paradiso. Genes. II, 10 : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.*

« Erat autem fere hora sexta. » 44

Hic post crucifixionem agitur de morte Domini et circumstantiis mortis ejus.

Dicuntur autem hic quinque, scilicet, tempus morti congruum, subtractio luminis mundi ne videret exstingui lumen spirituum, scissio veli ad revelationem secretorum, cum clamore ingenti mors Domini ad detestationem peccatorum tantam mortem causantium, conversio infidelium, et devotio fidelium ad ædificationem fidei et bonorum morum.

De primo dicit : « *Erat autem fere hora sexta,* » quando sol medium cœli accepit, et in totum mundum æqualiter virtutem sui luminis emittere debuit. Eccli. XLIII, 3 et 4 : *In meridiano sol exurit terram :... et refulgens radiis suis obcæcat oculos.* Alii tamen dicunt quod in tertia : quia in tertia cœperunt linguis crucifigere, et quod ore diffiniverunt, per opus in sexta perfecerunt. Et quod ita sit, dicit Dionysius in Epistola ad Appollophanem, quod feria sexta, hora quasi sexta, apud Heliopolim, civitatem Ægypti, hoc ipse et Appollophanes conspexerunt. Dicitur enim in Psalmo XVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus, et occcursus ejus*

usque ad summum ejus. Et loquitur de sole. Hoc autem non nisi in meridie est, quod est hora sexta : quia sicut tunc lumen in totum mundum effunditur, ita gratia redemptionis per gratiam datam in sanguine Christi per totum mundum erat derivanda. Adhuc autem, in meridie comedit homo vetitum. Et hoc accipitur, quia statim se abscondit, et statim post meridiem arguitur a Domino quod in meridie commiserat. Genes. III, 8 et 9 : *Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam*, etc. *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es ?*

Eodem ergo tempore etiam passionis in morte apposuit remedium. Ambrosius :

> Ipse lignum tunc notavit,
> Damna ligni ut solveret.

« Et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

45 Et obscuratus est sol. »

Hic tangit secundum de tenebris.

Et dicit duo : tenebrarum factionem, et causam.

De primo dicit : « *Et tenebræ factæ sunt.* » Origenes videtur dicere, quod sicut in Ægypto[1] tenebræ factæ sunt Ægyptiis, non Judæis, ita e converso modo, tenebræ factæ sunt Judæis, et non aliis qui erant in terra. Et hæc opinio non est vera, nisi de tenebris spiritualibus intelligatur. Sapient. XVII, 19 et 20 : *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat.* Beda tamen videtur velle, quod lumen toti mundo fuit subductum, ex hoc quod sol et elementa retraxerunt lumen suum ab inferiori habitatione propter horrorem tanti facinoris. Et hoc expresse dicunt factum esse qui tenebras illas viderunt : sicut Dionysius, et Apollophanes, et Polycarpus martyr, et alii quidam. Alii dicunt, sicut Ambrosius et Augustinus et Hieronymus, quod tenebræ non erant nisi in Judæa : quia ibi tantum peccatum commissum est. Et hoc iterum negant Dionysius et Polycarpus et Apollophanes : et dicunt quod tenebræ se extenderunt usque ad regiones Iliacas, hoc est, in Phrygiam, ubi fuit Ilion sive Troja : et ipsi in Heliopoli civitate Ægypti erant in tenebris. Et hoc quidem est verum. Sic ergo tenebræ factæ sunt. Job, V, 14 : *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Exod. X, 21 : *Sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ ut palpari queant.* Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.*

« In universam terram »

Regni Jerusalem, et in finitimis regionibus. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me : et contexerunt me tenebræ.*

« Usque in horam nonam, »

Hoc est, per tres horas : per quantum spatium eclipsis naturalis non durat, ita quod nulla solis appareat repurgatio : quia cito transit luna, et sol in aliqua parte diametri repurgatur, et lucere incipit. Istæ autem tenebræ sine omni lucis admixtione stabant tribus horis : quod numquam potest contingere secundum naturam. Hoc enim ostendit hoc quod dixit Dominus, Joan. III, 19 : *Lux venit in mundum : et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim eorum mala opera.*

[1] Cf. Exod. X, 22 et 23.

« Et obscuratus est sol. »

Quidam mentiuntur quod sol obscuratus sit retractione sui luminis. Sed Dionysius qui hoc vidit, dicit quod luna se soli horribiliter submisit. Et cum in omni eclipsi naturali, luna solem eclipsans veniat ab Occidente, tunc e contrario luna venit ab Oriente: et incepit sol obscurari a parte orientali sphæræ suæ : et transivit luna sub solem, donec tota fuit obscurata solis linea diametralis : ita quod ultimum obscuritatis fuit pars occidentalis, quæ prima esse debuit si eclipsis naturalis fuisset. Et toto sole sic obscurato, tenebræ steterunt per tres horas æquales. Quod item fuit contra naturam.

Adhuc autem, Luna tunc, ut dicit Dionysius, ceciderat ab angulo plenilunii. Dicit enim quod lunæ deerat, nec erat tempus conventus solis et lunæ, quod non est nisi in novilunio. Erat enim luna quintadecima secundum cursum astrorum, et secundum computum Hebræorum qui non fallit a cursu siderum. Et cum luna, ut dictum est, venerit ab Oriente, oportuit quod per eamdem curvitatem semicirculi rediret ad solem, per quam a sole crescens recesserat. Et hoc iterum impossibile est secundum naturam.

Adhuc autem, Oportuit quod in eodem arcu mota, recedendo et accedendo moveretur motu reflexionis. Quod est contra omnem naturalem prophetiam, quia in illo motu de necessitate intercidunt duæ quietes : et sic motus lunæ non erat regularis et uniformis.

Adhuc autem, Dicit Dionysius, quod luna post nonam restituta est in locum suum : et sic oportuit quod unum semicirculum et eumdem sui deferentis in tribus horis bis perficeret : ergo in tribus horis movebatur quantum moveri debuit in bis quindecim diebus, qui sunt triginta dies. Hæc omnia mirabilia dicit Dionysius tunc accidisse, et ideo magistrum suum Apollophanem interpellasse dicendo : « O speculum doctrinæ, Apollophanes, quid his secretis adscribis ? » Et ad hoc Apollophanes : « Hæc, ô bone Dionysi, injuriæ sunt divinarum rerum. » Jerem. xv, 9 : *Occidit ei sol, cum adhuc esset dies.* Amos, viii, 9 : *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Sapient. xvii, 5 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.*

« Et velum templi scissum est medium. »

Hoc est tertium, in quo notatur revelatio aperta secretorum.

Erat autem duplex velum in templo. Exterius quidem quod ostium templi recludebat, ne ab interiori atrio in sancta posset aliquis respicere. Et aliud verum erat quod Sancta sanctorum a Sanctis distinguebat. Utrumque autem *scissum est in duas partes, a summo usque deorsum,* sicut dicitur, Matth. xxvii, 51.

Scissum autem est « *medium,* » ita quod una pars cecidit huc, et altera illuc : ita quod secretiora templi et interiora omnibus apparuerunt libero adspectu conspecta : significantia ipso facto jam patefactam et *propalatam esse viam sanctorum,* sicut dicitur, ad Hebr. ix, 8: ita jam quod primum tabernaculum non ulterius habuit statum. Apocal. xi, 19 : *Apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus,* hoc est, in cœlo celante sacra in templo, apertum est templum, ut pateret omnibus via libera ad propitiatorium, et arca quæ corpus Domini significat : quia jam per passionem Christi esset remotum impedimentum. II ad Corinth. iii, 15 : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Et hoc est velamen carnalis intellectus legis. Unde sequitur, ℣℣. 16 et 17 : *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est.* Hoc totum continetur, ad Hebr.

IX, per totum capitulum, ubi dicit expresse, ℣. 8 : *Hoc significante*, scilicet per velamen, *Spiritu sancto, nondum propalatam esse viam sanctorum.* Et aliquibus interpositis, subjungit, ℣℣. 11 et 12, quod *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa,* et omnibus velamentis depositis : et liberam viam faciendo ad Sancta contuenda et habenda omnibus. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Et iterum, Psal. CXVIII, 18 : *Et considerabo mirabilia tua.*

Dicit autem Hieronymus, quod in Evangelio quod hebraicis litteris conscriptum est, habetur, quod illo eodem tempore cum vela scinderentur, lapis miræ magnitudinis scindebatur, et cecidit de superliminaribus templi, in signum futuræ destructionis templi. Et de hoc dicitur, Isa. VI, 4 : *Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis.* Utrumque, scissura scilicet velorum, et scissura templi, concordat prophetiæ Isaiæ, XXII, 8 et 9 : *Revelabitur operimentum Judæ, et videbis in die illa armamentarium domus saltus. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt.* Domus saltus dicitur templum, quia factum fuit de lignis saltus Libani. Tacet autem hic Lucas de terræmotu, et scissura petrarum, et apertura sepulcrorum : quæ etiam tunc acciderunt, quæ Matthæus diligenter posuerat.

46 « Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, exspiravit. »

Quartum est quod est de inclamatione peccati, quod est causa tantæ mortis.

Et dicit tria : clamorem, orationem, et exspirationem.

De primo dicit : « *Et clamans voce magna.* » Clamor autem vires interiores adesse significat secundum naturam, quod exsangues et jam quasi exanimes clamare non possunt. Ad Hebr. V, 7 : *Preces supplicationesque ad Deum,... cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Job, XVI, 19 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.* Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

Sic ergo inclamavit peccatum

« Voce magna. »

Exilem enim vocem consueverunt habere et acutam afflicti et exsangues, in propria potestate spiritum et vitam non habentes. Et ideo in hac vocis magnitudine ostendit quod dixit, Joan. X, 18 : *Nemo tollit a me animam meam : sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Genes. III, 9, enim, quondam clamaverat : *Ubi es, Adam ?* quando de manu Dei cecidit in peccatum, hoc est, vide in quantam incidisti miseriam, quæ et te ad necessitatem moriendi, et me ad mortem conducit tuæ redemptionis. Et ideo clamat hic voce magna. Matth. XXVII, 46 : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Et subjungit Spiritus sanctus, quod hæc sunt verba delictorum eorum qui sui erant in hoc mundo, pro quibus eum tormenta pati conveniebat. Et antequam congrue redimerentur, ad istum clamorem liquefacta est sponsa. Cantic. VIII, 6 : *Dilectus meus clamat ad me : Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio.* Sic respondet sponsa, Cantic. I, 12 : *Fasciculus myr-*

rhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

Magnitudo pœnæ non ita clamare coegit sicut magnitudo peccati, pro quo talem pœnam sustinuit. Clamat igitur ut ostendat se vitæ et mortis habere imperium [1]. Quia jam sanguine effluxo, vexatis viribus, prolongato et multiplici martyrio, clavis ad interiora penetrantibus, adhuc mortem sustinet ne nisi volenti superveniat. Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Clamat etiam, ingentem ad nos ostendens amorem, pro quibus tot pœnas assumpsit. Clamat, immensitatem acerbitatis in dolore mortis ostendens. Quod ex triplici causa fuit : Una quidem naturalis est : quia speciosus forma præ filiis hominum, optimæ complexionis, et decentissimæ fuit compositionis : et ideo in morte acerbissimi doloris : maxime cum nec ætate confectus, neque infirmitate in aliquo fuerit destitutus. Alia autem divina fuit : quia morte assumpta mortuus fuit. Hanc autem talem assumpsit, quali tantum lueret peccatum, quantum protoplastus et alii commiserant, qui totam naturam perdiderant. Et hanc oportuit omnibus mortibus esse acerbiorem. Tertia causa moralis est : quia dicit Aristoteles, quod mors tanto est molestior, quanto bonis melioribus privat morientem. Et ideo dicit mortem virtuosi hominis esse tanto molestiorem quam mortem turpis, quanto bonus per mortem melioribus privatur sciens. Oportuit ergo istam esse molestissimam, quæ tot bonorum divitem et inclytum privavit Deum vita. Thren. I, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus !*

Voce igitur magna clamavit. Psal. CXLII, 4 : *Anxiatus est super me spiritus meus : in me turbatum est cor meum.*

« Ait Jesus, »

Inter multa quæ clamavit, sicut, *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt* [2] : et, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* [3] ? quod bis clamavit : et, *Sitio* [4] : et hoc quod ad Joannem et matrem dixit : *Mulier, ecce filius tuus :* ad discipulum autem : *Ecce mater tua* [5].

Post omnia autem dixit quod hic continetur :

« Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. »

Et dicunt quidam quod in cruce centum quinquaginta versus Psalmorum legit, qui ab isto principio Psalmi XXI, 2 : *Deus, Deus meus, respice in me,* usque ad istum quem hic dicit versum continentur [6]. Et hoc vocatur *Psalterium Christi.*

Dicit igitur : « *Pater.* » Hic enim a memoria dulcis Filii, etiam inter flagella et pœnas quas ex obedientia Patris sustinuit, non recessit : docens nos quoniam et nos Patris in tribulatione non obliviscamur : quia *flagellat omnem filium quem recipit* [7].

« *In manus tuas* » virtuosas « *commendo spiritum meum,* » debentem congredi cum diabolo et inferno, ad tuorum liberationem. Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* Commendatio autem est, ut sicut Pater ostendit virtutem in expugnando peccatum et peccatores, quod ita ostendat virtutem manus suæ in expugnanda morte, et auctore mortis diabolo, et domo mortis inferno : ut spiritus potens forti diabolo superveniat, et intret potenter in domum fortis, et alliget fortem, et om-

[1] Cf. Sapient. XVI, 13.
[2] Supra, ℣. 34.
[3] Matth. XXVII, 46 ; Marc. XV, 34.
[4] Joan. XIX, 28.
[5] Joan. XIX, 26 et 27.
[6] A Psalmo XXI, 2 ad Psalmum XXXI, 6.
[7] Ad Hebr. XII, 6.

nia vasa domus ejus diripiat : sicut, Luc. XI, 22, dictum est. Hoc enim modo impletur quod dictum est, Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda, aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit ?*

Sic igitur dicit : « *In manus tuas commendo spiritum meum.* » Alia enim commendatione non indignit commendare spiritum, qui unitus fuit divinitati.

« Et hæc dicens, »

Ostendendo quid in mortis periculo et domo mortis facere vellet per spiritum. Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.* Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors ! morsus tuus ero, inferne !*

« Exspiravit, »

Hoc est, spiritum tradidit : ista, quæ de opere redemptionis adhuc restabant, facienda perfecturus. Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera, et omnes viæ ejus judicia.* Sicut via vitæ, ita et via mortis. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

7 « Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo justus erat.

8 Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. »

Quintum est istius partis, quod continet tria : conversionem gentilium, compunctionem peccatorum, et confortationem justorum.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Videns autem centurio,* » qui gentilis fuit et infidelis, et præfuit ministris crucifigentibus Christum.

« *Quod factum fuerat* » in omnibus jam inductis miraculis, et præcipue in hoc quod spiritus suus in passionibus extorqueri non potuit, sed clamore ostendit quod voluntarie animam posuit. Et ideo, Marc. XV, 39, dicitur : *Videns autem centurio quia sic clamans exspirasset.*

« *Glorificavit Deum,* » illuminatus fide : « *glorificavit Deum,* » confessione veritatis. In hoc enim Deus maxime glorificatur, quando homo peccatum suum recognoscit. Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.*

Iste enim peccatum infidelitatis suæ recognovit, et eum quem ante blasphemaverat.

« Dicens : Vere hic homo justus erat. »

Justus autem non potuit esse, nisi et verbis verax esset, et opere justus. Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Si ergo verax fuit in sermone, ipse Filius Dei erat, quia Filium Dei se esse dixit. Unde, Matth. XXVII, 54, et Marc. XV, 39 : *Vere Filius Dei erat iste.*

Sic ergo in isto notatur illuminatio gentilium ad fidem.

« Et omnis turba eorum qui simul aderant. »

Multitudo enim maxima exierat, quia *prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus,* sicut dicitur, Joan. XIX, 20. Quacumque de causa exivissent, sive planctus, sive curiositatis, sive malitiæ et derisionis, « *ad spectaculum istud.* » I ad Corinth. IV, 9 : *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.*

« *Videbant quæ fiebant.* » II Machab. VII, 18 : *Digna admiratione facta sunt in nobis.*

« *Percutientes pectora sua.* » Matth. xv, 18 et 19 : *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt... De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Et quia cor est fons omnium malorum, quæ irrogata sunt Domino, ideo pectora percutiebant in signum castigationis. Luc. xviii, 13 : *Percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.*

« *Revertebantur,* » hoc est, a malo se subduxerunt. Jerem. xxxi, 19 : *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam : et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, et erubui, quoniam sustinui oppobrium adolescentiæ meæ.* In hujus signum percussionis, sacerdos elevata aliquantulum voce in signum clamoris Domini, tundit pectus in Canone dicens : « Nobis quoque peccatoribus. »

49 « Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes. »

Hic tangitur confortatio fidelium devotorum.

Noti autem hic dicuntur, qui se esse in dilectione noverunt. Præ timore autem, et quia impellebantur, et quia noluerunt esse cum ministris sceleris, de longe steterunt. Psal. lxxxvii, 19 : *Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.* Psal. xxx, 12 et 13 : *Qui videbant me, foras fugerunt a me. Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.* Job, vi, 13 : *Ecce non est auxilium mihi in me, et necessarii quoque mei recesserunt a me.*

« Et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa. »

Illæ quidem primo a longe steterunt, sicut hic dicitur. Compuncta autem turba et recedente, et centurione glorificante Deum, audaciam acceperunt, et accesserunt ad crucem. Et ideo, Joan. xix, 25, dicitur, quod *stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene.* Job, xix, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Carnes hic dicuntur carnales amici, qui a passione consumpti sunt : qui non audebant eum confiteri. Et ideo tunc solum os, fortiores scilicet discipuli, adhæserunt pelli, et hoc est fidei Ecclesiæ. Labia autem sunt mulieres, quæ locutæ sunt ei. Et illæ solæ circa dentes ejus erant, quia necessaria ministrabant. Luc. viii, 2 et 3 : *Mulieres aliquæ quæ erant curatæ,... quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Illæ enim mulieres ministrabant ei, vicem illius viduæ supplentes, quæ pavit Eliam [1].

« Hæc videntes, »

Cæteris fugientibus. Et ideo dicit Chrysostomus, quod istæ mulieres doctrices fuerunt Apostolorum et Evangelistarum.

« Et ecce vir nomine Joseph, qui 5
erat decurio, vir bonus et justus,

« Hic non consenserat consilio et 5
actibus eorum, ab Arimathæa, civitate Judææ, qui exspectabat et ipse regnum Dei. »

Hic agitur de sacramento sepulturæ.

Et dividitur contra præcedens totum quod dictum est de passione et morte.

Habet autem tres partes : in quarum prima describitur is, qui tantæ sepulturæ dignus fuit officium impendere : in secunda autem, describitur modus

[1] Cf. III Regum, xvii, 15.

sepulturæ : et in tertia, describitur devotio mulierum considerantium sepulturæ locum.

Describitur autem Joseph ab octo. Primo quidem ab animi strenuitate, qua Judæorum ferocitatem non timuit, quando dicit : « *Et eccc vir.* » Vir enim est virilis animi, non timens impetus occurrentes. Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit.* Unde etiam quidam eumdem Psalmum de Joseph isto dicunt factum fuisse, eo quod non consensit consiliis et actibus Judæorum tradentium Dominum.

Secundo, describitur a nomine, quoniam dicitur : « *Nomine Joseph.* » Genes. XLIX, 22 : *Filius accrescens Joseph.* Unde etiam *accrescens* interpretatur : quia continuis incrementis accrevit in gratia.

Tertio, describitur a potestate, quando dicitur : « *Qui erat decurio,* » hoc est, princeps super decem : vel quia erat aliquis officialium curiæ. Genes. XXIII, 6 : *Princeps Dei es apud nos.* Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham :* quia cæteris fugientibus, Joseph et Nicodemus manserunt, sepulturæ Domini officium impendentes.

« *Vir bonus,* » bonitate virtutis, et pietate fidei. Et describitur hic quarto ab habitu animi.

« *Et justus.* » Quintum est, ubi describitur ab obedientia mandatorum. Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

« Hic non consenserat consilio. »

Hoc est sextum. Psal. I, 1 : *Non abiit in consilio impiorum.*

« *Et actibus eorum.* » *Et* ideo *in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.*

« *Ab Arimathæa.* » Ecce descriptio a loco : et interpretatur *vigilia donationis :* et est civitas juxta Decapolim, quæ olim Rammatha, dicebatur. Et præsago nomine sic dicebatur, quia propter vigiliam suæ custodiæ, corpus Dominicum accepit pro donatione : et maxime quia præcepta decalogi custodivit. Psal. XXXII, 2 : *In psalterio decem chordarum psallite illi.*

Hæc est civitas « *Judææ,* » quæ *confitens* interpretatur : quia Dominum in confessione fidei fuit confessus. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

« *Qui exspectabat et ipse regnum Dei.* » Descriptio est a spe, quia regnum Dei in revelatione gratiæ (quæ per Jesum Christum facta est) exspectabat. Hoc enim regnum Dei vocatur. Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus.*

« Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu : **52**

Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. » **53**

Hic tangit de sepultura.

Dicit autem tria, scilicet, qualiter a judice corpus obtinuit, qualiter illud involvit, et qualiter sepelivit.

De primo dicit : « *Hic,* » sicut existens de curia et familia præsidis, *audacter,* sicut dicit Marcus, XV, 43, « *accessit ad Pilatum* » præsidem, sine cujus licentia corpora damnatorum per justitiam publicam tolli non poterant. Eccli. VII, 37 et 38 : *Mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.* Matth. XXVII, 58 : *Pilatus vero jussit reddi corpus.* Sic enim præcipitur, Josue VIII, 29, et X, 27, quod ante solis occasum corpora deponantur de ligno,

« Et depositum, »

Supple, de cruce. Joan. XIX, 31 : *Petierunt ut non remanerent in cruce corpora sabbato. Erat enim magnus dies ille sabbati.*

« *Involvit in sindone.* » Sindon autem est pannus factus de lino Ægypti, quod est genus lini candidissimi. Dicitur autem *munda* [1], quia ad ultimum erat dealbata. Et hoc significabat candorem gratiæ ipsius corporis. Apocal. III, 4 : *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Hujus mysterii gratia Sylvester Papa præcepit, quod corpus Domini non involvatur in sericis, sed in linteo mundo de lino facto. Sic enim et Virgo Mater albis castitatis viscerum suorum indutum et involutum Verbum protulit in mundum : et jam natum pannis involvit, et reclinavit in præsepio in pabulum jumentorum. Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Ideo etiam Angeli in albis apparuerunt. Matth. XXVIII, 3 : *Vestimentum ejus sicut nix.* In figura hujus in monte transfigurationis, Marc. IX, 2 : *Vestimenta ejus,* scilicet Domini, *facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere* [2].

« Et posuit eum, »

Quiescentem ab omni opere redemptionis die septimo, sicut Deus Pater die septimo ab omni opere creationis mundi quieverat. Ita ergo positus est ad quietis ostensionem. Ad Hebr. IV, 10 : *Qui enim ingressus est in requiem ejus, ipse etiam requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.*

« *In monumento,* » quod quasi monens mentem, vel munimentum vocatur, quia munitum fuit. Matth. XXVII, 66 : *Signantes lapidem cum custodibus.* Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.*

« *Exciso* » in lapide, ut dicit Chrysostomus : ne dicere possent, quod discipuli suffodientes, furati sunt eum. Erat enim in lapide in primo introitu quasi crypta vel camera. Et in eodem lapide contra ostium introitus illius cameræ ex opposito, erat spelunca in qua positus est Dominus : et super os speluncæ lapis est maximus superpositus, qui non nisi a multis removeri poterat.

« *In quo nondum quisquam* » alius « *positus fuerat,* » ne dicere possent, quod alius erat qui resurrexit. Dicit autem Joannes, XIX, 39, quod erat ibi etiam Nicodemus, *ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum,* qua unxit Dominum : non contra putredinis vel corruptionis fœtorem, quia talem defectum incurrere non potuit, Psal. XV, 10 : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem :* sed quia ita mos erat sepelire corpora charorum amicorum. Et cum essent amici, expensis sepulturæ deesse noluerunt.

Referunt autem quidam, et est scriptum in Historia Ecclesiastica, quod Judæi hunc Joseph propter sepulturæ istius diligentiam captum incarceraverunt : et quod ille primus fuit, cui post resurrectionem Dominus in carcere apparuit, quia solus inter discipulos tunc pro eo captus tenebatur. Nicodemus autem vix manus eorum effugit.

« Et dies erat Parasceves, et sabbatum illucescebat. »

Determinat hic tempus istius sepulturæ.

Dicit igitur : « *Et dies* » sepulturæ « *erat Parasceves,* » hoc est, præparationis : et est nomen græcum, et dicitur *præparatio,* quia illo die necessaria ad sabbatum præparabantur : maxime ad

[1] Matth. XXVII, 59 : *Joseph involvit illud,* id est corpus Jesu, *in sindone munda.*

[2] Cf. Matth. XVII, 2, Luc. IX, 29.

istud sabbatum, quod majus erat cæteris, quia una dies solemnitatis paschalis. Joan. XIX, 31 : *Erat autem magnus dies ille sabbati.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et sabbatum illucescebat,* » ad vesperam Parasceves : quia vesperum illucet in sabbati luce, eo quod præcedens vesperum cum sequenti die computetur. Semper enim secundum cursum naturalem, præcedens nox in sequentem diem illucescit. Psal. CXXXVIII, 12 : *Nox sicut dies illuminabitur :* et, ℣. 11 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis.*

55 « Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.

56 Et revertentes paraverunt aromata et unguenta, et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. »

Hic tangitur qualiter devotæ mulieres in Parasceve locum sepulcri notaverunt.

Et hoc est quod dicit : « *Subsecutæ* » sunt « *autem,* » ad locum sepulcri, « *mulieres,* » in Parasceve, « *quæ cum eo,* » Domino Jesu, « *venerant de Galilæa.* » Et, sicut superius dictum est [1], *ministrabant ei de facultatibus suis :* et pietatem quam exhibuerant vivo, non negaverunt mortuo, quia fideles erant.

« *Viderunt,* » hoc est, notaverunt monumentum : « *et* » notaverunt etiam « *quemadmodum positum erat* » in monumento « *corpus ejus,* » hoc est, Domini Jesu. Matth. XXIV, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.*

« Et revertentes, »

Ipsa die Parasceves, « *paraverunt aromata et unguenta.* » Quamvis enim Parasceves est prima dies Paschæ, luna quartadecima (alias, quintadecima) et non licebat opus servile in eo fieri, tamen opera pietatis circa defunctorum corpora non prohibebantur.

Aromata autem dicuntur quasi aeromata, et illa corpori Dominico apponebant : in signum quia omni odore virtutum redolebat. Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius.*

Unguenta autem paraverunt, in signum quod unctum erat unctione deitatis : et in proximo surrecturum oleo lætitiæ delibutum. Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.*

« *Et siluerunt,* » hoc est, quieverunt a visitatione sepulcri, « *sabbato quidem,* » in quo nihil operis servilis licebat fieri, « *secundum mandatum,* » scilicet legis. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.*

Sic ergo terminatur pars ista quæ est de sepultura.

[1] Cf. Supra ad expositionem ℣. 49.

CAPUT XXIV

Mulieribus ad Christi monumentum consternatis quod ejus corpus non invenirent, Angeli ipsum resurrexisse nuntiant, et illæ Apostolis, qui id tamquam deliramentum accipiunt : Petrus ad monumentum currens et ipse admiratur quod corpus non invenerit : duobus in Emmaus euntibus, Jesus Scripturas interpretatur, et in fractione panis ab eis agnoscitur : congregatis discipulis palpandum se præbet, et cum eis edens aperit sensum ut Scripturas intelligant, ac promisso Spiritu sancto in cælum ascendit.

1. Una autem sabbati valde diluculo, venerunt ad monumentum [1], portantes quæ paraverant aromata :
2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.
3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.
4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.
5. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis?
6. Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,
7. Dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere [2].
8. Et recordatæ sunt verborum ejus.
9. Et regressæ a monuntento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus.
10. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.
11. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.
12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans quod factum fuerat.
13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum [3], quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.
14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.
15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis.
16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.
17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

[1] Matth. xxviii, 1; Marc. xvi, 2; Joan. xx, 1.

[2] Matth. xvi, 21 et xvii, 21; Marc. viii, 31 et ix, 30; Supra, ix, 22.

[3] Marc. xvi, 12.

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?
19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo :
20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.
21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel : et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.
22. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.
23. Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.
24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum : et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.
25. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!
26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?
27. Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretaba tur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.
28. Et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse se finxit longius ire.
29. Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.
30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.
31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum.
32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?
33. Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Jerusalem : et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant,
34. Dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.
35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.
36. Dum autem hæc loquuntur[1], stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere.
37. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre.
38. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?
39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte : quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.
40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.
41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur?
42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.
43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.
44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba

[1] Marc. xvi, 14 ; Joan. xx, 19.

quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.

45. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.

46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est [1], et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die :

47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.

48. Vos autem testes estis horum [2].

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos [3] : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis.

51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum [4].

52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno :

53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

IN CAPUT XXIV LUCÆ

ENARRATIO.

« Una autem sabbati valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata. »

Ab hoc loco usque in finem agitur de sacramento Resurrectionis et Ascensionis.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima Resurrectio nuntiatur per Angelos : in secunda autem certificatur ipsa Domini apparitione.

Prima harum duas habet partes : in quarum prima nuntiatur per Angelos sanctis mulieribus, et per mulieres Apostolis : in secunda autem, signa quæ retulerunt mulieres, per experimentum probat Petrus nimio desiderio videndi Dominum.

In priori autem harum duo dicuntur : in quorum primo revelationem accipiunt mulieres, et Apostolis referunt : in secundo autem, hoc pro deliramento reputatur.

Adhuc autem, anterior illarum duo continet : acceptationem revelationis, et revelationis nuntiationem.

In prima harum partium duo continentur : in quorum primo dicitur qualiter ad monumentum venerunt, et quale monumentum invenerunt : in secundo autem, de revelatione angelica subjungitur, quæ Dominum surrexisse perhibuit, et mulieres præmonuit de verbis Dominicis.

Dicit igitur quando et qualiter ad sepulcrum venerunt, et quale invenerunt sepulcrum.

Quando quidem, quia « *una sabbati,* » hoc est, prima sabbati, quam nos *Dominicam* appellamus. Decuit enim

[1] Psal. XVIII, 6.
[2] Act. I, 8.
[3] Joan. XIV, 26.
[4] Marc. XVI, 19; Act. I, 9.

quod hoc in prima sabbati nuntiaretur : ut qua die septimanæ Deus fecit cœlum et terram [1], eadem die terra gratia, et cœlum gaudio Resurrectionis repleretur. Et qua die Deus dixit : *Fiat lux*, ut illustraret cœlum et terram, eadem die lux surgeret claritatis Resurrectionis, ad cœli et terræ novam illuminationem. Cantic. VI, 9, dicitur de Ecclesia : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Hæc est lux surgentis auroræ, quæ diem caliginis damnatorum non illustrat, sicut dicitur, Job, III, 9. Sic ergo « *una sabbati* » Christus surrexit. Et Marc. XVI, 2 : *Valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.*

« Valde diluculo »

Tangit hic horam quæ maxime convenit : quia in diluculo ad quærendum eum veniebant, qui jam suæ claritatis luce cœli sinum illustrabat. Psal. LXXV, 5 et 6 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Hoc enim prædixerat de eo Zacharias, Luc. I, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Sic enim luce sua nostram noctem transvexit in lucem.

Qua autem hora Dominus surrexerit, nemo scit. Gregorius tamen videtur dicere quod media nocte : quod duabus probat auctoritatibus, quarum prima est Judicum, XVI, 3, quod Samson, qui *sol fortis* interpretatur, media nocte surrexit, et portas Gazæ in verticem montis portavit. Samson enim Christum, Gaza autem significat infernum : quia sicut Samson portas Gazæ, ita Christus confregit portas inferni. Psal. CVI, 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt.* Alia auctoritas est Proverbiorum, XXXI, 15 : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* Alii autem fere omnes Sancti videntur dicere, quod jam imminente aurora, cum tamen adhuc tenebræ erant, surrexit : propter auctoritates et rationes prius introductas. Osee, VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus : et veniet quasi imber nobis temporaneus et seronus terræ.*

Tali igitur tempore et hora

« Venerunt ad monumentum, »

Desiderio amoris quærentis Dominum. Job, III, 21 et 22 : *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum.* Si adhuc qui desiderant a tumultu in absconditis esse cum Christo, in devotione cordis in secreto conscientiæ quærunt eum. Ad Coloss. III, 3 : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Absconditum enim faciei, ut dicit Maximus Episcopus, est pretiosissimus in divinam lucem transitus, qui est a tumultu mundi secretus. Psal. XXX, 21 : *Proteges eos in tabernaculo tuo*, hoc est, in sepulcro tuo a conturbatione hominum, sive *a contradictione linguarum.* Corde igitur ad sepulcrum spirituale, corpore autem ad materiale sepulcrum sic venerunt. Qualiter autem venerunt, subjungit :

« Portantes quæ paraverant aromata, »

Hoc est, odores. Odores autem fuerunt maxime myrrhæ et aloes : quorum utrumque frænat odores malos, non ex corpore Domini, sed ex loco ubi alia damnatorum corpora fœtebant procedentes. Aromata autem virtutum, ut dicit Gregorius, odores significant, quæ nobiscum portare

[1] Cf. Genes. I, 3.

debemus, quando Dominum visitamus. Cantic. IV, 16 : *Fluant aromata illius.* Et iterum, ibidem, ℣.13, ante hoc dicitur : *Emissiones tuæ paradisus*, hoc est, spiramentum et fragrantia, quam emittis, est paradisus. Psal. XLIV, 9 et 10 : *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis*, supple, spirant, *a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Myrrha quidem est justitia castigans per disciplinam et afflictiones carnis. Gutta autem (quæ lacryma est odorifera) est aroma pietatis. Casia autem concava, est aroma humilitatis : quæ spirant a vestimentis honestæ conversationis : a domibus eburneis, hoc est, a corporibus castis. Et ex his Christum delectant ungentes nobiles animæ filiæ regum optimorum prælatorum, in honorem suæ Resurrectionis.

Sic ergo magis intus quam extra portaverunt aromata « *quæ paraverant* » in Parasceven præparationis, hoc est, in studio bonæ vitæ et studio virtutis. Proverb. VI, 6, 7 et 8 : *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ cum non habet ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.* Messis autem est tempus merendi. Proverb. X, 5 : *Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate, filius confusionis.* Sic ergo nobis cum sanctis mulieribus aromata paranda sunt, cum quibus ad quiescentem in gloria Dominum in devotione contemplationis veniamus.

2 « Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

3 Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. »

Hic quædam signa tanguntur Resurrectionis.

Et hæc sunt duo : revolutio lapidis, et quia non invenerunt in monumento præsentiam Dominici corporis.

Dicit igitur : « *Et invenerunt lapidem revolutum a monumento.* » Non quod Dominus indiguerit hac revolutione, quia sicut de matris utero, sic de monumento hinc et inde exivit intacto clausuræ signaculo. Ezechiel. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur,... quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Clausis enim ostiis hinc et inde exivit : ut sciamus eum esse, cui nihil obstat, et cui omnia serviunt ad nutum. Lapis autem iste obdurationem cordis significat, qui devote Deum quærentibus revolvitur. Marc. XVI, 3 et 4 : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.* Ezechiel. XI, 19 : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.* Sic igitur in devotione spiritus lapidem invenerunt revolutum a monumento, in quo cum Domino Jesu includi et abscondi desideraverunt.

« Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. »

Diximus in antehabitis, quod duplex erat ædificium sepulcri. Quod enim primo occurrit, crypta quædam fuit : et ex opposito ostii illius cryptæ, erat spelunca, in qua positum fuit corpus Domini : et lapis prægrandis illi speluncæ suppositus, quem revolutum viderunt : et ingressæ sunt mulieres in ædificium anterioris cryptæ, et videntes lapidem revolutum, senserunt non ibi esse corpus Dominicum. Jam enim erat Jesus glorificatus, nec poterat infimis locis detineri, nec delibutione unguenti corporalis indiguit, qui surrexerat gloria Resurrectionis delibutus. Et hæc ipsa non inventio corporis hoc præfigurabat, ut non de cætero in corporis infirmitate quæreretur, sed in gloria crederetur : ita quod omnis lingua sibi confiteretur, quia esset in plena gloria dexteræ Patris. II ad Corinth. V, 16 : *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem*, hoc est, secundum car-

nis infirmitatem. *Et si cognovimus secandum carnem Christum*, hoc est, secundum carnis infirmitatem, *sed nunc jam non novimus:* quia jam gloria deitatis ejus etiam carnis substantiam tota gloria repleverat. Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum.* Ad Hebr. II, 9 : *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.*

Unguenta spiritualia parentur, et aromata gloriæ Domini congruentia, et non quæ aliquid infirmitatis ostendant in Domino. Parentur, inquam, unguenta compunctionis, devotionis, et gratiarum actionis.

Unguenta quidem compunctionis ex speciebus pungitivis, dolorem cordis inducentibus. Quod fit ex consideratione peccatorum, immixtis quibusdam lenitivis spei, et fiduciæ veniæ. Et, Luc. VII, 38, significatur per unguentum, quod peccatrix mulier super pedes Domini (qui sunt misericordia et justitiæ suæ veritas, sive severitas cum gemitu) effudit.

Unguentum devotionis ex consideratione divinæ bonitatis, et dulcedinis, et gloriæ præparetur. Et significatur per unguentum, quod Maria Magdalena super caput Domini (quod est Deus) cum magno odore, qui totam Ecclesiæ domum repleret, effudit per devotionem [1].

Unguentum autem gratiarum actionis, ex omnibus perceptis a Deo beneficiis commiscetur, et præparatur. Et quia quædam sunt beneficia humanitatis, et quædam deitatis : quædam a manu Domini sicut dona sanitatum : quædam ab ore sicut doctrinæ illuminationum : quædam a pedibus sicut fatigatio itinerum, quando nos ad gratiam circumiens quæsivit : quædam a brachiis et humeris, in quibus nos supportavit : quædam autem a dorso, in quo flagella pro nobis sustinuit : quædam autem a capite, quod arundine percussum et spinis hirsutum fuit : quædam etiam a locis clavorum, et quædam a lanceatione lateris : ideo hoc unguentum significatur per illud quod ditissimi et inclyti viri, Joseph ab Arimathæa et Nicodemus, super totum corpus Domini effuderunt [2]. Hæc igitur unguenta cum virtutum odoribus præparentur. Et sic non cum mortuis, sed cum beatis Dominus invenitur.

« Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 4

Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? 5

Non est hic, sed surrexit. » 6

Hic tangitur de apparitione Angelica, quæ instruxit mulieres de Resurrectione.

Et habet quatuor particulas : in quarum prima dicitur, qualibus existentibus mulieribus Angeli apparuerunt : in secunda autem, quot et quales Angeli fuerunt qui apparuerunt : in tertia autem, quales factæ sunt mulieres ex Angelica apparitione : in quarta vero, qualiter ab Angelis sunt confortatæ et instructæ.

Dicit igitur : « *Et factum est,* » Dei providentia, quæ omnia præordinavit, « *dum* » mulieres « *mente,* » hoc est, animo per cogitationes mensurantes factum hoc, et circumstantias, et causas, « *consternatæ essent de isto.* » Dubietas enim Resurrectionis non permisit mentem elevari ad veritatem, et vehementissimus amor Domini recedere tamquam a re desperata non patiebatur. Et ideo stantes ibi mente consternabantur. Et erat ista consternatio et doloris de absentia, et amoris Domini vehementia, et admiratione revoluti lapidis confecta. Et sic stabant in mentis agonia stupefactæ. Act. III, 10 : *Impleti sunt stupore et exstasi in eo quod contigerat illi.*

[1] Cf. Joan. XII, 3.

[2] Cf. Joan. XIX, 39.

« Ecce duo viri. »

Secundum est de apparitione Angelorum.

« *Ecce.* » In evidenti est, quia cum claritate magna apparuerunt : ita quod, sicut dicitur, Matth. XXVIII, 4 : *Exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.*

« *Duo* » autem fuerunt Angeli, ut duo significarent circa Christum Angelorum officia, scilicet, ministrantes et assistentes. Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et ideo nascente Domino in loco apparuerunt Angeli. Et sicut tentato Domino accesserunt et ministraverunt[1], et sicut pugnanti in Passionis angustia adstiterunt [2], ita nunc post victoriam paratos se exhibent eis, pro quibus Christus pugnavit devotis fidelibus.

Viri sutem *duo* dicuntur : quia in virili vultu et opere apparuerunt, metum incutientes reprobis, et a timore liberantes devotos. Matth. XXVIII, 5 : *Nolite timere vos.* Gregorius : « Illi timeant qui ad so-« cietatem Angelorum non pertinent. Vos « autem cur timetis, qui vestros cives vi-« detis? »

« Steterunt. »

Fortiter adstiterunt, ut illas ab insidiis custodum protegerent, et hostibus metum incuterent. Sapient. XI, 3 : *Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.*

Et hoc est quod dicit : « *Secus illas,* » appropinquando eis per auxilium. Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.* Istæ enim mulieres tympanistriæ Domini fuerunt, ubique eum sequentes et ministrantes, et laudes suas annuntiantes.

« *In veste fulgenti* » et candida : ut ex ipsa veste mulcerent pias et devotas animas : et significarent jam omnes in Christo sperantes (qui vestis ejus sunt) ad candorem justitiæ redivisse. Isa. I, 18 : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Sunt rubra peccata quæ de carne oriuntur et sanguine, illa candoris albedinem accipiunt, qui candor in vellere Agni Dei apparuit. Vermiculi autem sunt motus tentationum, qui tortuosi sunt sicut est motus vermis. Et illa quæ de tentationibus oriuntur, ad albedinem nivis convertuntur, hoc est cœlestis innocentiæ, et luminis cœli candorem.

Et sic « *in veste fulgenti* » apparet Angelus.

« Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram. »

Tertium est in quo ostenditur timor et verecundia muliebris.

Timor quidem in hoc quod dicit : « *Cum timerent.* » Qui timor est terror magnitudinis gloriæ angelicæ. Propter quod etiam, Matth. XXVIII, 5, dicit Angelus : *Nolite timere vos.* Ubique enim boni Angeli confortant, et abstergunt timores et terrores. Luc. I, 13 : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Item, ℣. 30 : *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* II Paralip. XX, 15 : *Nolite timere, nec paveatis.* Et post pauca, ℣. 17 : *Sed tantummodo confidenter state.* Exod. XIV, 13 : *Nolite timere : state, et videte magnalia.* Tamen infirmitatis humanæ, et præcipue pusillanimitatis muliebris est, ad inconsueta timere.

« *Et,* » cum verecundantes vultus viriles in Angelis, « *declinarent vultum in terram.* » Eccli. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Extollentia enim oculorum superbiam et libidinem carnis, et petulantiam signifi-

[1] Cf. Matth. IV, 11. Cf. Luc. XXII, 43.

cat in muliere. Eccli. XXII, 5 : *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me.* Eccli. XXVI, 12 : *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, et in palpebris illius agnoscitur.* Et ideo declinaverunt istæ oculos suos in terram.

« Dixerunt ad illas, »

Angeli ad mulieres.

Duo dicunt Angeli : modicitatem fidei in mulieribus erigunt reprehendendo et instruendo : secundo autem, ad fidem verborum Christi reducunt corda sanctarum mulierum.

De primo adhuc duo ponunt : reprehensionem videlicet, et instructionem.

Reprehensionem quidem in hoc quod dicunt : « *Quid,* » hoc est, quare « *quæritis,* » sicut dubitantes de resurrectione « *viventem* » immortaliter, « *cum mortuis,* » hoc est, in mortis vinculis detentis ? Filius enim Dei vinculis mortis detineri non potuit, licet pro nobis mortem assumpserit. Act. II, 24 et seq. : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri ab eo. David enim dicit in eum :... Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, et replebis me jucunditate cum facie tua.* Et ideo solus est inter mortuos liber, quia vinculis mortis in nullo fuit obligatus. Hæc est ergo reprehensio modicitatis fidei. Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?*

« Non est hic. »

Hæc est instructio Resurrectionis.

« *Non est hic,* » in loco mortuorum detentus. Iste enim locus est eorum, qui apud inferos detinentur. Psal. XXIX, 4 : *Eduxisti ab inferno animam meam.* Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne!* Psal. LXXV, 4 : *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* In morte enim destruxit mortis potentias, quas ante super omnes exercuit. Arcum, hoc est, antiquæ sententiæ obligationem, qua dictum est, Genes. II, 17 : *Morte morieris.* Scutum etiam peccati, quo te mors in regno suo defendit. Ad Roman. V, 14 : *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt.* Et gladium quo jugulavit, hoc est, corporis mortalitatem, propter quam *corpus mortis* vocatur. Bellum autem est clausura infernorum, quibus mortuus impugnabatur. Hæc enim omnia Christus destruxit.

« Sed surrexit »

A mortuis in vitam gloriosam et immortalem. I ad Corinth. XV, 20 : *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* Ad Roman. VI, 9 et 10 : *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo,* hoc est, immortaliter et impassibiliter ad similitudinem Dei.

« Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,

Dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. »

Hic mittunt Angeli ad verborum veritatis firmitatem : de quibus dixit[1], quod numquam transibunt, sed æterna stabilitate manebunt.

Dicunt autem tria, scilicet, quod cor ad sermones revocent, et ubi, et quid dixit.

[1] Cf. Marc. XIII, 31 ; Luc. XXI, 33. Cf. etiam Matth. XXIV, 35.

De primo dicunt : « *Recordamini.* » Summum enim est sermones Dei ad memoriam revocare. Jerem, LI, 50 : *Recordamini procul Domini.* Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Ideo dicit David, Psal. CXVIII, 49 et 50 : *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti : hæc me consolata est in humilitate mea.*

« *Qualiter,* » prædicendo hæc, « *locutus est,* » cujus sermones excidere non possunt, « *vobis,* » cum de omnibus his vos instrueret, « *cum adhuc in Galilæa esset,* » mortalis cum mortalibus.

« Dicens : »

Matth. XX, 18 et 19 : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis : et condemnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum : et tertia die resurget.*

« Quia oportet, »

Ex congruentia redemptionis, « *Filium hominis,* » in natura passibili, « *tradi* » Judæis, et a Judæis tradi Gentilibus : sicut in ante habitis est expositum. Psal. LXXXVII, 9 : *Traditus sum, et non egrediebar.*

« *In manus hominum,* » tam Judæorum quam Gentilium, « *peccatorum,* » qui iniquæ suæ voluntati satisfacient in ipso. De istis autem traditionibus multa in ante habitis dicta sunt.

« *Et crucifigi,* » ut mortis mulctæ crucis horror cumuletur. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

« *Et die tertia resurgere.* » Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos.*

8 « Et recordatæ sunt verborum ejus.
9 Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus.

Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis ».

Hic tangitur qualiter mulieres visionem istam Apostolis nuntiaverunt.

Dicit autem tria, scilicet, qualiter ex instructione angelica verborum sunt recordatæ, qualiter a monumento regressæ, et qualiter nuntiaverunt Apostolis.

Dicit igitur : « *Et recordatæ sunt,* » per angelicam instructionem, « *verborum ejus,* » hoc est, Domini, quæ nimia tristitia ante recordari non permittebat. Thren. I, 22 : *Multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.* Levit. X, 19 : *Quomodo potui placere Domino in ceremoniis mente lugubri ?*

Et ad hanc recordationem

« Regressæ a monumento, »

Non amplius quæsiverunt eum in monumento. Tamen sicut innuitur, Joan. XX, 11, Maria Magdalena non recessit, et ideo Dominum videre meruit.

« *Nuntiaverunt hæc omnia,* » quæ viderant et audierant « *illis undecim* » Apostolis, qui principales erant, « *et cæteris* » discipulis, « *omnibus* » membris, ut esset omnium una causa lætitiæ quibus una causa fuit tristitiæ : sicut et Dominus dixerat, Joan. XVI, 20 : *Vos constristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Per mulieres autem ad Apostolos hæc nuntiari voluit, ne dejectus sexus fœmineus tristitia absorberetur : quia sexus muliebris fuerat nuntius mortis, et ideo relevabatur per hoc quod est nuntius vitæ. Judicum, IV, 9 : *In hac vice victoria non reputabitur tibi*

scilicet viro, *quia in manu mulieris tradetur Sisara.*

Describit autem Evangelista mulieres per nomina, ne videatur fabula indocta quam dicit :

« Erat autem, »

Inter istas mulieres non ignotas, nec ad hoc conductas, sed honestas et divites et famosas, « *Maria Magdalene,* » cujus frater in ipsa civitate dominium habuit et possessionem, sicut tradunt historiæ, et juxta civitatem residebat. Hæc autem prima nominatur : quia ferventior fuit, et diligentior in omnibus Christi obsequiis, ut dicit Chrysostomus.

« *Et Joanna,* » quæ sicut, Luc. VIII, 3, dicitur, *uxor fuit Chusæ, procuratoris Herodis,* in regno. « *Et Maria Jacobi* » mater majoris, et Joannis, quæ erat uxor Zebedæi. Vel, forte fuit mater Jacobi minoris : quia genuerat Jacobum et Simonem Chananeæum, et Judam Thaddæum, et Joseph discipulum Domini, qui cum Mathia sortitus est de apostolatu, et *Justus* cognominabatur propter vitam suam sanctissimam. Hos enim quatuor ex Alphæo genuerat. Et ideo aliquando *Maria Alphæi* vocatur.

« *Et cæteræ* » mulieres « *quæ cum eis erant* » in obsequio funeris Dominici corporis, « *quæ dicebant,* » nuntiantes, « *ad Apostolos hæc,* » læto corde nuntiantes. Proverb. XXXI, 6 et 7 : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo : bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.* Hoc enim nuntium infundebatur eis sicut sicera, gaudium generans in cordibus eorum.

« Et visa sunt ante illos. »

Viderant enim tot opprobria et tot tormenta, quod ita abscondita fuit virtus deitatis, quod omnino desperaverunt de ipso. Habacuc, III, 3 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus est vultus ejus, et despectus. Unde nec reputavimus eum.*

Et ideo visa sunt « *sicut deliramentum verba ista.* » Et videbantur esse insaniæ et fatuitates quædam. I ad Corinth. IV, 10 : *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo.* Sic est etiam quando aliquid dicitur de Deo non credenti, videtur ei stultitia. I ad Corinth. II, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultitia est enim illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur.*

« Et non crediderunt illis, »

Propter causam quam jam diximus. Et etiam ideo quia jam per verbum Christi stabilita corda habebant, et non cito movebantur. Eccli. XIX, 4 : *Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur.* I Petr. IV, 12 : *Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit.* I Joan. IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.*

« Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit, secum mirans quod factum fuerat. » 12

Hic agitur qualiter Petrus ista per experimentum probare voluit. Hoc omittit Lucas quod Joannes plenius ponit. Et hoc est, quod Petrus et Joannes simul cucurrerunt. Unde, Joan. XX, 4 et 5 : *Currebant autem duo simul : et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina : non tamen introivit.* Petrus autem tunc etiam procubuit, sicut hic dicitur, et non introivit : postea autem introivit Petrus, et tunc etiam introivit Joannes. Et in illa diligentia Petri creditur ei apparuisse Dominus.

Et hoc est quod dicitur : « *Et procum-*

bens, » ex desiderio, « *vidit linteamina sola posita.* » Quod jam, sicut dicit Chrysostomus, erat signum Resurrectionis, et non transpositionis corporis. Et dicit Joannes, xx, 7, quod *sudarium, quod fuerat super caput Jesus*, vidit seorsum, *non cum lineaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum:* quæ omnia signa erant Resurrectionis.

« *Et* » ideo, sequitur quod « *abiit* » a sepulcro, in circuitu tamen sepulcri considerans « *secum,* » hoc est, apud se « *mirans quod factum fuerat.* » Psal. lxvii, 36 : *Mirabilis Deus in Sanctis suis :* qui sic se a quærentibus aliquando abscondit. Cantic. iii, 2 : *Circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Et creditur quod tunc apparuit ei Dominus. Unde dicunt discipuli : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni* [1].

13 « Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.

14 Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. »

Hic incipit agere de apparitione Domini, quæ est expressum et verum argumentum Resurrectionis.

Dividitur autem in tres partes : in quarum prima agitur de apparitione : in secunda, de missione discipulorum ad Gentes : in tertia, de Ascensione.

In prima autem agit de triplici apparitione : et secundum illam triplicem apparitionem dividitur in tres partes : in quarum prima, de apparitione quæ facta est Cleophæ et Lucæ : in secunda vero, de apparitione facta Petro : in tertia autem, de illa quæ facta est omnibus simul.

Prima harum dividitur in quatuor partes : in quarum prima dicitur, quando et ubi apparuit : in secunda autem, qualiter Christus apparens, se suis discipulis junxit, scilicet quando de se colloquebantur : in tertia, qualiter sacramenta suæ Resurrectionis par Scripturas ostendit : in quarta autem et ultima, qualiter ab eis cognitus fuit.

Dicit autem in prima tria, scilicet, nomen loci, longitudinem ab Jerusalem, et collocutionem.

Dicit igitur :

« *Et ecce duo ex illis,* » scilicet discipulis, quorum unus infra dicitur Cleophas : alter autem istius auctor erat libri Lucas. Mos enim est auctorum sacræ Scripturæ, quod nomina sua in solemnibus factis non ponunt propter humilitatem. Sicut Paulus, II ad Corinth. xii, 2 : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim* (*sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit*). Et non nominat se Paulum, cum tamen ipse ille homo fuerat.

« *Ibant,* » forte declinantes persecutionem, « *ipsa die,* » hoc est, ipsa die dominicæ Resurrectionis, « *in castellum,* » ubi forte aliqui credentes amici discipulorum habitabant, « *quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem.* » Stadium autem a stando dicitur, eo quod Hercules gigas, tantum uno anhelitu cucurrisse dicitur, et stetisse. Continet autem stadium centum viginti quinque passus, et est octava milliarii pars. Milliare autem mille passus continet. Et est milliare dimidia leuca. Vel, ut alii dicunt, tria milliaria duas leucas perficiunt. Unde sexaginta stadia septem millia passuum et quingentos continent, hoc est, septem milliaria et dimidium ab Jerusalem civitate metropoli.

« Nomine Emmaus. »

Fuit autem Emmaus primo metropolis insignis Palestinæ, quæ post expugnationem Judææ, sub Marco Aurelio et Antonio principe restaurata, cum statu

[1] Cf. Infra, ỳ. 34.

mutavit et nomen. Unde postea Nicopolis est appellata : quod *urbs victoriæ* interpretatur. Ibi autem domus Cleophæ fuisse dicitur, ad quam ibant Lucas et Cleophas.

« Et ipsi, »

Scilicet duo discipuli, « *loquebantur ad invicem.* » Ad Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

« *De his omnibus quæ acciderant* » circa Dominum Jesum.

Loquentibus enim de bonis adjungit se Dominus.

Et hoc est quod sequitur :

5 « Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, et ipse JESUS appropinquans ibat cum illis :

6 Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. »

Dicuntur autem hic tria, scilicet, qualiter de Domino ad invicem loquebantur : qualiter loquentibus de se, se junxit Dominus : et qualiter instruxit eos per Scripturas de sacramentis Passionis suæ et Resurrectionis.

De primo dicit : « *Et factum est,* » præter intentionem eorum ordinatione divina, « *dum fubularentur.* » Non intendit dicere quod fabulam dicerent, sed quod mystica dicebant, quæ in compositione sunt sicut fabula. Et mira de JESU recitabant : ideo *fabulari* dicuntur, quia fabula componitur ex mysticis et miris. Et talia isti secum tractabant e Scripturis de Domino.

Et hoc est quod subjungit :

« Et secum quærerent, »

Mutuo unus ab alio. Nisi enim mysteria tractarent, secum non quærerent. Quærere enim est alicujus profundi intellectum indagare. Psal. XXIII, 6 : *Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob,* hoc est, notitiam. Eccli. XXXIX, 1 et 2 : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in prophetis vacabit : narrationem virorum nominatorum conservabit.*

« Et ipse JESUS appropinquans, »

Plus et verius interius quam exterius. Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Deuter. IV, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

« Ibat cum illis. »

Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Proverb. VIII, 31 : *Ludens in orbe terrarum : et deliciæ meæ esse cum filiis hominum,* hoc est, rationabilium, et rationabilia per intellectum tractantium.

« Oculi autem illorum, »

Scilicet discipulorum, « *tenebantur,* » non quidem a Domino, sed interiori dubitatione : sicut quando homo non confidit de aliquo quod appareat, et judicat impossibile quod ille sit, statim interior æstimatio speciem visam ante oculos convertit ad aliud. Et de talibus dicitur, II ad Corinth. III, 15, quod *velamen positum est super cor eorum.* Nec est verum quod quidam dicunt, quod percussi fuerint acrisia : sicut Sodomitæ contrectare impudice volentes Angelos [1] : et illi qui missi fuerant ad capiendum Eliseum [2]. Sapient. XIX, 16 : *Percussi sunt autem cæcitate, sicut illi in foribus justi, cum*

[1] Cf. Genes. XIX, 4 et seq.

[2] Cf. IV Regum, VI, 13.

subitaneis cooperti essent tenebris. Nihil enim talium passi sunt discipuli. Sed potius, sicut videmus in timentibus et dubitantibus, quod modicas juncturas et valde dissimiles propter imaginationem interiorem, putant esse animalia nociva et fugiunt: aut forte aliquid desiderabilium, et tunc accedunt. Ita dubitatio Resurrectionis, et timor incussus ex Judæis, faciebat quod nihil cognoscebant de apparitione Domini extra: quia etiam manifestante se Domino coram oculis eorum, non poterant eum discrete cognoscere.

Et hoc modo «*tenebantur oculi eorum,*»

« Ne eum agnoscerent, »

Hoc est, agnoscere possent. Exterius quidem videbant: sed quasi in exstasi dubietatis existentes, interius judicium discretæ cognitionis de ipso facere non valebant. Isa. LIX, 10 : *Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus.* Job, XXXVI, 25 : *Omnes homines vident eum : unusquisque intuetur procul:* quia longe se fecit per dubitationis elongationem.

17 « Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

18 Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? »

Hic incipit instructio illuminationis.

Et habet partes duas : in quarum prima accipit occasionem ex dictis a discipulis : in secunda, ponit illuminationem instructionis.

In prima autem tria continentur : in quorum primo a collatione eorum ponitur quæstio : in secundo, admirationis responsio, si res tanta ignoretur ab aliquo : in tertio autem, reiteratur quæstio, et ponitur facti narratio.

In primo horum duo quæruntur : quæ sit collatio, et quæ tantæ tristitiæ sit causa, qualis apparebat in ipsis.

Dicit igitur :

« *Et ait* » Dominus « *ad illos* » discipulos, quærens illuminandi eos occasionem. Joan. I, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.*

« Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ?

Hoc est, de qua materia sunt? Nec quærit ignorans, sed ut detur locus instructioni. Signum enim amoris est loqui de magistro. Et signum est bonorum discipulorum semper tractare de doctrina magistri. De primo dicitur, Matth. XII, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Psal. CXLIV, 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* De secundo dicitur, Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

« Ambulantes, et estis tristes, »

Hoc est, quæ est istius tristitiæ causa, quod in tristitia video vos ambulare ? Hujus autem tristitiæ causa fuit, visa in Domino pœna, et dubitata Resurrectio, et metus a Judæis incussus. Joan. XVI, 20 : *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.*

« Et respondens unus, cui nomen Cleophas. »

Ad cujus domum tunc ibant : quia domus ejusdem fuit in Emmaus castro. Dicit autem Ambrosius, quod secundus, qui socius fuit Cleophæ, vocabatur

Amon, (alias, Amaon) filius Rusi. Communior autem opinio est, quod fuit ipse Lucas, sicut superius diximus.

« Dixit ei, »

Domino :

« Tu solus peregrinus es in Jerusalem ? »

Hoc est dicere : Esne solus peregrinus? hoc est, alienus « *in Jerusalem* ? » Et ibi est interrogatio.

Et post sub alia interrogatione.

« Et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?

Quasi dicat : Hoc est valde mirabile, si tu solus es alienus ab his quæ facta sunt, et non cognovisti ea quæ tam famosa facta sunt his diebus. Sic ergo legenda est littera.

Quod autem dicit : « *Tu solus peregrinus es,* » hoc est, alienus, significat quod jam a cordibus eorum propter dubitationem peregrinabatur a mentibus eorum. Isa. XXVIII, 21 : *Peregrinum est opus ejus ab eo.* Hoc Jeremias, XIV, 8, in admiratione spiritus prævidit, dicens : *Quare quasi colonus* (alia littera, peregrinus) *futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?*

In hac specie omnes sancti se peregrinos efficiunt : quia non se reputant hic habere manentem civitatem, sed futuram inquirunt. Ad Hebr. XI, 13 : *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.*

Hoc etiam peregrinorum est proprium, non habere in loco peregrinationis mansionem, sed inquirere futuram. Peregrinari etiam est continuo transire et non manere. I Petr. II, 11 : *Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.*

Tertio, peregrinorum est signa viæ cognoscere, et tendere in hoc quod quærunt. II ad Corinth. V, 6 et 7 : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem.*

Adhuc, quarto loco : qui peregrinatur in loco peregrinationis, paucis ad solam sustentationem [pertinentibus est contentus. IV Reg. VIII, 1 : *Surge, vade, tu et domus tua, et peregrinare ubicumque repereris.* Ita dictum est Sunamiti, quæ *captiva* interpretatur.

Quinto etiam, peregrinus est exsul, et in exsilio se esse reputat. Genes. XV, 13 : *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua.* Sed secundum illam rationem peregrini ponuntur hic, quod alienum se discipulis ostendit, ut instrueret quod per dubitationem alienatus fuit a mentibus eorum. Sed litteralis sensus est, quem diximus superius.

Quod autem dicunt : *Et non cognovisti,* etc. Tanta enim illa facta fuerunt in cordibus eorum, quod nullum hominem putabant ea ignorare, sed omnibus nota esse, quæ per publicum judicium in præsentia turbæ facta sunt. Act. I, 19: *Notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem : ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldema, hoc est, ager sanguinis.*

Et hoc quod dicunt : « *Et non cognovisti quæ facta sunt illa his diebus.* » Joel, I, 2 : *Audite hoc, senes, et auribus percipite, omnes habitatores terræ : si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.*

« Quibus ille dixit : Quæ ? Et dixerunt : De JESU Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo : **19**

Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. **20**

21 Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.

22 Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23 Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, quæ dicunt eum vivere.

24 Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. »

« *Quibus ille dixit,* » Dominus discipulis : « *Quæ ?* » ut occasionem instruendi acciperet.

« *Et dixerunt,* » certatim tunc ambo respondentes : quia audaciam ex collocutione acceperant.

« De Jesu Nazareno, etc. »

In ista facti narratione quinque continentur, quorum primum est magnificatio ejus qui occisus est : secundum, qualiter et a quibus interfectus est : tertium, quid sperabatur de ipso : quartum autem, relatio mulierum de Resurrectione : quintum autem, experimentalis probatio discipulorum.

Dicunt igitur :

«*De Jesu,*» *qui secundum nomen suum maximus fuit in salutem electorum Dei,* sicut dicitur, Eccli. XLVI, 1 et 2.

« *Nazareno,* » qui ex parentali et patrio nomine totius fuit flos pulchritudinis et honestatis. Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestabis.*

« Qui fuit, »

Non ab ante heri, et nudiustertius : sed ab omni præterito, « *vir* » a mentis virore. Job, I, 3 : *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* « *Propheta,* » conscius omnium Dei secretorum. Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Et attende quod isti non agnitum Dominum timentes, timent eum Filium Dei et Deum dicere, sed ut prophetam conscium divinorum secretorum. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Luc. VII, 16 : *Propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.*

« Potens. »

Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Matth. VII, 28 : *Loquebatur sicut potestatem habens.*

« *In opere* » miraculorum et virtutum. Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis.*

« *Et sermone.* » Joan. VII, 46 : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Fecit enim quod docuit. Matth. V, 19 : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

« *Coram Deo.* » Matth. III, 17, et XVII, 5 : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Unde, Joan. XII, 28 : *Venit vox de cœlo : Et clarificavi, et iterum clarificabo.*

« *Et omni populo* » Luc. VI, 19 : *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.*

« Et quomodo tradiderunt. »

Istud est secundum.

« *Summi sacerdotes,* » auctoritate et consilio, « *et principes nostri,* » per adhibitionem potestatis. Joan. XVIII, 35 : *Gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi : quid fecisti ?*

« *In damnationem mortis* » Act. III, 14 et 15 : *Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitæ interfecistis.*

« *Et crucifixerunt eum,* » ut horrori mortis, crucis confusionem cumularent. Act. IV, 10 : *In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.*

« Nos autem sperabamus. »

Tertium est de spe Sanctorum de ipso. Psal. LXX, 5 : *Domine, spes mea a juventute mea.*

« *Quia ipse esset redempturus Israel.* » II ad Corinth. I, 10 : *In quem speramus, quoniam et adhuc eripiet.* Jerem. XVII, 17 : *Spes mea tu,* supple, es. Proverb. XIII, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animam.* Israel autem redemit de manu diaboli, et mortis, et inferni. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

« Et nunc super hæc omnia, »

Quæ diximus, « *tertia dies est,* » in qua se prædixit surrecturum a morte, quæ est dies peremptoria nostræ consolationis. Matth. XX, 19 : *Tertia die resurget.* Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.* Sophon. III, 8 : *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.*

« *Quod hæc facta sunt :* » nec adhuc recepimus desideratam nobis consolationem. Isa. LXVI, 13 et 14 : *Ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum.* Joan. XVI, 22 : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

« Sed et mulieres quædam. »

Hoc est quartum de annuntiatione mulierum, de quibus superius dictum est.

« *Ex nostris,* » quia discipulæ Domini fuerunt, sicut et nos, et sequentes eum nobiscum. Eccli. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.*

« *Terruerunt nos.* » Ista autem territio fuit de hoc, quod nuntiaverant eum se non invenisse. Psal. LXXXVII, 17 : *Terrores tui conturbaverunt me.* Vel, quia terribilem visionem Angelorum nuntiaverunt quæ quasi mortuos effecerat custodes. Ideo dicit : « *Terruerunt nos.* » Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi ? Ex tunc ira tua.*

« *Quæ ante lucem,* » ne ab omnibus viderentur, « *fuerunt ad monumentum.* » Marc. XVI, 2 : *Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum.* Joan. XX, 1 : *Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum.*

« Et non invento corpore ejus, »

Quod ungere volebant. Cantic. III, 1 : *Per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.*

« *Venerunt* » ad nos redeuntes de sepulcro, « *dicentes* » nobis læto nuntio. IV Reg. VII, 9 : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris argueremur.*

« *Se etiam vidisse,* » quasi secundo signo Resurrectionis ejus. Primum enim fuit quod corpus non invenerunt, cum tamen linteamina jacuerunt in sepulcro. Secundum autem signum fuit visio Angelorum.

« *Visionem Angelorum.* » Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Sicut enim Angeli instruxerunt patriarcham, et legislatorem, et ducem[1] : ita nunc recedentes ab illis instruunt Ecclesiam. Unde Josephus dicit, quod ante destructionem

[1] Cf. Josue, V, 13.

Jerusalem auditæ sunt voces Angelorum in aere dicentium : Transeamus ab his sedibus. Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

« *Quæ* » scilicet mulieres, « *dicunt eum,* » Jesum scilicet, « *vivere.* » Unde, supra, ℣. 5 : *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Joan. v, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.*

« Et abierunt, etc. »

Istud est quintum in relatione ista.

« *Abierunt quidam ex nostris,* » Joannes et Petrus, sicut superius dictum est, « *ad monumentum,* » ut probarent dicta mulierum. I ad Thessal. v, 21 et 22 : *Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.*

« *Et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt* » de angelica visione, « *ipsum vero,* » Dominicum corpus, « *non invenerunt.* » Joan. iv, 42 : *Mulieri dicebant : Jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

25 « Et ipse dixit ad eos : O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!

26 Nonne hæc oportuit pati Christum, et ira intrare in gloriam suam? »

« *Et ipse dixit ad eos,* » incipiens docere eos ex verbis eorum. Matth. v, 2 : *Aperiens os suum, docebat discipulos suos.*

Dividitur autem hæc pars in duas : in quarum prima agitur de Scripturarum instructione : in secunda autem, agit de Domini agnitione.

In prima harum tria facit. Primo enim ponit incredulitatis exprobrationem : in secundo, veritatis ostensionem : in tertio autem, ponit ejusdem veritatis per Scripturas demonstrationem.

Dicit ergo :

« O stulti! »

Stulti dicuntur quasi stolidi, ex hoc quod ex longo magisterio Christi tam parum profecerunt. Isa. xxxii, 6 : *Stultus fatua loquetur.* Ad Hebr. v, 12 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit.*

« Et tardi corde ad credendum! »

Marc. xvi, 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.*

« In omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. »

Prophetæ enim maxime prænuntiaverunt de gratia, et sacramentis factis per Christum. Et de verbis illorum sæpe tractavit Christus cum discipulis suis. I Petr. i, 10 et 11 : *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Quia hoc ergo sæpe tractavit cum eis Spiritus Christi, propter hoc arguuntur de tarditate credendi « *in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.* »

« Nonne hæc oportuit pati Christum? »

Passio enim est ostium gloriæ, quia sanguis Christi romphæam amovit. Psal. cvi, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit : suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Item, hoc modo sibi corporis gloriam promeruit. Ad Phi-

lip. II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Hoc etiam modo nobis reconciliationem invenit. Ad Roman. V, 10 : *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Adhuc autem, quia hoc pretio et non alio mundus redimi potuit : quia illud plus quam totus mundus valuit. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Adhuc autem, sic nobis formam patientiæ et spei dedit. I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Tandem etiam sic maximam esse futuram gloriam ostendit, quæ tot et tantis passionibus non est digna, sed melior in infinitum. Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* II ad Corinth. IV, 17 et 18 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

« Et ita intrare in gloriam suam. »

Ad Hebr. II, 9 : *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Jacob. I, 12 : *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

27 « Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. »

Ecce per Scripturas ejus quod dixit probatio.

Dicit igitur : « *Et incipiens a Moyse,* » hoc est, a Scriptura Moysi. Unde, Joan. V, 45 et seq., dixit Judæis : *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem litteris illius non creditis, quomodo verbis meis credetis ?*

« *Et omnibus prophetis.* » Unde de omnibus prophetis dicit, Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Et ideo cum Domino, Matth. XVII, 3, Moyses et Elias apparuerunt, ut legis testimonium haberet et prophetarum.

« *Interpretabatur illis,* »hoc est, exponebat mysteria in omnibus Scripturis, « *quæ,* » hoc est, quia illæ « *de ipso erant.* » Marc. IV, 34 : *Seorsum discipulis suis disserebat omnia.* I ad Corinth. XIV, 29 : *Prophetæ duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent.* Hoc est sicut, Genes. XL, 8 et seq., ubi captivi somnia viderunt, et Joseph interpretabatur. Psal. XVII, 12 : *Tenebrosa aqua in nubibus aeris,* hoc est, doctrina in prophetis : *sed in fulgore ejus,* hoc est, in interpretatione ejus, *nubes transierunt,* quia obscura luminosa fecit. Job, XXVIII, 11 : *Abscondita in lucem produxit.*

« Et appropinquaverunt castello quo 28
ibant : et ipse se finxit longius ire.

Et coegerunt illum, dicentes : Mane 29
nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. »

Hic tangitur qualiter agnitus est Dominus a discipulis.

Dicuntur autem hic quatuor : in quorum primo meritum commendatur hospitalitatis : in secundo, dicitur qualiter cognoverunt eum in fractione panis : in tertio, reversi ad se, signa adverterunt præsentiæ suæ, cum adhuc essent in itinere ambulationis : in quarto autem,

ostenditur lætitia tam jucundæ nuntiationis.

In primo horum quatuor dicuntur : ad hospitium appropinquatio, Domini ut longius iret fictio, ad manendum cum discipulis coactio, et Domini cum discipulis mansio.

Dicit igitur : « *Et appropinquaverunt,* » itinere cito perfecto, « *castello quo ibant,* » ubi fuit domus Cleophæ, ut dicitur.

« Et ipse se finxit longius ire, »

Scilicet Dominus finxit se velle ire longius.

Attende autem quod licet fictio nullo modo conveniat veritati, hanc veritatem hæc fictio habuit, quæ hoc prætendit quod in mentibus eorum jam fuit. Longius enim aberat a mentibus eorum. Et hoc hæc fictio prætendebat. Et sic fictio exterior, interioris veritatis erat fictio. Unde fictio dicitur hic compositio habitus exterioris, ad ostendendum interiorem habitum mentis. Eccli. XIX, 24 : *Est justus qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est.* Tamen fingere, sicut dicit Gregorius, componere dicimus : unde luti compositores, figulos vocamus. Ad Roman. IX, 20 : *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ?*

Ista autem compositio fit in bono, et fit in malo. In bono quidem, aliquando in Sapientia fingente sapienter in creaturis. Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Aliquando autem fingit in præceptis prudenter, in quibus componit difficultatem, ut per obedientiam deleat iniquitatem. Psal. XCIII, 20 : *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto ?* Aliquando componit ad nobis ostendendum cordis nostri dispositionem, sicut hic, sicut jam diximus. In malo autem sumitur, quando hypocrita componit simulationem. Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

Compositione ergo habitus ostendentis discipulis qualiter a cordibus eorum elongatus fuit, dicit : « *Et ipse se finxit longius ire.* » Marc. VI, 48 : *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans supra mare, et volebat præterire eos.*

« Et coegerunt illum, dicentes. »

Gregorius : « Ostenditur quod hospi-« tes non solum invitandi sunt, sed et « trahendi et cogendi. » Hoc modo adorando et tenendo Abraham Angelos, quos homines esse putavit, compulit ad secum manendum[1]. Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« Mane nobiscum, »

Hospitalitatis gratia. Ad Roman. XII, 13 : *Hospitalitatem sectantes.* Hic dicit Beda : « Laicus si unum vel duos recipit, « hospitalitatem implevit : Episcopus si « omnes non recipit, inhumanus est. »

« Quoniam advesperascit, »

Et jam tempus hospitandi, et hora advenit. Job, XXXI, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

« Et inclinata est jam dies, »

Sole ad occasum tendente. Jerem. VI, 4 : *Declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi.* Nox enim est tempus quietis hominis, et discursus bestiarum. Psal. CIII, 20 : *Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Et post pauca, ℣℣. 22 et 23 : *Ortus est sol, et congregati sunt,*

[1] Cf. Genes. XVIII, 4 et 5.

et in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum. Sic etiam detinendus est Dominus cum vita declinat ad vesperum : et dicendum illud Psalmi LXX, 9 : *Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me, Domine.*

« Et intravit cum illis »

Hospitium. Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini, cur foris stas ?*

30 « Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.

31 Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum.

32 Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas? »

Ecce secundum. Et continet tria, scilicet, qualiter Dominus panem fregit, qualiter in hoc ipso agnitus fuit, et qualiter ab eis evanuit.

Dicit igitur : « *Et factum est,* » divina ordinatione, « *dum recumberet,* » quasi lassus ex itinere commode sederet, quamvis tunc lassari non posset. Cantic. I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum,* hoc est, odorem humilis hospitalitatis.

« *Cum eis,* » in bonis eorum quærens refectionem. Apocal. III, 20 : *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.*

« Accepit panem, »

Ut ex tactu manus virtutem divinam contraheret. « *Et benedixit,* » aliqua benedictione illis nota : « *ac fregit,* » ut cuilibet proportionata pars esset : « *et porrigebat illis,* » ut ad usus suos caperent. Matth. XXVI, 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, et dedit discipulis suis*[1]. Sic et a nobis panis verbi vel Sacramenti, devote est accipiendus, et cum oratione benedicendus : et cum intellectu et expositione frangendus : et postea cum omni reverentia aliis porrigendus. Sed nunc deficientibus discipulis Domini, heu! dicitur, Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.*

« Et aperti sunt oculi eorum, »

Remoto velamento quod superius diximus. Act. IX, 18 : *Confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit.* Ungulæ enim dubitationum remotæ sunt, et tunc viderunt eum, quem præsentem habuerunt.

« Et cognoverunt eum, »

Quem dubietas quis esset absconderat. Hoc autem duobus maxime factum fuerat, declaratione scilicet sermonis. Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis :* et obedientia mandatorum in merito hospitalitatis. Psal. CXVIII, 104 : *A mandatis tuis intellexi.*

« Et ipse evanuit ex oculis eorum, »

Ut gloriam immortalium non subjacere oculis mortalium ostenderet. I ad Corinth. II, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Dicit etiam Glossa quod ideo evanuit, ut doceret quod non quærerent sui gloriam coram hominibus. Matth. VI, 1 : *Attendite ne justitiam*

[1] Cf. I ad Corinth. XI, 24.

vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.

« Et dixerunt ad invicem. »

Hoc est tertium, in quo ad se revertentes, advertunt signa præsentiæ Domini: etiam dum non cognoverunt eum.

« Nonne cor nostrum, »

Ex quo vita et motus et sensus procedunt. Proverb. IV, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.*

« *Ardens erat,* » ardore charitatis. Cantic. VIII, 6 : *Lampades ignis atque flammarum.* Adhuc autem, ardore veritatis divinæ. Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.* Adhuc autem, ardore Spiritus. Act. II, 3 : *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum* Spiritus sanctus. Adhuc autem, ardore zeli. Sophon. III, 8 : *In igne zeli mei devorabitur omnis terra.*

Sic ergo ardens erat, « *dum loqueretur in via* » verbis ignitis. Psal. XI, 7 : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

« *Et aperiret nobis Scripturas,* » hoc est, mysteria Scripturarum per intellectum spiritualem, qui solus est clavis Scripturarum. Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus: et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.*

33 « Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Jerusalem : et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant,

34 Dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.

35 Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. »

Hoc est quartum : in quo ostenditur qualiter gaudium suum aliis communicaverunt.

Dicuntur autem hic quatuor : quorum primum est, qualiter in impetu spiritus in Jerusalem sunt regressi. Secundum, qualiter adhuc non separatos ab amore fraternitatis discipulos invenerunt. Tertium, qualiter prævenți a discipulis, gaudia Resurrectionis ab eis acceperunt. Quartum autem, qualiter vicem illis rependentes gaudia nuntiaverunt.

Dicit igitur : « *Et surgentes,* » in impetu spiritus in gaudio. Ezechiel. I, 12 : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Hinc est quod, Joan. XX, 2, etiam Maria, modestiæ fœmineæ oblita, *cucurrit, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum.* Hinc est quod sicut, ibidem, ℣. 4, dicitur : *Petrus,* princeps Apostolorum, *et Joannes,* maturitatis Apostolicæ non recordati, *currebant duo simul.*

Ita et illi continuo surgunt « *eadem hora,* » quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.*

« *Regressi sunt in Jerusalem.* » Psal. CXXI, 3 et 4 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini.*

« Et invenerunt congregatos, »

In cor unum et animam unam, « *undecim.* » Et sic oportuit quod Thomas esset cum eis. Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus.* Psal. CX, 1 : *In consilio justorum et congregatione.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel, patrem vestrum.*

« *Et eos qui cum illis erant.* » Act. I, 15 : *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Omnes enim quos

Dominus congregaverat, caritatis non obliti, simul manebant.

« Dicentes : Quod surrexit Dominus vere. »

Ecce qualiter in nuntio gaudii ab aliis sunt præventi. Isa. XII, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.* Apocal. XXII, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.*

« *Vere* » autem dicunt surrexisse, ne phantastica credatur Resurrectio. Vera autem quæ ostendit carnem et ossa, et loca clavorum in corpore, quæ in phantasmate et spiritu esse non possunt.

« Et apparuit Simoni, »

Primo quidem inter viros.

Sed tamen ante hoc omnium primo apparuit Mariæ Magdalenæ [1], de qua ejecerat septem dæmonia : quia illa multum diligebat : et ideo luctus ejus consolationem habere debebat. Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Item, quia peccatrix fuerat, et per hoc spem peccatoribus dabat. Matth. IX, 13 : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Tertio, quia illa in devotione eum sola unxerat, et ideo ei gloriam beatæ delibutionis ostendebat. Psal. XLIV, 8 : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Quarto, quia illa diligentius quærebat, et ideo etiam invenit quem quæsivit. Cantic. III, 4 : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.*

Secunda apparitio fuit, quando Mariæ Magdalenæ cum aliis mulieribus apparuit. Matth. XXVIII, 9 : *Et ecce Jesus occurrit illis*, scilicet mulieribus, *dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus.*

Tertio autem, eodem die apparuit Petro. Quod quia factum sit, hic dicitur : qualiter, et quando, et ubi non invenitur, nisi quod scitur quod ideo inter Apostolos primo apparuit Petro, ne desperaret ex negatione.

« Et ipsi, »

Scilicet duo discipuli, « *narrabant,* » toti illi congregationi, « *quæ gesta erant in via,* » de confabulatione et interpretatione Scripturarum : « *et quomodo,* » in hospitium declinantes, recumbentes « *cognoverunt eum in factione panis.* »

Et hæc est quarta apparitio, eodem die Resurrectionis facta.

« Dum autem hæc loquuntur, stetit **36**
Jesus in medio eorum, et dicit eis :
Pax vobis : ego sum, nolite timere.
Conturbati vero et conterriti, existi- **37**
mabant se spiritum videre. »

Hic agit de quinta apparitione, quæ facta est eodem die, scilicet, ipsa die Resurrectionis.

Hic autem tria dicuntur : qualiter scilicet apparuit, qualiter turbatos confortavit, qualiter se vere resurrexisse probavit.

De primo dicit tria, scilicet, qualiter venit, qualiter communiter se eis ostendit, quam benigne salutavit.

Dicit igitur : « *Dum autem hæc,* » gaudia duplicis apparitionis, « *loquuntur,* » et unus aliis exponeret, et aliter alia gaudia referret : quia semper de se tractantibus adest Dominus : « *Jesus* » qui materia erat sermonis. Jesus enim, ut dicit Beatus Bernardus, erat eis mel in ore, melos in aure, et in corde jubilus. Dicit etiam Psalmus CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo.* De secundo autem, Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* De tertio dicit, Psal. LXXXVIII, 16 : *Beatus populus qui*

[1] Cf. Joan. XX, 14.

scit jubilationem. Job, VIII, 21 : *Impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.*

Jesus ergo qui sic corde, et ore, et aure sonabat et insonabat inter eos,

« Stetit in medio eorum. »

Intellige, quod sicut dicitur, Joan. XX, 24 : *Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus.* Fuit tamen cum eis quando duo discipuli de Emmaus castello supervenerunt, sed statim egressus fuerat ad actus suos agendos : et alii simul remanserant. Et ideo illa visione est privatus. In Sanctorum enim congregatione semper invenitur Dominus. Unde Beatus Bernardus : « Falleris, Thoma sancte, si « putas te invenire Jesum extra congre- « gationem Sanctorum. » Psal. CX, 1 et 2 : *In consilio justorum et congregatione magna opera Domini.*

Stetit ergo, qui jam per mortalitatis passiones inclinari non potuit. Stetit, qui jam totus ad cœlum directus fuit. Stetit, qui omnem virtutis et justitiæ rectitudinem implevit. Stetit, qui nihil umquam curvitatis in se exhibuit. Stetit, qui jam de hostibus perfecte triumphavit.

De primo horum dicitur, Habacuc, III, 6 : *Stetit, et mensus est terram.* Mensus enim fuit terram hujus mortalitatis et ponderis, ad cœlestis gloriæ immortalitatem. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur.*

De secundo, Psal. V, 5 : *Mane adstabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Mane enim surgentis auroræ Resurrectionis sic Patri adstitit, quia totus ad cœlestis Patris voluntatem directus fuit.

De tertio dicitur, Cantic. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum,* hoc est, post corporis nostri fragilitatem, implens et ostendens omnem virtutis et rectitudinis justitiam. Matth. III, 15 : *Sic decet nos implere omnem justitiam.*

De quarto dicitur, Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Nos enim nescimus nisi infirmos et curvos in peccatis. Et rectitudinem ejus qui solus in medio vestrum stetit, qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in lingua ejus, miramur quidem : sed non plene tantam in nobis cognoscimus perfectionem.

De quinto dicitur, Sapient. XI, 3, de ipso et suis : *Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt.* In illo enim statu quærit commilitones. Psal. XCIII, 16 : *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem ?*

Sic ergo « *stetit Jesus in medio* » discipulorum, in medio virtutis, Patris, et hominum. In medio quidem discipulorum, ut sine personarum acceptione æqualem curam omnibus impenderet. In medio autem virtutis, ut omnem perfectionem virtutis se attigisse demonstraret. In medio Dei et hominum, ut se mediatorem Dei et hominum esse comprobaret.

De primo quidem dicitur, Joan. XX, 19 : *Venit Jesus, et stetit in medio eorum,* scilicet discipulorum suorum. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Docuit autem per hoc, ut in medio semper haberent fidei prædicationem, et sacramentorum dispensationem. Jacob. II, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Deuter. I, 17 : *Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.*

De secundo dicitur, Luc. IV, 30 : *Jesus autem transiens, per medium illorum ibat.* Transiens enim Dominus Jesus inter peccatores hujus vitæ, semper attigit medium virtutis, quod est medium hominum, hoc est, ad quod nati sunt homines. Et hoc docuit Isaias, XXX, 21 : *Audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in ea : et non de-*

clinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram : quia

Medio tutissimus ibis [1].

De tertio dicitur, ad Galat. III, 20 : *Mediator unius non est : Deus autem unus est.* I ad Timoth. II, 5 : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Unde talem mediatorem se non habere deplanxit Job, dicens : *Non est qui utrumque valeat arguere, et ponere manum in ambobus* [2]. Sic dicitur, ad Hebr. IX, 11 : *Christus assistens pontifex futurorum bonorum.* Et ibi dicit Glossa : Assistens Patri, et assistens nobis. Patri ad intercedendum : nobis autem ad miserendum. Sic advocat pro nobis, quia advocatus medius est inter reum et judicem. I Joan. II, 1 et 2 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

His igitur modis « *stetit Jesus in medio eorum,* »

« Et dicit eis : Pax vobis. »

Eulogium salutationis præmittit ad suos. In cujus signum, Pontifex quando primo se convertit ad populum, « Pax vobis, » dicit : quia ille specialis est Vicarius Jesu Christi.

Pacem autem sextuplicem exhibuit Deus suis. Pax enim est, sicut dicit Augustinus, concordia fruendi vel utendi Deo vel invicem in Deo.

Prima pax est ablatio ejus, quod hanc concordiam impedit. Et hoc est peccatum. Et ideo dicit Apostolus, ad Roman. I, 7 : *Gratia vobis et pax a Deo, Patre nostro, et Domino Jesu Christo.* Ubi dicit Glossa, quod pax est reconciliatio ad Deum. Luc. II, 14 : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tertio modo, pax est concordantia ad proximum. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Quarto, pax est tranquillitas conscientiæ. Job, V, 24 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum,* hoc est, conscientia tua.

Et de hac quadruplici pace Dominus, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.* In hoc enim quod dicit : *Pacem relinquo vobis,* remissionem peccatorum intelligit. In hoc autem quod dicit : *Pacem meam do vobis,* intelligit reconciliationem ad Deum. In hoc autem quod dicit : *Non quomodo mundus dat,* supple, pacem, *ego do vobis :* intelligit reconciliationem ad proximum, ut in una charitate diligant Deum : quod mundus dare non potest. In hoc autem quod dicit : *Ego do vobis,* intelligit mentis tranquillitatem, quam ipse solus donare potest.

Quinta pax, est securitas ad Deum et ad cœlestia. Judicum, VI, 24 : *Ædificavit Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini Pax, usque in præsentem diem.* Hæc enim pax, est securitas qua homo securus gaudet de arrha cœlestium. Maxime cum jam carnes agni comedit, et azymos panes sinceritatis et veritatis.

Sexta pax, est abundantia suavitatis divinæ, ex qua non sentitur bellum tentationum, ex redundantia divinæ suavitatis. Ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.*

Istis, ut ita dicam, pacibus, homo ita a Deo repletur, quod etiam inter persecutores bella non sentit. Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Inter dentes enim luporum, homo pacem habet. Pacem autem non sic dat mundus. Hæc est pax extra, et non secura, et cum conscientiæ bello. De exteriori pace (quando homo in peccatis non impugnatus pacem habet) dicitur in Psalmo LXXII, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Non secura autem est. I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixe-*

[1] VIRGILIUS, Æneidos Lib. VI.

[2] Job, IX, 33.

rint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, hoc est, cum conscientiæ bello. Sapient. XIV, 22 : *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.*

De his tribus pacibus dicitur, Ezechiel. XIII, 10 : *Deceperunt populum meum, dicentes : Pax, et non est pax.* Isa. LVII, 21 : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Primis ergo sex modis dicit : *Pax vobis.*

« Ego sum. »

Tangit pacis rationem. « *Ego sum,* » hoc est, qui verum esse habui semper secundum deitatem, et non attigi secundum humanitatem : quia de cætero nihil abjicio ab esse in præteritum, et nihil exspecto in futurum. Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos.* Per hoc ergo assecurat discipulos, quod verum esse attingere debeant.

Et ideo subjungit :

« Nolite timere, »

Etiam obviantibus periculis. Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Isa. LI, 12 : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali ?* I Machab. II, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur, quia conversus est in terram suam.* Nolite etiam timere aliquid insolitum apparens circa me. Hoc enim totum pro vobis factum est : et ideo « *nolite timere.* » Psal. XLV, 3 : *Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.* Nolite etiam timere mundum. Joan. XVI, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* Joan. XIV, 27 : *Non turbetur cor vestrum neque formidet.*

« Conturbati vero et conterriti, etc. »

Secundum est, ubi ostenditur, quod humana fragilitas, etiam id ad quod facta est, sustinere non poterit. Ad Resurrectionis enim gloriam facta est, et ad illam conturbatur : sicut ad rem excedentem vires nostræ cognitionis, sive comprehensionis. Et hoc significatum est, Matth. XVII, 6, et Luc. IX, 28 et seq., ubi discipuli videntes claritatem transfigurati Domini in monte, ceciderunt in terram.

Et ostenditur per hoc quod dicit : « *Et conterriti,* » hoc est, simul territi de magnitudine rei visæ, quam cor miserum et inops sustinere non potuit : et ideo in seipso tremebat et terrebatur. Ad Hebr. XII, 21 : *Ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit : Exterritus sum et tremebundus.* Et hoc significatum est, Daniel. X, 16 : *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.*

« Existimabant se. »

Existimatio judicium est æstimativæ virtutis, ponderantis sensibilia per ea quæ sensibilibus videntur esse adjuncta : quia isti præ admiratione et terrore, ad rationis actum venire non poterant. Existimabant autem se « *spiritum videre.* » Et hujus causa fuit, quia januis clausis intravit. Hunc autem spiritum putabant assumpta specie corporis, et reflexa ad oculos eorum apparuisse : quia spiritus per se non sunt visibiles. Job, IV, 15 et 16 : *Cum spiritus, me præsente transiret,... stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis.*

« Et dixit eis : Quid turbati estis, et **38**
cogitationes ascendunt in corda vestra ?

Videte manus meas, et pedes, quia **39**

ego ipse sum : palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

40 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. »

« *Et dixit eis,* » Dominus discipulis.

Quatuor autem ponit hic : Resurrectionis suæ argumenta per ordinem : tria in exteriori sensu, ad interiorem rationis actum ordinata : quartum autem, in illuminatione rationis, in perceptione Resurrectionis per Scripturarum intellectum.

Tria autem quæ sunt in sensu, sic sunt multiplicata, quod unum est in visu, secundum autem in visu et tactu, et tertium in gustu. Et hæc per ordinem sunt in littera.

Horum autem primum veram demonstrat corporis speciem : secundum autem vivi corporis proprietatem : et tertium vitæ naturalis veritatem.

In primo autem argumento duo sunt : in quorum primo depellit turbationem, quæ cognitionem veram impedit : in secundo ipsum ponit argumentum.

Dicit igitur :

« Quid turbati estis ? »

Turbatio autem hic vocatur, quando lumen cordis exteriorem recipit confusionem, et ex ipsa confusione impeditur ab actu discretionis. Psal. xxxvii, 11 : *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

« Et cogitationes, »

Dictæ quasi coagitationes in quibus cor fluctuando de uno venit in aliud, undique timens, et in nullo ausum est remanere, « *ascendunt,* » quia de inferioribus, quæ cor meditari consuevit, ascendunt ad cor. Si enim de superioribus descenderent, tunc essent divinæ et cœlestes, et in ipsis cor solidaretur. Job, iv, 14 : *Pavor tenuit me, et tremor : et omnia ossa mea perterrita sunt.* Psal. liv, 6 : *Timor et tremor venerunt super me : et contexerunt me tenebræ.* Tenebræ autem istæ fiunt ex interiori fluctuatione, et impediunt discretam cognitionem.

« Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum. »

Duo ostendit membra, in quibus expressa signa suæ apparuerunt crucifixionis : ut ex his cognosceretur esse species ejusdem corporis, quod in cruce pependerat pro ipsis. Joan. xx, 27 : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas : et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.* Zachar. xiii, 6 : *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.*

Manus autem specialiter ostendit : quia manibus istis multa mirabilia perfecerat, quibus se Deum probaverat in sanatione infirmorum, et sustentatione mortuorum. Psal. cxvii, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.*

Manus etiam sunt, quæ ad nos in signis vulnerum inscriptam habebant dilectionem, quam nobis patiens pro nobis exhibuit. Isa. xlix, 16 : *Ecce in manibus meis descripsi te : muri tui coram oculis meis semper.*

Adhuc, Manus exhibuit, quarum virtute nos a potestate mortis extraxit. Sapient. iii, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.*

Adhuc autem, Manus exhibuit, quibus suos ereptos continuit, et usque in finem continebit. Joan. x, 29 et 30 : *Nemo potest rapere de manu Patris mei,* scilicet quod dedit mihi : *ego et Pater unum sumus.*

Adhuc, Manus exhibuit, quibus nos Patri in munus obtulit. Habacuc, iii, 4 : *Cornua in manibus ejus.* Hypallage, hoc

est, manus ejus in cornibus elevatæ ad offerendum. Et ideo sic elevans manus, dixit, Luc. XXIII, 46: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Spiritus enim suus, fuit omnis spiritus justorum.

Sic ergo ostendit manum redemptionis vulneratam. Exhibuit manum virtutis, mira facientem ad omnem contactum nostræ infirmitatis. Exhibuit manum dilectionis, in signis amoris ineffabilis. Exhibuit manus fortes, quibus a forti prædam tulit. Exhibuit manus gubernationis, quibus suos semper continuit. Exhibuit manus sacerdotis, quibus nos Patri obtulit. In istis enim sex proprietatibus manus, cognoscitur nostri Salvatoris effectus utrobique.

Ostendit autem « *et pedes.* » Pedes autem processivi motus sunt instrumenta, quibus vita vera probatur. Hi autem pedes sunt, qui in itinere lassationem sustinuerunt. Joan. IV, 6 : *Jesus, fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Hi sunt, qui super undas ambulaverunt [1]. Hi sunt qui corpus totum supportaverunt. Job, XXIV, 15 : *Oculus fui cæco, et pes claudo.* Hi qui charismata gratiarum omnibus longe et prope positis intulerunt. Isa. LII, 7 : *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus!* Hi sunt pedes, qui perforati immobiles in opere redemptionis, usque ad perfectum redemptionis substiterunt. Zachar. XIV, 4 : *Stabunt pedes ejus in die illa super montem olivarum ad Orientem.* Qui supra verticem elevationis misericordiæ tunc stetit, et omnis gratia ex ipso orta fuit.

Primi sunt pedes humanæ infirmitatis, in quibus ambulavit nobiscum. Secundi sunt pedes virtutis, in quibus calcavit nostram infirmitatem. Tertii sunt pedes roboris, in quibus portavit nostram debilitatem. Quarti sunt pedes velocitatis, in quibus ad nostram cucurrit ignorantiam illuminandam. Quinti autem sunt pedes redemptionis, in quibus stans nostram perfecit redemptionem. Hos pedes peccatrix unxit, lavit, tersit, et osculabatur [2] : unxit unguento devotionis, et compunctionis : lavit lacrymis : tersit a pulvere capillis sanctæ cogitationis. Hos pedes adoraverunt patres. Juxta hos sederunt omnes, qui doctrina ejus fuerunt imbuendi. Illi enim pedes sunt, litteraliter quidem sancti pedes ejus.

Spiritualiter autem misericordia et veritas. Unde de adoratione dicit Psalmus CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* De doctrina autem dicitur, Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Isti sunt tandem pedes ejus, qui omnes suos pondere justitiæ conculcabunt inimicos. Psal. CIX, 1 : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Taliter autem ostensis manibus et pedibus, in quibus signa suæ pietatis et misericordiæ fontes apparuerunt, dixit :

« Quia ego ipse sum. »

Cum in nullo alio tanta signa pietatis et cataractæ gratiarum apparuerant. Auctor enim pietatis et salutis causa, non nisi in signis agnoscitur pietatis. Adhuc autem, Propugnator ad salvandum, in signis victorialibus manifestatur. Isa. LXIII, 2 : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari ?* Et ipse respondet, ℣. 1 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.*

« Palpate et videte. »

Secundum est argumentum, quod ostendit vivi et animati corporis proprietatem ad duos sensus : quorum unus

[1] Cf. Matth. XIV, 25.

[2] Luc. VII, 38.

sensus exteriorem ostendit speciem, alter autem substantiæ materialis proprietatem. Palpatur enim calidum, frigidum, humidum, siccum, molle, durum, et cætera in quibus consistit humana complexio et compositio. Videtur autem color et figura, quæ speciem hominis et naturam consequuntur. Vocem autem ipsius audiverunt : et ideo tribus sensibus in unum concurrentibus certificationem habuerunt. I Joan. I, 1 et 2 : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ :... hoc annuntiamus vobis.* Nos autem audimus veritatis quidem verbum : videmus autem veritatis lumen : et manu spirituali tangimus veritatis soliditatem. Genes. XXVII, 21 : *Accede huc ut tangam te, fili mi.* Joan. XX, 27 : *Affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Videmus enim fide, audimus auditu obedientiæ, et tangimus quasi manu virtutis operatione. Luc. VIII, 46 : *Tetigit me aliquis : nam ego novi virtutem de me exiisse.* Phantastica autem non tanguntur.

Et hoc est quod subinfertur :

« Quia spiritus carnem et ossa non habet. »

Carnem quidem non habet, in cujus infirmitate nostram sentiens infirmitatem, nobis possit exhibere compassionem. Ossa autem non habet, quibus nostram firmet et fulciat infirmitatem. De quibus dicitur, Genes. XXIX, 14 : *Os meum es, et caro mea.* Ex carne enim assumpta didici compassionem : et ex osse vobis do confirmationem. In carne enim sustinui pro vobis passionem : in ossibus autem distensionem. Psal. XXI, 18 : *Dinumeraverunt omnia ossa mea,* hoc est, nimia crucis distensione dinumerabilia fecerunt.

« Sicut me videtis habere. »

Ea autem, in quibus talia pietatis indicia exhibui, non deseram neque derelinquam. In carne enim dolorem, in ossibus distensionem, in manibus et pedibus clavorum passus sum perforationem. Et ideo ista videtis me habere, quæ nulla habet spiritualis tantum creatura. Job, XIX, 26 : *In carne mea videbo Deum meum.*

« Et cum hoc dixisset, »

Verbo, ut per effectum probaret, « *ostendit eis manus et pedes.* »

Glossa autem tangit quinque causas, propter quas cicatrices retinuit : quarum una est, ut ostensa vulnerum cicatrice, infidelitatis vulnus sanaret : quas cicatrices et tunc servavit, et in judicio servaturus est. Secunda causa est, ut resurrectionis fidem instruat, quod idem sit qui passus est, qui et resurrexit. Tertio, ut Patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro nobis protulerit, ostendat. Quarto, ut sua morte redemptis quam misericorditer sint adjuti, ejusdem mortis indiciis insinuet. Quinto, ut quam juste damnentur impii in judicio, insinuet ostensa cicatrice, quam pro illis accepit. Et hæc sunt verba Bedæ.

De primo horum habetur Joan. XX, 27 : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Marc. XIV, 14 : *Exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.*

De secundo, Joan. XX, 27 : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas : et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.*

De tertio, I Joan. II, 1 et 2 : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Beatus Bernardus : « Per matrem habes accessum ad Fi- « lium, et per Filium habes accessum ad « Patrem. Mater monstrat Filio pectus « et ubera : Filius autem Patri latus et

« vulnera : nec potest esse repulsa, ubi « occurrunt tot pietatis insignia. »

De quarto dicitur, Thren. IV, 20 : *Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.*

De quinto dicitur, Apocal. I, 7 : *Videbit cum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.*

His ergo de causis « *ostendit eis* » cum cicatricibus « *manus et pedes.* »

41 « Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur?

42 At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.

43 Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis.

44 Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. »

Tertium est argumentum Resurrectionis, in quo ostenditur veritas naturæ resurgentis.

In hoc autem paragrapho tria dicuntur, scilicet causa, et ipsum argumentum, et ab argumento sumpta instructio.

Causa autem hujus argumenti tacta est per hoc quod dicit : « *Adhuc autem illis non credentibus,* » quamvis jam visu et tactu essent certificati. Joan. III, 12 : *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Gregorius : « Quod discipuli tarde credi- « derunt, non tam illorum infirmitas « quam nostra, ut ita dicam, futura fir- « mitas fuit. Minus mihi Maria contulit « quæ cito credidit, quam Thomas qui « diu dubitavit. Ille enim dubitando ci- « catrices vulnerum tetigit, et de nostro « corde vulnus dubitationis amputavit. »

Tamen jam tantum per visum et tactum profecerant discipuli, quod admirari inceperunt. Et hoc est quod dicit :

« Et mirantibus præ gaudio. »

Conturbatio enim in gaudium, et dubitatio in admirationem sunt conversæ. Isa. LX, 5 : *Videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Dilatatio autem cordis non nisi in gaudio : et mirans omnis affluit totus ad id quod visum admiratur.

« Dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? »

Non quærit ignorans, sed ut ex his quæ illi in cibum offerunt, quæ veros cibos esse cognoscunt, veritatem probet Resurrectionis. Quia si ipse Dominus cibos attulisset, de illis sicut et de ipsa Resurrectione dubitassent. Designat autem, quod et ipsos sibi quærit incorporari per spiritualem manducationem. Apocal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.*

« At illi obtulerunt ei, »

Jam enim conceperant ausum accedendi ad ipsum, « *partem piscis assi,* » ad litteram. Castos enim cibos secum habebant Apostoli, et quos sua arte lucrari poterant, et quos cum Domino sumere consueverant. Pisces enim sunt frigidum nutrimentum, et non ad libidinem inclinant. Luc. XI, 11 : *Quis ex vobis patrem petit... piscem : numquid pro pisce, serpentem dabit illi?* Quasi dicat : Non. Serpens designat libidinosum cibum, qui luxuriæ in visceribus

spargit venenum. Hunc cibum arte Apostolica quærunt homines, quasi pisces de aquis voluptatum extrahentes. Matth. XIII, 47 et 48 : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti : quam cum impleta esset educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Hos cum Domino soliti erant in cibum accipere. Joan. VI, 9 : *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces.* Et, ibidem, ℣. 11 : *Similiter et ex piscibus quantum volebant.* Iste autem cibus dicitur *pars piscis* : quia cum Christus passus sit piscis assus, et non in toto crediderunt, non totum, sed partem obtulerunt. Assus autem piscis est ab humore per ignem exsiccatus, et castus usque ad intimorum perfectam decoctionem. Ignis autem est charitatis, exsiccantis humorem superfluum concupiscentiæ, et decoquentis interiorem pietatis humorem in cibum Christo convenientem. Unde, Joan. XXI, 9 : *Viderunt prunas positas, et piscem superpositum.*

Duo autem in pisce mundo considerantur : squamositas, et pinnularum dispositio. Squamositas quidem est in purgationem et protectionem : et significant squamæ confessionem purgantem, et congeriem virtutum protegentem. Pinnulæ autem quæ faciunt motum velocem, significant motum desideriorum, et opera virtutum, quibus reptamus et rapimus nos ad Deum. Levit. XI, 9 : *Omne quod habet pinnulas et squamas, tam in mari quam in fluminibus et stagnis, comedetis.*

Potest etiam dici, quod partem piscis assi obtulerunt : quia cum piscis assus sit Christus passus, passio quidem est relata ad Christum, sed pars quædam etiam reservanda est nobis, quam nos impleamus, ut cum Christo patiamur : ut totus Christus in omnibus suis membris patiatur. Ad Coloss. I, 24 et 25 : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia : cujus factus sum ego minister*, etc.

« Et favum mellis. »

Favus est cera virginea, ex qua mel distillat. Et significat dulcedinem deitatis in puritate carnis. Hoc est quod dicitur, I Reg. XIV, 25 et 26, quod apparuit super faciem agri fluens mel : quia in agro humanæ naturæ apparuit dulcedo divinæ naturæ. Judicum, XIV, 14 : *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo.* Christus enim *leo est de tribu Juda* [1]. Qui comedens est, electos sibi incorporans : fortis autem est, qui devicit mortem [2]. Hunc ergo favum obtulerunt etiam sibi, quando et se et alios ad hanc dulcedinem fidei converterunt. Cantic. V, 1 : *Comedi favum cum melle meo.* Mel enim naturaliter de sublimi venit : quia ros est, linguis apum collectus. Joan. III, 31 : *Qui de cœlo venit, super omnes est.* Apes autem longe odorem dulcedinis hujus percipientes, sunt viri sancti desideria ad Dei spiritum protendentes, et lingua doctrinæ hanc ipsam dulcedinem colligentes. Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Super mel ori meo.* Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.*

« Et cum manducasset coram eis. »

Sicut dicit Ambrosius, duplex est manducatio, et utraque veritatis naturæ demonstrativa. Una quidem indigentiæ, quæ cibum sumptum sibi incorporat, et ex eo accipit confortationem : et hæc est animalis corporis. Alia autem est puræ potestatis, et nullius infirmitatis demonstrativa. Et hæc cibum sumit : sed digerendo non sibi eum incorporat, sed pote-

[1] Apocal. V, 5.

[2] Cf. Matth. XII, 40.

state naturæ consumit, et in pristinam convertit materiam : sicut radius solis consumit aquam. Et hac potestate Christus manducavit post Resurrectionem. Act. x, 40 et 41 : *Dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo : nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Hæc autem manducandi potestas non est nisi in veris et vivis corporibus, et non in phantasiis necromanticorum.

Unde ab ista, sicut firmissimo suæ Resurrectionis argumento, sumit instructionis occasionem, dicens :

« Sumens reliquias dedit eis. »

Tanguntur autem hic duo, factum scilicet, et instructio.

Factum autem est quod dicit : « *Sumens reliquias,* » quæ remanserant ex eo quod ipse comenerat, ut ex illis sentirent quod verum cibum comederat manducatione naturalis potestatis, quia et dentibus dividebat et terebat, et in stomachum trajiciebat. Sed quia non indiguit, non incorporabat ad membra transmittendo. Joan. vi, 12 : *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.* Sic etiam reliquiæ passionum et dulcedinis Christi a nobis sumendæ sunt.

Et ideo « *dedit eis.* » Psal. lxxv, 11 : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Psal. xxxvi, 37 : *Sunt reliquiæ homini pacifico.* Nehemiæ seu II Esdræ, viii, 10 : *Mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* I Reg. i, 4 : *Venit dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennæ, uxori tuæ, et cunctis filiis ejus, et filiabus partes.* Elcana, *Dei zelus* interpretatur, et Christum significat, qui immolavit se in cruce pro nobis. Phenenna autem, *conversa* interpretatur, et significat Ecclesiam, cui, et cunctis filiis, et filiabus Ecclesiæ Christus partes dedit, ad virtutem uniuscujusque sacramentorum gratiam distribuens. Proverb. xxxi, 15 : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.*

« Et dixit ad eos, »

Ex facto incipiens instructionem Resurrectionis : « *Hæc sunt verba,* » hoc est, res de quibus locutus sum vobis, « *quæ locutus sum ad vos,* » vos instruens qualiter per passionem venitur ad immortalitatis resurrectionem, quam modo ipso facto probavi coram vobis.

Locutus sum, inquam, « *cum adhuc essem vobiscum,* » mortalis in passionibus vobiscum vivens. Joan. vi, 64 : *Verba quæ ego locutus sunt vobis, spiritus et vita sunt.* Hæc enim verba maxime tota die instillabam vobis. Deuter. xxxii, 2 : *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat, ut ros eloquium meum,* hoc est, cor irrigando et fœcundando.

Dixi enim tunc :

« Quoniam necesse est impleri. »

Matth. v, 17 : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Matth. iii, 15 : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

« *Omnia.* » Matth. v, 18 : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Isa. lv, 11 : *Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

« Quæ scripta sunt in lege. »

Lex enim continet præcepta justitiarum : sive istæ justitiæ sint morales, sive judiciales, sive cæremoniales, sive sacramentales. Et præter ista quatuor genera præceptorum, nihil penitus est in lege de præceptis. Adduntur autem promissiones hæreditatis observantibus : et pœnæ, sive comminationes pœnarum non observantibus. Eccli. xxiv, 33 :

Legem mandavit, Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones.

Et Prophetis, »

Prophetica inspiratione futuram gratiam in me perficiendam enuntiantibus. Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Joan. I, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus : Jesum, filium Joseph, a Nazareth.* Ideo, Matth, XI, 12 et 13, dicitur : *A diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt.*

« Et Psalmis de me. »

Psalmi, sicut dicit Dionysius, compositi sunt ex prophetiis et historiis patrum. Et ideo multi psalmi non nisi historias continent. Continent autem et præcepta legis. Et ideo sunt quasi quædam summa continens meliora totius Scripturæ Veteris Testamenti. Et ideo hic tertio loco pro omnibus aliis ponit Psalmorum libros. Et sic patet quod in his tribus tota Scriptura Veteris Testamenti comprehenditur. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

45 « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.

46 Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die,

47 Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.

48 Vos autem testes estis horum. »

Istud est argumentum quantum ad interiorem fidei illuminationem ordinatum. Qua clave autem illis sensum aperuerit Lucas tacet. Et Joannes, XX, 22, ponit dicens, quod *insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum.*

Tanguntur autem hic duo, scilicet, apertio sensus ad intelligendum, et quæ potissimum sint ex Scripturis intelligenda.

De primo dicit : « *Tunc aperuit illis sensum,* » apertione illa qua removit obstaculum, quod fuit dubietas, et carnalis sensus legis. II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit quis eorum ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est.* Sensum autem vocat hic interiorem, qui est intellectus. Psal. CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

« *Ut intelligerent Scripturas,* » quæ ab initio de ipso scriptæ erant. Quia forte quidam pagani dicerent eum miracula magicis artibus perfecisse : et ideo Scripturas, quæ antequam natus esset scriptæ sunt, inducit : quas antequam natus esset, facere non potuit arte magica, sed eas de suis futuris sacramentis divinitus inspiravit. II Petr. I, 21 : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

« Et dixit eis »

Quid potissimum de Scripturis esset intelligendum.

« *Quoniam sic scriptum est,* » revelatione divina. Psal. XLIV, 2 : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

Dicit autem quatuor : Quoniam « *sic oportebat,* » non de necessitate inevitabilitatis, sed de necessitate convenientiæ. Quia, sicut dicit Augustinus : « Quamvis alius modus nostræ liberatio-
« nis esset possibilis, tamen nullus mo-
« dus nostræ miseriæ sanandæ erat con-
« venientior. » Luc. XXIV, 26 : *Nonne*

hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.

« *Christum pati,* » ut pretio sui sanguinis mundum redimeret, et eximiæ dilectionis effectu nos sibi ad vicariam dilectionem compararet. De primo, Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* De secundo, Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

« *Et resurgere a mortuis,* » ut ad immortalitatem nos reduceret. Ad Roman. IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Osee, VI, 3 : *In die tertia suscitabit nos.*

Et hoc est quod dicit : « *Tertia die,* » quia sic sua unica morte nostram duplicem mortem curavit. Matth. XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.*

« Et prædicari in nomine ejus. »

Act. X, 43 : *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus.* Act. IV, 12 : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

« *Pœnitentiam,* » quam agant. Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Act. III, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

« *Et remissionem peccatorum,* » quia ad hoc suscipitur prædicatio baptismatis, ut remittantur peccata. In figuram hujus dixit, Matth. IX, 5 : *Dimittuntur tibi peccata tua.* Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* De tali autem prædicatione dicit Beda, quod plus valet ad prædicandum sancti amoris conscientia, quam sermonis exercitata scientia.

« *In omnes gentes,* » generaliter ut Catholica (hoc est, universalis) Ecclesia. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Matth. XXVIII, 10 : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

« *Incipientibus* » Apostolis prædicare « *ab Jerosolyma,* » in qua primum accepto Spiritu sancto prædicabant. Act. I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Et hoc est quod sequitur :

« Vos autem testes estis horum. »

Vos enim vidistis, et audistis, et manibus contrectastis ea quæ sunt prædicanda. Act. IV, 20 : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Ad Hebr. II, 3 et 4 : *Salus, cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.*

« Et ego mittam promissum Patris mei in vos. » 41

Hic post Resurrectionis argumenta, Spiritum sanctum promittit se missurum in eos, quos mittet ad docendum.

Dicit autem duo, promissionem, et promissi exspectationem.

De promissione dicit : « *Et ego,* » a quo procedit Spiritus sanctus, « *mitto,* » hoc est mittam « *promissum,* » neutrius generis, hoc est, donum quod promisi. Joan. XV, 26 et 27 : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

Sic enim in spiritu veritatis illuminati, testes eritis veritatis « *Patris mei in*

vos, » quia hoc donum a Patre procedit. Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. »

Hic tangit de exspectatione : non ideo, quia statim non potuerit eos confirmare per Spiritum sanctum, sed quia exspectatio desiderium elevat, ut devotius accipiatur ad quod ante suspiratum est. Ad Roman. VIII, 26 : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Dat etiam exemplum : ut qui docere debet, ante sedeat et discat, quam loquatur. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.*

Dicit igitur : « *Vos autem,* » quos elegi in testes gratiæ et Resurrectionis. Isa. XLII, 9 et 10 : *Vere vos testes mei, dicit Dominus.* Act. X, 39 : *Et nos testes sumus omnium quæ fecit in regione Judæorum et Jerusalem.*

« *Sedete,* » hoc est, corde et corpore quiescite. Quia, sicut dicit Philosophus : « In sedendo et quiescendo fit anima « sciens et prudens. »

« *In civitate* » Jerusalem : quia in illa Spiritus sanctus dandus est. Isa. LXVI, 13 et 14 : *In Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

« *Quoadusque induamini,* » sicut vestimentis decoris in habitu mentis, et decore conversationis. Judicum, VI, 34 : *Spiritus Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer.* Gedeon, *circumiens in utero* interpretatur, et significat Apostolos in utero Synagogæ circumeuntes qui induti Spiritu sancto buccina prædicationis clangebant : et ita domum, hoc est, familiam Abiezer qui *patris mei auxilium* interpretatur, convocaverunt, hoc est, fideles auxilio gratiæ Dei Patris in unum cor et animam unam convenientes. Ad Roman. XIII, 14 : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.*

« *Virtute.* » Virtus dicitur quasi vi tuens : quia tunc Spiritum sanctum ad robur acceperunt.

« *Ex alto,* » quia illa virtus non nisi de alto descendit. In infimis enim est infirmitas. Psal. XX, 14 : *Exaltare, Domine, in virtute tua : cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

Attende autem quod Lucas transit hic a quinta apparitione, quæ prima die facta est, usque ad diem Ascensionis, in quo decima facta est apparitio : et transit (sicut breviloquus) quatuor apparitiones, quæ inter primam diem et ultimam factæ sunt. Prima autem apparatio inter has quatuor, est quia octava die Resurrectionis apparuit omnibus discipulis, quando Thomas fuit cum eis, et loca clavorum tetigit [1]. Secunda fuit ad mare Tiberiadis septem discipulis [2]. Tertio, apparuit undecim in Galilæa discipulis in monte ubi constituerat eis [3]. Quarto, apparuit in cœnaculo in Jerusalem discipulis cœnantibus [4]. Quinto autem, in die Ascensionis, de qua Lucas hic loquitur. Et ista apparitio facta est in monte Oliveti.

Dicit igitur :

« Eduxit autem eos foras in Betha- **50**
niam, et elevatis manibus suis benedixit eis. »

Dicuntur autem hic quatuor, scilicet, discipulorum eductio, eorumdem bene-

[1] Cf. Joan. XX, 27 et seq.
[2] Cf Ibidem, XXI, 1 et seq.
[3] Cf. Matth. XXVIII, 16 et seq.
[4] Cf. Marc. XVI, 14 et seq. Cf. etiam, Act. I, 1 9.

dictio, Dominica Ascensio, et discipulorum in civitatem Jerusalem regressio.

De primo dicit : « *Eduxit autem eos,* » scilicet discipulos, « *foras,* » ut ostenderet quoniam de civitate egredi oportet, et mundum convertere, et cœlum conspicere, et de modo nihil curare.

De primo dicitur, Joan. xv, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

De secundo, Genes. xv, 5 : *Eduxit cum foras, et ait illi : Suspice cœlum, et numera stellas si potes. Et dixit ei : Sic erit semen tuum.*

De tertio dicitur, ad Hebr. xi, 15 et 16 : *Si quidem ipsius civitatis meminissent Sancti de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi : nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.*

Duxit autem eos « *in Bethaniam,* » quæ *domus obedientiæ* interpretatur : ut usque ad mortem obedire doceret. Ad Philip. ii, 8 : *Factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Hebr. xiii, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

« Et elevatis manibus suis. »

Tangit hic benedictionem. Elevatione manuum fecit in eis confirmationis sacramentum. Eccli. xxxvi, 7 : *Glorifica manum et brachium dextrum.*

« Benedixit eis, »

Benedictione confirmationis. Psal. cxxvii, 5 : *Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Numer. xi, 23 et seq. : *Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, et custodiat te : ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui : convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem.* Hæc autem benedictio tutavit contra mundum et hostem, et fecit marcescere concupiscentiam carnalem. Genes. xxxii, 28, benedixit Angelus Jacob in eodem loco, et dixit : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis !* Et supra, ℣. 25 : *Et tetigit nervum femoris ejus, et statim emarcuit.* Benedictio quidem contra diabolum confortatio est, contra mundum, et hominem. Marcidus autem nervus femoris, debilitatam significat concupiscentiam carnalem.

« Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. » 51

Tertium est in quo tangitur Ascensio.

Tangit autem tria : benedictionem, recessum, et locum in quem ascendit.

Dicit igitur : « *Et factum est,* » Dei dispositione, « *dum benediceret illis,* » et manu larga dona eis sua daret benedictione. Eccli. xliv, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum confirmavit super caput Jacob.* Ad Ephes. iv, 8 : *Dedit dona hominibus.* Et ideo etiam elevavit manum. Psal. cxliv, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.*

« Recessit ab eis, »

Ascendens. IV Reg. ii, 11 : *Ascendit Elias,* qui *robustus dominator* interpretatur, *per turbinem in cœlum,* hoc est, nube. Act. i, 9 : *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Non quidem portatus ab Angelis recessit, sed propria virtute. Isa. lxiii, 1 : *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Sed Angelis jubilantibus recessit. Psal. xlvi, 6 : *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ.*

« Et ferebatur in cœlum. »

Ad Ephes. iv, 8 : *Ascendens in altum,*

captivam duxit captivitatem [1]. Ad Ephes. IV, 10 : *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Act. I, 9 : *Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Marc. XVI, 19 : *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.*

52 « Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno :

53 Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen. »

Tangit hic discipulorum in civitatem regressionem.

Et dicit quatuor : adorationem, reversionem, mansionem, et gratiarum actionem.

Dicit igitur : « *Et ipsi adorantes.* » Matth. XXVIII, 17 : *Videntes Dominum adoraverunt.* Psal. XLIV, 12 : *Ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Adoratio autem est facta prostratione. Exod. IV, 31 : *Proni adoraverunt.* Psal. LXV, 4 : *Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.* Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

« *Regressi sunt in Jerusalem,* » ubi dictum est eis quod promissum Spiritum sanctum exspectarent. Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis :* quia et intus ardebant devotione, et exterius honestatis luce. Processerunt enim cum Domino ad locum Ascensionis, ut viderent quando tolleretur ab eis : sicut Eliseus cum Elia [2]. Et hoc repræsentat Ecclesia processione sua in Ascensione. Revertebantur autem in Jerusalem ad imperium Domini, suum promissum exspectantes. Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.*

« *Cum gaudio magno,* » quia in omnibus Christi veritatem et Judæorum confusionem percipiebant. Joan. XVI, 22 : *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Ad Philip. IV, 4 et 5 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.*

« Et erant semper in templo, »

Hoc est, in atrio templi, in porticu quæ dicitur Salomonis [3]. Psal. XXVI, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Psal. LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

« *Laudantes,* » in hymnis et canticis. Psal. XXXIII, 2 : *Semper laus ejus in ore meo.*

« *Et benedicentes Deum,* » in gratiarum actione. I ad Thessal. V, 18 : *In omnibus gratias agite.* Laudabant enim Deum de Domini demonstrata ab ipso virtute : quia virtus est laudabilium bonorum, ut dicit Philosophus. Benedicebant autem de collato, et conferendo sibi in proximo munere. Luc. XI, 13 : *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Ipsi laus, honor, et gloria. Amen.

[1] Cf. Psal LXVII, 19.
[2] Cf. IV Regum, II, 1 et seq.
[3] Cf. Act. V, 12.

INDEX CAPITUM

IN SECUNDAM PARTEM SANCTI JESU CHRISTI EVANGELII

SECUNDUM LUCAM.

CAPUT X. *Septuaginta duos præmittens ad singulas civitates, tradit præcepta quæ in prædicando observent; et gaudentibus de subjectis sibi dæmonibus, dicit non esse ob hoc potissimum gaudendum: comminatur civitatibus obstinatis, in quibus factæ erant plurimæ virtutes, et exsultans in spiritu confitetur Patri: tentanti Legisperito post recitatum præceptum de dilectione Dei et proximi, ostendit quis sit proximus per parabolam hominis a Jerusalem descendentis: Marthæ ministranti et de sorore Maria conquerenti, dicit Mariam elegisse optimam partem.* 1

In caput X Lucæ enarratio. 4

CAPUT XI. *Docet discipulos orare, ostendens perseveranti oratione omnia impetrari: ejecto dæmonio muto, confutat dicentes quod in Beelzebub ejiceret dæmonia: mulier quædam dicit beata ubera quæ Jesus suxerat: de signo Jonæ, de regina Austri, et Ninivitis, oculoque simplici et nequam: Pharisæum qui ipsum invitaverat reprehendit, murmurantem quod illotis pranderet manibus: taxat hypocrisim Pharisæorum et Scribarum, dicens quod ab hac generatione exquiretur sanguis omnium prophetarum.* 92

In caput XI Lucæ enarratio. 95

CAPUT XII. *Cavendum docet a fermento Pharisæorum, et quod omne occultum detegetur: quis etiam timendus sit: de blasphemia in Spiritum sanctum: roborat Apostolos adversus persecutiones: non vult se immiscere in dividenda fratrum hæreditate: per parabolam divitis revocat ab avaritia, vetans sollicitum esse de victu et vestitu; hortaturque ut lumbi præcingantur: et quis sit fidelis aut infidelis*

dispensator : venit ut mittat ignem in terram et separationem : reprehendit quod tempus gratiæ non dijudicent : monet ut quisque conetur ab adversariis se liberare. 201
In caput XII Lucæ enarratio. 204

CAPUT XIII. *Occasione Galilæorum in suis sacrificiis interemptorum, et eorum qui in Siloe corruerant, hortatur ad pœnitentiam, alioqui exterminandos instar ficus infructuosæ : archisynagogum redarguit, indignantem quod sabbato curasset mulierem a spiritu infirmitatis : comparat regnum cœlorum grano sinapis ac fermento : de angusta porta : et quod quidam clauso ostio frustra pulsabunt : Herodem dicit vulpem, et Jerusalem ob crudelitatem suam deserendam.* 284
In caput XIII Lucæ enarratio. 286

CAPUT XIV. *In domo principis Pharisæorum hydropicum sabbato curat, ostendens Legisperitis ac Pharisæis hoc licere ; et horum notans ambitionem docet invitatum in novissimo loco recumbere : parabola de invitatis ad cœnam qui se excusarunt : sequens Christum debet omnibus renuntiare, sublata cruce sua, usque ad odium animæ propriæ : volens turrim ædificare computat primum sumptus : commendatio salis.* 325
In caput XIV Lucæ enarratio. 327

CAPUT XV. *Scribis et Pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, parabolas proponit de ove et drachma perditis ac inventis, de filio prodigo ad patrem reverso, benigneque ab ipso suscepto, seniore filio indigne hoc ferente : et quantum sit in cœlo gaudium super peccatore pœnitentiam agente.* 377
In caput XV Lucæ enarratio. 378

CAPUT XVI. *Per parabolam de villico iniquitatis hortatur ad faciendas eleemosynas, docens quid mereatur fidelis aut infidelis mammonæ dispensator, quodque nemo potest servire Deo et mammonæ : Legem ac Prophetas usque ad Joannem fuisse dicit, et nihil de Lege periturum : nec dimittendam ullo modo uxorem ut alia ducatur : de divite epulone et Lazaro mendico.* 414
In caput XVI Lucæ enarratio. 416

CAPUT XVII. *Væ scandalizanti pusillos : frater in nos peccans increpandus est, eique pœnitenti ignoscendum : Apostolos docet fidei efficaciam, quodque dum omnia ipsis præcepta fecerint, se servos dicant inutiles : decem leprosi*

mundantur, unico qui Samaritanus erat ad agendas gratias revertente: dicit adventum Filii Dei non occultum fore, sed illustrem, et inexspectato superventurum, sicut diluvium mundo, et Sodomis subversio venit. 455

In caput XVII Lucæ enarratio. 457

CAPUT XVIII. *Per parabolam de judice iniquitatis et vidua importuna docet semper orandum, per parabolam vero de Pharisæo et Publicano, quomodo sit orandum: pueros a se repelli vetat: dives quia a juventute omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus relinquendis, abiit tristis: et quid erit præmii omnia propter Christum relinquentibus: prædicit suam passionem, et prope Jericho cæcum illuminat.* 493

In caput XVIII Lucæ enarratio. 495

CAPUT XIX. *Ad Zachæum plurimis murmurantibus divertit: parabolam refert de homine nobili, qui abiens ad regnum accipiendum, tradidit decem servis decem mnas, quem cives super se regnare nolebant; super pullum asinæ intrans cum honore Jerosolymam, flet super illam, prædicitque evertendam, et ingressus ejicit ementes ac vendentes de templo.* 538

In caput XIX Lucæ enarratio. 540

CAPUT XX. *Non dicit sacerdotibus et scribis qua potestate hæc faciat, quia nec illi respondebant ad propositam de Joannis baptismo quæstionem: parabolam refert de vinitoribus, qui cæsis domini servis etiam filium ejus occiderunt: tentatur Jesus de tributo Cæsari dando, et a Sadducæis de resurrectione: quomodo dicunt Christum filium esse David: cavendum a Scribis ambitiosis.* 597

In Caput XX Lucæ enarratio. 599

CAPUT XXI. *Viduam duo minuta offerentem præfert divitibus multa offerentibus: subversionem templi prædicit, variaque prælia, afflictiones et persecutiones; adversus quæ roborat Apostolos: prædicit quoque subversionem Jerusalem, et Judæorum captivitatem ac dispersionem: de signis præcessuris judicium: cavendum a crapula, ebrietate, curisque hujus vitæ, et vigilandum ac orandum.* 625

In caput XXI Lucæ enarratio. 627

CAPUT XXII. *Cogitant principes sacerdotum de occidendo Jesu, quem vendit Judas: jubet parari pascha: panem in corpus suum et vinum in sanguinem consecrata tradit discipu-*

lis, præcipiens ut idem faciant: contentio discipulorum quis eorum sit major: prædicit trinam Petri negationem, jubens vendi tunicam et emi gladium: post prolixam in agonia orationem, et sudorem instar sanguinis in terram decurrentis, capitur a Judæis, quorum uni Petrus abscidit auriculam: conqueritur quod ad eum quasi ad latronem capiendum exierint: in domo principis sacerdotum ter a Petro negatur, et a Judæis cæditur ac illuditur, et mane in concilio interrogatus fatetur se Dei filium. 654

In caput XXII Lucæ enarratio. 657

CAPUT XXIII. *Accusatus coram Pilato mittitur ad Herodem, qui illum spretum illusit: Pilatus conatur ipsum dimittere, proposito Barabba homicida, et promissa castigatione: Judæis tamen instantibus, morti adjudicatur, ductusque ad supplicium, vetat mulieres super se flere: cum latronibus crucifixus, Patrem orat pro crucifigentibus: irridetur a principibus et a militibus acetum offerentibus: posita superscriptione blasphematur ab uno latronum, alteri promittit sui in paradiso consortium: post tenebras aliaque signa clamans exspirat: quem centurio justum prædicat, et Joseph corpus ejus sepelit.* 706

In caput XXIII Lucæ enarratio. 708

CAPUT XXIV. *Mulieribus ad Christi monumentum consternatis quod ejus corpus non invenirent, Angeli eum resurrexisse nuntiant, et illæ Apostolis, qui id tamquam deliramentum accipiunt: Petrus ad monumentum currens et ipse admiratur quod corpus non invenerit: duobus in Emmaus euntibus, Jesus Scripturas interpretatur, et in fractione panis ab eis agnoscitur: congregatis discipulis palpandum se præbet, et cum eis edens aperit sensum ut Scripturas intelligant, ac promisso Spiritu sancto in cœlum ascendit.* 742

In caput XXIV Lucæ enarratio. 744

INDEX

Analyticus et historicus in Evangelium secundum Lucam.

PROLOGUS.

Præfatio ad Theophilum. I, 4.

PARS PRIMA.

Narrationes Selectæ de Infantia Jesu.

§ I. — Præparatur Christi nativitas.

Præcursor promittitur et concipitur. I, 5-25.
Mariæ annuntiatio et Verbi incarnatio. I, 26-38.
Maria visitat Elisabeth. I, 39-45.
Canticum *Magnificat*. I, 46-56.
Joannis nativitas, circumcisio et vita in deserto. I, 57-67.
Canticum *Benedictus*. I, 68-80.

§ II. — Natale Domini.

Jesus nascitur in Bethleem. II, 1-7.
Adoratur a pastoribus. II, 8-20.
Canticum *Gloria in excelsis*. II, 14.
Jesus circumciditur. II, 21.

§ III. — Christi infantia et vita abscondita.

Mariæ purificatio, præsentatio Jesu. II, 22-28.
Canticum *Nunc dimittis*. II, 29-39.

Jesus in medio doctorum. II, 40-50.
Vitæ absconditæ compendium. II, 51-52.

PARS SECUNDA.

Christi Inauguratio ejusque Ministerium in Galilæa.

SECTIO I. — *Præparatur et inauguratur Christi munus publicum.*

Præcursor Christo viam parat.
1° Joannis apparitio. III, 1-6.
2° Ejus prædicatio. III, 7-18.
Mittitur in carcerem. III, 19 et 20.
Baptismus Christi. III, 21 et 22.
Genealogia Jesu. III, 23-38.
Christus tentatur a diabolo. IV, 1-13.

SECTIO II. — *Jesu munere suo fungitur in Galilæa.*

§ I. — Ante collegii apostolici coadunationem.

Jesus regreditur in Galilæam. IV, 14 et 15.
In synagoga Nazareth docet et spernitur. IV, 16 30.
Manet in Capharnaum ubi sanat dæmoniacum. IV, 31-37.
Sanat socrum Petri. IV, 38 et 39.
Sanat et alios multos. IV, 40 et 41.
Abit in desertum et circuit Galilæam. IV, 42 44.
Primos selegit discipulos, facta piscatione mirabili. V, 1-11.
Leprosus mundatur. V, 12–16.
Curatio paralytici. V, 17-26.
Vocatio Levi et quæstio de jejunis. V, 27-39.
Discipuli spicas vellunt. VI, 1-5.
Manus arida restituta. VI, 6-11.

§ II. — Post Apostolorum electionem.

Duodecim eliguntur. VI, 12-16.
Christi sermo in monte.
1° Introductio historica. VI, 17-19.
2° De vera beatitudine. VI, 20-26.
3° De vera charitate. VI, 28-38.
4° Veræ sapientiæ regulæ. VI, 39-49.

Jesus sanat servum Centurionis.	VII, 1-10.
Suscitat filium viduæ.	VII, 11-17.
Præcursoris legatio.	VII, 18-23.
Ejusdem encomium.	VII, 24-35.
Jesus ungitur a peccatrice.	VII, 36-50.
Peragrat Galilæam cum discipulis.	VIII, 1-3.
Parabola seminantis.	VIII, 4-18.
Quinam sint Christi cognati?	VIII, 19-21.
Tempestas sedata.	VIII, 22-25.
Legio dæmonum porcos invadens.	VIII, 26-39.
Hæmorrhoissæ sanatio, filiæ Jairi suscitatio.	VIII, 40-56.
Missio Apostolorum.	IX, 1-6.
Herodis opinio de Jesu.	IX, 7-9.
Prima multiplicatio panum.	IX, 10-17.
Confessio Petri, et passionis prædictio.	IX, 18-27.
Christus transfiguratur.	IX, 28-36.
Lunatici sanatio.	IX, 37-43.
Iterum passio prædicitur.	IX, 44 et 45.
Monita de humilitate et tolerantia.	IX, 46 50.

PARS TERTIA.

Narratur Ultimum Jesu Iter in Jerusalem.

SECTIO I. — *Itineris initia.*

Christus ejicitur a Samaritanis.	IX, 51-56.
De veri discipuli dotibus.	IX, 57-62.
Missio septuaginta duorum discipulorum.	X, 1-24,
Parabola de misericorde Samaritano.	X, 25-37,
Martha et Maria.	X, 38-42,
Jesus suos orare docet.	XI, 1-4.
Parabola de amico importuno.	XI, 5-13.
Pharisæorum blasphemia, signum de cœlo.	XI, 14-36.
Jesus increpat Pharisæos et Scribas.	XI, 37-54.
Varia monita Domini.	
1° De fermento Pharisæorum.	XII, 1-3.
2° De fortitudine.	XII, 4-12.
3° Contra avaritiam, proposita parabola hominis divitis.	XII, 13-21.
4° Contra mundanas curas.	XII, 22-34.
5° De vigilantia.	XII, 35-53.
6° De signis temporum.	VII, 54-59.
Necessitas pœnitentiæ.	XIII, 1-5.
Parabola ficulneæ.	XIII, 6-9.
Mulier sanata ab infirmitatis spiritu.	XIII, 10-17.
Parabolæ grani sinapis et fermenti.	XIII, 18-24.

SECTIO II. — *Aliæ narrationes itineris.*

De angusta porta.	XIII, 22-30.
Herodis insidiæ.	XIII, 31-35.
Jesus in domo principis Pharisæorum.	
1° Hydropicum sanat.	XIV, 1-6.
2° Agit de humilitate.	XIV, 7-11.
3° Mutuam charitatem docet.	XIV, 12-14.
3° Parabola de cœna magna.	XIV, 15-24.
Quales esse debeant Christi sectatores ?	XIV, 25-35.
Tres parabolæ de misericordia Dei.	
1° Ovis perdita.	XV, 3-7.
2° Amissa drachma.	XV, 8-10.
3° Filius prodigus.	XV, 11-32.
Parabolæ de usu divitiarum.	
1° Villicus iniquitatis.	XVI, 1-13.
2° Murmurant Pharisæi.	XVI, 14-18.
3° Dives et Lazarus.	XVI, 19-31.
Quatuor monita Christi ad discipulos.	XVII, 1-10.

SECTIO III. — *Finis itineris.*

Decem leprosi mundantur.	XVII, 11-19.
De adventu regni Dei.	XVII, 20 37.
Parabola judicis et viduæ.	XVIII, 1 8.
Parabola pharisæi et publicani.	XVIII, 9-14.
Benedictio puerorum.	XVIII, 15-17.
Juvenis dives ; pericula divitiarum.	XVIII, 18-30.
Passio tertia vice prædicitur.	XVIII, 31-34.
Sanatio cæci Jerichontini.	XVIII, 35-43.
Jesus apud Zachæum.	XIX, 1-10.
Parabola de mnarum usu.	XIX, 11-28.

PARS QUARTA.

Christus Patiens et Triumphans.

SECTIO I. — *Passio præparatur.*

Triumphalis ingressus in Jerusalem.	XIX, 29-44.
Vendentes ejiciuntur.	XIX, 45 et 46.
Jesu ministerium in templo.	XIX, 47 et 48.
Christus confundit adversarios suos.	
1° Origo potestatis Jesu.	XX, 1-8.
2° Parabola de vinitoribus.	XX, 9-19.
3° Tributum Cæsari solvendum.	XX, 20 26.

4° Sadducæi et resurrectio.	XX, 27-40.
5° David et Christus.	XX, 41-44.
6° A Scribis attendendum.	XX, 45-47.
Viduæ munusculum.	XXI, 1-4.
Sermo de eversione Jerusalem et fine mundi.	
1° Occasio.	XXI, 5-8.
2° Pars prophetica sermonis.	XXI, 8-33.
3° Pars moralis.	XXI, 34-36.
Ultimi dies Jesu compendiose descripti.	XXI, 37 et 38.

SECTIO II. — *Christi passio, mors et sepultura.*

Horrenda Judæ pactio.	XXII, 1-6.
Cœna paschalis.	XXII, 7-14.
Cœna eucharistica.	XXII, 15-20.
Proditor denuntiatur.	XXII, 21-23.
Contentio inter Apostolos.	XXII, 24-30.
Prædicitur lapsus Petri.	XXII, 31-34.
Allocutio de gladio.	XXII, 35-38.
Agonia Jesu in horto.	XXII, 39-46.
Capitur a Judæis.	XXII, 47-53.
Petri negatio.	XXII, 54-62.
Jesus illuditur a ministris.	XXII, 63-65.
A Synedrio damnatur ad mortem.	XXII, 66-71.
Ducitur ad tribunal Pilati.	XXIII, 1-7.
Illuditur ab Herode.	XXIII, 8-12.
Jesus iterum coram Pilato.	XXIII, 13-25.
Via crucis.	XXIII, 26-32.
Crucifixio.	XXIII, 33 et 34.
Derisiones, bonus latro.	XXIII, 35-43.
Mors Jesu.	XXIII, 44-49.
Ejus supultura.	XXIII, 50 56.

SECTIO III. — *Domini resurrectio et ascensio.*

Mulieres et Petrus ad sepulcrum.	XXIV, 1-12.
Jesus duobus discipulis apparet.	XXIV, 13-35.
Apparet in cœnaculo.	XXIV, 36-43.
Ejus instrucciones ultimæ.	XXIV, 44-49.
Ascensio gloriosa.	XXIV, 50-53.

INDEX RERUM

NOTABILIUM QUÆ IN COMMENTARIIS

IN II PARTEM LUCÆ CONTINENTUR.

N.-B. — Numerus prior romanus indicat caput, posterior vero arabicus versiculum.

A

ABIGAIL, quæ interpretatur *patris mei involutio*, quæ emollivit David. XV, 8.

ABOMINABILIA ante Deum sunt alta mundi. XVI, 13.

ABRAHÆ sinus, quis ? XVI, 23.

ABSTINENTIA a carnibus religio commendatur. XXIV, 42.

ABSCONDITUM scitur tripliciter. XII, 2.

ACCUSATORES hominis quotuplices ? XII, 58.

ACETUM quomodo biberit Christus, et quoties, et ob quam causam ei datum ? XXIII, 36.

ACRISIAM an habuerint discipuli Christi in via ? XXIV, 16.

ACTIVA vita provocat ad æmulationem. X, 40.
ACTIVA vita circa quid satagit ? Ibid.
ACTIVA vita est circa frequens ministerium. Ibidem.

ACUS per quam transit camelus, est Christus, et quomodo ? VXIII, 25.

ADAM non est sepultus in monte Calvariæ. XXIII, 33.

ADOLESCENTIA est circa decimum quartum annum. XV, 12.
ADOLESCENTIOR filius significat populum nulla lege frænatum. Ibid.

ADULTER est amator ardentior suæ conjugis. XVII, 27.

ADVENTUM Christi primum et secundum aliqui præcedunt. X, 1.

ADVENTUS et pulsatio Domini duplex. XII, 36.

ÆRA *minuta*, utrumque adjectivum et substantivum esse potest : quamvis ly *minuta* rectius pro substantivo capiatur. XXI, 2.

ÆSTUS signum, quod ? XII, 55.

AGON, quid ? XXII, 43.

AGER in quo agit stultus, est concupiscentia corporis. XV, 15.

AGER Booz quid sit ? X, 2.

AGRI in quibus messis, sunt status circumcisionis et præputii. Ibid.

Ex AGRO retro redire, mystice quid ? XVII, 31.

AGNI proprietates mysticæ. X, 3.

AGNI utilitates mysticæ. Ibid.

AGNI convertunt lupos in agnos verbo divino. Ibid.

AGNI interdum fiunt pejores lupis. Ibid.

ALÆ duæ datæ mulieri, Apocalyp. XII, 14, sunt sapientia in verbis, et patientia in verberibus. XXI, 19

ALÆ sex duorum Seraphim, quid ? XII, 49.

ALBA sacerdotis quid significet ? XXIII, 11.

ALIENUM, quid proprie ? XVI, 12.

In ALIENO infideles quinam ? Ibid.

ALTARIA cur detegantur, et laventur in die cœnæ ? XXII, 20.

AMANTIS pulsus movetur velocius quando nominatur is qui amatur. XII, 49.

AMICUS, quid ? XI, 5.

AMICUS dives Deus. XI, 7.

AMICORUM quomodo omnia communia ? XI, 5.

AMICIS pauperibus præ aliis danda est eleemosyna. XIV, 12.

AMICITIÆ duæ falsæ et una vera. XI, 5.

ANCILLA unde dicatur ? X, 40.

ANGELI pacis plorant quando aliquis Sanctus pervertitur. XV, 7.

ANGELI gaudent de conversione : quia non frustrantur diligentia suæ custodiæ. Ibid.

ANGELIS similes erunt beati ob tria. XX, 36.

ANGELI ubique et semper Christo ministri. XXIV, 4.

ANGELI cur duo in Christi sepulcro ? Ibidem.

Cur in veste candida ? Ibid.

ANGELORUM voces auditæ in Jerusalem ante excidium. XXIV, 23.

ANGELUS quomodo confortaverit Christum in horto ? XXII, 43.

ANGULARIS lapis, quid ? XX, 17.

Super ANGULAREM lapidem cadens, et ille super quem angularis lapis cadit, significant mystice peccantem venialiter et mortaliter, vel peccatum Christiani et infidelis. XX, 18.

ANIMA nostra est principium vitæ intellectualis. X, 27.

ANIMA non est in homine nisi intellectiva. Ibidem.

ANIMA charitati mancipatur quando vita intellectualis et organica ad charitatem refertur, et qualiter hoc fieri possit? Ibidem.

ANIMAM in manus Patris commendat Christus moriens : quid id significet? XXIII, 49.

ANNI octodecim infirmitatis mulieris incurvatæ quid insinuent? XIII, 11.

ANNULUM dat ante calceos filio prodigo revertenti pater, cur? XI, 22.

ANNULI proprietates et applicatio. Ibid.

ANNULUS diminutivum est ab *unus*. Ibid.

APES et mel, mystice quænam? XXIV, 42.

APEX est summitas quæ litteræ apponitur ob decorem. XVI, 17.

APOSTOLI sunt typus Episcoporum. X, 1.

APOSTOLI aliqui divites, plures pauperes. XVII, 7.

APOSTOLORUM officium potissimum arare et pascere boves, qui boves sunt clerici. Ibidem.

APOSTOLI sedebunt super thronos judicantes duodecim tribus Israel, explicatur specialiter. XXII, 30.

APPETITUS naturæ duplex, scilicet cibi et potus, et cur? X, 7.

APPARITIO Christi quotuplex. XXIV, 49.

APPARUIT primum Magdalenæ ob quatuor. XXIV, 34.

APPARITIONES quatuor refert Lucas. XXIV, 49.

APPROPINQUATUR ad Christum conversione cordis. XV, 1.

APPROPINQUAVIT peccatrix sic quando stetit retrorsum circa pedes. Ibid.

APPROPINQUATIONIS utilitas. Ibid.

APPROPINQUABANT multi Christo propter dulcedinem auditus. Ibid.

AQUILIS comparantur Sancti ob duo. XVII, 37.

AROMATA cum quibus ad sepulcrum veniendum, quid? XXIV, 1.

AROMATA cur tulerint mulieres ad sepulcrum? Ibidem.

ARCA Noe significat vitam ecclesiasticam et baptismum. XVII, 27.

As, quid? XII, 6.

ASINO cur Christus Jerosolymam ingressus sit? XIX, 30 et 35.

ASINUM solvere est a vinculo erroris absolvere. XIX, 33.

ASINO indiguit Christus non propter se, sed propter nos. XIX, 34.

ASINUS humanis vestimentis stratus significat Gentiles aptatos ad legem. XIX, 35.

ASINA et pullus significant Judæos et Gentiles. XIX, 30.
ASINÆ proprietates ex Chrysostomo gentili populo applicantur. Ibid.
Quarentes a discipulis de solutione ASINÆ, sunt hi qui murmurant de vocatione Gentilium. XIX, 31.

AURIS beatitudo in quo consistat ? XI, 28.
Qui habet AURES *audiendi audiat :* ideo ter auditus mentionem facit, quia primo oportet audire : secundo, audita percipere : tertio, ea opere complere. XIV, 35,

AVARITIA turpitudo. XVI, 14.
AVARITIA Ecclesiasticorum pro funeribus decertantium carpitur. XVII, 37.
AVARITIA mystice hydropisis. XIV, 2.
AVARI concupiscentia infinita. XII, 18.

In AZYMO pane Christus consecravit. XXII, 1.

B

BAPTISMI descriptio quoad materiam, formam, effectum, etc. XII, 49.

BARABBAS varie describitur, et interpretatio nominis. XXIII, 18.

BEATITUDO duplex, moralis et speculativa : et quid sint ? X, 23.
BEATITUDO speculativa debet esse mirabilissima, purissima, certissima, non retracta, non impedita, retenta in contemplando secundum Dionysium. X, 23.
BEATITUDO divina sic dicta ob tria. Ibid.
BEATITUDO cur vita æterna ? X, 25.
BEATITUDINIS plenitudo et universalitas. XXII, 30.
Tria explicantur secundum partem qua aliquis BEATUS est, scilicet instrumentum, actus, et actus determinatio. X, 3.
BEATORUM visus duplex, exterior, et interior. Ibidem.
BEATI lætabuntur in pœnis damnatorum. XVII, 27.
BEATI ex inclinatione naturæ damnatis compatiuntur, licet ob justitiam lætentur in eorum pœnis. XVI, 26.

BEELZEBUB, quid ? XI, 17.

BELLUÆ habent unam proprietatem belluinam, homo omnes. X, 3.

BELLA durarunt in Judæa per quadraginta duos annos antequam Jerusalem a Tito vastaretur. XXI, 9.
BELLUM inter domesticos quotuplex excitatum a Christo ? XII, 52.

BENEFACERE amicis, bonum naturale, etsi non meritorium. XIV, 12.

BENIGNUS magister Christus ingratis inferens suas illuminationes.

BETHANIA est ante Bethphage, quia obedientia debet præcedere prædicationis officium. XIX, 29.

Bethsaida et Corozaim significant doctos et divites reliquis damnabiliores. X, 13.

Blasphemia quid et quotuplex ? XII, 10.
Blasphemantium miracula Christi triplex gradus. XI, 17.

Bona quæ proprie nostra ? XII, 18.
Bona Ecclesiarum superflua debentur pauperibus. XVI, 6.
Bona temporalia sunt minima. XVI, 10.
Item, *Modicum* ibidem, cur sic dicta ? Ibidem.
Bona opera reproborum Deus hic remunerat bonis temporalibus. XVI, 25.
Bonus quomodo solus Deus ? XVII, 19.
Bonum est ante malum. XV, 12.
Bonum naturale cum natura datum, bonum donatum, bonum acquisitum. Ibid.
Bona alicui a Deo data, ut præbenda malo clerico, aliis utiliter dantur. XIII, 17.

Bos significat litteratos ac clericos, asinus simplices et idiotas. XIII, 16.
Bos est animal utile ad esum et laborem. XIII, 15.
Boum juga quinque, Luc. XIV, 19, mystice quid ? XIV, 15.

Byssus et purpura, quid ? XVI, 19.
Item mystice, quid ? Ibid.

C

Cadus, quid ? XVI, 6.
Cadorum debitor, quis ? Ibid.
Cadi centum, quid ? Ibid.

Cæcitas quinque modis contingit naturaliter : item mystice. XVIII, 35.
Cæcitatis summa miseria. XVIII, 39.
Cæci illuminatio attribuitur fidei. XVIII, 42.
Cæci sanatio omnes ad laudem Dei provocavit. XVIII, 43.
Cæcus cur dixerit : *Fili David ?* XVIII, 39.

Cæsio faciei Christi recte exaggeratur. XXII, 64.

Calceorum ornamenta non usus prohibentur. X, 4.

Calceamenta de pellibus animalium sunt memoria mortis in cordibus prædicatorum. XV, 22.
Calceamenta in pedibus quando sunt ? Ibidem.

Cœlum deserto comparatur. XV, 4.

Calix quem Christus bibere noluit, quis ? XXII, 17.

Cameli proprietates septem peccatoribus applicatæ. XVIII, 25.

Canes in Lazarum immissi, postea in eum benigni. XVI, 21.
Canes mystici quinam, eorum latratus, lingua, et dentes ? Ibid.

Candelabrum aureum cum lucernis septem est homo vitæ ecclesiasticæ. *Nota.* XI, 33.

Cantus symphoniæ quis sit, et quomodo Deus laudetur in Sanctis? XV, 25.

Capharnaum significat Ecclesias divites collegiatas. X, 15.
Laus et vituperium illius civitatis. Ibid.

Capillos capitis cur speciatim determinet Christus? XII, 7.

Carnaliter diligibilia sunt septem, eaque odio habenda. XIV, 26.
A carnibus abstinentia commendatur. XXIV, 42.

In castellum introitus est introitus Christi in uterum Virginis. X, 38.
Castellum cur diminutive ponitur? Ibid.
Castelli fortitudo in sex consistit. Ibid.
Castellum Maria mystice. Ibid.
Castellum, id est, oppidum incastellatum : in talia oppida ut nos recipiamus, Christus monet : *oppida*, mystice quid? XVII, 12.

Casus justi et impii quomodo differant? XVII, 16.

Cautio, quid? XVI, 6.

Cautela, quid? XII, 15.

Centenarius perfectus et quadratus est numerus. XV, 4.
Centum oves sunt perfecta ovium possessio. Ibidem.

Chaos, quid proprie et mystice? XVI, 26.

Charitatis proprietates et effectus. X, 27.
Charitas duplex, affectuosa, et operosa.
Charitas, patientia, et humilitas quam diversis modis dicantur radix et custos omnium virtutum. XXI, 19.
Sine charitate aliæ virtutes nihil nutrimenti habent. XI, 1.
Charitas comparatur igni ob sex. XII, 49.
Charitatis effectus. Ibid.

Christus occisus in justis ab origine mundi. X, 3 et XI, 50.
Christus quomodo spernitur in suis prædicatoribus? X, 16.
Christi Domini potentia supra omnia. X, 17.
Christi visus est approbatio judicii Patris, et significat æternitatem cum Patre per verbum, *videbam*. X, 18.
Christus egit gratias cum gaudio ob mysteria fidei revelata. X, 27 et 22.
Christus suspiciens in cœlum, quando et quare? X, 30.
Christus est sicut columna ignis et nubis. X, 38.
Christus docet nos aliquando esse cum Deo, et aliquando cum proximo. XI, 1.
Christi fortitudo. XI, 22.
Christi proprium est congregare, et quomodo? XI, 23.
Christi loca sunt corda bonorum. XI, 24.
Christi discipulus ut quis sit, quinque requiruntur, quæ excludit carnalis affectus. XIV, 26.
Christi crucem tollere, quid? XIV, 27.
Post Christum venire quinque modis aliquis potest. Ibid.
Christum in doctrina imitamur quatuor modis. Ibid.
Christi misericordiæ immensitas. XVIII, 40 et seq.

CHRISTI regnum duplex, temporale, et spirituale : illud putabant Pharisæi Christum inchoaturum cum iret Jerosolymam : qui error excluditur a Christo, Luc. XVII, 20 et seq. XVII, 20.

CHRISTI regnum spirituale consistit formaliter in scientia et virtute, et actibus justitiæ, materialiter in sanctis et beatis. Ibidem.

Est universale per totum mundum. Ibid.

Regnum illud non veniet cum observatione, cui non contradixit Matthæus ponens, XXIV, 4 et seq., signa adventus CHRISTI. Ibidem.

CHRISTI adventus quomodo a quibusdam desideretur, et ab aliis non? Conciliantur loca Scripturæ, Luc. XVII, 22, et Amos, IV, 18. XVII, 22.

CHRISTI dies, id est, illuminatio in persecutionibus negabitur electis ad probationem, reprobis ad damnationem. Ibid.

CHRISTI adventus comparatur fulguri ob tria. XVII, 24.

CHRISTI *dies* dicitur specialiter dies judicii ob tria. Ibid.

CHRISTI passio eum fecit ostium electorum : per eam tria præstita sunt, etc. XVII, 25.

CHRISTI corpus gloriosum cadaveri comparatur, et cur? XVII, 37.

CHRISTUS est acus mystice. XVIII, 25.

CHRISTUM in quatuor secuti sunt Apostoli. XVIII, 28.

CHRISTI passio fuit exaltatio. XVIII, 31.

CHRISTUS traditus ad mortem a Patre, a seipso Judæis, et a Juda. XVIII, 32.

Cur tertia die resurrexerit? XVIII, 33.

CHRISTI passionis mysterium an intellexerint discipuli? XVIII, 34.

CHRISTUM turba sequebatur, quia alii ex aliis motivis eum sequebantur. XVIII, 36.

CHRISTI nomen JESUS NAZARENUS explicatur. XVIII, 37.

CHRISTI passio omnes moverat ad compassionem. XIX, 5.

CHRISTUS aliquid operaturus cur suspexerit in cœlum? XIX, 5.

CHRISTUS est dominus universorum, unde simpliciter *Dominus* vocatur : committit discipulos pro pullo asinæ. XIX, 30.

CHRISTUS, potestas sua unde esset, ob tres causas æmulos suos docere noluit. XX, 8.

CHRISTUS divinitatem suam demonstrat. XX, 41 et seq.

CHRISTI cura et diligentia pro salute animarum. XXI, 37.

CHRISTI paupertas. XXII, 11.

CHRISTUS secundum tria quæ in ipso sunt, in tribus esse creditur. XXII, 19.

CHRISTUS cur orat in monte Oliveti ante passionem? XXII, 39.

Orationis ejus circumstantiæ, sensus : hujus causa ratio, non sensualitas. XXII, 41 et 42.

CHRISTUS quomodo confortetur ab Angelo? XXII, 43.

Quinquies fudit sanguinem ob quinque bona nostra. XXII, 44.

CHRISTUS se interserit colloquiis spiritualibus. XXIV, 13 et seq.

CHRISTUS post mortem decies apparuit. XXIV, 49.

CHRISTI fictio in via coram discipulis qualis fuerit? XXIV, 28.

CHRISTUS resurrectionem suam ad tres sensus et rationem demonstravit. XXIV, 38 et seq.

CHRISTUS primo apparuit Magdalenæ ob quatuor. XXIV, 34.

CHRISTUS cur quinque vulnera retinuerit post resurrectionem, rationes quinque. XXIV, 40.

CHRISTUS cur manus et pedes ostenderit, cur steterit, cur in medio, et dixerit : *Pax vobis*, post resurrectionem? Ibid., et ℣. 36.

CHRISTUS an vere comederit post resurrectionem? XXIV, 43.

CHRISTI charitas pro salute nostra. XII, 50.

CHRISTUS cognoscendo cogitationes hominum, Deum se esse demonstrat. XI, 17.
CHRISTUS Judam revocare a scelere tentat triplici consideratione. XXII, 48.
Petrum non corporaliter sed spiritualiter respicit CHRISTUS. XXII, 61.
Cur Judæi CHRISTUM occulte non occiderint? XXIII, 1.
CHRISTUS accusatus fuit de tribus apud Pilatum. Ibid.
Cur coram Herode nihil responderit? XXIII, 9.
Crucis mortem cur præ aliis Judæi petiverint? XXIII, 21.
CHRISTI crucem quomodo portaverit Simon? XXIII, 26.
CHRISTUS excidii Jerosolymitani calamitatem ante mortem prædixit. XXIII, 28 et seq.
Cur cum duobus latronibus crucifixus? XXIII, 32.
Cur extra portam? Ibid.
Cur nudus? XXIII, 34.
Moriens commendat animam suam in manus Patris : quid id significet? XXIII, 46.
Clamans cur exspiret CHRISTUS? Ibid.
Clamor CHRISTI morientis indicat acerbitatem doloris ortam ex triplici capite. Ibidem.
Clamans exspiravit tum ob doloris acerbitatem, tum ad indicandum se mori libere. Ibidem.
CHRISTUS psalterium, id est, centum quinquaginta versus psalmi XXI et seq., recitat in cruce. Ibid.
CHRISTUM sepelientes commendantur. XXIII, 50, et XXIV, 1.
CHRISTUS dominica die resurrexit, et quare? XXIV, 1.
Secundum Gregorium media nocte : secundum communem sententiam circa auroram. Ibid.
Hora quæ præcise resurrexit, ignota. Ibid.
CHRISTI resurgentis figura Samson portans portas. Ibid.
CHRISTI corpus in sepulcro non inventum nec unctum, quare? XXIV, 3.

CIVITATES decem datæ fideli servo, quid? XIX, 17.
CIVITATES quinque datæ fideli servo secundo, quid? XIX, 19.

CŒNA quadruplex, illuminationis, virtutis, et gratiæ eucharistiæ, et gloriæ. XIV, 16.
Singulæ hæ magnæ, et quomodo? Ibid.
CŒNA Christi, Luc. XIV, 16 et seq., distinguitur a prandio Matthæi, XXII, 2 et seq. Ibidem.

COLUMBAS vendentes in templo sunt simoniaci. XIX, 45.

COMPLACITUM, quid? X, 21.

COMMISSIONIS peccati debitum, quod? XVI, 5 et 7.

CONCORDIA quæ est unanimis ad peccandum consensus, pessima est. XV, 15.

CONCUPISCENTIÆ voracitas dicitur *infernus*. XV, 13.
CONCUPISCENTIÆ carnales restringuntur sex modis. XII, 37.

CONFESSIO quotuplex? X, 21.
CONFESSARIUS dimittit dimidium in sacramento. XVI, 6.
CONFESSARIUS quintam partem debiti dimittit, et quatuor alias exigit. XVI, 7.

In CONFESSIONE quæstio fit de debitis, id est, peccatis. XVI, 5.

CONSILIUM præcedat opus. XIV, 28.

CONSTITUENDUS super oves sit de ipsa congregatione. XV, 4.

CONTEMPLATIONIS locus sunt pedes Christi. X, 39.

CONTEMPLATIVIS proprium est sedere, et quid sit? Ibid.

CONTEMPLATIVA vita præfertur activæ unitate, puritate, firmitate, delectatione. X, 42.

CONTEMPLATIVA circa quæ sit? Ibid.

CONTEMPLATIVÆ activa præponitur in quinque. Ibid.

CONTEMPLATIVA et activa habent se sicut excedentia et excessa. Ibid.

CONTEMPLATIVA simpliciter loquendo est optima. Ibid.

CONTEMPLATIONIS dulcedo non datur nisi post laborem actionis. XVII, 8.

CONTRITIO perfecta delet peccata ante confessionem. XVII, 14.

CONVIVIUM multiplex : ad delicias, ad fastum, ad honestatem sæculi, ad ingluviem. XIV, 13.

Item, Aliud CONVIVIUM lasciviæ, aliud gratiæ, aliud misericordiæ. Ibid.

CONVERSIO Christi ad discipulos, quid? X, 23.

CONVERSIONE cordis appropinquatur ad cor Christi. XV, 1.

COR ponit Augustinus pro intellectu. X, 27.

COR invenire, quid sit? Ibid.

CORDIS descriptio. Ibid.

CORREPTIONIS fraternæ materia est peccatum commissum. XVII, 3 et 4.

CORREPTIO proximi duplex, auctoritatis et charitatis. Ibid.

CORREPTIONIS fraternæ tres gradus. Ibid.

Contra præceptum CORREPTIONIS fraternæ sex modis peccatur, et qui hi sint? Ibidem.

Quando illud præceptum obliget? Ibid.

CORRUPTIO naturæ triplex, rationis, irascibilis, et concupiscibilis : et in quo consistant singulæ? XII, 45.

CORUS, quid? XVI, 7.

CORI centum, quid? Ibid.

CORVI proprietates applicatæ Prædicatoribus. XII, 24.

CRAPULA significat omnem superadimpletionem terrenæ delectationis. XXI, 34.

CRUCEM Christi tollere, quid? XIV, 27.

CRUCEM bajulare debemus, et quomodo? *Nota.* Ibid.

CRUCEM suam unicuique propriam tribus modis declarat. Ibid.

CRUCEM plus debent ferre Prælati quam alii. Ibidem.

CRUX Christi ex quo et qualibus lignis composita? XXIII, 38.

D

Dæmon est latro et fur. X, 30.

Dæmon quatuor damna infert animæ : repræsentata mystice in dæmoniaco cæco, surdo et muto. XI, 14.

Dæmon visum et auditum tantum cupit impedire. Ibid.

Dæmonis potentia, scientia et malitia. X, 17.

Dæmonis peccatum superbia. X, 18.

Dæmonis casus explicatur per fulgur propter tria. Ibid.

Dæmonis naturalia manserunt integra post lapsum. Ibid.

Dæmonem calcare quid sit? X, 19.

Dæmon quomodo similis serpenti et scorpioni? Ibid.

Dæmonis virtus, quid? Ibid.

Dæmoniacum curat Christus primo interius, et secundo exterius, quod non possunt facere necromanici. XI, 15.

Dæmonem se non ejicere Christus ostendit in virtute Beelzebub duplici argumento, scilicet per reductionem ad impossibile, et ostensive. XI, 17 et 18.

Dæmonium se ejicere in virtute Dei Christus probat ostensive tribus rationibus. XI, 20 et seq.

Dæmonis regnum est mundus. XI, 21.

Dæmonis fortitudo. Ibid.

Dæmonis proprium est dispergere. XI, 23.

Dæmon per legem expulsus, et reversus ad Pharisæos, convertit eorum hypocrisim in spiritum blasphemiæ. XI, 24-26.

Dæmon ambulat in circuitu. XI, 24.

Dæmonis loca sunt corda malorum. Ibid.

Dæmoni locus paratur per curam tantum munditiæ exterioris. XI, 25.

Damnatorum pœna triplex. XII, 46.

Damnati ante judicium vident beatos in gloria, non autem postea. XVI, 23.

Damnati etsi optent esse extra pœnas, nolunt tamen esse in gloria. XVI, 26.

Damnati quomodo recordentur vivorum? XVI, 28.

Damnati nihil gratiæ habent in voluntate. Ibidem.

In David terminat Christus doctrinam evangelicam. XX, 47.

Debitum charitatis numquam est dimittendum. XI, 4.

Debitores sumus Deo de omnibus commissis. XVI, 5.

Debitum principale est oleum et triticum. Ibidem.

Debiti dimidium dimittit confessarius in sacramento. XVI, 6.

Debiti quintam partem aufert Deus, et quatuor reliquas exigit. Item, Confessarius. XVI, 7.

Decalogi præceptorum ordinis ratio. XIV, 31.

Decem mnæ quid significent? XIX, 13.

An singulis decem datæ, vel decem in singulos divisæ. Ibid.

Decem mnæ lucratæ, quid? XIX, 16.

Decem servi quibus datæ mnæ : ratio numeri. XIX, 13.

Decem *millia* habet qui perfectionem decalogi ducit in quadrangulum. XIV, 31.

Decem sunt in homine in quæ mandata Dei sunt multiplicanda. *Nota.* Ibid.

Decim.e quid significent mystice? XVIII, 12.

DELICIAS carnales restringit Christus quinque rationibus. XII, 35.

DENARII duo Samaritani, quid? X, 35.
DENARIUS quid mystice? Ibid.

DESCENSUS ab Jerusalem in Jericho quid significat, et cur dicitur: *Incidit?* X, 30.

DESERIT Dominus multos Sanctos diligentia exterioris custodiæ. XV, 4.

DESERTUM significat vitam contemplativam et religionem. Ibid.

DEUS dicitur *Dominus* propter tria. X, 27.
DEUS propter tria. Ibid.
DEUS unde dicatur? Ibid.
DEUS quare *tuus*? Ibid.
DEUS dicitur *surgere* per effectum. XI, 7.
DEO et mammonæ cur servire non possumus, rationes sex. XVI, 13.
DEUM secundum se nemo potest odisse. Ibidem.
DEUS vocatur *homo* ob tria. XX, 9.
DEUS a providendo, videndo, et ambiendo dictus. XVIII, 13.

DIABOLUS non potest esse dilectus. XVI, 13.
DIABOLO nullus adhæret. Ibid.
DIE tertia cur Christus resurrexit? XVIII, 33.

DIFFAMATIO et infamia quomodo differant? XVI, 1.

DILECTIONIS præceptum quare feratur per verbum futuri? X, 27.
DILECTIONIS Dei et proximi præcepti brevis recapitulatio. Ibid.
DILECTIONIS præceptum quomodo ponitur Deuter. VI, 5, et Matth. XXII, 37, et Luc. X, 27. Ibid.
DILECTIONI attribuuntur cordis proprietates. Ibidem.
DILIGERE Deum non potest creatura secundum valorem rei dilectæ. Ibid.
DILIGERE Deum *ex toto corde*, quid secundum Augustinum? Ibid.
DILIGERE Deum *ex tota anima*, quid? Ibidem.
DILIGERE Deum *ex omnibus viribus*, quid? Ibidem.
DILIGERE Deum *ex tota mente*, quid? Ibidem.
DILIGERE *proximum sicut seipsum*, quid? Ibidem.

DILIGENTIA quærendi drachmam est in discussione diligenti peccatorum. XV, 8.

DIMITTENDÆ sunt injuriæ, non per alios, sed per se. XI, 4.
DIMITTENDUM omnibus et omnia. Ibid.

DIPONDIUS, quid? XII, 6.

DISPENSATOR discretus debet dimittere quod est ultra vires subditorum. XVI, 6.
DISPENSATOR, quis? Ejus conditiones quatuor. XII, 42.
DISPENSATIO bona commissi talenti in exterioribus est causa electionis. XIX, 10.

DIVITIARUM vituperium. XII, 16.

Divitias habere et amare quomodo differant? XVIII, 24.
Divitiarum incommoda duo. XII, 18.
Divitiæ non sunt veræ. XVI, 11.
Divitiæ retentæ impediunt salutem. XVI, 19.
Dives habens villicum commendatur a duobus. XVI, 1.
Dives, Luc. xvi, 19, cur non nominetur, rationes quatuor. XVI, 19.
Dives epulo, mystice quid? Ibid.
Dives negans micas, et Lazarus mendicans ad januam explicantur mystice. XVI, 21.
Divitis et Lazari dispar mors. XVI, 22.
Dives perfecte mortuus fuit triplici morte. Ibidem.
Sepultus est in inferno. Ibid.
Dives mortuus in inferno sepultus, mystice quid? Ibid.
Divitis et Lazari dispar status post mortem. XVI, 23.
Dives epulo cur specialiter Abraham et Lazarum vidisse dicatur post mortem? Ibidem.
Dives quomodo Abraham *patrem* vocet? XVI, 24.
Cur Lazarum petiverit? Ibid.
Gratiam nullam petiit in quantum est gratia. Ibidem.
Divitis lingua, quid? Ibid.
Digiti extremum quod dives petiit, quid? Ibidem.
Dives cur ab Abraham *filius* vocatur? XVI, 25.
Dives et Lazarus comparantur Jacob, Genes. xlviii, 13 et seq., Jacob dextra et sinistra benedicenti filio Joseph. Ibid.
Dives propriam miseriam sentiens ad Patrem misericordiæ libenter se converteret, sed id prohibet superbia. XVI, 30.
Diviti quomodo difficilius sit intrare in regnum Dei quam camelum per foramen acus? XVIII, 25.
Dives salvos fieri possibile est per gratiam. XVIII, 26.
Dives abutentes donis naturalibus non sunt digni nomine. XVI, 19.
Dives mystice, Luc. xvi, 19, doctis non compatientes. Ibid.

In diversorio Christus nascitur et cœnat ob paupertatem. XXII, 11.

Doctrina ad actum reducenda, et hujus figura. X, 38.

Doctoris triplex officium et triplex culpa. XI, 52.

Dominus quid secundum Dionysium? X, 2.
Dominus, quid? X, 27.
Dominus venit ad nos multiplicato numero. *Nota.* XIV, 31.
Domini duo contrarii quibus non possumus servire, quinam sint? XVI, 13

Dominica die cur Christus resurrexerit? XXIV, 1.

Domus spiritualis est anima fidelis. Item, Ecclesia. *Nota.* XIX, 9.

Drachma pondus est in quo numismatis imago est impressa. XV, 8.
Drachma est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei. Ibid.
Drachmæ decem quid sint, et quid perditio drachmæ? Ibid.
Drachma, quid? Ibid.
Drachmæ decem, quid? Ibid.

DUALITAS, proprie quid ? XVI, 13.

DUBITATIO Apostolorum in resurrectione plus nobis profuit quam Magdalenæ credulitas. XXIV, 41.

DUO minuta, mystice quid ? XXI, 2.

E

EBRIETAS, Luc. XXI, 34, significat aversionem sensuum a pompa et dignitatibus hujus sæculi. XXI, 34.

ECCLESIÆ consecratio explicatur, et applicatur animæ et Ecclesiæ. XIX, 9.

In ECCLESIA gladius duplex, corporalis, et spiritualis. XXII, 38.

ECCLESIA non est usa gladio corporali in initio, sed jam fundata et dilatata. XXII, 36.

In ECCLESIÆ ministris sex consideranda. XIX, 13.

ECCLESIASTICORUM pro funeribus decertantium avaritia carpitur. XVII, 37.

ECCLESIASTICORUM vitia præ aliis perniciosa. XIV, 35.

ELCANA et Phenenna significant Christum dantem Ecclesiæ gratiam in Sacramentis partitam. XXIV, 43.

ELECTIONIS merita quæ sunt potissima ? XVI, 1.

ELECTI et damnati aliqui ex omnibus dantur. XVII, 34.

ELEEMOSYNÆ effectus qui ? XI, 41 et XVI, 9.

ELEEMOSYNA justis danda præ aliis. XIV, 14.

ELIAS vocans Eliseum ex numero duodecim arantium, mystice quid ? XIV, 19.

EMMAUS primo metropolis Palestinæ, deinde restaurata sub Marco Aurelio, et dicta Nicopolis. XXIV, 13.

EPISCOPI priores potestate presbyteris. X, 1.

EPISCOPI a presbyteris distinguuntur, et sunt his digniores quia dant complementum Spiritus sancti. Ibid.

In EPISCOPIS singulariter exigitur hospitalitas. XXIV, 29.

EPISCOPIS Christus adjunxit presbyteros, ut Moysi Deus duces septuaginta duos. Numer. XI, 16. X, 1.

EPULARI et manducare quomodo differant? XV, 24.

EVANGELIUM quare prædicatum fuerit non credituris, et non prædicatum credituris? X, 13.

EVANGELIUM opertum est nobis tribus operimentis. XII, 2.

EVANGELIUM prædicandum est publice et intrepide, et quæ ad id juvent? Ibid.

EVANGELIUM absconditum est ex triplici capite. Ibid.

EUCHARISTIA, etymologia nominis. XIV, 16.
EUCHARISTIÆ materia panis triticeus : hujus tres rationes. XXII, 19.
EUCHARISTIA est sacramentum mundum, plenum, commune et efficax. Ibid.
EUCHARISTIÆ forma. Ibid.
EUCHARISTIÆ species franguntur in missa, cur? Ibid.
EUCHARISTIÆ usus utilissimus, dulcissimus, saluberrimus, amabilissimus, vitæ æternæ simillimus. *Nota.* Ibid.
EUCHARISTIÆ perceptio est beneficii commemoratio in gratiarum actione, patientis in compassione, et abeuntis in desiderio consequendi. Ibid.
EUCHARISTIA repræsentat cœnam dominicam et quæ in ea gesta sunt. Ibid.
EUCHARISTIA post cœnam et non jejunis discipulis Christus cur dederit? XXII, 1.
Ad EUCHARISTIAM percipiendam tria prærequiruntur, communio Ecclesiæ, examen conscientiæ, et lacrymæ pœnitentiæ. XXII, 10.
EUCHARISTIÆ cœnaculum est conscientia munda, ampla spe et omni virtute strata. XXII, 12.
EUCHARISTIÆ effectus. XXII, 20.
EUCHARISTIÆ figura est panis Eliæ et vas aquæ. XXII, 19.
EUCHARISTIÆ figura alia est mel Jonathæ. Ibidem,
In EUCHARISTIA aliqua sunt ex vi verborum, aliqua per concomitantiam. XXII, 20.

EXEMPLA sunt pestilentiæ. XXI, 11.

EXSPECTARE Dominum, quid? XII, 36.
EXSPECTATIO sponsi consistit in sex. Ibid.

F

FABULARI quot modis accipiatur? XXIV, 15.

FACIEI Christi cæsio recte exaggeratur. XXII, 64.

FAMES mystica, quæ? XV, 14.
FAME perit qui dilectione peccati quærit refici. XV, 17.
FAMIS spiritualis causa sunt prælati mali et indocti. XXI, 11.

FEL piscis Tobiæ, quid? X, 21.

FERMENTUM ob quatuor comparatur regno Dei. XIII, 21.
FERMENTUM multiplex. Ibid.

FICTIO Christi in via coram discipulis qualis fuerit? XXIV, 28.

FICULNEÆ comparatur dies judicii, idque rectissime. XXI, 29.
FICUS et vinea eodem loco plantari amant. XIII, 6.
Circum FICULNEAM stercora mittere est peccatis pœnitentiam excitare. XIII, 8.
FICUI comparatus homo, probus bonæ, malus malæ. *Nota.* XIII, 6.

FIDEI revelatio omnis fit per filium ut Verbum, et per Spiritum sanctum qui vehit verbum. X, 22.
FIDES omnibus parata. X, 21.
FIDES ex sola Dei gratia. Ibid.
Per FIDEM et devotionem excitatur virtus Christi ad operandum in nobis. XI, 14.
FIDES per totum mundum annuntianda. XI, 33.
FIDEI articuli potissimum credendi, qui? XXIV, 44 et seq.
FIDEI conditiones tres, humilitas scilicet, subtilitas, et acumen, significata per granum sinapis. XVII, 6.
Arbor morus et mons quæ imperio FIDEI obediunt, transeuntia a loco in locum, mystice quid? Ibid.
FIDEI efficacia. Ibid.
Ad FIDEM quomodo oportet compellere? XIV, 23.
FIDES comparatur grano sinapis ob sex. XIII, 19.
FIDEI attribuitur illuminatio cæci. XVIII, 42.

FIDELIS quis in parvo? XVI, 10.
FIDELIS in parvo, id est, in temporalibus, confidetur majus, id est, spiritualia. Ibidem.
FIDELITAS, quid? Sex ejus modi. XII, 42.

FILIUS æqualis Patri: et declaratur similitudine verbi et intellectus. X, 22.
FILIUS comprehendit Patrem, declaratur similitudine. Ibid.
FILII alieni, qui? XI, 2.
FILIOS duos habuit paterfamilias geminæ dilectionis vinculo in Deo et inter se colligendos. XV, 11.
FILII duo divisi sunt in rationabiles et irrationabiles. Ibid.
FILIUS emitti debet de domo patris cum parte facultatum. Ibid.
FILIUM prodigum suscipiendo quinque signa benignitatis ostendit. XV, 20.
FILIUS senior qui erat in agro, est populus Judaicus. XV, 25.

FLETUS et stridor dentium in inferno qui sint? XIII, 28.

FRACTIO hostiæ in Missa quid significet? XXII, 19.

FRATRI frater cur semen suscitare per legem jussus? XX, 28.

FULGUR tria habet ob quæ comparatur adventui Christi. XVII, 24.

G

GALLI proprietates sex prædicationibus applicatæ. XXII, 60.

GAUDIUM quid, et de quo gaudendum? X, 20.
GAUDIUM *majus*, videlicet exterius in inventione unius ovis perditæ. XV, 7.
GAUDIUM duplex, interius, et exterius. Interius majus est de nonaginta novem justis quam de uno. Ibid.
GAUDENT magis sancti de conversione peccatorum, quia rarior et difficilior. Ibid.

GAZOPHYLACIUM, quid et quotuplex? XXI, 1.

GEDEON clangens buccina vocans domum Abiezer, repræsentat Apostolos indutos Spiritu sancto per prædicationem Ecclesiam congregantes. XXIV, 49.

GEDEONIS tubæ, lagenæ, et voces, quid significent? X, 3.

GEHENNA, explicatio nominis. XII, 5.

GENERATIO triplex, quæ non præteribit antequam omnia fiant. XXI, 32.

GENTILIS populus est filius junior. XV, 12.

GLADIO corporali in principio non est usa Ecclesia, sed jam fundata et dilatata. XXII, 36.

GRATIAS quomodo egerit Christus? X, 21.

GULÆ in cibo species sex. XVII, 28.
In potu quinque. Ibid.

H

HABITAT Deus in nobis per fidem, charitatem, gratiam et virtutem bonorum operum effectricem. X, 1.

HÆRESIS comparatur fermento. XII, 1.

HÆRETICI discalceati unde originem habeant? X, 4.

HERODES comparatur vulpi ob quinque. XIII, 32.

HERODIS in vestitu fastus. XVI, 19.

HODIE et cras quid significent? XIII, 32.

HŒDUS est sacrificium pro peccato. XV,30.

HOMO descendens in Jericho significat naturam humanam. X, 30.

HOMO spoliatus in via Jericho significat naturam spoliatam supernaturalibus, et læsam in naturalibus. Ibid.

HOMO ab humo dictus. XVI, 19.

HOMINEM divitem donis nobilibus intellectus præditum esse quinam volunt? Ibid.

HOMINI qui non est similis, aut aliquid melius est, aut aliquid pejus. XVIII, 21.

HOMO habens duos filios, Deum significat. XV, 11.

HOMO vocatur *Deus* ob tria. XX, 9.

HOMO peregre proficiscens est Deus Pater : vinea, Synagoga : Ecclesia, anima fidelis : coloni respectu Synagogæ, principes Sacerdotum : respectu Ecclesiæ, Archiepiscopi et Episcopi : respectu animæ, custodes animarum. XX, 9.

Servi ad cultores missi sunt Moyses, David et Prophetæ : vindemiæ tempus, tempus eductionis de Ægypto et Incarnationis. XX, 10.

Servorum cæsio significat pravum intellectum legis et Prophetarum. Ibid.

Coloni illi quomodo tractandi? Diversimode responsum a Judæis referunt Matthæus et Lucas. XX, 16.

HOMO *peregre proficiscens* est Christus qui describitur a natura et natalibus. XIX, 12;

Cum abiit in regionem longinquam, hoc significat recessum ad gentes et in cœlum. Ibid.

Ejus regnum est potestas judiciaria. XIX, 12.
Regnum hoc est spirituale quod accepit in se vel in suis. Ibid.
Legatio missa post ipsum est multitudo tyrannorum, hæreticorum, et falsorum Christianorum. XIX, 13.
Redit accepto regno tripliciter. XIX, 15.
Citat peremptorie servos per Angelos. Ibid.

Hospitalitas commendatur. XI, 6 et XXIV, 29.
Hospitalitas exigitur potissimum in Episcopis. XXIV, 29.

Humeri Christi sunt brachia crucis, vel supportatio infirmitatum, et sublevatio sacramentorum. XV, 5.

Humilitas, charitas, et patientia, quam diversis modis dicantur radix et custos omnium virtutum? XXI, 19.
Humilitas fidei declaratur. XIII, 18.
Humilitatis laus. XIV, 11.
Humilibus dat gratiam Deus. Ibid.

Hydropisis quid, et quæ ejus proprietates? quæ avaritiæ mystice applicantur. XIV, 2 et seq.

Hypocrisis duplex, opere et sermone. XII, 1.
Hypocrisis comparatur sepulcro dealbato. XI, 44.
Hypocritæ lupi interius, exterius oves. X, 3.
Hypocrita vocatur qui rationem naturalem dissimulat, et bestiæ larvam sibi circumponit. XII, 56.

I

Ignis mysticus est triplex, charitatis ad Deum, zeli animarum, et compassionis proximi. XII, 49.

Ignorantia duplex, simplex et crassa : illa excusat in tantum, sed non in totum. XII, 46.

Illuminatio perficitur affectu amoris, intellectu veritatis, et quietæ discretionis. XV, 4.

Imago quasi imitago : et est triplex secundum Augustinum, scilicet creationis, recreationis, et similitudinis. XII, 2.
Imago creationis est in tribus, scilicet in naturali imitatione, in naturali potestate, et in naturali origine. Ibid.
Imago recreationis, quid? Ibid.
Ab imagine recreationis qui degenerent? Ibidem.
Imago similitudinis consistit in assimilatione memoriæ, intelligentiæ et voluntatis. Ibidem.
Imago est etiam in similitudine potestatis, et in similitudine originis. Ibid.
Imago potestatis, quid? Ibid.
Imago originis, quid? Ibid.
Cujus est imago *hæc et superscriptio*, tropologice explicatur. XX, 24.

Indignatio oritur ex quatuor causis. XV,

INFAMIA et diffamatio quomodo differant? XVI, 1.

INQUISITIONEM specialem debet præcedere infamia. Ibid.

INVENTIO ovis potius est ad illius utilitatem quam pastoris. XV, 5.

Jacob cibos coquens et offerens ISAAC applicatur Prælatis. XVII, 8.

J

JACOB cibos coquens et offerens Isaac applicatur prælatis. XVII, 8.

JERICHO describitur : mystice quid? XVIII, 35.

JÉROSOLYMÆ destructæ historia. XIX, 44.

Ante JEROSOLYMITANUM excidium auditæ sunt voces Angelorum : « Transeamus ab his ædibus. » XXIV, 23.

JEROSOLYMITANUM excidium. XIX, 43.

JEROSOLYMITANI excidii potissima causa peccatum Sacerdorum. XIX, 45.

JEROSOLYMITANI excidii prænuntia. XXI, 9 et 20.

JEROSOLYMITANI excidii extrema miseria. XXI, 21 et seq.

JEROSOLYMITANÆ obsidionis calamitas. Ibid.

Duæ matres comederunt filios suos in ea. XXI, 11.

JEROSOLYMIS cometes similis gladio visus cum aliis spectris. Ibid.

Nullum responsum tunc haberi potuit ab aliquo prophetarum. XXI, 19.

JEROSOLYMITANI excidii calamitas. XXIII, 19 et seq.

JESUS *Nazarenus* Christi nomen explicatur. XVIII, 37.

JOANNES vitam contemplativam; Petrus activam significat : cur ii duo missi ad parandum pascha? XXII, 8.

JONAS quomodo fuerit figura Christi? XI, 30.

JONATHAS gustans mel in I Regum, XIV, 27, figura fuit Christiani ex Eucharistia sumentis dulcedinem. XXII, 19.

JOSEPH ab Arimathæa qui Christum sepelivit, describitur ab octo.

Ob Christi sepulturam in carcerem conjectus, ei primo Christus apparuit secundum aliquos. XXII, 53.

JOSEPH viginti nummis, Christus triginta venditus. XXII, 5.

JOSAPHAT non significat determinatum locum, sed est nomen appellativum. XVII, 21.

JUDÆI reprobati in fine mundi convertentur. XII, 29 et XXI, 21.

JUDÆI historia et Gentilis iter facientium, similis historiæ incidentis in latrones. X, 32.

JUDÆI in obsidione Romanorum nullum responsum a Prophetis habere potuerunt. XXI, 20.

JUDÆI Christiani per Angelum admoniti fugerunt trans Jordanem in civitatem quæ dicitur Pola. XXI, 21.

JUDÆORUM obduratio specialis contra fidem. XXI, 22.

JUDÆOS omnes inventos scindebant Romani per medium ventris, ut aurum quod eos deglutisse audiverant, e stomacho eruerent. XXI, 24.

JUDAICA mancipia triginta uno denario vendita. Ibid.

JUDAICUS populus significatus per filium seniorem. XV, 27.

JUDAM tribus considerationibus Christus conatus fuit convertere in horto. XXII, 48.

JUDAM tria admonebant ne scelus committeret. XXII, 4.

JUDEX iniquus a quatuor describitur. XVIII, 2.

JUDEX inaudita parte non debet condemnare. XVI, 2.

JUDICII dies proprie est dies Christi ob tria. XVII, 34.

Ante JUDICII diem quænam signa futura in sole, luna, et stellis? XXI, 25.

Quindecim signa eum præcedent secundum Hieronymum. Ibid.

JUDICII diem quæ formidabilem efficiant? XXI, 34.

JUDICII dies cur nobis incerta? XXI, 7.

JUDICII tempus facilius est probare quam pluviæ vel æstus. XII, 56.

JUNIPERI cineres ignem diu sub se conservant. XV, 16.

JUSTITIA præsumpta non habet compassionem. XV, 28.

JUSTITIA præsumpta non reputat se offendisse nisi magna committat scelera. XV, 29.

L

LABORES stultorum et sapientium in quo differant? X, 1.

LAC solum a natura ad nutrimentum sufficienter præparatum. XI, 27.

LAC B. Virginis quantæ fuerit dulcedinis? Ibidem.

LACRYMATUS fuit Christus tribus modis in se, et nos lacrymari facit pro peccatis, quod significatur per quatuor flumina paradisi. XIX, 41.

LÆTITIA major exhibetur de eo qui periculum evasit. XV, 7.

LAPIDES clamarunt cum omnis creatura Christi mortem indoluit. XIX, 40.

LAPIS revolutus ab ostio monumenti, significat cor lapideum sublatum per gratiam. XXIV, 2.

LASCIVIÆ lex est quod consumat omnia: exempla, et ratio. XV, 13.

LATRO et fur differunt. X, 30.

LATRONES duo cum Christo crucifixi significant invite patientes et libenter. XXIII, 33.

LATRONES ambo Christum blasphemaverunt. XXIII, 39.

LAZARUS describitur a septem. XVI, 20.
LAZARUS et pauperes nominati sunt apud Deum : rationes quinque. Ibid.
LAZARI paupertas exaggeratur a duobus. Ibidem.
LAZARUS cur jaceat ante januam ? Ibid.
In LAZARUM immissi canes ex odio, qui ei benefici postea fuerunt. XVI, 21.
LAZARUS quomodo ab Angelis portatus in sinum Abrahæ ? XVI, 22.
LAZARUS mortuus in sinum Abrahæ portatus, mystice quid ? Ibid.

LEGATIO debet esse demonstrabilis, divina, fidelis, virtuosa. X, 3.

LEGIS veteris cessatio significatur in cœna. XXII, 16.

LEPRA triplex, corporis, vestis, domus. XXII, 16.
LEPROSI qui mystice ? Lepræ decem mystice et earum exempla : cur numero decem ? Ibidem, et seq.
LEPROSI *stantes a longe*, quid id significet ? Ibidem.
LEPROSOS cur ad sacerdotes miserit Christus ? XVII, 14.
In LEPROSO gratias agente notantur octo. XVII, 15.
LEPROSUS gratias agens fuit Samaritanus, qui commendatur a duobus. XVII, 16.
Ex decem LEPROSIS novem ingrati, et unus tantum gratus, cur ? XVII, 17.
LEPROSUS gratus fuit alienigena, alii Judæi, quid id significet ? XVII, 18.
LEPROSI fidei attribuitur sanatio, quomodo ? XVII, 19.

LEVITA, quid ? X, 32.
LEVITA mystice significat cuneum Pophetarum. Ibid.
LEVITA descendens significat quemlibet inferioris ordinis misericordiam non impendentem, sed lucrum intendentem. Ibidem.

LEX, quid ? X, 26.
LEX data in paradiso profecit per legem Moysi, et per legem Christi est consummata. XV, 12.
LEX mortua et mortifera, quando ? XVI, 16.
LEX cessavit non secundum naturalia sed secundum alia. Ibid.

LIBELLUS repudii Judæis tantum permissus. XVI, 18.
Per LIBELLUM repudii extorquebant Pharisæi potissimum lucrum. Ibid.

LIBER vitæ, quid et quotuplex, et cur sic dictus ? X, 20.

LITES clericorum contra clericos, et laicorum contra clericos, et e contra, sunt signum destructionis Ecclesiæ. XXI, 10.

LOCI proprietates. XI, 24.

LOCULOS cur habuerit Christus ? XII, 15.

LONGANIMITAS Dei duplex : una procurata per intercessionem Sanctorum, una proveniens ex bonitate propria. XIII, 6.

Lot tempore mundus pejor quam tempore Noe, unde et gravius punitus. XVII, 29.

Lucas et Cleophas fuerunt discipuli quibus apparuit Christus in via. XXIV, 13.

Lucerna triplex, prædicationis, rectæ intentionis, et honestæ conversationis. XII, 35.

Lucerna accensa ad quærendam drachmam, Luc. XV, 8, significat incarnationem Filii Dei. Item, prælatum Ecclesiæ. XV, 8.

Lucernam accendens mulier est sapientia Dei, vel Ecclesia. Ibid.

Lucris mundi deditus ad intima spiritus non pertingit. XV, 25.

Lumbi sunt instrumenta et loca concupiscentiarum, infernus respectu cœli, Veneris regnum, juncturæ inferiorum et superiorum, vasa illusionum diabolicarum, loca corruptionum et infectionum. XII, 35.

Lumbi duplices mentis et corporis? Ibid.

Lumbi qua ratione *nostri* dicantur? Ibid.

Luna dominatur humidis, et fortiter in multa corpora. XXI, 25.

In Luna tria signa ante judicium. Declaratur idem mystice in laicis. Ibid.

Luna quartadecima Christus consecravit. XXII, 1.

Lupi novem proprietates mystice? X, 3.

Lupi sunt persecutores Ecclesiæ et hæretici. Ibidem.

Luxuria præcipue est porcina. XV, 13.

M

Magister benignus Christus ingratis refert suas illuminationes. XV, 1.

Majora curanda principaliter, minora tamen non negligenda. XI, 42.

Malchi auricula amputata significat Synagogam amittentem aurem qua spiritualia debuit audire. XXII, 50.

Mali persequuntur justos. XI, 49.

Mammona, quid? XVI, 9.

Manducare et bibere coram Deo quid sit? XIII, 26.

Manducatio vera duplex: et utraque demonstrat veritatem naturæ. XXIV. 43.

Manducare et epulari quomodo differant? XV, 23.

Manducatio tantum datur post laborem. XVII, 8.

Manducatio spiritualis, id est, dulcedo contemplationis post laborem actionis. Ibidem.

Manus Christi sex proprietates habent, quas post resurrectionem discipuli monstravit. XXIV, 39.

Manus organum intellectus, et organum organorum. XII, 35.

MANUS impositio qua Christus sanabat, significat injunctionem pœnitentiæ. XIII, 13.

MARIA Virgo semper *optimam partem elegit* in bonis corporis, animæ, meriti, et gloriæ : et horum omnium figuræ. X, 42.
MARIA est *electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Ibid.
MARIA habet coronam duodecim stellarum. Ibidem.
MARIA habet officia novem ordinum Angelorum. Ibid.
MARIA est nubes parvula visa ab Elia. Ibidem.
MARIA stat præcincta ad laborandum pro omnibus. X, 45.
MARIA Ruth mystice. Ibid.
MARIA felix quæ tacet ad Marthæ querelas. X, 41.
MARIA nullam miseriam aliarum mulierum habuit in sua fœcunditate. Ibid.
MARIA lectulus Salomonis, quem sexaginta fortes ambiunt. Quinam sint illi explicatur. XI, 27.
MARIÆ illuminationes decem, virtutes decem, præcepta decem, privilegia decem, fulgores gloriæ decem, singulares gratiæ decem. Ibid.
MARIA Virgo est arbor. Ibid.
MARIA Jacobi quæ fuerit? XXIV, 10.
MARIA quomodo mollis ad pietatem ? X, 38.
MARIA est unica mulier quæ facit confusionem in domo Nabuchodonosor. Ibid.
MARIA est hortus in quo oritur fructus omnis boni. Ibid.
MARIA est castellum cujus fortitudo consistit in sex. Ibid.
MARIA drachmam perditam invenit. Ibid.
MARIÆ Virginis dignitas singularis in cœlo et in terra. Ibid.
MARIA sua æmulatione multos choros virginum ad cœlibem vitam provocavit. Ibid.
In MARIA reperiuntur cœnaculum, lectus, mensa, sella et candelabrum ad recipiendum Christum. X, 38.
MARIAM præparaverunt vita activa et contemplativa. X, 39.
MARIÆ viæ pulchræ. Ibid.
MARIA *amarum mare* et *illuminatrix* interpretatur. Ibid.
Sic dicta propter quatuor causas. Ibid.
MARIÆ oculi sicut columbæ super rivos aquarum. Ibid.
MARIA patulum auditum habet præ omnibus ad audiendum. Ibid.

MARTHÆ nomen Christus ingeminat in signum recordationis nominis ejus. X, 41.
MARTHA quæ non sedit, sed stetit, laudatur. X, 40.
MARTHA mystice est Maria. X, 38.
MARTHA mystice et Maria significant vitam activam et contemplativam. Ibid.

MARTYRII privilegium. XVII, 33.
MARTYREM facit causa. Ibid., et XXI, 12.

MATRIMONIUM solvitur in hac vita, et non erit in alia ob immortalitatem. XX, 35.
MATRIMONIUM spirituale inter Deum et hominem triplex. XII, 36.

In MEDIO discipulorum Christus resurgens cur et quomodo steterit? XXIV, 36.

MELLIS favus Christo oblatus quid significet? XXIV, 42.

MENDICANTIUM ordines probantur. XXI, 4.
MENDICUS quis proprie et mystice? XVIII, 35.

MERCENARIUS quis proprie? XV, 17.
MERCENARII sunt Judæi semper ob spem mercedis temporalis servientes. Ibid.
MERCENARIUS quomodo dicatur, qui pro stipendio præbendæ multa bona facit? Ibidem.

METUS cadens in virum constantem, quis? XII, 4.

In MINISTRIS Ecclesiæ sex consideranda. XIX, 13.
MINISTRI Ecclesiæ quomodo debeant assumi? XII, 43.
In MINISTRIS Ecclesiæ recta intentio requiritur in suis functionibus, quæ consistit in quinque. Ibid.

MINUTA, quid? Item, mystice quid minuta duo? XXI, 2.

MISERICORDIÆ ostium aliquando est clausum, aliquando perpetuis repagulis obfirmatum. XI, 7.
MISERICORDIÆ tempus neglectum non invenitur in ultima ægritudine. Ibid.
MISERICORDIA ut sit ordinata, tria habere debet, et quæ? XVI, 6.

In MISSA cur Sacerdos elevando vocem et tundendo pectus dicat: « Nobis quoque peccatoribus? » XXIII, 48.
In MISSA Sylvester præcepit corpus Christi in linteo mundo poni, et cur? XXIII, 53.
In MISSA præces additæ originem habent ex Christi facto. XXII, 19.
In MISSA cur Episcopus dicat: « Pax vobis? » XXIV, 36.

MISSIO prædicatorum duplex, quædam ad Judæos, quædam ad gentiles : in prima nihil habentes missi, in secunda jubentur sibi de omnibus providere. XXII, 35 et 36.

MITTERE prædicatores, magna Dei misericordia. X, 2.
Ut MITTANTUR prædicatores, Deus vult rogari. Ibid.
Ad MITTENTEM reverti debent missi, et malum est signum quando non revertuntur. X, 17.

MNÆ decem lucratæ, quid? XIX, 16.
MNÆ decem lucratæ, dantur æternitas, potestas, divitiæ, quæ decem generibus comprehenduntur, et gloria. XIX, 17.
MNÆ quinque datæ fideli servo secundo, quid?
MNÆ quinque lucratæ, quid? Ibid.
MNA una est bonum monasticum in tribus partibus animæ super quatuor passiones ordinatio: mnam in sudario reponens est is qui nulli prodest. XIX, 20.
MNA una aufertur quando dona monastica pereunt vel minuuntur. XIX, 24.
MNA pigri datur habenti decem mnas, non eadem numero, sed specie : quia beati de malorum bonis gaudebunt. Ibid.
MNAS decem primus servus habet, id est, mnam unam ex decem drachmis compositam. XIX, 25.
MNA aufertur ab eo qui non utitur in bonum proximi gratiis sibi datis. XIX, 26.

Cum MOLA asinaria in collo submersio, proprium supplicium parricidarum. XVII, 2.
MOLERE, vile et servile ministerium. XVII, 35.

Mors Christi acerbissima ob tria. XXIII, 46.
Mors felix quam Dominus facit dispensando. XVI, 22.
Ob mortem non est abstinendum ab opere divino. XIII, 31.

Mulier est Dei sapientia vel Ecclesia. XV, 8.
Mulier quasi mollis ad pietatem. X, 38.
Mulieres cur ad sepulcrum venerint cum aromatibus? XXIV, 1.
Aromata et unguenta mulierum, mystice quid? Ibid.
Mulierum harum verecundia laudatur. XXIV, 5.
Cur per mulieres Christus resurrectionem suam Apostolis nuntiari voluerit? XXIV, 9.

Mundi lucris deditus ad intima spiritus non pertingit. XV, 25.

Munditiæ interiori potissimum studendum est. XI, 39.
Munditia acquiritur per abjectionem immundorum, id est, injuste acquisiti et superflui. Ibid.

Murmur est detractio quæ in aure susurratur. XV, 2.

Mysteria fidei sunt abscondita propter defectum intellectus nostri. X, 21.

N

Naboth vinea ob quam occisus Achab et Jezabel explicantur mystice. XX, 14.

Necessaria ad vitam Deo offerre laudatur. XXI, 3 et 4.
Necessitas quæ facit virtutem, laudatur a Seneca et Augustino. XV, 30.

Nocte orandum, die prædicandum. XXI, 37.

Noe *dies* qui, et cur sic dicti? XVII, 26.

Nomen suum sacri historici cum de se loquuntur, ob humilitatem supprimunt. XXIV, 13.
Nomen *Jesus* mel in ore, melos in aure, et jubilus in corde. *Bernardus.* XXIV, 36.
Nomina scribuntur in libro vitæ duobus modis. X, 20.
Nomen divinum sanctificatur in nobis sex modis. XI, 2.
Nomen divinum emundatur et polluitur a nobis. Ibid.
Nomen divinum sanctificatur in nobis per impuritatum separationem Ibid.
Nomen divinum cognoscitur per obscurantium ipsum manifestationem. Ibid.
Nomen divinum sanctificatur per opera miraculosa. Ibid.
Nomen Dei Filii quando describitur in nobis? Quando nomen cœlestis civitatis? Et quando nomen novum? Ibid.

NOMEN divinum sanctificatur per memoriæ impressionem. XI, 2.
NOMINIS divini sanctificationum modi sex, et eorum causa. Ibid.
NOMEN a notamine dicitur : et quomodo nomen divinum notatur in nobis? Ibid.
NOMEN divinum quamvis sit multiplex, tamen quintuplex est secundum relationem deitatis ad nos. Ibid.
NOMEN *Deus*, quatuor operatur in nobis, et secundum hæc quadrupliciter nominatur. Ibidem.
NOMEN proprium Dei est, *Qui est*, et a tribus perficitur, scilicet veritate entitatis, identitate, et firmitate : et quomodo hoc nomen in nobis sanctificatur, et quomodo non? Ibid.
NOMEN *Jesus*, quomodo in nobis sanctificatur, et quomodo non? Ibid.
NOMEN *Christus*, quomodo participatur a nobis, et quomodo Pater in nos illud transfundit? Ibid.
NOMINA Dei ex Patre in nos derivata sanctificantur quatuor modis. Ibid.
NOMEN suum quidam quasi sanctum celebrant. Ibid.
NOMINA alia Dei sunt *Ia*, *Sadai*, *Eloim*, *Adonai*. Ibid.

NOTITIA Dei duplex, simplicis visionis, et beneplaciti. XIII, 25.

NOVISSIMI et primi quinam sint, recte explicatur. XIII, 30.

NUDUS pependit Christus in cruce : ejus figuræ et ratio. XXIII, 34.

NUMISMA census, quid? XX, 24.

NUMMULARII, qui? XIX, 45.

NUPTIÆ ad quas Deus invitat, sunt quintuplices. XIV, 8.

O

OBDURATIONIS causæ quæ potissimæ sint? XVI, 1.

OCULI in terram demissi, decent verecundiam mulierum. XXIV, 5.
OCULORUM tentio quæ fuit in discipulis in via ne Christum agnoscerent, quid fuerit? XXIV, 16.
OCULUS figura intellectus. X, 23.
OCULORUM actus, mystice qui? Ibid.
OCULUS ex quibus componitur? XI, 34.
OCULI duo, scilicet cognitio veri, et boni practici. Ibid.
OCULUS simplex, quando? et quis nequam? Ibidem.

ODIUM amicorum quomodo præcipiatur? XIV, 26.

OFFICIA ecclesiastica dignis sunt conferenda. XI, 43.

OLEUM septem suis proprietatibus designat tres dotes animæ et quatuor corporis gloriosi. XXII, 39.

OMISSIO triplex, obedientiæ, temporis, et

gratiæ concessæ, et quomodo fiant? XI, 4.
OMISSUM per quod debitores efficimur proximorum. Ibid.

OMNES vocat Christus, etiam rusticos, id est, enormes peccatores. X, 2.

OPERA bona necessaria ad salutem. X, 25.
OPERARII a mercenariis quomodo differant, et unde dicti? X, 2.
OPUS militiæ Christianæ duplex, spirituale, et corporale. X, 24.
OPUS tribus perficitur. XV, 4.

ORANTES aliquando audit Deus et respondet, sed non exaudit : aliquando audit, et respondet, sed exauditionem differt : aliquando statim exaudit : aliquando exaudit desiderium ante clamorem. XI, 7.
ORANDUM perseveranter. XI, 8.
ORANDUM pie, et pro se, et donum virtutis ad meritum est petendum. XI, 9.
ORANS pro alio aliquando exauditur, et Sancti semper pro se exaudiuntur. Ibid.
ORARE quare inducitur Dominus statim post historiam Marthæ et Mariæ? XI, 1.
ORANDI exemplum Christus dedit. Ibid.
Ad ORANDUM duo exiguntur, cordis in unum collectio, et disciplinæ ad mentem revocatio. Ibid.
ORATIONIS diffinitio, modus, virtus, et modus corporis in oratione. Ibid.
ORATIO prodest ad removenda mala et adipiscenda bona animæ et corporis. Ibid.
ORATIONIS Dominicæ divisio. XI, 2.
ORATIONIS Dominicæ petitio prima est boni divini. Ibid.
In ORATIONE requiruntur tria, perseverantia, humilitas, et simplicitas. XVIII, 1.
ORARE *semper* quomodo debeat intelligi? *Nota.* Ibid.
ORATIONIS triplex diffinitio. XVIII, 10.
In ORATIONE multiloquium quomodo cavendum? XVIII, 11.
ORARE apud se, quid sit? Ibid.
ORATIO Pharisæi culpabilis in quatuor : in principio, progressu, fine, et in eo quod subintelligur. Ibid.
ORATIONIS conditiones quatuor, quas Christus exemplo suo docuit. XXII, 41.
ORATIO Christi : *Transfer calicem*, etc., quomodo intelligenda? XXII, 42.
ORATIO hæc rationis fuit, non sensualitatis. Ibidem.

ORDINES septem cum Episcopatu sunt octo gradus Ezechiel. XL, 37, quibus ad templum ascenditur. X, 1.

Ab ORIENTE et Occidente et Aquilone et Austro venire in regum Dei, quid sit? XIII, 29.

OSTIUM quod claudet paterfamilias cum intraverit, quotuplex? XIII, 25.
OSTIUM illud quoties claudatur? Ibid.

OVIS inventa est quando a periculo erroris salvata est. XV, 6.
OVIS proprietates, simplicitas, innocentia et utilitas. XV, 4.
OVES centum significant perfectionem absolutam. Ibid.
OVES nonaginta novem sunt Angeli beati et omnes boni : quia numerus nonaginta novem significat omnes modos perfectionis. *Nota.* Ibid.
OVES centum sunt perfecta ovium possessio. Ibidem.
OVES referuntur ad simplicitatem ut sint sine plica mali. Ibid.
OVIS una perdita est genus humanum. Ibid.

accommodari ab amico Deo Patre. XI, 3.

PANEM Deus dat, et non accommodat. XI, 7.

P

PANES tres, discretio morum, eligibilium, perfectio amoris. XI, 5.

PALLIUM justitiæ, decoris, honestatis. XV, 1.

PALPABILITATE corporis sui ostendit Christus veritatem resurrectionis suæ. XXIV, 39.

PANEM accipere, frangere, et porrigere ad Christi exemplum in hospitio, mystice quid ? XXIV, 30.

PANEM cur Christus in manus acceperit tres rationes. XXII, 19.

PANIS triticeus solus est materia Eucharistiæ. Ibidem.

Cur ita Christus instituerit ? Ibid.

PANEM *nostrum quotidianum*, etc. In hac petitione notantur sex. XI, 3.

PANEM *nostrum*, per ly *nostrum* tria intelliguntur. Ibid.

PANIS noster quotidianus quis ? Ibid.

PANIS quare cor hominis confirmet ? Et panis de frumento solus dicitur simpliciter talis. Ibidem.

PANEM petens petit omnia, quæ sunt ad vitam necessaria. Ibid.

PANEM sancti cum magno timore manducaverunt. Ibid.

PANIS quem Lucas dicit *quotidianum*, Matthæus dicit *supersubstantialem*. Ibid.

PANIS ultra necessitatem reservatus putrescit, et putredo in vermes conversa mordebit corpora et animas. Ibid.

PANES spirituales tres sunt quotidie necessarii, scilicet intellectus, affectus, et sacramenti : hi sunt tres panes quos petimus

PARABOLA sæpe veritatem continet. XVIII, 9.

PARABOLA centum ovium inducitur contra Pharisæorum crudelitatem. XV, 4.

PARABOLA de decem drachmis inducitur contra negligentiam Scribarum et Pharisæorum. XV, 8.

PARABOLA de filio prodigo inducitur contra avaritiam Pharisæorum et Scribarum. Ibidem.

PARABOLA de muliere habente decem drachmas, est de inventione et restitutione primæ imaginis in homine. Ibid.

PARABOLA de filio prodigo ostendit quam benigne peccator rediens est suscipiendus. XV, 11.

PARABOLIS instruere homines eorum naturæ accommodatur. XIII, 18.

PARADISI acceptio quotuplex ? XXIII, 43.

In PARASCEVE cur triplex fiat adoratio crucifixi, et postea publice crux omnibus adoranda proponatur ? XXIII, 36.

PARENTES debent thesaurizare filiis. XV,12.

PARVULIS non parvis fit revelatio. X, 21.

PARVULI Christo afferri soliti. XVIII, 15.

PARVULI habiliores ad receptionem Dei, perspicaciores ad notitiam sapientiæ Dei, et ad revelationes magis idonei. XVIII, 16.

PARVULI veraces sunt et injuriæ immemores. XVIII, 16.
PARVULOS a Christo arcentes increpat Christus discipulos. Ibid.

PASCHA septem modis accipitur. XXII, 1.
PASCHA manducare in Christo, quid? XXII, 15.

PASSIONIS Christi mysterium discipuli cur non intellexerint? XVIII, 34.
PASSIO Christi omnes movet ad compassionem. XIX, 4.

PASTOR summus possidet centum oves. XV, 4.

PATER æternus est talis respectu filii et hominum, non autem aliarum rerum. X, 21.
PATER est nomen fontis naturæ, et nomen affectus. XI, 2.
PATREM Deum esse egregie ostenditur. Ibid.
PATER est qui aliquid habet in alio. Ibid.
PATER Deus est per creationem, per assimilationem, et per adeptionem. Ibid.
PATREM Deum nominare non potest inglorius homo. Ibid.
PATER hic omne ad nos ostendit jus, et bonitatem patris. Ibid.
PATER ad filium est nomen honoris, et reverentiæ, et fiduciæ. Ibid.
PATER cœlestis dat unicuique homini liberam voluntem. XV, 12.
PATER potest facere servum filium domus. XV, 19.

PATIENTIA, charitas, et humilitas, quam diversis modis dicantur radix et custos omnium virtutum? XXI, 19.

PAUCITAS salvandorum. XIII, 23.
Quæ probatur ex quinque. XIII, 24.

PAUPERIBUS etiam interdum delicata danda. XIV, 13.
PAUPERES qui? Ibid.
PAUPERTATIS consilium. XVIII, 22.
PAUPERIBUS quibus et quomodo danda eleemosyna? XVIII, 22.
PAUPERTATIS religiosæ præmia hic et in alia vita. XVIII, 29 et 30.
PAUPERTAS primis Ecclesiæ prædicatoribus consulitur. XII, 53.

PAX cœlestis, quæ, et quomodo in terram descendat? Pacem Christus non habuit, quam tamen mundo attulit. XIV, 38.
PAX bonorum et malorum quomodo differant? XII, 51.
PAX duplex, bona et mala: illa sextuplex, hæc triplex. XXIV, 36.
PAX, quid, et quibus prosit? X, 5.
PACIS filii qui? X, 6.
PAX, quomodo et super quos requiescat? Ibidem.
PAX optata indignis revertitur ad prædicatores. Ibid.

PECCATA venialia in inferno ratione mortalis adjuncti punientur in æternum. XII, 59.
PECCATA septem capitalia falsa specie virtutis induta sunt septem spiritus nequiores. XI, 26.
PECCATORES recipit Deus tribus. XV, 2.
PECCATUM est materia flammæ infernalis. XVI, 24.
PECCATA electorum Deus hic punit. XVI, 25.
PECCATUR in proximum duobus modis. XVII, 3.
PECCATOREM quam benigne, magnifice et large Deus suscipiat. XV, 11.

PECCATORIS conversionem operatur Deus. XV, 2.
PECCATUM irremissibile. XII, 10.
PECCATA sunt debita : debitores sumus Deo ex omisso, et commisso. XI, 4.
PECCATIS singulis pœnæ proportionatæ in inferno. XIII, 28.
PECCATORES sunt, qui sine injuria alterius habent deformes actus. XV, 2.
PECCATORES recipit Christus larga benignitate, dulcissima charitate, et gratissimo sinu misericordiæ. Ibid.
PECCATORES magni in pœnitentia frequenter devotiores sunt quam tepidi justi. XV, 29.
PECCATRIX appropinquavit, quando stetit retrorsum circa pedes. XV, 1.
PECCATUM redundat in verecundiam sanctorum qui *cœlum* vocantur. XV, 18.
PECCATUM etsi aliquid delectationis habeat, hoc ipsum non nutrit, sed convertitur in tormentum et venenum. XV, 17.
PECCATORIS tunsio, unde, et quid significet? XXIII, 48.
PECCATORIS tunsio, quid moraliter et mystice? XVIII, 13.

PECUNIA et pecora quomodo dicantur conjuncta? XV, 14.

PEDES duo, quomodo calceamentis minuantur? XV, 22.
PEDES Christi, quinam et quales? XXIV, 39.
PEDES Christi mystici, misericordia et veritas. Ibid.

PERCUTITUR proximus tripliciter, verbo, verbere, et malo exemplo. XII, 45.

PEREGRINI proprietates. XXIV, 18.
PEREGRINATIO hominis a Deo in quo consistat? XV, 13.

PERFECTIONIS altitudo duplex : una in contemplatione, alia in actione consistens. XIV, 28.
PERFECTIONIS beatitudo non est tantum patriæ, sed etiam viæ. XI, 9.
PERFECTIONIS consilium quod in paupertate consistit, a Christo datur. XVIII, 22.

PERSECUTIO duplex ante Christi adventum, Hierosolymitana, et Antichristi. XVII, 22.

PERTINACIA hæc iniquæ voluntatis est, et præcipue in damnatis : ut peccandi peccator habeat desiderium, etc. *Bernardus.* XV, 16.

PESTILENTIA unde oriatur? Pestilentia sunt mala exempla. XXI, 11.

PETITIO, *Libera nos a malo*, addita a Matthæo, quare non ponatur explicite a Luca? XI, 4.
PETITIO est molesta quatuor modis. XI, 7.
PETIBILIUM omne genus exponitur. XI, 11.
PETITIO secunda, *Adveniat regnum tuum*, tria continet petenda. XI, 2.
PETITIONUM de amotione mali divisio, et sufficientia. XI, 4.
In PETITIONE, *Dimitte nobis debita nostra*, quatuor notantur. Ibid.
PETERE suppliciter, quid? Ibid.

PETRUM respexit Christus non corporaliter, sed spiritualiter. XXII, 61.
PETRUS ter Christum negavit, semel in domo Annæ, bis in domo Caiphæ. XXII, 54. et seq.

PETRUS ad galli cantum conversus designat peccatores conversos ad vocem prædicatoris. XXII, 60.
PETRO quando apparuerit Christus? XXIV, 12.
PETRUS activam vitam significat, Joannes contemplativam, cur hi duo electi ad parandum pascha? XXII, 8.
PETRI et successorum fides finaliter non deficiet. XXII, 32.
PETRUM cur labi Deus permiserit? Ibid.
PETRUS an Christo revelanti peccatum crediderit? XXII, 34.
PETRO cur Christus peccatum revelaverit? Ibidem.
PETRUS an in pristinam dignitatem restitutus sit per pœnitentiam? Ibid.
PETRI zelus, sed non factum in horto commendatur. XXII, 49.
PETRO cur ter dicatur: *Pasce*? XII, 42.

PHARISÆI et publicani discrepans ascensus in templum. XVIII, 10.
Discrepans oratio. XVIII, 11.
Discrepans finis. XVIII, 14.
PHARISÆI oratio plena falsitatibus. XVIII, 11.
PHARISÆUS bestiæ similis. Ibid.

PIETATEM Dei describit Apostolus. XV, 1.

PILATUS in monte Garisim cur multos interfecerit? XIII, 1.
PILATUS et Herodes cur fuerint inimici? Ibidem.
PILATUS quinque media adhibuit ad liberandum Christum. XXIII, 22.

PISCINA comestio Christo et Apostolis familiaris. XXIV, 42.
Conducit ad castitatem. Ibid.
PISCIS mystice quid significet? XXIV, 42.
PISCIS assus est Christus passus? Ibid.
PISCIS assi partem Christum comedisse quid significet? Ibid.
PISCIS est nutrimentum frigidum, et fidem formatam significat. XI, 11.

PLORANT Angeli pacis quando aliquis sanctus pervertitur. XV, 7.

PLUS potest esse nomen et adverbium. XXI, 3.

PLUVIÆ signum quod? XII, 54.

PÆNA duplex, damni et sensus. XIX, 26.
PŒNA inferni duplex, damni et sensus. XIII, 27.
PŒNA non recipientium Evangelium cur major sit pœna Sodomitarum? X, 12.

PŒNITENTIAM condignam agere est valde difficile. XV, 7.
PŒNITENTIÆ tempus abbreviat Deus cum videt se frustra exspectare. XVII, 27.
PŒNITENTIA perfecta rara. XV, 7.

POLYGAMIA ex parte mulieris aliquando concessa, ex parte viri numquam. XXI, 31.

PORCUS luxuriam, et avaritiam, et gulam significat. XV, 15.
PORCUS dictus quasi spurcus vel spurius, et est quasi monstrum in natura. Ibid.
PORCUS secundum legem est animal immundum, et quare? Ibid.
PORCI sunt dæmones qui spurcitiis delectantur. Ibid.

PORCORUM proprietates plures, et quid significent? XV, 15.

PORRO *unum est necessarium*, duos habet sensus. X, 42.

PORTA angusta triplex, Ecclesiæ, gratiæ, et gloriæ. XIII, 24.

PORTARUNT Christum multi, singulariter Virgo et crux, et ideo singulariter coluntur. XI, 27.

PORTARE Christum, mystice quid? Ibid.

PORTIO quam accepit filius prodigus a patre est bonum naturale. XV, 12.

PORTIO quam filius a Patre, id est, a Deo petit, quæ sit? Ibid.

POTENTIAM faciendi non esse in se, sed in Patre recognoscit Filius. XV, 19.

POTESTAS Christi unde esset, ob tres causas æmulos docere noluit. XX, 8.

POTESTAS et bonum omne a Deo. X, 19.

POTESTATE abuti, quid? Ibid.

POTESTAS et potentia in quo differant? Ibidem.

POTESTATE utendi modus. Ibid.

In POTESTATE non est gaudendum. X, 20.

PRÆCINCTIO Christi ad adventum, quid? XII, 37.

PRÆDICATORES gallis comparati. XXII, 60.

PRÆDICATIONIS officium quibus committendum? XI, 33.

PRÆDICANDUM Evangelium gratis. XI, 33.

PRÆDICATORES omnes significantur per servum invitantem ad nuptias. XIV, 17.

PRÆDICATORES debent mitti. X, 1.

PRÆDICATORES missi debent esse sicut agni. X, 3.

PRÆDICATORES non debent inhiare lucro, X, 4.

PRÆDICATORES victum sibi competentem possunt exigere. Ibid.

PRÆDICATORES debent pacem suis hospitibus precari. X, 5.

PRÆDICATORES pacem annuntiantes similes columbæ. X, 6.

PRÆDICATORES non debent discurrere per domos. X, 7,

PRÆDICATORI jure debetur merces. Ibid.

PRÆDICATOR debet esse contentus facultatibus hospitis, infirmus tamen potest petere alia quam sanus. Ibid.

PRÆDICATORIS merces duplex. Ibid.

PRÆDICATOR potest aliam domum adire, cum una non sufficit. Ibid.

PRÆDICATORES aliquando laboraverunt, ne gravarent hospites. Ibid.

PRÆDICATORIBUS jubetur, ut primo intrent civitates. X, 8.

PRÆDICATORES quomodo recipiantur? Ibid.

PRÆDICATORES cibo apposito contenti esse debent. Ibid.

PRÆDICATOR debet prius in hospitio infirmitates animi curare. X. 9.

PRÆDICATORES pulverem pedum excutiant, cum non recipiuntur. X, 10 et 11.

PRÆLATI mali et indocti, terribilia et austera continuo minantes, causant famem et terrores de cœlo. XXI, 11.

PRÆLATIO Ecclesiæ qualis modo sit? XXII, 26.

PRÆLATIS competunt tria, illuminare, incendere, perfecte operari. XII, 35.

PRÆLATIS præ omnibus vigilare competit. XII, 36.

PRÆLATORUM potissimum officium est arare, et boves pascere. XVII, 7.
PRÆLATI Ecclesiæ interdum sunt lupi. X, 3.
In PRÆLATOS eligendi viri spirituales, etsi simplices in temporalibus. XXI, 33.
PRÆLATI Ecclesiæ sæpe valde steriles. Ibid.

In PRESBYTERIS primo requiritur sanctitas. X, 1.

PRÆSUMENTES de propria justitia, nesciunt sacramenta Dei in gaudiis cordium. XV, 26.
PRÆSUMPTA justitia compassionem non habet, sed indignationem. XV, 28.
PRÆSUMPTA justitia non reputat se offendisse nisi magna committat scelera. XV, 29.

PRINCEPS, Lucæ XVIII, 18, Christum interrogans, an bona fide processerit? XVIII, 18.

PROVIDENTIA divina prædiffinivit res omnes, et circumstantias futuras, et quo tempore. XI, 1.
PROVIDENTIÆ labor exercendus. XII, 24.
PROVIDENTIA Dei erga ministros Veteris et Novi Testamenti. Ibid.
PROVIDENTIA numquam deficit in necessariis subministrandis, et si deficeret, quare? Ibidem.
PROVIDENTIA et cura quam habet Deus de minimis rebus justorum. XII, 6.

PROXIMUS quot modis dicatur? X, 27.
PROXIMI nomine tenus nonnulli. X, 36.

PSALTERIUM Christi sunt centum quinquaginta versus psalmorum a Psalmo XXI, 2 ad Psalmum XXXI, 6. XXIII, 46.

PSEUDO-CHRISTI multi ante excidium Hierosolymitanum. XXI, 8.

PUBLICANI oratio commendatur a pluribus. XVIII, 13.
PUBLICANUS quis? XVIII, 10.
PUBLICANI dupliciter peccant contra justitiam. XIX, 8.

PULSANTIBUS ad ostium et dicentibus: *Domine, aperi nobis*, cur dicatur: *Nescio vos.* XIII, 25.
PULSANDO ad ostium quomodo illud nobis aperitur? XI, 9.

PURPURA et byssus, quid? Item, mystice quid? XVI, 19.

Q

QUÆSTIONIS propositæ a legisperito, Luc. X, 25, sensus. X, 25.

QUÆRENDUM est diligenter, et sapienter, et cum humili intellectu, et cum pietate. XI, 9.
QUÆRENDUS Deus quomodo? XIX, 3.
QUÆRIT Deus homines quatuor modis. XIX, 10.

R

Radix juniperorum conservat ignem præ omnibus lignis. XV, 16.

Recedere a Deo quid sit? XIII, 27.

Reficitur Dominus in bonis pœnitentium. XV, 2.

Refectio spiritualis et exterior quænam sit? XVII, 1.

Regis est ad bellum procedere, sed non omnis. XIV, 31.

Regnum Christi duplex, temporale et spirituale : hoc putabant Pharisæi Christum inchoaturum cum iret in Jerusalem, cujus error excluditur a Christo, Luc. XVII, 20 et seq. XVII, 20.

Regnum spirituale Christi formaliter consistit in scientia, virtute et actibus justitiæ, materialiter in Sanctis. XVII, 21.

Regnum illud est universale per totum mundum. Ibid.

Regnum cœlorum quatuor modis acquiritur. XVI, 16.

Regnum cœlorum triplex, scilicet Christus, vita æterna, et Scriptura. X, 9,

Et singula horum quatuor modis, scilicet, effective, materialiter, formaliter, et finaliter. Ibid.

Appropinquat quadrupliciter. Ibid.

Regni virtus consistit in tribus, et opus ejus in tribus. XI, 2.

Regnum *tuum*, ly *tuum* tria continet. Ibid.

Regni divisio disponit ad ejus destructionem, sicut ejus unio est causa conservationis. XI, 17.

Regnum, quid? Ibid.

Regnum diaboli non est proprie regnum. XI, 18.

Rei ut plurimum plectebantur extra civitatem. XXIII, 32.

Remittere offensam proximo quandonam debeam? XVII, 4.

Renuntiare et *relinquere*, quomodo distinguantur? XIV, 33.

Reprobationis demerita quæ potissima sint? XVI, 1.

Resurrectio integra corporis asseritur. XXI, 18.

Resurrectionis veritatem Christus demonstravit triplici sensui et rationi. XXIV, 38 et seq.

Resurrectio mortuorum demonstratur a Christo, cujus demonstratio fundatur super tres propositiones. XX, 37.

S

Sabbatum ad quietem activorum. XIII, 14.

Sacerdotis officium est curare infirmos. X, 31.

SACERDOTIUM veteris legis non potuit curare. X, 31.

SAGINA quid denotet? XV, 30.

SALIS utilitas, infatuatio, inutilitas præ omnibus, et hæc mystice declarantur. XIV, 54.

SALUTATIO qualis prohibeatur prædicatoribus? X, 4.

In SAMARIA et Galilæa quare Christus miracula fecerit, et eodem discipulos miserit? XVII, 11.

SAMARITANI commendantur a duobus. XVII, 16.

SAMARITANUS *custos* interpretatur. X, 33.

SAMARITANI septem beneficia ad litteram et mystice. Ibid.

SAMARITANUS uno die mansit apud semivivum, et cur? X, 35.

SAMARITANI Christi altera dies quæ? Ibid.

SANAT Christus infirmam visione, vocatione, allocutione, et manus impositione. XIII, 13.

SANGUINEM Christus quinquies effudit ad quinque fructus nostros. XXII, 44.

SAMSON cum portis Gazæ figura Christi resurgentis. XXIV, 1.

SAPIENTIA, quid? X, 39.

Quid vera et falsa SAPIENTIA et prudentia? X, 21.

SATA tria farinæ, mystice quid? XIII, 21.

SATANAS incepit in Judam intrare in Bethania, et in cœna cum tota malitia introivit. XXII, 3.

SCANDALUM, quid? Duplex est, activum et passivum : activum iterum duplex, passivum triplex, et quid hæc? XVII, 1.

SCANDALUM aliud datum, aliud acceptum. Ibidem.

Ob SCANDALUM vitandum dimittenda sunt licita, quæ non sunt de veritate vitæ, doctrinæ et judicii. XVII, 2.

SCRIBARUM ambitio et avaritia carpuntur. XX, 46.

SCRIBARUM peccata ob quatuor causas gravius punientur. XX, 47.

SEMEN viri licet aliquando non sit efficax ad generationem, tamen est efficax ad matricis alterationem : unde filius secundi viri sæpe est similior priori. XX, 28.

SEPULCRI Christi descriptio. XXIII, 53.

SEPULCRORUM ædificatio non reprehenditur, sed intentio. XI, 48.

AD SEPULCRUM cur mulieres venerint cum aromatibus? XXIV, 1.

Aromata hæc virtutum odores significant. Ibidem.

Ad SEPULCRUM ire spiritualiter, est a tumultibus mundi Deum quærere in secreto conscientiæ. Ibid.

Ad SEPULCRUM veniendum cum tribus un-

guentis spiritualibus, compunctionis, devotionis, et gratiarum actionis, repræsentatis per unguentum Magdalenæ, Luc. VII, 37, Joan. XII, 3, et Nicodemi, Joan. XIX, 39. XXIV, 3.

SEPULTURÆ officium Christo exhibitum commendatur. XXIII, 53 et 54.

SEPTIES quomodo peccatur in fratrem? XVII, 4.

SEPTUAGINTA duo discipuli : ratio numeri duplex. X, 1.

SEPTUAGINTA duo cur bini mittantur, tres rationes. Ibid.

SEPTUAGINTA duos quare misit Christus ante faciem suam? Ibid.

SEQUELA Christi consistit in tribus. XVIII, 22.

SECUTI Christum Apostoli quatuor modis. XVIII, 28.

SERAPHIM duorum alæ sex. XII, 49.

SERPENS exaltatus in palo salvans a morsibus venenatorum, est prudentia spiritus exaltata in palo crucis sanans a morsu prudentiæ animalis. XIV, 27.

SERVILIA opera quænam sint? XIII, 14.

SERVUS fidelis citatus a Domino computationem suam ante præparaverat quadrupliciter, et ideo confidenter accessit dominum. XIX, 16.

SERVUM potest facere filium domus pater. XV, 19.

SILIQUA, naturaliter mystice quid? XV, 16.

SIGNA quinque benignitatis patris in suscipiendo filium prodigum. XV, 20.

SIGNA quandonam licite quærantur a Deo? XI, 29.

SIGNUM triplex, scilicet humilitatis, munditiæ, et infirmitatis. Ibid.

SIGNUM in Scripturis, quid? XXI, 11.

SIGNA in sole, luna et stellis, quænam sint futura ante judicium? Eadem mystice declarantur in clericis, laicis, religiosis. XXI, 25.

SIMONIÆ vitium reprehenditur. XII, 42.

SIMONIACI repræsentantur per vendentes columbas in templo. XIX, 45.

SIMONIÆ vitium plus est in Ecclesia quam in synagoga. Ibid.

SIMON crucem portans post Christum significat gentiles passionis fructum habituros ante Judæos. XXIII, 26.

SIMON angariatus significat eos qui in vita cum murmure patiuntur. Ibid.

SIMPLICES plura vident in Scriptura quam multi doctores et prædicatores. X, 24.

SINAPIS granum describitur, et ejus proprietas fidei applicatur. XIII, 19.

Sinus Abrahæ quis? XVI, 22
Sinus diaboli qui et quot? Ibid.
Sinus Abrahæ quomodo in tenebris? Ibid.

Sodomiticum peccatum exaggeratur a quatuor. XVII, 29.
Cur igne et sulphure punitum? Ibid.

Sol causa generationis et corruptionis. XXI, 25.

Sollicitudo multiplex: improba et suffocans, quæ in quinque invenitur, non improba quæ etiam habet quinque modos, miserabilis quæ tres habet præcipuos, optima quæ habet quatuor. XII, 22.
Sollicitudo quæ est profectus ad bonum, est duplex, ad bonum in affectu, et ad bonum in intellectu. Ibid.
Sollicitudinis partes quæ? XII, 26.
Sollicitudo mediocris bonorum temporalium adhibenda. XII, 31.

Spiritus sanctus datur dupliciter, ad gratiam sanctificantem, et ad gratias gratis datas. XII, 12.
Spiritus sanctus non excluditur per ly, *Nemo novit Patrem*. X, 22.
Spiritus sanctus procedit a Filio. XXIV, 49.
De spiritu adoptionis multa. XI, 2.
Spiritu hoc moventur animalia Dei sequentia spiritum. Ibid.
Spiritus Patris dat cognitionem per intellectum et affectionem per charitatem. Ibidem.
Spiritus docet postulare, et in Spiritu petendum est, et Spiritus datur petentibus. Ibidem.
Spiritu quem Pater in nobis habet, dat nobis vitam, motum, cognitionem, et affectionem filiorum. Ibid.

Stabularius, quid mystice? X, 35.

Stadium, quid? XXIV, 13.

Status hominis proficientis ad virtutem quadruplex. XII, 35.
Status omnis comprehenditur sub triplici binario jacentium in lecto, molentium, et in agro laborantium. XVII, 34 et 35.
Ex statu omni aliqui electi, aliqui damnati. Ibidem.
Status triplex significatur per Noe, Danielem, et Job. Ibid.
Status matrimonialis, item religionis significatur per duos in lecto. Ibid.
Status servorum et ancillarum per molentes. Ibidem.

Stellæ figurant corpora: quomodo cadent de cœlo? XXI, 25.
Idem, Declaratur mystice in religiosis. Ibidem.

Stetit Jesus discipulis apparens, quare? XXIV, 36.

Stylo *hominis scribere*, quid sit? XV, 4.

Succingi, accingi, præcingi in re sunt idem. XII, 35.

Superbia retunditur ex quatuor capitibus. XVIII, 9.
Superbiæ quatuor species. Ibid.
Superbi *collosi* sive *cervicosi* dicuntur. XV, 20.

SUPEREROGATIO quadruplex, in sermone, potestate, opere, et debito. X, 35.

SUPERFLUUM duplex, naturæ et personæ, et quid utrumque? XI, 21.

SUXISTI et non comedisti dixit mulier, quare? XI, 27.

SYCOMORU, naturaliter et mystice quid? XIX, 4.
Significat item crucem. Ibid.

T

TALENTA multa et magna qui recepit, et cui plura sunt commissa, strictiorem rationem reddere debebit. XII, 48.

A TECTO descendere in domum, mystice quid? XVII, 31.

TEMPLI ornatus commendatur. XXI, 5.
TEMPLI Jerosolymitani excidium. Ibid.
TEMPLUM unde dictum et ad quæ nos excitet? *Nota.* XVIII, 10.
TEMPLORUM veneratio probatur. XIX, 45.
In TEMPLO vendentes erant de familia sacerdotum. Ibid.
E TEMPLO bis Christus ejecit vendentes. Ibidem.
TEMPLUM cur *speluncam* factum dicat Christus? XIX, 46.

TEMPORALIA bona moderate appetere non est malum. XII, 15.
TEMPORALIBUS se immiscere Christus noluit. XII, 14.
TEMPORALIA quomodo pertinent ad judicem spiritualem? Ibid.

TENEBRÆ in morte Christi quales fuerint? XXIII, 44.

TENTARI ultra vires non permittit Deus. X, 19.

TENTATIO, quid? XI, 4.
Tria tanguntur in hac petitione: *Et ne nos inducas in* TENTATIONEM. Ibid.
TENTATIO duplex: interior, et exterior. Ibidem.
TENTATIO ne tangat non petitur, sed ne inducamur. Ibid.
TENTATIO utilis est ad sex. Ibid.
TENTATIONE tangi et non induci, quid? Ibidem.
TENTATIONIS gradus qui? Ibid.
TENTATIO multis modis dicitur. Ibid.
TENTATIO purgat homines. XXIII, 31.

THESAURUS in cœlo, quid? XVIII, 22.

TIMOR mundanus quis? Propter quatuor motiva propellendus est. XII, 4.
TIMENDUS Deus ob tria. XII, 5.
TIMOR Dei et pudor hominum cum absunt, fit homo effrænus ad peccatum. XVIII, 2.

TITULUS triplex, memorialis, præconialis, triumphalis: et omnes titulo Christi competunt. XXIII, 38.

Titulus cur tribus linguis scriptus? XXIII, 38.

Transitus Christi ministrantis servis triplex. XII, 37.

Tres dies Christi quinam? XIII, 32.

Tribulationes cur a Deo immittantur variæ causæ. XIII, 3.
Tribulationes sine Dei providentia non eveniunt. Ibid.

De tributis insidiose proposita quæstio, industrie a Christo solvitur. XX, 24 et 25.

Triticum a ministro Ecclesiæ dispensandum triplex, scilicet sacramenti, verbi Dei, et spiritualis subsidii. XII, 42.

Turba sequebatur Christum, quia plurimi et alii ex aliis motivis Christum sequebantur. XVIII, 36.
Turba impedit accessum ad Christum. XIX, 3.

Turpe lucrum quando restitutioni obnoxium, et quando non? XII, 15.
Quando tale lucrum offerri prohibitum? Ibidem.

Turris Domini in Scripturis multiplex: explicantur singulæ mystice. XIX, 28.

U

Ubera tria habent secundum naturam, scilicet conversionem sanguinis in nutrimentum, nutrimenti abundantiam, et medicamentum infirmitatis: qualiter hæc fuerint in B. Virgine? XI, 27.

V

Velum templi quotuplex, et quid ejus scisio significet? XXIII, 45.

Veniam petenti quando debeam remittere? XVII, 4.

Venit de terra miseriæ filius prodigus. XV, 27.

Venter B. Virginis est locus, pagina, mensura, forma, urna, theca, thesaurus, thalamus, aula regia, vestibulum, hortus conclusus, terra. XI, 27.
Venter concipiens in concupiscentia et corruptione, est in miseria. Ibid.
Venter Virginis beatus, quam beatitudinem colligit ex septem. Ibid.
Ventris fœminei primus actus fœcunditas est. Ibid.
Ventris beatitudo in virtute divina, consistit in ventris actu perfectissimo. Ibid.

VENTER B. Virginis fuit triclinium summæ virtutis, quæ attribuitur toti Trinitati. XI, 27.
In VENTRE B. Virginis sapientia divina columnas septem excidit, et quæ sint ? Ibidem.
VENTRIS fœcunditas B. Virginis ornata floribus, id est, virtutibus. Ibid.
Et miraculis et puritate singulari. Ibid.
Et specialibus privilegiis. Ibid.
Exemplum generationis æternæ, et figura generationis spiritualis. Ibid.

VENUS significata per Dalilam radentem caput Samsonis, septem crines, id est, septem illuminationes ad bonum a capite, id est, a mente tollit. XII, 35.

VERBUM Dei est notitia cum amore secundum Augustinum. X, 39.
VERBUM Dei quatuor facit in anima. Ibid.
VERBUM Dei a *verbero*, et dicitur *malleus*, cujus figura malleus Jahel. Ibid.
VERBUM veritate sua corda nostra sibi obligavit, altitudine ad admirationem perduxit, ad omnia agenda illuminavit. XV, 1.
VERBUM Dei audiendo contrahitur cognatio Dei. XI, 28.
VERBUM quid est ? Ibid.
VERBUM custodire perficitur ex tribus, scilicet amotione contrariorum, adimpletione, et tenaci retentione. Ibid.
VERBUM quid in nobis operatur ? Ibid.
VERBUM Dei audire facit beatum. Ibid.
VERBUM Dei non custodientes damnantur. Ibidem.

VESTIMENTA prostrata in via significant exempla bona, vel corpora martyrio exposita. XIX, 36.
VESTIMENTA sacra unde habeant originem ? XX, 46.
VESTITUS duplex datur : honestatis, et virtutis. XV, 42.
VESTITUS mollis et pretiosus peccatum, est. XVI, 19.
VESTITUS reprehensibilis quinque modis. Ibidem.

In VIA quatuor ducunt et inducunt hominem. XI, 4.

VIDERE Deum quomodo sancti Patres desideraverint ? X, 24.

VIDUA plus obtulit reliquis, quomodo ? XXI, 3.
Ly *plus* potest esse nomen et adverbium. Ibid.
Obtulit ea quæ sibi erant necessaria, quod est laudabile. XXI, 4.
VIDUÆ importunitas extorsit sententiam a judice. XVIII, 5.
VIDUA hæc fidelem animam, et Ecclesiam repræsentat. Ibid.

VIGILARE spiritualiter, quid ? XXI, 36.

VIGILIA, naturaliter et mystice quid ? XII, 37.
VIGILIÆ beatitudo in quo consistat ? Ibid.
VIGILIÆ quatuor, et quæ ? XII, 38.
VIGILIÆ quatuor, ætates quatuor. Ibid.
VIGILIARUM duarum quare tantum meminerit Christus ? Ibid.

VILLA est, in qua terra ad concupiscentias excolitur. XV, 15.

VILLICUS quis ? XVI, 1.
VILLICATIO, mystice quid ? XVI, 2.

VILLICI prudentia commendatur a septem. XVI, 3 et seq.
VILLICUS prælatum significat. XVI, 3 et seq.
Convocat omnes servos simul, quare ? Ibidem.
VILLICI iniquitatis industria quomodo laudetur ? XVI, 8.

VINDICTAM quomodo licet appetere ? XVIII, 7.

VINEÆ requisita mystice explicantur. XX, 9.
VINEÆ comparatur Ecclesia. XIII, 6.
VINO aqua miscetur in missa tanta quanta converti possit a vino, et cur ? XXII, 20.
VINUM felle mixtum quoties biberit Christus, et cur ei datum ? XXIII, 36.

B. VIRGINIS fœcunditas quatuor habet privilegia. XI, 27.

VIRTUS sola verum habet gaudium. XI, 9.
VIRTUTES tres singulariter nos Christo conformant, scilicet humilitas, paupertas, perseverantia. XIV, 7.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Qui in Commentariis

IN SECUNDAM PARTEM LUCÆ EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap.		
XXI, 10.	*Ejice ancillam hanc et filium ejus*, etc.	XI, 14.
XLIX, 27.	*Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.*	X, 3.

EXODI.

XXXII, 31 et 32.	*Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, scilicet de libro vitæ.	X, 20.
XXXIII, 23.	*Videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris.*	X, 24.

DEUTERONOMII.

VIII, 15. *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in quo erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas.* XI, 12.

XXXII, 22. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima : devorabitque terram*, etc. XXI, 6.

JUDICUM.

V, 25. *In phiala principum obtulit butyrum.* XI, 27.

II REGUM.

IV, 5 et 6. Baana et Rechas interfecerunt Isboseth. XII, 37.

XVIII, 23. *Currens ergo Achimaas per viàm compendii transivit Chusi.* XIX, 4.

IV REGUM.

XV, 16. *Percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erant in ea :... noluerant enim*, etc. XXI, 23.

NEHEMIÆ SIVE II ESDRÆ.

IV, 2. *Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris qui combusti sunt ?* XIV, 29.

TOBIÆ.

V, 7 et 8. *Et Tobias dixit ei : Nosti viam quæ ducit in regionem Medorum ? Cui respondit : Novi,* etc. X, 33.

ESTHER.

I, 3. *Rex Assuerus fecit grande convivium,* etc. XIV, 12.
X, 6. *Parvus fons qui crevit in fluvium,* etc. XIX, 5.
II, 18. *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Ibid.

JOB.

I, 14. *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos.* XVII, 7.
XIX, 20. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* XXIII, 49.
XXI, 23. *Iste moritur robustus et sanus, dives et felix,* etc. XIX, 25.

XXIV, 21. *Pavit enim sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* XIX, 24.
XXIX, 17. *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* XIX, 5.
XXX, 3. *Egestate et fame steriles, qui rodebant in solitudine.* XV, 14.
XXXIX, 13. *Penna struthionis similis est pennis herodii et accipitris.* XII, 1.

PSALMORUM.

IV, 8. *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.* XXII, 19.
XVII, 12. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* XXIV, 27.
XXI, 18. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* XXVI, 39.
XXXI, 8. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris.* XVI, 19.
XLIV, 9. *Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis.* XXIV, 1.
XLVII, 14. *Distribuite domus ejus, ut enarratis in progenie altera.* X, 11.
LXVII, 26. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum.* XXIV, 4.
LXVII, 32. *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.* XIV, 4.
LXXII, 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* XV, 13.
LXXV, 4. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* XXIV, 6.
LXXX, 3. *Sumite psalmum, et date tympanum.* X, 7.
LXXX, 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* XII, 42.
CI, 8. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* XII, 36.
CXV, 16. *Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* XII, 37.
CXXI, 3. *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* XXII, 10.

PROVERBIORUM.

IX, 2. *Sapientia immolavit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam suam.* XIV, 16.
XIII, 8. *Redemptio animæ viri divitiæ suæ.* XII, 15.
XXIV, 30 et 31. *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti : et ecce,* etc. XVIII, 19.
XXX, 15 et 16. *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit : Sufficit. Infernus,* etc. XV, 13.
XXX, 19. *Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* XV, 1.

ECCLESIASTÆ.

IX, 4. *Melior est canis vivus leone mortuo.* XVI, 21.
X, 1. *Muscæ morientes perdunt, suavitatem unguenti.* XVIII, 10.

CANTICO

I, 10. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* X, 39.
III, 5. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum,* etc. XXII, 20 et XI, 1.
V, 1. *Comedi favum cum melle meo : bibi vinum meum cum lacte meo.* XXII, 20.
V, 2. *Aperi mihi, soror mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* XII, 36.

V, 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* XXII, 19.
VII, 2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* XI, 27.
VII, 3. *Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* XI, 27.
VII, 4. *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* X, 38.
VIII, 1. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ,* etc.? X, 24.

ECCLESIASTICI.

X, 13. *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes.* XII, 46.
XI, 3. *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius.* XI, 27.
XXXIII, 25. *Cibaria, et virga, et onus asino: panis, et disciplina, et opus servo.* XII, 31.
XLIII, 3 et 4. *In meridiano sol exurit terram,... et refulgens radiis suis obcæcat oculos.* XII, 2.
XLIV, 6. *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes..* XI, 2.
L, 27. *Duas gentes odit anima mea : tertia autem non est gens quam oderim,* etc. XXI, 35.

ISAIÆ.

I, 6. *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata,* etc. X, 30.
I, 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur,* etc. XXIV, 4.
V, 2. *Sepivit eam, circumfodit, et maceriam circumdedit, et turrim ædificavit in medio ejus.* XIII, 6.
VIII, 1. *Scribe in eo stylo hominis.* XV, 4.
VIII, 1. *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.* XI, 27.

VIII, 6. *Eo quod abjecit populus meus iste aquas Siloe, et elegit magis Rasin*, etc. XIX, 14.

IX, 20. *Unusquisque carnem sui brachii vorabit.* XXI, 10.

XI, 8 et 9. *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo.* X, 19.

XII, 13. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* XII, 50.

XIX, 19. *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus juxta terminum ejus.* XIX, 9 et XXIII, 38.

XXV, 4. *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.* XI, 2.

XXV, 6. *Faciet Dominus...in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ*, etc. XIV, 16.

XXXII, 11 et 12. *Accingite lumbos vestros : super ubera plangite*, etc. XXIII, 27.

XXXVII, 30. *In anno tertio seminate et metite.* X, 2.

XL, 11. *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit*, etc. XV, 4.

XL, 12. *Qui appendit tribus digitis molem terræ.* XXI, 11 et XI, 46.

LII, 2. *Excutere de pulvere, consurge, sede, Jerusalem*, etc. X, 39.

LII, 10. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* X, 24.

LIV, 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris.* X, 38.

LIV, 11 et 12. *Fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua.* XIV, 28.

LXII, 10. *Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides*, etc. X, 1.

JEREMIÆ.

V, 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.* XIX, 47.

XLVI, 12. *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* XI, 22.
LI, 50. *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare,* etc. XIV, 17.

THRENORUM.

IV, 2. *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea,* etc. ? XI, 2.

EZECHIELIS.

XVI, 3. *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan : pater tuus Amorrhæus,* etc. XI, 2.
XL, 3. *Funiculus lineus in mane ejus, et calamus,* etc. X, 27.

DANIELIS.

IV, 7 et 8. *Arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Magna arbor et fortis,* etc. XIII, 6.
IV, 9 et 8. *Volucres cœli requieverunt in ramis ejus.* Ibid.
V, 25. *Mane, Thecel, Phares.* XVI, 2 et XII, 46 et XI, 27.
XIV, 26. *Os draconis oppilavit pice, et adipe, et pilis similiter coctis.* XX, 39.

OSEE.

II, 8. *Hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, et vinum, et oleum,* etc. XV, 13.

VI, 8 et 9. *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum.* XIX, 46.

X, 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram: et ego transivi super pulchritudinem colli ejus.* XIV, 18 et X, 24.

JOEL.

III, 2. *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat,* etc. XVII, 21.

AMOS.

III, 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel.* XV, 6.

IV, 2 et 3. *Levabunt vos in contis, et reliquias vestras in ollis ferventibus. Et per aperturas exhibitis altera contra alteram, et projiciemini in Armon.* XIII, 28.

IV, 12 et 13. *Præparare in occursum Dei tui, Israel. Quia ecce formans montes, et creans ventum,* etc. XVII, 12.

HABACUC.

III, 4. *Cornua in manibus ejus.* XIV, 27.

ZACHARIÆ.

XIV, 7. *Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox.* XVII, 22.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

Cap.			
V,	3.	*Beati pauperes spiritu, quoniam,* etc.	XVIII, 35.
XXIII,	8.	*Unus est Magister vester.*	X, 22.
XXIV,	20.	*Orate ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.*	XXI, 34.

MARCI.

X,	30.	*Qui non accipiat centies tantum.*	XIV, 12.

JOANNIS.

II,	4.	*Quid mihi et tibi est, mulier?*	X, 38.
XI,	9.	*Nonne duodecim sunt horæ diei?*	X, 1.
XIV,	6.	*Ego sum via, et veritas, et vita.*	XI, 4.

ACTUUM APOSTOLORUM.

XVII,	28.	*In ipso vivimus, et movemur, et sumus.*	XV, 20.

AD HEBRÆOS.

XII. 24. *Accessistis ad sanguinis effusionem melius loquentem quam Abel.* XVIII, 7.

II JOANNIS.

℣. 11. *Qui dicit peccatori Ave, communicat operibus ejus malignis.* X, 4.

APOCALYPSIS.

IV, 11. *Dignus es, Domine, Deus noster, accipere gloriam et honorem,* etc. X, 27.
VIII, 3. *Accepit Angelus thuribulum, et implevit illúd de igne altaris.* XXI, 11.
XIII, 8. *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* XI, 30.

Sancti-Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY, Bussière Fratrum.